SANCTITAS ECCLESIAE ROMANAE, IN S. ELIA PROPHETA...

Matthias : a Corona, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
14
13
C

SANCTITAS

ECCLESIÆ ROMANÆ,

TOMVS V.

SANCTITAS ECCLESIÆ ROMANÆ,

SEU

EXPOSITIO

LITTERALIS, MYSTICA, ET MORALIS;

Sparsim Cap. 17. lib. 3. Regum & reliquorum, usque ad Cap. 13. lib. 4. Regum inclusivè, Historiam Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei complectens, ac Ecclesiæ Romanæ Sanctimoniam duodecim Tomis delineans.

SACRÆ SCRIPTVRÆ, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

Conciliorum, Theologiæ, Controversiarum, SS. Canonum, & Casuum Conscientiæ studiosis utilissima.

AUCTORE

R.P. MATTHIA A CORONA LEODIENSI,

Carmelitâ, Sacræ Theologiæ Doctore Parisiensi.

TOMVS QVINTVS.

ECCLESIA SANCTA A POTESTATE JUDICIALI EPISCOPORUM, Dignitate & Potestate Archiepiscoporum, & Jure Militari Præsulum Jurisdictionem Temporalem habentium,

LEODICI EBURONUM,

Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL,

Suæ Serenissimæ Celsitudinis Typographum. M. DC. LXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO,

Dei Gratiâ

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM

ARCHICANCELLARIO,

ET PRINCIPI ELECTORI;

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,

EPISCOPO ET PRINCIPI LEODIENSI,

ET HILDESHEYMENSI;

ADMINISTRATORI BERGTESGADENSI,

LANDGRAVIO LEUCHTENBERGENSI,

UTRIUSQUE BAVARIÆ, SUPERIORIS PALATINATUS,

WESTPHALIÆ, ANGARIÆ, ET BULLONII DUCI,

COMITI PALATINO RHENI,

MARCHIONI FRANCHIMONTANO,

COMITI LOSSENSI, HORNENSI, &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

Astræa cœlitus emissa videns terram humano sanguine impunè cruentatam, cunctorumque mortalium sedes omnium flagitiorum colluvie pollutas, in natale solum, seu Divorum Aulas immortales remigravit. *Eam finxerunt* (inquit Lactantius) *offensam vitiis hominum cessisse terrâ, cælumq; migrasse.* Cui accinens Ovidius: Lactant. lib. divin. instit. cap. 5.

Ovidius l. 1. Metam.

Et Virgo cæde madentes
Vltima cælestûm terras Astræa reliquit.

Et Seneca :

Seneca in Octav. act. 2.

Neglectas terras fugit, & mores feros
Hominum, cruentâ cæde pollutas manus
Astræa Virgo syderum magnum decus,
Cupido belli crevit, atque auri fames
Totum per orbem maximum exortum malum, &c.

Illis arridens S. Augustinus. *Remotâ* (inquit) *Iustitiâ quid sunt regna nisi magna latrocinia?* Et Cassiodorus. *Inter populos sempiterna nascuntur certamina nisi fuerit Iustitia custodita.* Quam veritatem venustâ similitudine illustrat Rex Athalaricus. *Arbor, quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate lætari subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficie, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magnâ hilaritate decoratur, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat lasionis.* Subdit. *Regnum verò dicitur integerrimum, &c. cùm undique submovetur effrænata licentia, nec datur ansa menti maligna sub abominabili libertate peccare.* Quæ omnia, ut de medio tollerentur teste Hesiodo.

S. Augustin. lib. 4 de Civit.

Cassiod. lib. 7. c. 27.

Idem lib. 9. cap. 7.

Hesiodus in Theog.

Hoc uno Reges sunt fine creati
Dicere jus populis, injustaque tollere facta.

Dum Justitia mortalibus præest, quod in Deo secundum est, æmulatur: adeò ut Philosophorum Principi effari licuit, absente Justitiâ Solem non lucere, sed universa densissimâ caligine fore circumfusa. VESTRA CELSITVDO (SERENISSIME PRINCEPS,) tanti facit animi æquitatem, mentis constantiam, vitæ integritatem, exactissimam justitiæ administrationem, ut ad sui ortum, ipsa renata, seu cœlitus ad nos remissa

videatur

videatur, & verius nobis de eâ dicere liceat quàm Terentio de Senatu, seu potiùs de Cæsare. *Tacitus*

Tibi summum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.

Judicium (inquam) & leges, eorum maximè, quæ conducunt ad fovendam Religionem, Ecclesiæ Sanctimoniam propagandam, ejusque jura & dominia iniquè occupata, recuperanda, Cleri, populique mores effrænatos componendos, præviâ semper PIETATE ET SAPIENTIA, juxta illud Symbolum Vestris Insignibus appensum; Audire mihi videor CELSITVDINEM VESTRAM in hæc verba cum Lactantio prorumpentem.

Siquidam Prudentes & Arbitri æquitatis institutiones civilis juris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites, contentionesq; sopirent, quantò melius nos & rectius divinas institutiones litteris prosequemur, in quibus non stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserendâ, sed de spe, de vitâ, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas, erroresq; turpissimos sopiamus. Lactant. lib. 1. divin. inst. cap. 1.

Errores (inquam) quos nonnulli Acatholici & Politici plebeculæ suggerere nituntur, & suadere, sibi omnia flagitia & sacrilegia licere: Ecclesiam verò Apostolicam & Romanam, ejusque Præsules ita inermes esse, ut nec spirituali nec temporali mucrone insolentes plectere possint. At pacatissimum, florentissimumque Reipublicæ etiam Ecclesiasticæ statum fore ab acuratâ Justitiæ observantiâ. Divinum Numen hoc prænunciavit oraculo.

Erit opus Justitiæ pax, & cultus Justitiæ silentium & securitas usque in sempiternum. Isai 32. v. 17. Non secùs ac si diceret, ut Respublica

blicâ præsertim Christiana, quiete pacatissimâ, & otio gaudeat; & à factionibus, scissuris, & simultatibus immunis perseveret, debet eam Princeps omni flagitiorum & errorum fœce purgare. Divinum hoc oraculum fortunatissimo omine VESTRA CELSITVDO complevit. Eam enim ab ipso suo conceptu excepit, & ad ultimos apices ab inauguratione suâ exerceri curavit. *Nam* (inquit Quintilianus) *est sua etiam studiis infantia, & ut corporum, mox etiam fortissimorum educatio à lacte cujuscumque initium ducere.* Ineunte ætate non obscura futuræ justitiæ dedit indicia, dum excellens genius cœlesti gratiâ imbutus dictitavit jus suum Divino Numini, deindè parentibus esse reddendum. Indè prodiit universa virtutum supellex, insignis in Deum & Virginem Deiparam pietas, erga parentes humilis observantia, mentis ardor, zelus animarum, constans pompæ mundanæ despicientia, fluentis fortunæ contemptus, Ecclesiæ Militantis propugnandæ desiderium. *Virtus tua Justitiæ initium est.* (inquit Sapiens.) Ut adolevit tanto moderamine diversos animi motus composuit, ut ad tam insignis passionum victoriæ, ad tam præclari virtutum exercitii, ad tantæ gravitatis absque fastu intuitum unusquisque proclamans idem dixerit, quod de suo Principe Cassiodorus. *Mirabili temperamento concordia, antequam posset populos regere, suis jam cœpit moribus imperare. Hoc est profectò difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est, Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi*

Quintil. institut. orat. c.1.

Sapien. c. 12. v. 16.

Cassiod. libr. XI. Variar.

in

in floridâ ætate, ad quod vix credit cana modestia pervenire.

Ut paucis absolvam tanta tunc prudentia enituit, tanta apparuit æquitas, tanta viguit industria judiciorum, sic excelluit modesta Majestas etiam in ipso Colonienſi Athenæo, ut (inquit Nazianzenus) *Adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.* Undè ad primum ejus conſpectum universi illud Horatii decantarunt. S. Greg. Nazian. in Pan. ad Const.

Vultus ubi tuus
Effulsit populo, gratior is dies
Et soles melius nitent. Horat.

Quod si olim Sacerdotes, ut potè majori sanctimoniâ conſpicui pro tribunali sedebant populũ judicaturi, sic VESTRA CELSITVDO sacris Sacerdotii & Episcopii ordinibus initiari optavit, quòad judicium ferendum mente puriori procederet, ac ad Ecclesiarum Colonienſis, Leodienſis, & aliarum jura & dominia conſervanda & perquirenda studioſius incumberet, non tam militari, quàm cœlesti & Divino, instar Moysis, Josue, Davidis, Elisei munita præsidio, non tam fœderatorum & amicorum, quàm Divorum ope, non tam armorum conflictu, quàm votorum, precum, sacrificiorumque vi ac fervore, non tam Martis, quàm Sanctiſsimæ Dei Matris auſpiciis fulta, ſuis privatis commodis cedens, ut publicis præfatarum Ecclesiarum prodesset, atque ab Acatholicorum erroribus ad avitæ Fidei, & Or-

thodoxæ famulitium eas revocaret, seu potiùs ut bonus Pastor oves errantes ad caulam & Ecclesiæ Romanæ Matris suæ sinum reduceret. Rarum hujus ævi exemplum.

Pluribus supersedeo: nam lux & vita mihi deficeret in VESTRÆ CELSITVDINIS justâ bilance explicandâ. Illud ingenuè dixerim, adeò omnia æquissimi Præsulis & Judicis munia VESTRA CELSITVDO obire consuevit, ut si mihi vita optanda foret, profectò nullam ob causam, quàm ut Ecclesiasticæ Sanctimoniæ delineationem complerem ad Divini Numinis & VESTRÆ CELSITVDINIS gloriam. Patiatur igitur, ut hoc Opus suo Nomine, Auctoritate & commendatione in lucem prodeat, nec aspernetur tenuitatem illius, qui ut innumeris ab eâ beneficiis devinctus, ita in dies Cœlestibus Charismatibus & gratiis illam cumulari enixè desiderat.

SERENISSIME PRINCEPS,

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS VESTRÆ,

Humillimus Cliens

FR. MATTHIAS A CORONA Carmelita Leodius.

LITTERÆ EXHORTATORIÆ
SER.MI EPISCOPI AC PRINCIPIS NOSTRI
ad Opus prosequendum.

MAXIMILIANUS HENRICUS, Dei gratiâ Archiepiscopus & Princeps Elector Colonienſis, Epiſcopus ac Princeps Leodienſis & Hildeſienſis, utriuſque Bavariæ Dux, &c.

Reverende in Chriſto Pater, accepimus Reverentiæ tuæ litteras quibus in precibus ſuis proſperitatem noſtram ſibi commendatam eſſe teſtari, earundemq; novum illum Tractatum de Dignitate & Poteſtate Spirituali Epiſcoporum comitem eſſe voluit. Prout igitur continua erga Nos devotio jam antè multis argumentis expreſſa non poteſt non pergrata Nobis accidere, ita ſemper benigno ac benevolo animo illam erga Reverentiam tuam, totamq; laudabilem Religionem veſtram recolere non intermittemus, non dubitantes quin Reverentia tua uberiores magis, magiſq; eximiæ ſuæ doctrinæ fructus pari laude & applauſu prodere perget, donec totum ſyſtema nobilis & excelſi iſtius objecti de Eccleſiæ Sanctitate compleverit, &c. quam benè valere jubemus. Datum in Reſidentiâ noſtrâ Bonnæ 22. Ianuarii 1671. Signatum

MAXIMILIANVS HENRICVS.

EIUSDEM SERENISSIMI
EPISCOPI ET PRINCIPIS
Licentia hunc Tomum in lucem edendi.

MAXIMILIANUS HENRICUS, Dei gratiâ Archiepiscopus & Princeps Elector Colonienſis, Epiſcopus ac Princeps Leodienſis & Hildeſienſis, utriuſque Bavariæ Dux, &c.

Reverende in Chriſto Pater, vidimus ex litteris Reverentiæ tuæ primâ hujus exaratis, quemadmodum Tomis quatuor de Sanctitate Romanæ Eccleſiæ jamtum editis quintum ediderit, illumque ſub beneplacito noſtro mandare intendat: Cùm itaque non dubitemus, quin hic ab ingenio & manu veſtra procedens reliquis par futurus, & eundem ab omnibus applauſum habiturus ſit, Nobis non ingratum erit, ut propediem in lucem veniat, &c. ejus precibus Nos commendamus. Datum in Reſidentia noſtra Bonnæ 25. Aprilis 1672. Signatum

MAXIMILIANVS HENRICVS.

FACULTAS SEU PRÆCEPTUM R.MI PATRIS GENERALIS TOTIUS ORDINIS CARMELITARUM.

FR. *MATTHÆVS ORLANDVS, Magiſter ac humilis Prior Generalis Ordinis Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli antiquæ obſervantiæ regularis.*

Dilecto nobis in Chriſto P. Magiſtro MATHIÆ A CORONA Sacræ Theologiæ in Pariſienſi Univerſitate Doctori, noſtræ Provinciæ Franciæ inſigni Alumno, Salutem in Domino. Auctoritate noſtrâ præſentium tenore, non modò licentiam tibi facimus, *ſed & præceptum adjicimus* typis mandandi Tomum, quem de Sanctitate Romanæ Eccleſiæ in ſancto Eliâ Carmelitarum Protoparente figurata conſcripſiſti, ſicut & cæteros, quos de eodem argumento deinceps edere ſtatuiſti tomos ſequentes ad finem uſque, dummodùm à duobus Religionis noſtræ ab admodùm R.P. Provinciali deputandis Theologis, reviſi & approbati, aliaque de jure novo ſacri Concilii Tridentini fuerint. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conventu noſtro ſanctæ Mariæ Tranſpontinæ die 13. Auguſti 1667.

FR. MATTHÆVS ORLANDVS
Carmelitarum Generalis.

Locus (✠) Sigilli.

Fr. ÆMILIUS JACOMELLI *Provincialis Scotiæ, Secretarius Ordinis.*

FACVLTAS R. AD.M P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ FRANCIÆ.

FR. *MATHIAS A SANCTO AVERTANO humilis Provincialis Fratrum Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Provinciæ Franciæ.*

Auctoritate noſtrâ harum ſerie facultatem facimus Reverendo admodum Patri Magiſtro MATHIÆ A CORONA Sacræ Theologiæ Doctori Facultatis Pariſienſis, Provinciæ noſtræ profeſſo Sacerdoti, typis mandandi Tomum quintum Operis à ſe compoſiti, cui titulus eſt, *Eccleſia Sancta, &c.* poſtquam à duobus noſtri Ordinis Theologis fuerit approbatus. In quorum fidem, &c. In Carmelo noſtro Leodienſi die ſeptimâ Maii 1671.

Fr. MATHIAS A S. AVERTANO qui ſupra.

Fr. JACOBUS A S. PHILIPPO
Aſſiſtens R. A. P. Provincialis.

Locus (✠) Sigilli.

APPRO-

APPROBATIO
THEOLOGORUM.

HIc Tomus de Poteſtate Judiciali Epiſcoporum, de Dignitate & Poteſtate Archiepiſcoporum, & de Jure Militari Præſulum juriſdictionem temporalem habentium, compoſitus à Reverendo Patre MATHIA A CORONA Leodienſi, Ordinis Carmelitarum, Sacræ Theologiæ Doctore Sorbonico, nihil continet, quod ſit aut fidei Catholicæ, aut bonis moribus, aut ſanæ doctrinæ contrarium. Ideò publicâ luce dignum cenſeo. Leodii hâc 10. Junii 1672.

FRANCISCVS ZVTMAN
Examinator Synodalis, S. Joannis Evangeliſtæ Canonicus.

TOmum hunc, cui titulus eſt *Eccleſia Sancta, &c.* Reverendi admodùm P. MATHIÆ A CORONA Ordinis Carmelitarum, Sacræ Theologiæ Doctoris Pariſienſis. ac Conventus Leodienſis ſæpius olim Prioris, ſingulari animi voluptate perluſtravi, in eoque nihil Sacris Sanctionibus contrarium, nihil pietati adverſum, nihil quod non redoleat ſummam ſacræ Scripturæ intelligentiam, indefeſſam Patrum, Theologorum, ac Canoniſtarum Lectionem reperi. Faxit Deus ut Auctor ubique ſanus & ſibi conſtans pari paſſu Opus tam præclarum, tamque multifariâ fœcundum lectione, non tantùm inſignium Virorum applauſu, ſed etiam plurimorum deſiderio avidiſſimè expetitum fæliciter ad bonum omnium, utilitatem Eccleſiæ, & Reverendiſſimorum Epiſcoporum jura, & prærogativas, hic Tomus maximè enucleat, honorem perficiat; ideòque typis

dignissimum Opus censeo. Datum in Carmelo Leodiensi, hâc undecimâ Maii 1672.

Fr. TIMOTHEVS *A* PVRIFICATIONE,
Ordinis Carmelitarum, S. Theol. Exprofessor.

QUintum hunc Tomum ex duodecim, quibus lucem integram quam primùm publica postulat utilitas Operis inscripti *Sanctitas Ecclesiæ Romanæ, seu Expositio, &c.* Auctore R.^do admodum P. MATHIA A CORONA Leodiensi Carmelitâ, S. Theologiæ Doctore Parisiensi, magnâ cum utilitate, nec sine fructu legi: Et in eo quod Fidei Catholicæ refragetur nihil, quod illi suffragetur multùm ubique reperi. Nam Ecclesiam esse sanctam mirè probat, & à potestate judiciariâ Episcoporum, quorum dotes veris pingit coloribus, & ab ejusdem potestatis effectibus, in quibus est comes severitatis benignitas: Et à dignitate & potestate Archiepiscoporum, cæterorumque Præsulum, qui jurisdictionem habent temporalem jus militare pariter belli, si quando tulerit necessitas, & Catholicos contra Neotericos propugnat acriter. Hoc igitur Opus accuratissimum, florentissimâ authoritatum, Scripturæ, Conciliorum, Patrum, &c. quorum hic maximè habetur ratio, refertum ubertate, totum veræ doctrinæ spirans odorem, vanæ ostentationis omninò expers, bonis denique consonans moribus Sicut indefesso compositum est, ita inoffenso pede decurrere potest quisque Orthodoxorum. Quapropter ipsius impressionem censeo expedire, & opto fieri in decus & nomen Carmeli Leodiensis. In quorum fidem datum hac 25. Maii Anno 1672.

Fr. GABRIEL A S. CAROLO
Carmelita Theologus & Philosophiæ Professor.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

RIVS (teste S. Augustino lib de hæres. cap 53. S. Epiphanio hæres. 75.) ægrè ferens quod ie exclusо, Eustathius in studiis Collega promotus esset ad Sedem Episcopalem, tantâ indignatione exarsit, ut in varias hæreses prolapsus sit, præcipuè in hanc, nullum esse discrimen inter Episcopum, Archiepiscopum, & simplicem Sacerdotem. *Cùm autem* (inquit Epiphanius) *hic venisset Eustathius ad Episcopatum, Aerius magis concupiscebat, sed non pervenit ad ipsum: hinc oritur æmulatio, &c.* Ioannes Wicleffus apud nostrum Waldensem Anglum lib. 2. Doctrinalis fidei art 3. cap. 60. eam hæresim iterùm excitavit: quam sectati sunt his temporibus Calvinus lib. 4. institut. cap. 4. §. 2 Martinus Kemnitius in examine sessionis 23. Concilii Tridentini. Erasmus in annotatione ad cap. 4 epist. 1. ad Timotheum, & communiter Lutherani ac Calvinistæ asserentes Episcopos carere potestate non tantùm spirituali, sed etiam judiciariâ in fideles. Sed illis oppono Apostolum scribentem Timotheo 1 epist. cap. 5. vers 19. *Adversus Præsbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Quibus verbis Apostolus asserit Timotheum Episcopum, & alios esse judices, & posse pro tribunali sedere, ut accusationem contra sibi Subditum admittere, ac auditis testibus ferre sententiam possint. *Nam* (inquit D. Thomas) *considerandum est aliud esse accusationem recipere, aliud accusatum condemnare.* Hoc posterius Episcopus præstare non debet in quemlibet Subditum, maximè in Sacerdotem reum, nisi testibus convictum, aut sponte confessum. Undè Historiæ Ecclesiasticæ passim referunt, non tantùm domesticos, sed etiam Clericos Subdiaconos, Diaconos Præsbyteros, aliosque in Diœcesi morantes, fuisse à propriis Episcopis censuris, aliisque pœnis percussos. Quibus favent Concilium 2. Carthaginense Can. 8. & 9. Item S Gregorius Nazianzenus

S. Epiph.

1. Tim. c. 5. v. 19

D. Thom.

Præfatio ad Lectorem.

Nazianzenus orat. ad Principem iraſcentem & populum timore perculſum. S. Chryſoſtomus lib. de Sacerdotio, S. Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali aſſerentes Epiſcopos & Archiepiſcopos in Eccleſiâ imperare ac dominari inſtar Principum. Id firmat experientia, quæ ſolis Epiſcopis in Eccleſiâ ſolium, ſeu thronum erigit, quod eſt evidens indicium poteſtatis judicialis tam Epiſcopi, quàm Archiepiſcopi. Hæc Tibi LECTOR, præmittenda eſſe exiſtimavi, plura in hoc Opere oſtenſurus non fucato & inflato ſermone, ſed ſincero. Nam (inquit Lactantius) *Non in lingua, nec in corde ſapientia eſt, nec intereſt quali utare ſermone, quando res non verba quæruntur.* Quibus ſubjiciemus quæſtionem de jure militari Præſulum juriſdictionem temporalem habentium.

ELENCHVS

ELENCHUS TRACTATVVM, CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM HUIUS TOMI.

TRACTATUS PRIMUS.

DE TRIBUNALI EPISCOPALI ET ILLI SUBIECTIS.

Prologus. pag. 1
Cap. 1. *Humanorum Tribunalium necessitas.* 2
Cap. 2. *Romanus Pontifex non est subditus foro judicis laici.* 5
Cap. 3. *Episcopi sunt immunes à potestate judiciali Principum secularium.* 10
Cap. 4. *Sacerdotes sunt exempti à Tribunali laico.* 13
Cap. 5. *Effigies Episcopi seu Iudicis Ecclesiastici.* 15
Paragr. 1. *Primus color, suas oves spontaneè pascat.* 20
paragr. 2. *Secundus color, verus pastor potius animarum, quàm suum lucrum quærat.* 21
paragr. 3. *Tertius color, severitatem jungat benignitati.* 29
paragr. 4. *Quartus color, Iudex maximè Ecclesiasticus nullis parentum precibus, vel amicorum obsequiis ab administrandâ justitiâ abduci debet.* 33
Cap. 6. *Episcopale jus est posse pro tribunali sedere, ibique Christum imitari.* 45
Cap. 7. *Locus Episcopalis tribunalis, & jus dicendi.* 58
Cap. 8. *Potestas judicialis etiam in malis Prælatis residet.* 58
Cap. 9. *Potestas judicialis Episcopalis circa Clericos.* 63
paragr. 1. *Circa Regulares.* 66
paragr. 2. *Circa Moniales.* 73
paragr. 3. *Circa Novitios.* 79
paragr. 4. *Circa Eremitas.* 84
paragr. 5. *Circa eleemosynarum quæstores.* 86
paragr. 6. *Diluuntur argumenta contra mendicitatem.* 106
paragr. 7. *Potestas Ecclesiastica judicialis circa Laicos.* 116
paragr. 8. *Circa pia legata.* 124

paragr. 9. *Circa propriam causam.* 131
Cap. 10. *An soli Episcopo causæ criminalis Clericorum notitia & potestas judicialis competat, vel nequeant illas judicare, nisi personæ Ecclesiasticæ.* 134
Cap. 11. *De cognitione causarum ab Episcopis in primâ instantiâ habendâ.* 141
Cap. 12. *An à judicio Episcoporum in materiâ fidei & Ecclesiasticâ appellare liceat ad Principem temporalem.* 151
Cap. 13. *Diluuntur Argumenta contraria.* 156
Cap. 14. *An Ecclesiastici parere renuentes Brevi Apostolico concedenti Episcopo aliquod privilegium contra ordinationem sacri Concilii Tridentini possint compelli etiam per censuras.* 167

TRACTATUS SECUNDUS.

DE EFFECTIBUS POTESTATIS IUDICIALIS EPISCOPI.

Cap. 1. *IN Iudice Ecclesiastico benignitas sit severitatis comes.* 168
Cap. 2. *Potestatis Episcopalis una pœna est degradatio.* 183
paragr. 1. *De censuris.* 189
paragr. 2. *Materia excommunicationis ferendæ ab Episcopo.* 201
par gr. 3. *Effectus excommunicationis.* 207
parag. 4. *Conditiones excommunicationis à Vicariis Episcopi & aliis ferendæ.* 216
paragr. 5. *Monitoria pro rebus perditis, an & quando ab Episcopo possunt concedi.* 220
paragr. 6. *Qui vi monitorii non tenentur denunciare.* 225
Cap. 3. *Absolutio ab excommunicatione & aliis censuris & casibus ab Episcopo reservatis.* 232
Cap. 4. *Absolutio ab excommunicatione ob Clerici percussionem.* 239
Cap. 5. *Asolutio ab hæresi.* 242
Cap. 6. *Absolutio ab excommunicatione ob duellum.* 247
Cap. 7. *Ob homicidium.* 248
Cap. 8. *Ob abortum.* 249
Cap. 9. *Ob manus illatas in parentes.* 251
Cap. 10. *Ob actus magicos, veneficia, superstitiones.* 254
Cap. 11. *Ob falsum testimonium in judicio.* 264
Cap. 12 *Ob falsitatem mensurarum, ponderum, monetarum.* 269
Cap. 13. *Ob violatam immunitatem Ecclesiasticam.* 272
Cap. 14 *Ob incendium, & abscissionem arborum.* 284
Cap. 15. *Ob blasphemiam.* 286
Cap 16. *Ob expositionem prolium propriarum.* 294

Cap. 17. *Ob incestum.* 299
Cap. 18. *Ob raptum.* 303
Cap. 19. *Ob stuprum.* 305
Cap 20. *Ob Sodomiam.* 315
Cap. 21. *Ob falsificatas litteras Apostolicas.* 323
Cap. 22. *Absolutio à solemni perjurio.* 332
Cap. 23. *Gravis contumelia illata Venerabili Sacramento & sacris Reliquiis.* 334
Cap. 24. *Abusus Eucharistiæ, Reliquiarum, vel Scripturæ in exercitio artis magicæ.* 335
Cap. 24. *Omnes casus occulti reservati Sedi Apostolicæ possunt absolvi, & dispensari ab Episcopo Leodiensi.* 336
Cap. 25. *De suspensione.* 341
paragr. 1. *Suspensionis partitio.* 347
paragr. 2. *Suspensionis effectus.* 348
paragr. 3. *Quæ suspensiones ipso jure latæ?* 350
paragr. 4. *Quomodo & à quo tollitur suspensio.* 365
paragr. 5. *Quid requiritur ad absolutionem à suspensione & aliis censuris.* 370
paragr. 6. *Absolutio à suspensione & aliis censuris sit libera.* 372
paragr. 7. *Ejusmodi absolutionis partitio.* 373
paragr. 8. *Forma absolvendi à suspensione.* 374
Cap. 26. *Definitio & divisio interdicti.* 376
paragr. 1. *Interdicti causæ materiales.* 380
paragr. 2. *Causa efficiens & formalis.* 487
paragr. 3. *Causa finalis interdicti.* 389
paragr. 4. *Causæ speciales quibus à jure interdictum incurritur.* 389
paragr. 5. *Communicatio cum interdictis.* 395
paragr. 6. *Primus effectus interdicti est privatio divini officii.* 397
paragr. 7. *Secundus, privatio sacramentorum.* 399
paragr 8. *Tertius, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.* 405
paragr. 9. *Quartus, cessatio à divinis.* 406
paragr. 10. *Exclusio ab ingressu Ecclesiæ.* 408
paragr. 11. *Pœna violantium interdictum.* 409
paragr. 12. *Absolutio seu relaxatio interdicti.* 413
Cap. 26. *De irregularitate.* 416
parag. 1. *Irregularitatis partitio.* 419
paragr. 2. *Causæ irregularitatis.* 420
paragr. 3. *Effectus irregularitatis.* 432
paragr. 4. *Irregularitas proveniens ex defectu natalium.* 426
paragr. 5. *Ex defectu ætatis,* 432
paragr. 6. *Ex bigamiâ.* 436
paragr. 7. *Ex defectu corporis.* 440

paragr. 8. *Ex amentiâ & possessione dæmoniacâ.* 444
paragr. 9. *ex defectu libertatis.* 445
paragr. 10. *ex obligatione ad ratiocinia.* 446
paragr. 11. *ex defectu animi & usus rationis.* 451
paragr 12. *ex defectu scientiæ.* 452
paragr. 13. *ex neophytismo & defectu fidei.* 454
paragr. 14. *ex hæresi.* 463
paregr. 15. *ex infamiâ.* 467
paragr. 16. *ex accusatione & testimonio.* 472
paragr. 17. *ex homicidio voluntario illicito.* 477
paragr. 18. *ex iteratâ Baptismi collatione vel susceptione.* 483
paragr. 19. *ex susceptione Ordinum.* 486
paragr. 20. *ex violatis censuris.* 487
paragr. 21. *ex paupertate seu defectu bonorum.* 486
parag. 22. *ex Chirurgiæ exercitio.* 489
paragr. 23. *Quomodo debeat Episcopus aliquem in dubio judicare.* 492

TRACTATUS TERTIUS

DE DIGNITATE ET POTESTATE ARCHIEPISCOPORUM, ET IURE MILITARI PRÆSULUM IURISDICTIONEM TEMPORALEM HABENTIUM.

Prologus. 497
Cap. 1. *De dignitate Archiepiscopi.* 498
paragr. 1. *De Pallio.* 500
paragr. 2. *De Cruce & aliis insignibus.* 504
paragr. 2. *Tempus & forma postulandi & dandi pallium.* 505
paragr. 3. *De excellentiâ archiepiscopi præ Episcopo.* 505
paragr. 4. *Quoad Seminarium.* 506
paragr. 5. *Defuncto Episcopo quid possit Archiepiscopus.* 508
paragr. 7. *Archiepiscopi jus visitandi.* 509
paragr. 8. *Circa Indulgentias.* 511
paragr 9. *Circa celebrationem & matrimonium.* 511
paragr. 10. *Circa subsidium charitativum.* 512
paragr. 11. *Archiepiscopi potestas judicialis in Episcopos.* 512
paragr. 13. *Appellatio ad Archiepiscopum.* 515
paragr. 12. *Quid possit Archiepiscopus circa dispensationes.* 516
paragr. 15. *Quid circa unionem beneficiorum.* 518
paragr. 16. *Quid circa quæstores & regulares.* 518
Cap. 2. *An jus militare Præsuli Ecclesiastico competat.* 519

paragr. 1. *An bellum Iudæis licitum fuerit.* 510
paragr. 2. *Bellum Christianis licitum probatur ex Evangelio.* 516
paragr. 3. *Probatur ex Patribus.* 5[illegible]
paragr. 4. *Probatur ex Pontificibus Romanis.* 536
paragr. 5. *Probatur ex victoriis cœlesti ope potius, quam humana reportatis.* 538
paragr. 6. *Probatur ex jure & ratione.* 540
paragr. 7. *Solvuntur argumenta contraria petita ex scriptura.* 540
paragr. 8. *Satisfit objectionibus desumptis ex decretis Ecclesiæ, Patribus, & ratione.* 544
Cap. 3. *Quibus liceat bellum gerere.* 549
Cap. 4. *Conditiones belli liciti.* 556
Cap 5. *An liceat Christianis bellum gerere contra Turcas.* 559
Cap. 6. *An Christiani possint bellum gerere contra hæreticos.* 562
parag. 1. *Diluuntur argumenta contraria.* 564

FINIS INDICIS TRACT. &c.

INDEX BIBLICUS

HISTORIÆ SS. PROPHETARUM

ELIÆ ET ELISEI

A Cap. 17. Lib. 3. Regum inclusivè usque ad Cap. 13. Lib. 4. inclusivè.

P. Paginam, N. Numerum marginalem denotat.

Cap. 17.

Vers. 1. ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, pag. 87. num. 2. p. 329. num. 3.

vers 2. Vivit Dominus in cujus conspectu sto, p. 30. num. 3. p. 34. num. 2. p. 41. p. 328. & 389. num. 1: p. 399 n. 1.

vers. 3. Recede hinc & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, p. 87. num. 3.

vers. 4. Et ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi, p. 89. n. 4.

Vers. 5. Abiit ergò & fecit juxta verbum Domini, cumque abiisset sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem, p. 305. n. 1.

Vers. 6. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente, p. 28, n. 11.

vers. 9. Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, & mane ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te, p. 91. n. 5. p. 296.

Vers. 10. Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam, pag. 91. num. 5. p. 92 n. 6. p. 100. n. 16. p. 120. numer. 6.

Vers. 12. Vivit Dominus Deus tuus quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydriâ, & paululùm olei in lecytho, p. 294 num. 1. p. 120. n. 6. p. 121. num. 5.

Ibidem. En colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi, & filio meo; ut comedamus & moriamur. p. 401. n. 5.

Vers. 13. Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primùm fac de ipsâ farinulâ subcinericium panem parvulum, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies postea, pag. 295. num. 1. & p. 123. numer. 8.

Vers. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ, pag. 93. num. 7. pag. 296. numer. 3.

vers 15. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ, & comedit ipse, & illa, & domus ejus tota, pag. 108. num. 2. p. 123. num. 8. & pag. 295. num. 1.

vers. 18. Dixit ad Eliam, quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? p. 295. n. 1. p. 361.

vers. 20. Clamavit ad Dominum, & dixit Domine Deus meus, etiamnè Viduam, apud quam ego utcumque sustentor afflixisti, ut interficeres filium ejus? pag 121. numer. 5.

vers. 21. Expandit se, atque mensus est super puerum, pag. 30. numer. 4.

Cap. 18.

Cap. 18.

verſ. 10. VIvit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens, aut regnum quò non miſerit Dominus meus te requirens, p. 272. num 1

verſ. 13. Numquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim cùm interficerer Jezabel Prophetas Domini, quod abſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & paverim eos pane & aquâ, p. 94. num. 9. p. 96. num. 11. pag. 463.

verſ. 17. Tu nè es, qui conturbas Iſrael? pag. 157. num. 1. p. 301. numer. 4.

verſ. 18. Non ego turbavi, ſed tu & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalum, *ibid.* & 329.

Verſ. 19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me univerſum Iſrael in monte Carmeli, &c. p. 396. p. 461. n. 5.

Verſ. 21. Accedens Elias ad omnem populum ait; Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal ſequimini eum, pag. 417. num. 1. p. 463.

verſ. 22. Ego remanſi Prophèta Domini ſolus, Prophetæ autem Baal quadringẽti & quinquaginta viri ſunt p. 178. n. 17.

verſ. 23. Illi eligant ſibi bovem unum, & in fruſtra cædentes, &c. p. 463.

verſ. 24. Invocate nomina Deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei, & Deus, qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus. Reſpondit omnis populus optima propoſitio, p. 5. n. 4.

verſ. 29. Poſtquam tranſiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo ſacrificium offerri ſolet, p. 49. n. 2.

verſ. 30. Dixit Elias venite ad me, p. 463.

Verſ. 34. Implete quatuor hydrias aquâ, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna, pag. 464. numer. 3.

Verſ. 36 Cumque jam tempus eſſet, ut offerretur holocauſtum, accedens Elias Propheta ait, &c. pag. 396. n. 1.

verſ. 39. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, p. 49. p. 294. n. 1.

verſ. 39. Quod cùm vidiſſet omnis populus cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus, pag. 396. numer. 3.

Verſ. 40. Dixitque Elias ad eos, apprehendite omnes Prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis, p. 31. n. 5. p. 179. n. 17. p. 272. n. 1. p. 397.

Ibidem. Et duxit eos ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi, pag. 563. n. 3.

Verſ. 41. Et ait Elias ad Achab, aſcende comede, & bibe, quia ſonus multæ pluviæ eſt, pag. 51. numer. 3.

Verſ. 44. Revertere ſeptem vicibus, p. 454.

Cap. 19.

Verſ. 3. TImuit Elias, & fugiens abiit quocumque eum ferebat voluntas, &c. pag. 208. numer. 1.

verſ. 5. Projecitque ſe & obdormivit in umbrâ juniperi, &c. p. 299. num. 2. & 14.

Verſ. 9. Ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi. Quid hic agis Elia? p. 168. n. 1.

verſ. 10. Zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, &c. pag. 169. num. 1. pag. 397. num. 4. & pagin. 469.

Ibidem. Et derelictus ſum ego ſolus, p. 178. n. 17.

verſ. 11. Egredere, & ſta in monte coram Domino, &c. pag. 459. num. 4.

verſ. 14. Et quærunt animam meam, ut auferant eam, pag. 179 num. 17.

verſ. 15. Vade & revertere in viam tuam per deſertum, &c. pag. 179. num. 17.

verſ. 16. Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula unges Prophetam pro te, p. 179. n. 17. p. 402.

verſ. 17. Et erit quicumque fugerit gladium Hazael occidet eum Jehu, &c. pag. 179. num. 17. p. 181. n. 21.

verſ. 18. Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, pag. 169. num. 1. pag. 464. num. 1.

verſ. 19. Profectus ergò indè Elias reperit Eliſeum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum, p. 456. num. 3.

verſ. 20. Miſit pallium ſuum ſuper illum p. 500. n. 1.

Ibidem. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, pag. 456. numer. 4.

verſ. 21. Oſculor oro Patrem meum, & Matrem meam, & ſic ſequar te, &c. Reverſus autem ab eo tulit par boum, & coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, pag. 97. num. 12. pag. 457. num. 3.

Cap. 20.

Verſ. 29. SEprimâ autem die commiſſum eſt bellum, percuſſeruntque Filii Iſrael de Syris centum millia peditum in die unâ, p. 519. num. 1.

verſ. 34. Civitates, quas tulit Pater meus à Patre tuo reddam, & plateas fac tibi in Damaſco, ſicut fecit Pater meus in Samariâ, & ego fœderatus recedam à te, pag. 133. numer. 1.

Verſ. 35. Pepigit fœdus & dimiſit eum, *ibid.*

verſ. 36. Quia noluiſti audire vocem Domini, Ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cùmque paulum receſſiſſet ab eo, invenit eum leo, atque percuſſit. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum percute me, qui percuſſit eum, & vulneravit, pag. 56. numer. 8.

Verſ. 42. Hæc dicit Dominus, quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. p. 33. n. 5.

Cap. 21.

Verſ. 2. LOcutus eſt ergò Achab ad Naboth, dicens, da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, pag. 106. numer. 1. & pag. 285. numer. 3.

Verſ. 7. Dixit ad eum Jezabel uxor ejus, grandis auctoritatis es, & benè Regis regnum, ſurge, & comede, p. 302. n. 4.

Verſ. 8. Scripſit itaque litteras ex nomine Achab, & ſignavit eas annulo ejus, & miſit ad majores natu, &c. pag. 266. num. 3. p. 323. n. 1. p. 469.

Verſ. 10. Submittite duos viros, filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant, &c. p. 176. n. 13. p. 286. n. 1.

Verſ. 12. Prædicaverunt jejunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi, &c. pag. 289. numer. 7.

Verſ. 15. Cùm audiſſet Jezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta eſt ad Achab, ſurge & poſſide vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquieſcere, p. 135. n. 1. p. 316.

Verſ. 18. Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbytem, dicens, ſurge & deſcende in occurſum Achab Regis Iſrael, ecce ad vineam Naboth deſcendit, ut poſſideat eam, pag. 135. numer. 1. pag. 266. numer. 3.

Verſ. 19. Hæc dicit Dominus: Occidiſti inſuper & poſſediſti, & poſt hæc addes, Hæc dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum, p. 362.

verſ. 19.

verſ. 19. Occidiſti inſuper & poſſediſti, &c. pag. 181. n. 21. p. 286. p. 447. n. 3.

verſ. 21. Ecce inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, pag. 380, num. 1 p. 362.

verſ. 22. Et interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum & ultimum in Iſrael; p. 12.

verſ. 23. Sed & de Jezabel locutus eſt Dominus, dicens; Canes comedent Jezabel in agro Jezrael, pag. 12.

verſ. 29. Non inducam malum in diebus ejus, &c. pag. 380. numer. 1.

Cap. 22.

Verſ. 1. TRanſierunt igitur tres anni abſque bello inter Syriam & Iſrael; p. 519.

Verſ. 24. Acceſſit autem Sedecias Filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, &c. p. 252. num. 1.

verſ. 34. Vir autem quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael, &c. pag. 254. n. 1.

verſ. 38. Et laverunt currum ejus in piſcinâ Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem ejus, &c. p. 302. num. 4.

Libr. 4. Regum

Cap. 1.

Verſ. 3. NUnquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, pag. 254. num. 1. p. 300. n. 3. p. 336. n. 3.

verſ. 4. Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris, p. 131. n. 1.

Verſ. 8. Vir piloſus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus. Qui ait Elias Thesbytes eſt, pag. 90. numer. 4.

Verſ. 9. Miſit ad eum quinquagenarium Principem, & quinquaginta, qui erant ſub eo, qui aſcendit ad eum, ſedentique in vertice montis ait. Homo Dei Rex præcepit, ut deſcendas, pagin. 51. p. 131. n. 1. p. 317. p. 525. n. 5. pag. 566. n. 3.

verſ. 10. Reſpondensque Elias dixit, ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret quinquaginta tuos, *ibidem.*

verſ. 15. Locutus eſt autem Angelus Domini ad Eliam dicens, deſcende cum eo nè timeas, p. 132. num. 3.

verſ. 16. Quia miſiſti nuntios ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideò de lectulo, ſuper aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris, p. 12. n. 16.

Cap. 2.

verſ. 8. POſtula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te, p. 51. p. 328.

verſ. 9. Dixitque Eliſeus obſecro, obſecro ut fiat mihi duplex ſpiritus tuus, pag. 52. pag. 169. numer. 2.

verſ. 10. Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiiſti, p. 524.

verſ. 11. Cùmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, p. 305.

verſ. 13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei, pag. 403. num. 7. p. 500. n. 1.

Verſ. 15. Videntes Filii Prophetarum, qui erant in Jericho è contra dixerunt, requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum; & venientes in occurſum ejus adoraverunt eum, pagin. 98, num. 12. pag. 344. num. 4. pag. 460. num. 4. pag. 462. numer. 6.

verſ. 19. Dixerunt viri Civitatis ad Eliſeum. Ecce habitatio Civitatis hujus optima eſt, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis, pag. 169. num. 2.

verſ. 23. Aſcendit autem in Bethel,

thel. Cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de Civitate, & illudebant ei, dicentes, ascende calve, ascende calve, pagin. 28. num. 10. p. 253. n. 3 p. 319. p. 334. num. 24.

vers. 24. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, pag. 52. numer. 4. pag. 131. num. 2. p. 380. n. 1. p. 334. num. 24.

vers. 25. Abiit autem indè in montem Carmeli, &c. pag 132. num. 3.

Cap. 3.

vers. 8. PErrexerunt Rex Israel, & Rex Juda, & Rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, pag. 179. n. 18.

vers. 11. Est nè hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per illum, p. 554.

Vers. 13. Quid mihi & tibi est? Vade ad Prophetas Patris tui, & Matris tuæ, p. 52. n. 4.

Vers. 14. Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Regis Josaphat erubescerem, pag. 329. & pag. 457. numer. 4.

Vers. 15. Nunc autem adducite mihi Psaltem. Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini, p. 53. n. 4. p. 458.

Vers. 17. Hæc dicit Dominus, Non videbitis ventum, neque pluviam, & alveus ille replebitur aquis. p. 560. n. 1.

vers. 18. Parumque est hoc in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in vestras, *ibid.* & pag. 179. n. 1.

vers. 19. & 24. *ibidem.*

Cap. 4.

Vers. 2. NOn habet ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar, p. 402. n. 6.

Vers. 3. Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis vasa vacua non pauca; & ingredere, & claude ostium tuum, & cùm intrinsecus fueris, tu & filii tui. mitte indè in omnia vasa hæc, cùmque plena fuerint, tolles, p. 91. num. 5.

vers. 7. Vade & vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem & filii tui vivite de reliquo, pag. 400. num. 3.

vers. 8. Erat mulier magna, p. 96. n. 12. p. 105. n. 26.

Vers. 13. Ecce sedulò in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis ut loquar Principi militiæ, p. 98. n. 12. p. 447. n. 3.

Vers. 16. In tempore isto, & in hac eadem horâ, si vita comes fuerit, habebis in utero filium, p. 98. num. 12.

vers. 25. Cùm vidisset eam Vir Dei è contra ait ad Giezi puerum suum, Ecce Sunamitis illa, Vade ergò in occursum ejus, pag. 203. num. 5.

Vers. 27. Anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi, pag. 459. num. 4.

vers. 34. Et incubuit super puerum, posuitque os super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, pag. 30. numer. 4.

Cap. 5.

Vers. 1. NAaman Princeps militiæ Regis Syriæ erat vir magnus apud Dominum suum, & honoratus, per illum enim Dominus dedit salutem Syriæ, pag. 5. num. 2.

vers. 15. Verè scio, quod non sit alius Deus in universa terra, &c. p. 342. n. 6.

Vers. 16. Vivit Dominus ante quem sto, quia non accipiam, p. 341.

vers. 17. Obsecro concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra, &c. p. 342.

Vers. 18. Non faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis nisi Domino, p. 465. num. 6. p. 525 n. 6

verſ. 20. Vivit Dominus a, qui curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid, pag. 116. n. 18. pag. 203. numer. 3. & 4.

Verſ. 22. Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices, p. 203. n. 6. p. 330. p. 341. num. 1.

Verſ. 23. Dixit Naaman, melius eſt, ut accipias duo talenta, & coegit eum, ligavit duo talenta argenti in duobus ſaccis, &c, pag. 104. num. 9.

verſ. 24. Cùmque veniſſet jam veſperi tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, &c. p. 342.

verſ. 25. Ipſe autem ingreſſus ſtetit coram Domino ſuo. Et dixit Eliſeus, undè venis Giezi, p. 203. n. 6. p. 205. n. 11. p. 330.

Ibidem. Qui reſpondit, non ivit ſervus tuus quoquam, p. 342.

verſ. 26. Nonnè cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occaſum tui, &c. pag. 459. n. 4.

Ibidem. Accepiſti argentum, &c. p. 381. num. 1. pag. 417. n. 1. p. 459. num. 4.

Verſ. 27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, p. 183. n. 1. p. 204. n. 9. p. 207. n. 3. p. 214. n. 8. p. 365. n. 1. p. 417. n. 1.

Ibidem. Et ingreſſus ab eo leproſus quaſi nix, p. 349 p. 361.

Cap. 6.

Verſ. 14. HEu, heu Domine quid faciemus, p. 358. n. 4.

verſ. 23. Appoſita eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimiſit eos, &c. pag. 170. num. 2.

verſ. 24. Congregavit Benadab rex Syriæ univerſum exercitum, pag. 523. num. 3.

verſ. 25. Facta eſt fames magna in Samariâ, & tamdiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argentis, &c. p. 269. num. 1. p. 523. num. 34.

Cap. 7.

verſ. 1. DIxit Eliſeus audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus in tempore hoc, cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno in portâ Samariæ, &c. p. 269. n. 1.

verſ. 2. Reſpondens unus de Ducibus, ſuper cujus manum Rex incumbebat homini Dei, ait, ſi Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit eſſe quod loqueris? pag. 523. n. 4.

verſ. 3. Quatuor ergò viri erant leproſi juxta introitum portæ, qui dixerunt ad invicem, quid hic eſſe volumus donec moriamur? p. 524. n. 5.

verſ. 4. Sivè ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur, ſivè manſerimus hic, nobis moriendum eſt? pag. 524. n. 5.

Verſ. 5. Surrexerunt ergò, ut venirent ad caſtra Syrorum, cùmque veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem reperierunt, pag. 524. n. 5.

verſ. 6. Siquidem Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ curruum & equorum, & exercitus plurimi, pag. 524. n. 4.

Cap. 8.

verſ. 1. ELiſeus locutus eſt ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens; ſurge, vade tu & domus tua, & peregrinare, ubicumque repereris, vocavit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis, p. 52.

verſ. 4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero Viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſeus p. 208. n. 1. p. 343. n. 2. p. 414.

Cap. 9.

Verſ. 10. IEzabel quoque comedent canes in agro Jezrael, &c. pag. 208. n. 1.

Verſ. 22. Pax eſt Jehu? At ille reſpondit, quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel Matris tuæ, & veneficia

ejus

ejus multa vigent, pag. 468. n. 2.

Vers. 33. Præcipitate eam, & præcipitaverunt eam, aſperſusque ſanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam, p. 208. n. 1.

vers. 35, Cùmque iſſent ut ſepelirent eam, non invenerunt niſi calvariam, & pedes & ſummas manus, pag. 405. n. 1.

vers. 36. Reverſíque nunciaverunt ei, & ait Jehu. Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſervum ſuum Eliam Thesbytem, p. 405. n. 1.

Cap. 10.

vers. 7. CUmque veniſſent litteræ ad eos, tulerunt filios Regis, & occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, pag 316.

Cap. 12.

Vers. 2. FEcitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada Sacerdos, p. 4. n. 2.

Cap. 13.

Vers. 14. DEſcendit ad eum Joas Rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus, pag. 12. n. 6. p. 13. num. 1. pag. 116. pag. 554.

Vers. 15. Et ait illi Eliſeus, affer arcum & ſagittas, p. 520. num. 2. & pag. 554.

Vers. 16. Pone manum tuam ſuper arcum, & cùm poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus Regis, p. 520. n. 2. pag. 554.

Vers. 17. Aperi feneſtram orientalem, cùmque aperuiſſet, dixit Eliſeus, jace ſagittam, & jecit. Et ait Eliſeus: Sagitta Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam, p. 521. num. 1. p. 554. p. 555.

Vers. 19. Iratus eſt Vir Dei contra eum, & ait, ſi percuſſiſſes quinquies aut ſexties, &c. p. 555.

FINIS INDICIS BIBLICI &c.

TRAC-

TRACTATVS PRIMVS DE POTESTATE JUDICIARIA EPISCOPORVM.

PROLOGVS.

AGGRESSURO opus de Potestate Judiciaria Episcoporum obicem ponere videtur Apostolus 1. Corinth. c. 5. vers. 12. dicens: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Sed non intendit dicere, præter Tribunal Sacramentale non esse aliud in Ecclesia, à quo fideles alicujus criminis publici vel enormis rei judicari, damnari, & plecti possint: sed per eos, *qui foris sunt*, intelligit paganos, non baptisatos, qui sunt extra Ecclesiam seu dominium & jurisdictionem Ecclesiæ. Licet enim hæretici, schismatici, & peccatores publici, ac enormis criminis rei sint excommunicati, & bonis Ecclesiæ privati, & à commercio fidelium segregati; tamen non sunt propriè extra Ecclesiam, quia retinent semper characterem baptismalem, semper manent Ecclesiæ devincti, obligati, & subjecti, tenenturque observare festa, jejunia, aliasque leges Ecclesiasticas. Sunt (inquam) in Ecclesiâ sed quasi mancipia in aliquâ familiâ, quasi rei incarcerati in urbe, inquit Cornelius. Hanc explicationem suggerere videtur S. Anselmus. *Quid mihi attinet judicare de his, idest infidelibus, qui sunt foris, idest extra Ecclesiam, &c. Nonne de his qui intus sunt, idest de fidelibus, vos judicatis, & Ecclesiasticâ censurâ putredinem vitiorum ab eis resecatis, ut in hac vitâ pro culpis suis puniantur, & ad judicium purgati postmodum veniant.* Illi subscribens Dionysius. *Quid spectat ad me de infidelibus, qui extra Ecclesiam sunt nomine, numero & re dare sententiam, ut vitentur?* Apostolus non sibi contradicit, dum consequenter ait: *Auferte malum ex vobis ipsis.* S. Anselmus. *De cœtu vestro ejicite fornicatorem, cujus societate conquinamini. Quod enim dicitur auferte malum ex vobis ipsis, non sic esse intelligendum, ut ex ipso quisque auferat malum: sed sic potius ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per Ecclesiasticam disciplinam, satis indicat Græca lingua, ubi sine ambiguitate dictum est hunc malum, non hoc malum.* Si mali per disciplinam & sententiam Ecclesiasticam à cœtu fidelium arceri debent, quomodò cum servi prudentes animadverterent zizania bono semini admisceri, & peterent à patrefamilias, Matthæi cap. 13. vers. 28. *Vis imus*

1. Cor. c. 5. v. 12.

S. Anselmus.

Matt. c. 13. v. 28

& colligimus ea. Eutychianus. *Vis ergò ut egressi colligamus ea.* Respondet vers. 29. *Non ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis triticum.* Vatablus *Eradicetis unà cum illis triticum.* Respondet S. Paschasius lib. 7. in Matthæum. *Non dico, ut contradicam illud Apostoli, auferte malum ex vobis, quod contrarium huic loco sonare videtur, sed aliud est de manifestis apertisq; criminibus judicare in Ecclesia: aliud de his quæ adhuc quasi in herba latent. Nam zizania quod lolium esse dicimus, antequam in culmen veniant, tanta similitudo in eis est, ut discerni vix, aut nunquam possit, & Dominus ait sinite usque ad messem.* Quasi diceret, Apostolus loquitur de peccatoribus publicis, quorũ flagitia sunt omnino nota, omnium aspectibus obvia, scandalosa & ab omnibus nota, cujusmodi erant peccata Achab lib. 3. Regum cap. 21. vers. 22. cui S. Propheta dixit *Et peccare fecisti Israel.* Et cap. 22. vers. 53. Et lib. 4. cap. 3. vers. 3. cap. 10. vers. 29. cap. 13. vers. 11. de Jeroboam dicit sacer Textus. *Qui peccare fecit Israel.* Christus autem utitur similitudine zizaniorum, quæ peccatorum occultorum sunt symbola, Christus igitur nõ vult eradicari de medio tritici, id est à cœtu fidelium separari peccatores occultos, sed manifestos. Innuere videtur idem S. Paschasius supra. *Undè colligitur nè ubi quid ambiguum est magister Ecclesiæ sententiam citò proferat, sed Deo judicii terminum reservemus, ut cum dies judicii advenerit, ille non secundùm suspicionem criminis, sed juxta manifestum reatum de sanctorum cœtu eum ejiciat.* Quasi diceret, nunc pro manifestis, publicis, & scandalosis criminibus à cœtu & societate fidelium hæretici, schismatici, & infames peccatores ejiciuntur. Tunc verò etiam pro occultis à supremo judice à congregatione beatorum segregabuntur. Nunc notorius & scandalosus peccator per excommunicationem traditur satanæ, cum ipe indulgentiæ si resipiscat, ut patet ex Apostolo supra vers. 3. *Iam judicavimi, &c.* vers. 4. *Cum virtute Domini nostri Iesu Christi.* vers. 5. *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu Christi.* Cornelius. *Ego statuo, judico & impero eum scilicet fornicarium excommunicari & tradi satanæ auctoritate, & vice Christi quâ fungor, dum impero & judico, &c. ut excommunicetur à Prælatis, & in vestrâ congregatione & Ecclesiâ tradere satanæ &c. quia ejecti extra societatem Christi, & Ecclesiæ, ejusq; bonis privati, scilicet orationibus, suffragiis, sacrificiis, sacramentis, Dei protectione, curâ pastorali, tyrannidi & incursibus diaboli, ita exponantur, ut in eos magis quàm ante grassetur & in omne malum impellat. Ut ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis ipsum macerat Diabolus, & carovejus atteratur, carnisq; vigor intereat, ut sic humiliatus resipiscat, &c. Seu ut anima & mens hac pœnâ resipiscens & renovata salva sit in die judicii.* In quo supremus Episcopus animarum nostrarum, rectissimus & exactissimus judex pro tribunali sedens hanc sententiam pronunciabit Matthæi cap. 25. vers. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus Diabolo & Angelis ejus.* Dicit *in æternum*, idest *sine carentem*, absque ullâ spe emergendi. Nam (inquit Hugo libr. 4. de anima.) *Infernus est locus sine mensurâ profundus, sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore inenarrabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebra, ibi ordo nullus, ibi horror æternus.* In præsenti opere de tribunali Præsulum Ecclesiæ, de personis illi subjectis, de sententiarum illatione, & discrimine agemus.

l. 3. Reg. 21. v 22. c. 3 v 3. c. 13. v. 11.

Matt. c. 25. v. 1.

Hugo.

1. Cor. c. 3. v. 3. vers. 4. vers. 5.

CAPUT I.

Humaniorum Tribunalium necessitas.

I.

QUamvis Principes corporis & animi robore Athlantem superarent, publicorum tamen negotiorum moli forent omninò impares, & ideò vicariâ ministrorum ope indigent in curarum levamen, & negotiorum expeditionem. Esto homo sit ad imaginem Dei efformatus præcipuè ut præsit, Genesis cap. 1. vers. 26. *Faciamus hominem*

Gen. 25. v. 1.

hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit, &c. Tamen ut non ſegniter præſit. Vicarium adminiſtratorum ſubſidium deſiderat, ut ingeniosè animadvertit Syneſius oratione de regno, dicens. *Deum ſiquidem ſibi ſufficere, & antiquam eſſe naturam, quæ ſupra id omne, quod ſubditum eſt, aſſurgit, homini verò, multis, atque ejuſdem conditionis hominibus imperanti ad cujuſlibet rei animadverſionem propriam naturam ſatis ſuperq; non eſſe* Idem aſſerit Philo de creatione Principis. *Unus* (inquit) *non ſufficit, quantumvis alacer, fortiq; corpore ſimul atque animo, in tantâ mole negotiorum, ac multitudine, quotidie aliis affluentibus ſuper alia, providè aſſumendi ſunt optimates ſelecti, ſpectatæ prudentiæ, fortitudinis, juſtitiæ, pietatisq; incorrupti, & ante omnia infenſi ſuperbiæ: Nam hujuſmodi viri maximè idonei ſunt ad ſublevandũ ope ſuâ bonum honeſtumq; Principem.* Huic arridens Syneſius citatus. *Hinc* (inquit) *à ſeipſo progrediens Rex cum propinquioribus, primum & amicis converſabitur, quibuſcumque unà coeuntibus de ſummâ rerum conſilium capiet, &c.* Iiſdem rationibus nixus Athalaricus rex teſte Caſſiodoro, lib. 8. epiſt. 9. & Avi ſui Theodorici veſtigiis inhærens Tolonicum Patricinum in negotiis publicis verſatiſſimum, ſuæ regiæ adminiſtrationis conſortem aſſumpturus, dixit. *Licet ad regendos populos idoneos efficiant, quos ad auguſtum culmen divina provexerint* (*quando nec ætas impedit, ubi ſeſe potentia cœleſtis infundit*) *tamen ad relevandam florentiſſimæ noſtræ ætatis ſollicitudinem, viſum eſt te virum prudentiſſimum convenienter adhibere: quem conſtat etiam domini Avi noſtri tractatibus jugiter, & laudabiliter adhæſiſſe.* Quibus hæc præclara verba ſubjungit. *Magna eſt enim, infinitaq; prudentia, quam nemo ſic aſſequitur, ut eam non neceſſariò, & per alios quærere videatur.* Hanc alieni ſubſidii opem omnibus neceſſariam probat. *Senes ipſi conſiliis ſapientiam diſcunt, & à maturis in commune quæritur, quod pro omnium utilitate tractatur.* Tandem concludit eos Principes meliores & ſapientiores eſſe qui in negotiorum publicorũ diſcuſſione, nonnullorum miniſtrorum cõſilio & ſolertiâ utuntur. *Solatium curarum frequenter ſibi adhibent maturi reges, & hinc meliores æſtimantur ſi ſoli omnia non præſumant.*

Syneſius.

Philo.

Syneſius.

Caſſiod.

II. Id ſemper obſervatum fuiſſe in regimine politico optimè ordinato teſtatur Velleius Paterculus, ſcilicet: *Magnos & eminentes viros magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam, nã ujos eſſe.* Hujus rei Textus facer innumera nobis exempla profert. Geneſis cap. 41. verſ. 39. *Nunquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero?* Verſ. 40. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet &c.* Jethro videns Moyſem generum ſuum tribus virorum millionibus præeſſe, eorumque negotiis & controverſus componendis omninò imparem eſſe, illum convenit, ac his verbis affatus eſt. Etſi divini Numinis vicarius eſſis, Exodi cap. 18. verſ. 18 *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt, ultra vires tuas eſt negotium: ſolus illud non poteris ſuſtinere, ſed audi verba mea, atque cõſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, &c.* Verſ. 22. *Provide autem de omni plebe, &c.* Eſther. cap. 3. Nonne Rex Aſſuerus Aman ſuorum negotiorum conſcium fecit, poſtea hoc excluſo Mardocheum aſſumpſit? Cap. 3. verſ. 1. Cap. 6. verſ. 6. Cap. 8. verſ. 1. Nonne Joab Regis David piiſſimi adminiſter fuit, lib. 2. Regum cap. 14. verſ. 21. Nonne Salomon omnium Principum ſapientiſſimus, *regnans ſuper omnem Iſrael*? Ac illi aderant hi Principes libr. 3. Regum cap. 4. verſ. 2. *Azarias filius Sadoc ſacerdotis*, Verſ. 3. *Eliboreph & Ahia filii Siſa Scribæ, Joſaphat filius Ahilud à commentariis.* Verſ. 4. *Banaias filius Ioiada ſuper exercitum: Sadoc autem Abiathar Sacerdotes.* Verſ. 5. *Azarias filius Nathan, ſuper eos, qui aſſiſtebant regi. Zabud filius Nathan ſacerdos amicus regis, &c.* Vel ut Septuaginta vertunt *Princeps intimus regis.* Nonne Naaman regi, regnoque Syriæ plurimum profuiſſe teſtatur eadem Scriptura? lib. 4. Regum cap. 5 verſ. 1. *Erat vir magnus apud Dominum ſuum, & honoratus*

Velleius.

Gen cap. 41 v 9 verſ 40.

Exod. 18 verſ. 18. verſ. 19. verſ. 22.

l. 3. Reg. c. 4. v. 2. verſ 3. verſ. 4

l. 4. Reg. c. 5. v. 1.

per illum enim Dominus dedit salutem Syriæ. Eodem libr. cap. 12. vers. 2. 4. Reg. 12. v. 2. Nonnè, *Fecit Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Iojada Sacerdos.* Nonne insignis Rex 2. Par. c. 19. v. 5 Josaphat pro fæliciori sui regiminis successu lib. 2 Paralipomenon cap. 19. vers. 5. *Constituit Judices terræ in cunctis civitatibus Juda?* Denique nonne Darius cap. 6 vers. 1. & 2. *Constituit super regnum Satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo, & super eos Principes tres, ex quibus Daniel unus erat, ut Satrapæ illis redderent rationem & rex non sustineret molestiam?*

III. In regimine Ecclesiastico administros olim necessarios fuisse notanter 2. Par. c. 19. v. 8 habetur lib. 2. Paralipomenon cap. 19. vers. 8. *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas & Sacerdotes & Principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus.* Ibidem Rex Josaphat graphicè depingit utriusque fori judices vers. 6. illos, vers. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Vers. 7. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Hos vers. 9. vers 9. ita describit. *Præcepit eis dicens, sic agitis in timore Domini fideliter, & vers. 10. corde perfecto.* Vers. 10. *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem & cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & nè veniat ira super vos, & super fratres vestros, sic ergò agentes non peccabitis.* Vers. 11. vers. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit.* Idem Moysi insinuat Jethro socer ejus Exod. c. 18. v. 21 Exodi cap. 18. vers. 21. *Provide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex his tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui judicent populum omni tempore.* Quales Consiliarii & Administri Reipublicæ esse debeant etiam exprimit Salomon Sapientiæ cap. 6. & alibi, rectè supra vers. 22. *Quidquid autem maius* vers. 22. *fuerit referant ad te, & ipsi minora tantùm judicent, leviusque sit tibi partito in alios onere.* Concludit Jethro licet gentilis vers. 22. *Si hoc feceris implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare, & omnis hic populus revertetur ad loca sua in pace.*

Id à Sede Apostolica religiosissimè IV. observari testantur Episcopi, quos in toto orbe Christiano constituit, quibus præficit Archiepiscopos, his Primates & Patriarchas. In Curiâ Romanâ in oneris sui Apostolici levamen, quot Congregationes creavit, quot Prælati negotiis Ecclesiasticis explicandis incumbunt, scio quod judex passim definiatur, *Vir bonus & ad id muneris publicè auctoritate vocatus, juris dicendi & æquitatis statuendæ peritus.* Quomodò enim judex erit, si non sit in eo justitia? C. *forum*, 10. ff. *de verbor. significat.* Scio regem Theodoricum scribentem Eugenio Magistro Palatii has ab eo qualitates expetere. *Esto innocentiæ templum, sacrarium temperantiæ, ara justitiæ.*

Attamen judiciariâ potestatem inesse V. Episcopis respectu sacerdotum & fidelium laicorum S. Lucas negare videtur, nam Act. cap. 15. vers. 6. scribit *Con-* Act. cap. 15. v. 6. *venerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Et vers. 22. *Tunc Apostolis* vers. 22. *& Senioribus cum omni Ecclesia.* Quibus verbis innuere videtur Sacerdotes, Clericos, imò & Laicos fideles in primo Concilio Apostolorum habuisse potestatem judiciariam. Respondeo primò, ibi Apostolos quasi judices definivisse, Sacerdotes fuisse quasi consultores, plebem verò non definivisse, vel disputasse, sed audivisse, cõsensisse absque reclamatione, quod & in aliis sequentibus Cõciliis observatum est. Secundò quod ad Petri sententiam omnes silucrint, quod omnes sententiam non pronunciarint, patet ex vers. 12. *Tacuit autem omnis multitudo & audiebat Paulum & Barnabam.* Cornelius. *Eius sententiæ & definitioni acquiescẽs.* Quod si aliæ causæ coram populo agitatæ sunt, ut Petri & Simonis Magi, ut scribit Clemens lib. 1. & 2. recogn. Archelai Episcopi & Manichæi apud Epiphaniũ hæresi 56.

Sylvestri

Sylvestri & Judæi apud Zonaram in vitâ Constantini. S. Athanasii & Arii apud Virgilium Episcopum Tridentinum. S. Augustini & Maximini apud Augustinum lib. 1. cap. 1. contra Maximinum. Cardinalis Perronii cum Philippo Mornæo coram Henrico IV. Rege & Proceribus Galliæ & populus judicium tulerit, hoc fuit privatum non publicum, nec cum auctoritate: ita ut alii ejus judicio tenerentur acquiescere. Sic in publicis disputationibus Philosophiæ & Theologiæ auditores sunt judices, quia auditâ utraque parte, eligunt quam volunt opinionem, sed neminem cogunt ut suo judicio adhæreant. Sic se gessit Elias lib. 3. Regum cap. 18. qui cùm videret multos teduci a Baalitis, iniit disputationem publicam coram populo, ei relinquens judicium ut sequeretur, quos videret melioribus rationibus niti, quia non poterat populum aliter a cultu Baal revocare, ait vers. 24. *Et Deus qui exaudierit per ignem ipse sit Deus.* Et respondens omnis populus, ait: *Optima propositio.* Qui cùm vidisset ignem descendisse in Elianam victimam, vers. 39. *Cecidit in faciem suam, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Unde Elias nemine consulto subdit vers. 40. *Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.* Contra quam sententiam nec Rex, nec populus reclamavit. Nec obstat S. Ambrosius epist. 32. dicens. *Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? si quis confidit hoc ventas.* Et mox. *Iste populus judicat, cuius in corde lex divina est non humana, non ex atramento scripta, sed spiritu Dei vivi.* Infra. *Sed Auxentius ignaros vos non esse fidei vestrum refugit examen.* Ibi S. Ambrosius loquitur de judicio privato, ut patet ex ejus verbis ibi. *Veniant plane si qui sint, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam judex residrat, sed ut unusquisque de suo affectu habeat examen; & eligat quem sequatur.* Scilicet privato judicio; quia Sanctus Ambrosius aliter agere nequibat, eo quod tunc Imperator favens Arrianis erat Mediolani. Idem dicendum de Laicis, qui Concilio Nicæno adfuerunt. De præfato foro Ecclesiastico in Clericos, &c. infra.

l. 3. Reg. cap. 18. vers. 24.

vers. 39.

S. Ambr.

CAPUT II.

An Rom. Pontifex sit subjectus foro Judicis Laici.

I. IN Ecclesiâ militante duo sunt status hominum, scilicet Laicorum & Clericorum. Clerici derivantur à nomine Græco κλῆρος, quod Latinè dicitur *sors*, quasi in sortem Domini vocati sint. Abbas consil 104 Castrensis consil. 327. in fine libr. 1. Tuschus in verbo *Clerici*, consil. 377. Inter Clericos alii sunt læculares, alii regulares, & secundum propriam significationem appellatione unius non venit alter, Gemmin. consil. 40. in principio. Clericos reos non esse corripiendos & castigandos à Tribunali Laico, sed Ecclesiastico innuit Christus Matthæi cap. 21. vers. 12. & Joannis cap. 2. vers. 15. ubi compositio flagello de funiculis. *Omnes ejecit è templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Hi vendentes (inquit S. Hieronymus in cap. 21. Matthæi) erant Sacerdotes. Ut indè pateat Sacerdotes & Clericos reos non esse judicandos à foro Laico, sed Ecclesiastico Christi vices agente. Patet primò exemplo Apostolorum ad quos causæ Ecclesiasticæ judicandæ deferebantur. Undè Apostolus 1. Corinth. cap. 6. vers. 5. ait. *Si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum.*

Matt. c. 21. v. 12 *Joan. c. 2. vers. 15* *1. Cor. c. 6. v. 5.*

II. Romanum Pontificem à nemine judicari posse, nec ulli foro subesse testantur primò Concilium Sinuessanum, ubi Patres decernunt. *Prima Sedes à nemine iudicabitur.* Scilicet tam Laico, quàm Clerico seu Ecclesiastico, quæ verba refert Nicolaus in Epistola ad Michaelem. Unde Concilium Romanum celebratum congregatis 280. Episcopis canon. ultim. statuit. *Neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni populo iudicabitur prima sedes.* Idem Nicolaus habet epist. ad Michaelem. Hujus etiam decreti mentionem facit Synodus

Concilii Sinuess. Romani

Synodus Romana Romanâ sub Sixto III. cap. 5. *Non licet in Pontificem sententiam dicere.* Cùmque Sixtus accusatus esset, respondit, *Etsi in meo arbitrio sit judicer, an non: tamen non abscondatur veritas.* In Synodo 2. Ephesinâ cum Dioscorus Episcopus Alexandrinus missus fuisset judicare & damnare Leonem I. Ecclesia Catholica ita hoc factum improbavit, ut Concilium Chalcedonense epistolâ ad Martianum & Valerianum Imperatores, & in aliâ ad eundem Leonem I. quæ habetur Act. 3. ejusdem Concilii scribat, se damnasse Dioscorum ob multas causas, sed maximè eo quod præsumpserit sententiam ferre in primam Sedem. Concilium quintum sub Symmacho anno 504. recipit librum Ennodii Diaconi scribentis *Aliorum hominum causas voluit Deus per homines terminari, sed sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio.* Idem concludit Concilium Romanum sub Adriano II. cujus verba octava Synodus act. 7. his terminis refert. *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo verò quempiam judicasse non legimus.* Ideſt neminem justo & legitimo judicio judicasse. Eadem Synodus octava action. 10. can. 21. definit non licere ulli Principi terreno judicare Patriarchas, & in primis Romanum. Concilium Milevitanum severè punit Clericos, qui ab Imperatore judicari volunt. Undè concludo, si Cæsar non poterat judicare Clericos, igitur multò minùs Romanum Pontificem.

Ennod. Diacon.

Concilium Romanum

Sydod 8.

III. Probatur secundò, testimonio Sedis Apostolicæ. Gelasius epistola ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt* (inquit) *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem. Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.* Gregorius lib. 9. epistol. 39. ad Theoristam. *Si Beatus Petrus cum à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat ut Pastorem suum oves reprehendere non auderent.* Nicolaus I. epist. ad Michaelem. *Satis evidenter ostenditur à sæculari potestate non ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem; ideſt nec damnari, nec absolvi.* Per sæcularem potestatē intelligit Cæsaream, Regiam, & quascumque alias Laicales. Idem docet ex professo Innocentius III. epist. ad Imperatorem quæ habetur cap. *solitæ*, tit. *de majoritate*, & serm. 2. de consecratione Pontificis. Et Bonifacius VIII. in extravagant. *unam sanctam*, item Joannes XXII. in extravagant. *licet juxta doctrinam Apostoli.*

Gelasius

Gregor.

Nicol. I.

IV. Tertiò mens Patrum est Ecclesiam non subjici Cæsari, vel alteri potestati laicali. S. Gregorius Nazianzenus oratione 1. quâ se excusat, quod tamdiu abstinuerit ab Ecclesiasticâ functione, ait: *Vos oves nolite pascere pastores, neque supra terminos eorum elevemini. Satis enim est vobis, si rectè pascimini, nolite judicare judicem, nec leges ferat is legislatoribus.* Ut autem ostendat Ecclesiasticum Imperatori nō subesse, ita alloquitur Imperatorem oratione ad Cives timore perculsos. *Num vocem suscipitis liberam? Et quod lex Christi vos meæ potestati, meoq; subjecit tribunali? imperamus enim & ipse, addo & imperio majori & perfectiori. Suscipe igitur vocem liberiorem: scio te ovem esse gregis mei, &c.* Id à fortiori dicere potest Romanus Pontifex. S. Ambrosius orat. de tradendis Basilicis. *Bonus* (inquit) *Imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam.* Quod si Imperator non est supra Ecclesiam, igitur nec supra universæ Ecclesiæ Pastorem & Patrem. S. Bonifacius Martyr apud Gratianum distin. 40. canonone. *Si Papa* (hæc de Romano Pontifice profert,) *cunctos judicaturus, à nemine est judicandus.* S. Bernardus epist. ad Conradum Imperatorem. *Legi omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri vicario, sicut ipsum vobis vultis ab universo servari imperio.* Clarissimè Hugo de S. Victore p. 2. de Sacramentis. *Spiritualis potestas judicat terrenā, ipsa verò à Deo primùm instituta est: & cum deviat, à solo Deo judicari potest.*

S. Greg. Nazian.

S. Ambr.

S. Bonif. Mart.

Accedunt

V. Accedunt edicta & dicta Imperatorum, scribit Ruffinus lib. 10. histor. cap. 2. quod Constantinus Imperator noluit Episcopos judicare, dicens se potius judicandum esse ab Episcopis, & à fortiori à Romano Pontifice. Idem fatus est Basilius Imperator oratione habitâ in fine octavæ Synodi. Ubi inter cœtera monet omnes Laicos (in quorum ordine se ante posuerat) nè velint judicare judices, aut pascere suos pastores. Omitto multos alios Imperatores pios, qui nunquam Rom. Pontificibus imperarunt, sed eos dumtaxat obsecrasse cõstat, ut Patres, si quid ab eis fieri volebant. Favet etiam Novella 123. cap. 21. §. 2. Nec obstat primò quod Nilus objicit scilicet Paulum ad Galatas cap. 2. vers. 11. scribere. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia irreprehensibilis erat.* Igitur prima sedes corripi potest, & consequenter judicari. Respondeo superiorem posse reprehendi ab inferiore cum humili charitate, pro tuenda veritate, non autem judicari, ita S. Augustinus epist. 19. ad Hieronymum, S. Gregorius, S. Cyprianus, S. Thomas, & alii. *Rarius* (inquit S. Augustinus citatus) *& sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent maiores maioribus pro defendendâ veritate, salvâ charitate resistere.* Et S. Gregorius epist. 18. in Ezechielem. *Tacuit Petrus, ut qui primus erat in Apostolatu, primus esset in humilitate.* Respondeo 2. Paulũ se agnovisse inferiorem Petro, quia ad eum perrexit, & cum eo ut majore contulit Evangelium, exemplum dans posteris accurrendi in rebus gravissimis ad sedem Apostolicam. Petrus igitur passus est correptionem fraternam Pauli, non judicialem. Nec obstat secundò, quod Honorius Papa fuerit non tantùm judicatus, sed condemnatus à sextâ Synodo. Respondeo (suppositâ veritate hujus rei) Pontificem hæreticum posse ab Ecclesiâ judicari, ut infra patebit. Nec tertiò refert, quod sexta Synodus generalis specialem legem præscripserit Romanæ Ecclesiæ, ut patet canone 13. ubi reprehendit Ecclesiam Romanam, eo quod Præsbyteris, Diaconis, Subdiaconis usum uxorum non permittat, imperatque ut deinceps permittat. Et canone 55. eandem Ecclesiam Romanam arguit, quia jejunat in Quadragesimâ, etiam in Sabbatho, jubet nè amplius jejunetur. Respondent Melchior Canus lib. 5. de locis cap. ult. in solutione sexti argumenti, Franciscus Turrianus lib. de sextâ Synodo, istos canones falsò adscribi sextæ Synodo: quia postea editi fuerunt à quadam novâ Synodo, quam Romani Pontifices reprobarũt. Falsitas duorum istorum canonum ex eo constat, quod canon 13. dicat se proponere Apostolorum & veterum doctrinam permittendo Clericis mulierum contubernium. Nam Concilium secundum Carthaginense longè antiquius & celebrius canone 2. contrarium decernit. Et S. Epiphanius Græcus etiam auctor antiquissimus ac probatissimus hæresi 16. quæ est Catharorum, docet oppositum. Nec quarto urget, dicens, quod Sexta Synodus citet 6. canonem Apostolorũ præcipientem, nè prætextu Religionis Clerici uxores dimittant. Respondet Bellarminus tomo 1. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 27. præfatum canonem precipere ut Clerici habentes uxores eis providcant necessaria ad victum, non verò ut conjugalem societatem cum eis habeant, ut explicat Synodus Trullana canon. 48. Canon de jejunio Sabbathi cùm sit res indifferens, & quælibet regio possit servare suam consuetudinem ex sancto Hieronymo epist. ad Lucinium Bœticum; & S. Augustinus epist. 86. ad Casulanum, Concilium Græcorũ non potuit, nec debuit de hac re legem Latinis præscribere. Imò S. Epiphanius in compendiaria doctrinâ excipit dumtaxat à jejunio Quadragesimæ Dominicas. Et Innocentius I. epistola 1. docet Sabbatho esse jejunandum. Nec canon 65. Apostolorum verus est, sed suppositus. Nam teste Humberto Cardinali lib. adversus Nicetam, & habetur apud Gratianum dist. 16. Ecclesia recipit quinquaginta canones Apostolorum. Deindè si Apostoli id jusserunt illa lex edita est in

Galat. 2. v. 11.

S. Aug.

S. Greg.

odium

olium hæreticorum, qui jejunabant Sabbatho ne viderentur honorare Creatorem, qui requievit die Sabbathi. Cùm igitur illâ hæresis sit extincta, licet, imò pium est in memoriam Christi sepulti jejunare. Plura apud Bellarminum citatum.

VI. Objicit Calvinus libr. 4. institut. cap. 11. §. 12. multa loca sancti Gregorii, qui cum esset Pontifex: tamen vocavit Imperatorem Dominũ suum. Ut lib. 4. epist. 31. cap. 75 Mauritio Augusto ita scribit. *Hoc tamen piissimo Domino suggero, &c.* Infra, *Sacerdotibus autem Dominus noster ejus ita dignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.* Ubi sanctus Pontifex loquitur de se ipso, & se de eorum numero scribit, quibus Imperator dominatur. S. Greg. Epist. 32. cap. 76. *Piissimus atque à Deo constitutus Dominus noster inter cæteras augustorum ponderum curas conservanda quoque sacerdotali charitati rectitudine studuit spiritalis invigilat*, In fine. *Ego autem Dominorum jussionibus obedientiam præbens.* Respondeo primo, sicut teste Joanne Diacono lib. 4. vitæ ipsius cap. 58. omnes Sacerdotes vocantur, ab eo fratres, sic laici Principes Domini vocantur quoad obedientiam & subjectionem quâ se servum vocat, id dicit ex humilitate, Cæsareas petitiones, ac opiniones quasi mandata, imperia, & judicia reputans. Sic communiter dicimus nos obedire, dicimurque exequi, quod alter ordinarit, ac præceperit, quamvis fortè id præstare nequiverit. Respondeo secundò ideò S. Pontificem ita agere cùm Imperatore: quia tunc temporaliter dominabatur Romanæ Urbi, non tamen potestatẽ judicialem in Sedem Apostolicam exercens, ut patet ex epistolâ 31. ubi S. Pontifex simplex appellatus ab Imperatore, & Arnulpho injuriam gravem sibi illatam, reputat. *Mihi minimè pepercit, nam in eis urbanè simplicitatis vocabulo me fatuum appellat, &c. Ego ab Arnolphi astutiâ deceptus non addunctâ prudentiâ simplex denuncior, constat procul dubio, quia fatuus appellor, &c. Si hoc vestra pietas taceat, ea-ne se clamant.* Cùm Dominus servum, judex reum, simplicem seu fatuum appellat non est injuria, non igitur Imperator est Dominus & Judex Pontificis Romani.

VII. Nec potestatem judiciariam Principis laici in caput Ecclesiæ asserit Christus dicens Pilato Joannis cap. 19. vers. 11. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Ibi enim loquitur non de potestate jurisdictionis, sed de divinâ permissione sine quâ etiam peccare non possumus. Sensus igitur est: Non posses quidquam in me attentare, nisi Deus statuisset id permittere. De quâ permissione loquitur Christus Lucæ cap. 22. vers. 53. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* De eâdem permissione explicanda sunt hæc verba Joannis cap. 19. vers. 11. *Propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Vel loquitur de potestate putativâ; cùm enim Pilatus haberet potestatem in omnes Judæos Roman. Imperio subjectos, Christus oblatus est ei quasi privatus homo: nam negabant Judæi Christum esse filium Dei. Joan. 11. vers. 11. Luc. 22. vers. 53. Joan. 19. vers. 11.

VIII. Nec valet similitudo veteris & novi testamenti, licet enim Salomon lib. 3. Regum cap. 2. judicarit & deposuerit Abiathar Pontificem & in ejus locum instituerit Sadoch, non sequitur quod in novo testamento Imperatores etiam Christiani Pontificem possint judicare. Primò, quia (inquiunt S. Hieronymus epist. ad Dardanum de terrâ promissionis, & lib. 1. contra Pelagianos. S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 31. & in lib. Numer.) in veteri testamento promissiones erant dumtaxat temporales, in novo spirituales & æternæ. In veteri potestas summa erat temporalis, in novo spiritualis. Deindè etiam in veteri lege Pontifex erat major rege ex Theodoreto quæst. 1. in Leviticum, Philone lib. de Victimis, Procopio in cap. 4. Levitici. Et patet primò ex hoc cap. 4. ubi primum sacrificium erat vituli pro Pontifice, secundum vituli pro populo, tertium hirci, qui est animal vilius pro rege, quartum capræ pro quolibet privato. Et ex cap. 27. ubi dicitur, quod ad

verbum

verbum Pontificis Eleazari, Princeps Josue & cunctus populus debebat egredi. Depositio Abiathar per Salomonem facta est, non ut regem, sed ut Prophetam seu divinæ justitiæ executorem, ut colligere est ex vers. 27. *Ut impleretur sermo Domini.* Cornelius ibi subdit. *Nemo ergò hinc concludat Imperatores & Reges habere jus in Pontifices, ut eos creare & exauctorare possint. Nam Salomon exauctoravit Abiathar auctoritate non suâ, sed Dei.* Infra. *Adde nunc in lege novâ longè sanctior & sublimior est Pontificatus, quàm fuerit in lege veteri, quare etiamsi Pontifex fuisset subditus regi, ut censet Abulensis, jam tamen non est, quia Pontifex est jam Vicarius Christi, qui est Rex regum & Dominus dominantium.* Quod si Constantius misit in exilium Liberium Papam, id injustè præsitit teste sancto Athanasio in epist ad solitariam vitam agentes. Sic Justinianus Sylverium inquit Liberatus in Breviario cap. 22. Joannem I. Theodoricus rex Arianus in carcerem conjecit, Joannem XII. Otho I. deposuit bono zelo, quia Otho erat pius, Joannes perversus & rerum Ecclesiasticarum imperitus. Gregorius VI. non fuit depositus ab Henrico III. sed (inquit Otho Frisigensis lib. 6. cap. 32.) Imperator persuasit Gregorio ut cederet, quia videbatur simoniacè creatus, qui sponte se abdicavit. Vel dici potest cum Leone Hostiensi coævo lib. 2. Chronici Casinensis cap. 80. coactũ fuisse Cõcilium Episcoporum & Pontificem invitarum à Cæsare ut præsideret, ubi licet præses & summus judex summoperè compunctus sponte Pontificatum dimisit.

l. 3. Reg. c. 2. v. 27 Cornel.

IX. Nec refert quod Apostolus Rom. cap. 13. vers. 4. de magistratu dicat. *Dei minister est vindex in iram ei qui malum agit.* Eorum enim potestas nõ extenditur ad tribunal & negotia Ecclesiastica. Nec contra urget S. Gregorius canone *si quis*, 2. quæst. 7. apud Gratianum. *Si quis nos super his redarguere voluerit veniat ad sedem Apostolicam, ut ubi ante confessionem B. Petri mecum justè decertet, quatenus ibi unus ex nobis sententiam suam.* Hæc verba non extant in operibus S. Gregorii. Secundò S. Gregorius non provocat ad judicium humanum, sed divinum. Nam loqui videtur de disceptatione per juramentum, & expectatione justitiæ divinæ quæ perjuros sæpè sequitur. Quod si dicas unumquemque posse occidere Pontificem, si injustè ab eo invadatur, & à fortiori Pontificem posse à Regibus judicari & deponi, si per eum respublica turbetur, & animæ malo ejus exemplo pereant. Respondeo non sequi, quia ad resistendum invasori. & sui defensionem nulla auctoritas requiritur, neque invasus debet esse judex invasoris, vel superior. Verùm ad judicium ferendum & pœnam imponendam auctoritas necessaria est: sicut igitur potest resisti Pontifici invadenti animas, vel turbanti rempublicam, à fortiori turbanti Ecclesiam, vel eam destruenti, non faciendo quod præcipit, & impediendo nè suam voluntatem exequatur. Quod impedimentum fieri debet à superiore, ita Turrecremata lib. 2. cap. 106. Cajetanus de auctoritate Papæ & Concilii cap. 27.

Rom. 13. v. 4.

X. Et quamvis Pontifex sit vetè subjectus suo Confessario, ut Dei ministro in foro conscientiæ, non sequitur subjici in foro exteriori alicui laico Principi, ut Dei ministro. Ratio discriminis est: quia in foro conscientiæ confessarius est dumtaxat instrumentum Dei, ita ut Deus potius judicet per hominẽ quam ipse homo. Primò quia Cõfessarius nequit pœnitentem invitum cogere ad subeundã pœnam. Secundò, quia in confessione judicatur de peccatis occultis, quæ spectant ad solius Dei notitiam. Sed in foro exteriori homo est verus judex etiam ut homo, licet sit constitutus à Deo, & ideò tantùm judicat de manifestis, & potest cogere invitum ut pœnam subeat. Ecce quomodò Sedes Apostolica sit immunis à potestate judiciali Imperatorum, aliorumque Principum. Vide plura apud Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem de concordiâ Sacerdotii & Imperii lib. 1. cap. 11.

CAPUT III.

Episcopi sunt immunes à potestate judiciali Principum secularium.

I. Anacletus Papa ita de Episcopis loquitur epist. 2. *Vndè liquet, quod summi Sacerdotes, ideſt Episcopi à Deo sunt iudicandi, non ab humanis, aut prava vita hominibus, lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum, & non per alium vendentes & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentiũ proprio evertit flagello, & eiecit de templo sicut alibi ait Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Psalm. 81. vers. 11. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem dist. 96. can. 10. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tantò gravius est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem.* Et infra. *Nosti itaque ex illorum te pendere indicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* Joannes papa dist. 96. can. 11. *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Prasulibus, non praferre.* Marcellus Papa XI. quæst. 1. canon. 3. *Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus presumat ad secularem iudicem trahere, nec laico quemquam Clericum liceat accusare.* Quia scilicet Clerici subjiciuntur tribunali Ecclesiastico non laico, seu civili.

Anaclet. Gelasius. Ioannes.

II. S. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 31. *In divinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur Exodi cap. 22. Applica illum ad Deos, ideſt ad sacerdotes. Et rursum Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait Malachiæ cap. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid ergò mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus.* Producitque exemplum Constantini Magni, qui Episcoporum causas cognoscere & judicare noluit. *Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum pia memoria Constantino Principi in scripto oblata accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans in eorum conspectu, libellos quos acceperat, incendit, dicens, Vos Dii estis à vero Deo constituti, ite & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est, ut nos iudicemus Deos.* De eodem Imperatore scribit S. Augustinus epist. 165. *Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare.* Et Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum scribit, quod cùm Donatistæ non contenti Episcopali judicio ad ipsum causam Ecclesiæ detulissent exclamasse, ait: *O rabidi furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* S. Gregorius Nazianzenus ad Imperatores Constantinopolitanos apud Gratianum dist. 10. canon. 6. *Libenter accipitis quod lex Christi Sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris.* Quibus verbis innuit, quod primò principatus Episcoporum sit multò perfectior quàm Regum. Secundò quod Reges in causis Ecclesiasticis sint subjecti Episcopis. Tertiò quod hæc subjectio sit à Christo ordinata. Ante illos omnes S. Ignatius discipulus sancti Joannis Evangelistæ epist. ad Philadelphienses. *Principes (inquit) subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diacono Presbyteris. Presbyteri verò & Diacono, atque omnis Clerus simul cum omni populo & militibus atque Principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopi verò Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas per omnia servetur.* Omnes (inquit) obediant etiam, ideſt subjiciantur, eorum leges servent, sententiis pareant.

Gregor. Magnus. Optat. Milevit. Gregor. Nazian.

III. S. Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes refert Hosium Episcopum

pum Cordubensem, qui interfuit primò Concilio Nicæno, sic locutum
Hosius. esse Constantino Imperatori. *Desine quæso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, nè quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno crimine obnoxius fias.* Per illa verba *nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit*, scilicet omnia negotia, omnes causas, ita ut Episcopis non solùm cõpetat potestas judicialis quoad forum interius seu sacramentale, sed etiam externum Ecclesiasticum. Eodem zelo & libertate dicendi S. Ambrosius
Opus. Milan. S. Amb. affatus est Valentinianũ Imperatorẽ, ut patet ex Epist. 33. ad Marcellinam sororem suam. *Nolis te gravare Imperator, ut putes te in eâ, quæ divina sunt, imperiale aliquid jus habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare. Esto Deo subditus, scriptum est enim quæ Dei Deo, & quæ Cæsaris Cæsari, ad Imperatorem Palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ, publicorum tibi mœnium jus non sacrorum.* Idest potestatem habes judicandi cives & milites delinquentes, non Episcopos, quibus de Sacramentorum receptione vel administratione, &c. judiciaria potestas commissa est.

IV. Quid ipse S. Athanasius, citatus
S. Athan. sentiat, de Constantino Imperatore Ecclesiasticam jurisdictionem sibi arrogante audiamus. *Quando à condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando hoc pro judicio agnitum est? plurimæ antea Synodi fuere, multa judicia Ecclesiæ habita sunt, sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.* Scilicet in causis Ecclesiasticis examinandis, discutiendis, judicandis, personis alicujus criminis reis plectendis. Idem docet S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. *Ad hodiernum usque*
S. Cyrill. Hieros. *diem cernimus mundanos Principes regi, & instrui ab Ecclesiasticis.* Non dicit Ecclesiasticos præcipuè Præsules regi & judicari à Principibus. Undè Leontius Episcopus Tripolitanus teste Suidâ, Constantinum Imperatorem ita affatur. *Miror quomodò ad alia vocatus aliis rebus te immiscens, militaribus enim & politicis rebus præfectus, in his, quæ ad solos Episcopos pertinent præesse vis.* Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ in finè scribit S. Martinum Episcopum Turonensem Maximo Imperatori in faciem dixisse. *Novum & inauditum, quod causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret.*

Quod ipsi Cæsares judicium Eccle- V.
siasticum penes Episcopos esse existimarint testantur Historici, Ruffinus lib. 1. cap. 2. Nicephorus lib. 11. cap. 30. Baronius tomo 4. annalium anno 364. num. 8. Sosomenus lib. 6. c. 7. refert quod cùm Valentinianus senior Imperator importunè rogaretur, ut permitteret haberi Concilium, in quo quædam negotia fidei & morum discuterentur, respondit, *Mihi qui unus* Sosom. *è numero laicorum sum, non licet ejusmodi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus hæ curæ sunt, ubicumque ipsis liberum fuerit, conveniant.* Eadem mens & affectus fuit Theodosii junioris in epistolâ ad Synodum Ephesinam. *Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, cum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.* Idem clarissimè declaravit Basilius Imperator tempore Adriani Papæ oratione habitâ in octavâ Synodo generali in causâ Photii Patriarchæ. *De vobis autem laicis, tam in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves. Non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solvi debemus.* Ex quibus patet Principes laicos in materiâ Ecclesiasticâ ab Episcopis regi & judicari debere, non

verò Episcopos ab illis.

VI. Quibus arridet Jus Civile, Justinianus Imperator in Authentic. constit. 123. *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habent civiles Magistratus cum eâ disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundùm S. Canones finem imponite.* Ubi Imperator decernit Principes Laicos & Politicos non debere adesse, multò minus præsidere in negotiis & disceptationibus Ecclesiasticis, præcipuè Episcoporum. Quod Episcopi provocari debeant coram suis Metropolitanis, & ab eorum sententiis appellatio fieri debeat ad Sedem Apostolicam, & hoc si dubitatio fuerit sivè pro Ecclesiastico jure, sivè pro aliis quibusdam rebus habetur l. *sancimus*, 29. C. de Episcopis & Clericis, Novellâ 12. C. 22. & Authent. *nullus*, Cod. de Episcop. & Cleric. *Nullus Episcopus invitus ad civilem, vel militarem iudicem in qualibet causa producatur, vel exhibeatur.* Caus. 11. quæst. 1. verb. *continua*, Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Imperatores ita loquuntur. *Continuâ lege sancimus, ut nullus Episcopus, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad iudicia sivè ordinariorum, sivè extraordinariorum iudicum pertrahatur, habent enim suos iudices apud sanctam Sedem Apostolicam, hoc quicquam his publicis commune cum legibus.* Hanc potestatem judiciariam Episcoporum delineasse videtur Joas Rex Israel, qui visitans Prophetam Elisæum moribundum ita illum affatur libr. 4. Regum cap. 13. vers. 14. *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus.* Chaldæus *Magister mi, Magister mi.* Hebræus *Currus Israel & equites eius.* Septuaginta *& eques eius.* Vocat patrem, quia sicut pater patriâ auctoritate regit, & corrigit prolem suam, magister discipulum negligentem castigat, eques suum equum dirigit, & modò rebellem calcaribus cogit, juxta illud Virgilii lib. 6. Æneidos.

Non illis quisquam se impunè tulisset.
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem, (armos.
Seu spumantis equi foderet calcaribus

Virgilius. Modò virgâ ad incessum excitat, ut ibidem cadat.

Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumq; Venenis fecit.

Modò frænis & habenis ad cursum laxat, idem lib. 5.

Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Fræna feris, manibusq; omnes effudit habenas.

Lib. 11.

Hac invenis furtim celeres detorquet habenas.

Sic Elias & Eliseus non dirigebantur à Regibus, nec ab eis plecti poterant, sed ipsi & Reges & populos dirigebat, in delinquentes sententiam pœnalem ferebant. Id innuit Siracides Ecclesiastici cap. 48. vers. 6. S. Eliam alloquens. *Qui dejeciſti Reges ad perniciem & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.* Ideſt Reges potentes ob idololatriam suam & scelera mortis sententiam pronunciasti, in Achabum cum Jezabele uxore suâ impiâ lib. 3. Regum cap. 21. vers. 22. & 23. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & ultimum in Israel canes comedent Iezabel in agro Iezrael.* In Ochoziam filium Achab ob recursum ad Belzebub pro sanitate recuperandâ, lib. 4. Regum cap. 1. vers. 16. *Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lecto super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* In Joram fratrem Ochoziæ, qui ei demortuo in regnum Israelis successerat, quem Jehu cum universâ prosapiâ Achab occidit, lib. 4. Regum cap. 9. vers. 24. In alterum Joram filium Josaphat regis Juda, dum per litteras ei morbum, ex eoque mortem prænunciavit, lib. 2. Paralipomenon cap. 21. vers. 12. Allatæ sunt autem ei litteræ ab Eliâ Prophetâ in quibus scriptum erat, *Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui, quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, &c. Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ, &c.* Eandem potestatem judiciariam S. Eliæ declarat Siracides vers. 10. *Qui scriptus es in iudiciis temporum.* Græcus. *In redargutiones ad tempora*

Eccl. 48. *vers.* 6.

3. *Reg.* 21. *v.* 22 *&* 23.

4. *Reg.* c. 1. *v.* 16

2. *Par.* 21. *v.* 12

l. 4. *Reg. cap.* 13. *vers.* 14.

tempora. Vel *in correptionibus*. Cornelius. *Ut scilicet opportuno tempore redarguas impios in fine mundi, sicut olim redargueris Iezabelem & Baalitas*. Vatablus. *Qui ad reprehensiones certis temporibus designatus es*. Alii. *Qui præscriptus es ad redarguendum in opportuno tempore*. Ibi judicia vocantur justæ redargutiones & correptiones, quas Elias faciet impiis opportuno tempore. Tam inconcussa etiam fuit potestas judiciaria Eliæi, ut idem Siracides dicat vers. 14. *Nec superavit illum verbum aliquod*. Dionysius. *Nec per verba comminatoria, neque per verba adulatoria a rectitudine aquitatis dejectus est, imò constans, atque immobilis corde mansit in Deo*. Lyranus. *Nullum verbum comminationis, vel adulationis eum à veritate retraxit*. Ex quibus patet reges nullam habere jurisdictionē judiciariam in Episcopos multò minus posse illâ Episcopos privare, sed eam dependere à Pontifice Romano, ut scribit S. Leo Papa epist. 89. *Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad divinum Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Et sermone 3. de assumptione suâ ad Pontificatum. *Si quid commune cum eo aliis voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit*. Innocentius I. 91. epist. S. Augustini ad Concilium Carthaginense. *A Petro ipso Episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit*. Et epist. 93. ad Concilium Milevitanum apud eundem S. Augustinum. *Arbitror omnes Fratres & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem deferri debere*. Id confirmant verba quibus utitur Pontifex, dum creat aliquem Episcopum. *Providemus Ecclesiæ tali, de tali personâ, & præficimus eum in Patrem & pastorem ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus & spiritualibus, in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen*.

vers. 14. Dionys. Lyranus S. Leo. Innoc. 1.

VII. Horum omnium ratio est, si Christus voluit ut reges haberent potestatem judiciariam in Episcopos, cur non ab initio certos reges designavit Episcoporū præsides, sicut certos Apostolos elegit & instruxit, quomodò Evangelium prædicarent, Sacramenta administrarent, Ecclesiam propugnarent. At Christus nullos reges edocuit, quâ ratione Episcopos regerent, instruerent, ad suum tribunal evocarent, in eos sententiam ferrent, non eis sicut Apostolis promisit Spiritum sanctum, quo officio judicis perfectius fungerentur. Secundò, Corinthium incestuosum non Rex, sed Paulus excommunicavit 1. Corinth. cap. 5. vers. 3. Accusationem adversus Præsbyteros, non Rex admisit, sed Timotheus Episcopus 1. Corinth. cap. 5. vers. 19. Christus non Regibus claves Ecclesiæ dedit. Nec eam tempore Apostolorum reges gubernabant, & causas Ecclesiasticas judicabant, sed Apostoli.

CAPUT IV.

Sacerdotes, &c. sunt exempti à Tribunali Laico.

I. QUod Sacerdotes non sint subjecti foro Laico asserit quasi indubitatum sanctus Gregorius VII. lib. 8. epist. 21. & refert Gratianus dist. 96. cap. 9. *Quis dubitat Sacerdotes Christi regnum & Principum omnium, fidelium Patres & Magistros censeri? Nonnè mirabilis insania esse cognoscitur si filius patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit non solùm in terrâ, sed etiam in cœlis se ligari posse*. Quasi diceret Joas Rex Israel tam prudens Eliseum (quem Patrem & Magistrum existimabat) non sibi conatus est subjugare: sed è contra universum Israel illi subjectum esse asseruit his verbis, lib. 4. Reg. cap. 13. vers. 13. *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus*. Chaldæus, *Magister mi, Magister mi, &c*. Cur Reges & principes sacerdotibus dominari eosq; judicare attentabunt? cùm sint eorum Patres & Magistri teste S. Ephrem tomo 1. sermone de Sacerdotio, Sa-

S. Greg. 4. Reg. 13. v. 16.

cerdotium sit miraculum stupendum, potestas ineffabilis, venerandum ministerium attingens. Ex S. Ignatio epist. ad Smirnenses, Sacerdotium sit summa honorum, qui in hominibus constant. Ex S. Gregorio Nysseno lib. de vitâ Moysis, non sit res humana, sed divina. Ex S. Thomâ part. 3. quæst. 22. art. 1 ad 1. Sacerdos sit medius inter Deum & populum. Iterùm sanctus Chrysostomus hom. 5. in Isaiam dicat. *Expende modum potestatis utriq; traditæ, & videbis Sacerdotem multò sublimius rege sedente: admirandus videtur thronus regius, sed rerum terrenarum administrationem sortitus est, Sacerdotis thronus in cœlis collocatus de cœlestibus negotiis habet pronunciandi auctoritatem, cùm Sacerdotium à supernis descendat, ejusq; vinculum contingat, atque ad cœlos usque perducat.* Alios Patres omittò, qui videri possunt apud Suarez in defensione fidei lib. 4. cap. 8. 9. & 10.

S Chrysostomus

II. Non tantùm Episcopi & Sacerdotes, sed etiam Laici à Tribunali politico exempti sunt, ita ut ad illud minimè possint appellari. Id patet primò ex Apostolicis decretis. Cajus papa epist. ad Fœlicem Episcopum. *Nemo* (inquit) *Episcopum aut reliquos Clericos apud judicem sæcularem accusare præsumat.* Marcellus epist. 2. *Clericum cujuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem judicem trahere.* Gregorius I. lib. 11. epist. 14. ad Joannem defensorem. *De persona Presbyteri hoc attendendum est, si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopum ipsius adire debuit.* Secundò ex Conciliis. Chalcedonensi canon. 9. *Si Clericus adversus Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad sæcularia judicia non recurrat.* Cœcilio Agathensi in Galliâ can. 32. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente pulsare, &c.* Idem habent Concilium Matisconense in eâdem Galliâ canone 8 Carthaginense tertium in Africâ canone 9. Toletanum tertium in Hispaniâ canon. 13. Accedunt tertiò Cæsareæ Constitutiones. Justinianus in l. *si quis*, 51. in §. *Propter sacerdotis prærogativam*, l. *si quis*, 29. Cod. *de pactis*, Novell. 79. *Apud quos oportet causam dicere Monachorum*, per totum, & Authent. *causa*, Cod. *de Episc. & Cleric.* Quibus constitutionibus generaliter corriguntur leges codicis, in eo quod permittebant Monachos vocari coram judice sæculari. Volunt enim ob reverentiam & prærogativam summi Pontificis Reverendissimos Monachos nulli subjectos Generali seu Capiti Ordinis apud solos Civitatis Episcopos cõveniri posse & debere. Quartò, favet ratio, nam videtur absurdum, ut ovis pastorem suum, discipulus magistrum, filius patrem judicet quoquo modo. Deindè esset absurdius si hodie Prætor posset vocari ad tribunal Episcopi, & cras Episcopus ad tribunal Prætoris. Item absurdum, ut judex terrenus judicet & plectat supremi judicis ministros, dispensatores ministeriorum ejus, & illi specialiter consecratos.

Cajus.

Marcell.

Gregor. I.

Concilio Chalced

Agath.

III. Undè hæretici graviter peccant ipsique Divinitati injuriosi sunt dum causas Ecclesiasticas, negotia & crimina solis sæcularibus judicibus in suis consistoriis decidenda committunt, Authen. *causa*, Cod. *de Episcop. & Clericis*, Nec illis favet quod Calvinus lib. 4. institut. cap. 11. §. 15. objicit ex Constantini epistolâ ad Nicomedienses apud Theodoretum lib. 1. cap. 20. ubi Imperator ait, se Eusebiũ Nicomediensem Episcopum ejecisse in exilium. *Si quis, Episcoporum inconsultè tumultuatus sit ministri Dei, hoc est meâ executione illius audacia coercebitur.* Calvinus suo vulpino more ut simplices decipiat, ut Ecclesiam deprimat, malitiosè omisit; quod Constantinus Eusebium Episcopum in exilium ejecit postquam à Nicæno Concilio depositus fuit ab Episcopatu propter hæresim. Non enim nego quin Magistratus possit plectere Clericos ab Ecclesiâ degradatos & tribunali sæculari traditos. verba Constantini à Calvinò producta ab eo sunt corrupta. Nam ibi Imperator nõminatur Episcopis, sed Laicis, ait enim se graviter puniturum Nicomedienses, si iterùm adhæreant Episcopis hæreticis à Concilio damnatis, & noluit suscipere Episcopum probum

Theodoretus.

&

& Catholicum. Ita enim scribit. *Sin autem quisquam* (scilicet Nicomediensium) *temeritate & audaciâ accensus, eas Ecclesiæ pestes, id est Episcopos Arianos à Concilio damnatos, vel memoriâ, vel laudibus celebrare ingrediatur, confestim opere ac diligentiâ ministri Dei, hoc est meâ, panas suæ insciliæ dabit.*

VI. Nec refert quod iure divino parere teneamur superioribus nostris, & consequenter regibus quamdiu sunt superiores, fieri tamen potest, ut qui nunc est superior, postea non sit; si scilicet ipse alteri subjiciat partem sui regni: vel si jure belli perdat regnū, vel regnum mutetur in rempublicam. Quia igitur Principes Clericos sibi subjectos in temporalibus subjecerūt in omnibus Episcopis suis: vel Sedes Apostolica eosdem Clericos eximit à Principum correptione, Principes nō sunt amplius eorū superiores, ac proindē jure divino vel humano Clerici non tenentur eis obtemperare, nisi forte quoad leges directivas. Nec urget argumentum fundatum in doctrinâ Catholicorum probantium neminem posse eximi à potestate Apostolicâ: quia omnes jure divino subjiciuntur Papæ in spiritualibus. Dico non esse paritatem, quia Pontificatus Romanus est de jure divino, & nequit vel ab ipso Pontifice, vel ab Ecclesia tota immutari. At regna non sunt de jure divino, sed de jure gentium, & consequenter obnoxia mutationi. Quod de Sacerdotibus diximus idem de Diaconis & Subdiaconis philosophandum est. An autem etiam Clerici in minoribus gaudeant privilegio fori laici discutiendum est.

V. Clerici minoribus Ordinibus initiati alii sunt conjugati, alii non. De illis Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 6. id decernit. *In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifacii IX. quæ incipit Clerici, qui cum, &c.* Ubi decernitur quod si Clericus conjugatus cum unicâ & virgine habitum clericalem deferat, gaudet privilegio clericali, ita Farinacius in praxi crimin. part. 1. quæst. 8. num. 8. Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 46. num. 1. Decianus in tract. criminali tomo 1. lib. 4. cap. 9. num. 40. Aloysius Riccius in praxi aurea resolut. 172. Carlinus controv. forenlib. 1. cap. 53. num. 10 & seq. & alii apud Barbosam de officio & potestate Episc. part. 2. alleg. 12. numer. 25. Concilium Tridentinum loco citato postulat, ut hujusmodi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio deputati, illi serviant vel ministrent, clericalique habitu & tonsurâ utatur. *Modò* (inquit) *hic Clerici alicujus Ecclesiæ servitio deputati ab Episcopo, eidem Ecclesiæ serviant vel ministrent, & clericali tonsurâ utantur.* Et Camillus Borrellus in summâ decis. tomo 1. tit. 8. Matra de jurisdict. part. 1. cap. 32. num. 29. Stephanus Weyems ad constit. 25. juris communis per Concilium Tridentinum innovatam constit 9. super textum in d. cap. *unic.* Scribunt quod privilegium ita restringitur. Primò, ut Clerici conjugati hoc privilegio gaudeant dumtaxat in criminalibus non in civilibus, ita Textus *pro commissis ab eo criminibus vel delictis.* In fine. *In cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio, &c.* Et Farinacius suprà cap. 8. num. 5. Cenedo practic. & canon. quæst. lib. 1. quæst. 4. num. 21. Correa in repetit. cap. *inter alia*, de immunit. Eccles. part. 2. num. 32. & alii apud Barbosam de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 12. num. 25. Ratio fundatur in multitudine clericorum primâ tonsurâ & minoribus initiatorum, qui si potirentur privilegio fori, Principum laicorum jurisdictio maximâ ex parte minueretur, ita Covarruvias practic. cap. 31. num. 6. & alii apud Farinacium sup. quæst. 8. num. 7. Nec refert quod Lapus in tract. de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 39. Aloysius Riccius in decis. Curiæ Archiepisc. Neapolitanæ decis. 320. part. 4. Marcellus in praxi cap. 40. num. 7. ex verbis textus in dictum cap *unico*, Tenent particulam *criminaliter*, non debere intelligi de criminibus intentatis *criminaliter*, vel *civiliter*, juxta verba præcedentia ibi *pro commissis ab eo excessibus.* Quamvis nostra opinio procedat attento rigore juris communis, tamen nunc post Concilium Tridentinum sessione 23.

cap. 6.

cap, 6. de reformatione. Probabilius est Clericos conjugatos habentes necessaria requisita privilegio fori frui tam in causis criminalibus, quàm civilibus & pecuniariis, ita Barbosa supra post Dianam part. 4. tractat. 1. resol. 78. & antea part. 1. tract. 2. resol. 50. Aloysium Riccium part. 3. decis. 170. num. 1. Carolum Graffis de effect. cleric. effect. 1. Lapum alleg. 42. num. 1. & alleg. 118. num. 2. & alios. Quibus arridet Sacra Congregatio præposita controversiis jurisdictionalibus in unâ Regiensi 17. Junii 1631. his verbis. *Sacra Congregatio eminentissimorum Cardinalium jurisdictionalibus controversiis præpositorum, censuit Oratorem gaud re debere privilegio fori, etiam in causis civilibus, si habet requisita, cap. unico de Clericis conjugatis lib. 6.* Quare de mandato ejusdem Sacræ Congregationis Cardinalis Gipsius scripsit Reverendiss. D. Paulo Coccapanio tunc Episcopo Regiensi teste Ciarlino controv. for. lib. 1. cap. 53. num. 38. insinuans ei præfatum decretum. Secunda restrictio est, ut Clericus cum unicâ & virgine contraxerit, ita Alphonsus Alvarez in speculo juris Pontificii cap. 35. vers. *Si cercò Clericus.* Farinacius supra quæst. 8. numer. 8, Ciarlianus Forens. controv. lib. 1. cap. 53. numer. 12. & alii apud Barbosam supra. Licet postea ipsa perpetret adulterium vel dicti clerici conjugati prius eam defloraverint, non autem alius ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 195. Sanchez in opusc. tomo 2. lib. 7. disput. 46. num. 1. Thomas Valascus tomo 1. allegat. 41. num. 3. & 4. & alibi. Barbosa supra. Ratio est, quia non divisit carnē suam in plures & est unus unius, & illa unica unius, censebitur etiam virgo quoad præsentem materiam. Item Vidua ab alio relicta modò ab eo non sit cognita. Vel quia ob impotentiam matrimonium fuit dissolutum. Vel quia primus vir obiit antequā coiret, ita Decianus in tract. crimin. tomo 1. lib. 4. cap. 9. num. 135. Thomas Valascus tomo 1. alleg. 41. num. 6. Sanchez de matrimonio lib. 7, disp. 83. num. 4. Barbosa sup. num. 26.

VI. Quomodò conjugati Clerici fruentes privilegio vestes deferre debeant & tonsuram, explicant Carolus de Graffis de effectu clericali, effect. 1. num. 84. Farinacius supra quæst. 8. num. 64. Thomas Valascus alleg. 44. & alii apud Barbosam proximè citatū. Clericus conjugatus privilegium clericale retinet si sine habitu & tonsura incedens delictum perpetret, & postea habitum & tonsuram reassumat, ita Covarruvias practic. cap. 31. numer. 7. Marta de jurisd. part. 2. cap. 32. num. 41. Thomas Valascus alleg. 43. num. 3. Diana part. 1. tractat. 2. resol. 79. Farinacius supra num. 64. Barbosa supra num. 28. Probatur ex glossa verb. *quamdiu*, in Clement. 1. de vitâ & honestate clericorum. Quod si clericus cum virgine & unicâ matrimonium ineat, habitum & tonsuram deponat, eâ defunctâ reassumat, recuperabit privilegia concessa initiatis primâ tonsurâ, vel constituris in ordinibus minoribus, ita Carolus de Graffis de effectu cleric. effect. 1. numer. 84. Ciarlinus foren. controv. lib. 1. cap. 53. num. 21. Armendariz in addit. ad recopil. legum Navarræ lib. 1. tit. 19. de foro compet. num. 13. Barbosa supra. Gaudet etiam privilegiis, licet per aliquod tempus ante vel post delictum habitū dimiserit: si tamen utroque illo tempore delicti & capturæ in eō habitu reperiatur, ita Barbosa & alii ibidem. Probatur ex cap. *unico*, Ratio est, quia jure cōmuni habitus & tonsura requiritur tantùm duobus temporibus, nec extat ullum jus, ut ob dimissum habitum & tonsuram statim amittatur privilegium.

VII. Si clericus conjugatus capiatur pro crimine incedens absque habitu & tonsurâ, deindè fugiens ē carcere habitum & tonsuram reassūmat, & in eo iterùm capiatur gaudet privilegio clericali, ita Thomas Valascus tomo 1. alleg. 46. per totum Barbosa supr. num. 29. Contra Georgium Cabedo part. decis. 58. num. 8. Marta de jurisd. part. 3. cap 32. num. 41. & alios. Ratio est, quia stando in jure cōmuni, dimissio habitus non sufficit ut judex sæcularis fiat competens contra clericum

ricum non præmissâ trinâ monitione, & prorsùs cum sit omninò incompetens nequit prævenire Ecclesiasticũ, ex his quæ notantur in cap. *proposuisti*, de foro compet. Ratio est, quia asylum libertati prospexit, ita ut vi primæ capturæ nequeat dici facta præventio Potest Clericus conjugatus gaudere privilegio fori, licet secularibus negotiis incumbat, ita Covarruvias pract. cap. 31. num. 8. vers. 6. Ciarlinus controvers. forens. lib. 1. cap. 53, num. 27. Sanchez de matrimonio lib. 7, disp. 49. num. 26. Barbosa supra num. 30. contra Scaccianı tract. de judice part. 1. cap. 11. num. 20, vers. *tertiò* Camillum Borellum ad Bel. in speculo Principum rub. 11. §. *videamus*, num. 1. litt. A. vers. *& tunc demum*, Camillum de Curte in divertorio juris feud. part. 2. numer. 83. Valascum alleg 44. num. 13. Joannem Andræam & alios. Ratio est quia ejusmodi Clericis conjugatis licita est negotiatio honesta, victus causâ. ut patet ex cap. *Ioannes*. Igitur privilegio seu comprehensorio à jure cõcesso privari nõ debent ob honestã, licitam, & necessariam negotiationẽ secundùm qualitatem suæ personæ, ex Carolo de Grassis effect. 1. 87.

VIII. Clerici conjugati puniri possunt à judice sæculari nullâ prævia degradatione in illis casibus, in quibus Clerici in minoribus privantur privilegio clericali, ita Covarruvias tract. cap. 32. num. 6. Thomas Valascus alleg. 51. Farinacius quæst. 8. numer. 57. Probatur ex praxi. Præmitti tamen debet declaratio ordinarii amissionis privilegiorum, ita Barbosa supra numer. 31. Torreblanca in pract. juris spiritualis lib. 15. cap. 4. num. 12. & cap. 5. num. 17.

IX. Clerici in minoribus non conjugati secundùm jus commune gaudebant privilegio, sicut Clerici in majoribus etiam quoad privilegia exemptionis à potestate sæculari. Ratio est, quia secundùm verbi proprietatẽ per clericum intelligitur in minoribus constitutus, cum vocetur in sortem Domini cap. *Clericos*, cap. *perlectis*, 21. distinct. *cum secundum*, de præbend. Et textus in formaliter exprimit. *Ex hoc enim nullus judicum sæcularium neque presbyterum, neque Diaconum, aut clericum ullum restringere, aut condemnare præsumat.* Item. *Omnis Clericus tam in majoribus, quàm in minoribus potietur privilegio fori nè à sæculari judice distringi valeat aut condemnari.* Clericos tam in tonsurâ, quàm in minoribus constitutos gaudere privilegio fori, & a sæculari potestate immunes esse tenent Navarrus in manuali cap. 27. num. 79. Menochius de arbit. casu 246. numer. 1. Thomas Valascus tomo 1. alleg. 10. num. 1. Covarruvias pract. cap. 1. num. 5. Farinacius in praxi crimin. quæst. 8. num. 5. Suarius de Paz. in pract. tomo 2. prælud. 2. numer. 26. Camillus Borellus consil. 15. num. 23. & alii apud Barbosam part. 2. alleg. 12. num. 1. Secundum Concilium Tridentinum sess. 23. de reformat. cap. 6. ob copiam Clericorum, Clerici in minoribus non gaudent privilegio fori, nec in civilibus, nec in criminalibus, nisi habeant beneficium Ecclesiasticum, vel tonsuram aut clericalem habitum deferentes, inserviant alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, vel versentur in Seminario Clericorum, vel in aliquâ Schola & Universitate de licentiâ Episcopi; quasi in viâ ad suscipiendos majores ordines. Ita Bonacina in 8. præcept. Decalog disp. 10, quæst. 2. part. 1. §. 4. num. 10. & seq. Molfesius in summâ Theolog. moral. tract. 2. cap. 3. num. 17. Ugolinus de potest. Episc. cap. 12. num. 3. Aloysius Riccius decis. Neap. decis. 111. part. 4. Farinacius in praxi crimin. quæst. 8. num. 5. & num. 60. & plures alii apud Barbosam num. 2.

X. Clerici primæ tonsuræ seu in minoribus habentes beneficium gaudent privilegio tam in civilibus, quã in criminalibus, ita Diana resol. moral. part. 1. tract. 2. de immunitate, resol. 28. & alii apud Barbosam supra num. 3. Patet ex Concilio Tridentino sess. 23. de reformatione cap. 6. *Is etiam fori privilegio non gaudeat nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inser-* Concilũ Trident.

viat, &c. Et probet non tantùm titulum beneficii, sed etiam possessionẽ, ita Farinacius supra quæst. 8. numer. 45. & 70. Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. decis. 388. Menochius consil. 350. num 6. Carolus de Graffis effectu 1. num. 1187. Tuschus in pract. concl. litt B. concl. 78. num. 8. & alii apud Barbosam. supra num. 4. Ubi plura, quamvis possidens beneficium tonsuram vel habitum clericalem non deferat, ita Diana part. 4. tract. 1. resol. 89. Bonacina in 8. præcept. Decalog. disp. 10. quæst. 2. puncto 1. §. 4. num. 11. Fr. Emmanuel in summa part. 1. cap. 155. con. l. 2. Carolus de Graffis effectu 1. numer. 1195. Farinacius quæst. 8. num. 7. & alii apud Bonacinam supr. numer. 6. Qui addit decisum fuisse Clericos in minoribus habentes beneficium privari eo ipso fori privilegio si se enormitatibus immisceant, & sint seditiosi. Notat etiam cum Stephano Gratiano disceptationum forensium cap. 224. Bonacina in bull. Cœnæ disp 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 3. num. 14. Diana resol. moral part 4. tractat. 1. resol. 6. Sanchez in opusc. tomo 2. lib. 6 cap. 1. dubio 3. num. 1. Gavanto in Euchiridio Episc. verb. *fori privilegium*, numer. 31. Squillante de privileg. cleric. cap. 10. num. 38. contra Pereira de manu regiâ part. 2. cap. 42. num. 8 Quod si erat beneficiatus tempore delicti commissi ac proindè foro Ecclesiastico, licet postea ducat uxorem causa agitanda coram judice Ecclesiastico, licet beneficium sit modici valoris, ita Campanile in diversi. juris canon. rub. 8. cap. 5. num. 19. Riccius, Antonius Genuensis, Nicolaus Garcias apud Barbosam num. 7. qui addit cum Carolo de Graffis effectu 1, num. 1224. Riccio, Squillante, Diana resol moral. tomo 1. tract. 3. resol. 29. quamvis beneficium careat redditibus. Secundò, etiamsi Clericus solitam pensionem habeat, ita Portellus tract. de competentiâ quæst. 3. num, 20. Salzedo ad Bernardum cap. 67. num. 10. *Coram secularibus*, Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. *Clericus*, §. 2. dubio 1. Fr. Emmanuel tomo 1. cap. 155. num. 11. & alii apud Barbosam supra num. 8. Probatur ex decisione S. Congregationis apud Armendariz in addit. ad recopil. legum Navarræ lib. 2. tit. 29. de foro compet. num. 3. & 7. censentis eum esse Clericũ beneficiatum, ad effectum privilegii fori qui obtinet pensionem. Patet tertiò ex novissimâ ejusdem Concilii congregatione & decisione apud eundem Barbosam de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 151 ubi cùm propositum esset. *An Clericus in minoribus habens pensionem & incedens in habitu & tonsurâ gaudeat privilegio fori.* Responsum est die 10. Aprilis 1622. *Sacra Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum censuit gaudere.* Illi subscribunt Marchinus de Sacramento Ordinis part. 2. tract. 1. cap. 15. difficult. 2. Stephanus Weyms ad constit. 24. juris communis per Concilium Tridentinum innovatas constitut. 9. num. 15, Diana resol. moral. part. 1. tit. *de immunitate Eccles.* resolut. 30. contra Nicolaum Garciam de beneficiis part. 1. cap. 5. num. 70 Aloysium Riccium in Curiæ Archiepisc. Neapolit. decision. 71. num. 11, & decis. 192. numer. 10. Bonacinam in 8. præcept. decalog. disp. 10. quæst. 2. part. 1. §. 4. num. 10. Azevedo lib. 1, num. 5 vers. *sed an pensio.* tit. 4. lib. 1. novæ recop. Flaminium de resignat. lib. 1. quæst. 11. num. 70. & lib. 2. quæst. 15. numer. 15. Carolum de Graffis effectu 1. num. 1198. Conzales ad regul. 8. Cancell. glos. 5. §. 5. num. 6.

Eodem privilegio fori gaudet coadjutor per Romanum Pontificem constitutus primâ tonsurâ vel minoribus ordinibus initiatus, ita Castro-Palao in opere morali tract. 12. quæst unic. punct 2. Torreblanca in practic. juris spirit. lib. 15. cap. 6. numer. 7. Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. num. 21. Sebastianus Cæsarius de Eccles. hierarch. disp. 14. §. 9. num. 8. Armendariz supra num. 26. Nicolaus Garcias de beneficiis part. 2. cap. 5. num 98. Barbosa supra numer. 9. Clericus habens præstimonium, vel fratantiam eodẽ fori privilegio fruitur, ita Diana part. 1. de immunitat. Eccles. XI.

Eccles. resol. 31. Squillante, Castro Palao, Torreblanca, Aloysius Riccius, Marcus Antonius Genuensis citati à Barbosa supra num. 11. notante cum Azorio instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 7. quæst. 1. Flaminio de resignat. lib. 2. quæst. 1. num. 123. Gonzales ad regul. 8. cancel. Glos. 5. §. 2. numer. 11. Nicolao Garcia de benef. part. 1. cap. 2. num. 117. Quod præstimonia, quæ in titulum perpetuum dantur, habentque annexum aliquod obsequium spirituale inter beneficia censeri. Ut Clericus in primâ tonsura vel ordinibus constitutus non beneficiatus gaudeat privilegio fori, debet tonsuram & clericalem habitum deferens deputari per Episcopum servitio alicuius Ecclesiæ, vel in seminario Clericorum, vel in aliquâ Schola, vel Universitate de licentiâ Episcopi, quasi in via ad majores Ordines, ita Concilium Tridentinum sess. 23. de reformat. cap. 6. *Clericalem habitum & tonsuram deferent alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario, &c.* Sufficit quod hæc licentia fiat ore tenus, ita Diana part. 1. tract. 2. resolut. 34. Aloysius Riccius, Castro Palao apud Barbosam num. 15. Sed debet esse expressa, Menochius de præsumpt. lib. 6. quæst. 76. num. 41. Marchinus supra cap. 16. difficil. 7. Barbosa supra, Cenedo canon. lib. 1. quæst. 4. num. 24. & 26 Non tamen necessaria est specialis deputatio ad certum ministerium obeundum in Ecclesia, sed generalis, ita Diana part. 4. tomo 1. resol. 2 Barbosa & Castro Palao contra Pereiram de manu regia part. 2. cap. 26 num. 7. Virtute præfatæ licentiæ tenetur in illo obsequio perseverare, ita Bonacina supra § 4 numer. 14. Carolus de Grassis effectu 1. num. 1283. Barbosa, Cenedo, Castro Palao. Probatur ex verbis Concilii, *alicui Ecclesiæ inserviat.* Quæ significant frequens & perseverans obsequium, non tamen omni tempore illud exhiberi debet, ita Diana moral. resol. part. 1. tract. 2. resolut. 34. vers. *notandum est*, Gratianus discept. foren. tomo 3. cap. 440. num. 6. Aloysius Riccius, Barbosa, Joannes Franciscus Capiblança. Ratio est, quia verba illa non sunt accipienda ita generaliter & rigidè. Undè si aliquo necessario impedimento interrumpatur ejusmodi obsequium non ideò privandum privilegio fori docet Gaietus in margarita casuum conscientiæ verbo *Clericus*, Barbosa supra numer. 24. debet tamen spectare tempus præsens, ut patet ex particulis Concilii *inserviat*, *versetur*, ut notat Menochius cons. 912. n. 27. Carolus de Grassis quod obsequium debet esse in spiritualibus, ita Carolus de Grassis effect. 1. num. 1177. Sed sufficit quod exhiberi non debet Ecclesiæ quam Episcopus designavit, sed alteri, ita Diana resol. moral. part. 1, tractat. 2. resol. 34. & part. 4. tract. 1. resol. 2. Riccius, Squillante, Aloysius Riccius, Marcus Anton. Antonius de Marinis, Novarius, Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap 59. § 2. num. 34 & de officio & potest. Episc. part. alleg 12 num. 14. contra Bonacinam in bullam Cœnæ disp. 1. quæst. 16. lib. 1. sect. 1. punct. 5. num. 34.

Concilii Trident.

Capellanus, cui capella in perpetuum, vel in titulum fuit assignata per Pontificem vel Episcopum gaudet privilegio fori ita Diana moral. resol. part. 1. tit. *de immunitat. Eccles.* resol. 31. Squillante supra cap. 7. numer. 18. Aloysius Riccius, Cenedo, Castro Palao, Torreblanca, Armendariz, Salzedo citati à Barbosa supra alleg. 12. num. 10. Ut igitur Clericus in minoribus tonsuram & habitum deferat, debet deferre frequenter & successivè; ita Monochius de præsumpt. lib. 6. præscript. 78. num. 18. vers. *requirit*, Farinacius supra quæst. num. 68. Bonacina in 8. præcept. decalogi disp. 20. quæst. 2. part. 1. §. 4. num. 15. Aloysius Riccius in praxi aureâ resol. 172. conc. 2. Carolus de Grassis effectu 1. num. 1283. vers. *Sic pariter est dicendum*. Barbosa num. 15. Quare si delinquat, debet capturæ tempore gestare habitum & tonsurâ, ita Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 46. num. 10. Stephanus Gratianus discept. forens. cap 190 num 10. Barbosa in l. *Titia*, num. 35. vers. *Secundo principaliis*, & vers. *ex quo in-* XII.

fertur. Gomez. tomo 3. var. cap. 10. num. 5. Ex his satis liquet esse duplex forum & tribunal, laicum & Ecclesiasticum, & illis diversos judices assignatos, Laico præsidere Cæsares, Reges, Magistratus, vel ab iis designatos. Ecclesiastico, summum Pontificem, Episcopos, vel ab iis creatos, & ab iis quasdam virtutes specialiter excolendas, scilicet peritiam, probitatem, pietatem, & veritatem, clementiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam, sagacitatem, justitiam, integritatem, incorruptibilitatem, quæ dotes prolixâ explanatione indigent. ut veri judices præcipuè Ecclesiastici ac Episcopi perfectam effigiem exactè repræsentent, quarum quatuor dumtaxat quasi colores præcipuos hic exponam.

CAPUT V.

Effigies Episcopi, seu Judicis Ecclesiastici.

§. I.

Primus Color.

1. VErus Pastor non coactè, sed spontaneè pascat. Talis erat Elias, de quo textus Eccles. cap. 48. vers. 1. *Surrexit Elias quasi ignis.* Ideſt excitatus à Deo, & zelo Dei flagrans, more ignis, non coactè, non violenter; sed Deo excitanti obtemperans ad animarum studium mentem applicuit. Ad hoc munus voluntariè obeundum eos hortatur Apostolus Petrus 1. epist. cap. 2. vers. 2. *Pascite quæ in vobis est gregem Dei providentes non coactè, sed spontaneè.* Dionysius. *Charitative & liberè, non ex necessitate aut solâ indigentiâ rei terrenæ. Coactè enim hæc agit, qui aliunde non habens, quo sustentetur propter temporale commodum duntaxat populo prædicat, ac spiritualia alimenta impendit.* Debet igitur verus pastor se ultrò ad animas lucrandas offerre, dicens cum Isaia cap. 6. vers. 8. *Ecce ego mitte me.* Idem Dionysius hæc verba ponderans rectè subjicit. *Describitur quomodo Isaias se obtulit ad obsequium Dei, & Domino respondit præsto sum. Hæc promptitudo Beatissimi Isaiæ, quâ se obtulit ad officium prædicationis, legationisq; divinæ imò ad actum pastoralem, non ex præsumptione, sed discretione, non ex vanitate, sed charitate, non ex superbia, sed ex veræ obedientiæ emanavit.* Hoc Apostolicum munus non coactè, vel necessitate exequendum esse adhuc probè sciebat idem Propheta dicens: *Væ mihi quia tacui.* Quasi diceret, inquit Glossa apud D. Thomam in cap. 9. epist. 1. ad Corinthios. *Vtique evacuaretur gloria mea cælestis, scilicet, si idcò prædicarem, ut sumptus acciperem. Nam si evangelizavero tantùm, ita quod non ex dilectione Dei & proximi hoc faciam, nec liberâ voluntate, non est mihi gloria apud Deum. Necessitas enim præcepti, quod non audeo omittere, mihi incumbit. Vndè si solo timore servili prædico, væ enim, æterna damnatio mihi est, si non evangelizavero sicut mihi injunctum est.* Apostolus Paulus de hoc spontaneo Prælati officio seu exercitio sic nomine pastorum loquitur 1. Corinth. cap. 9. vers. 17. *Si volens hoc ago, mercedem habeo, si autem invitus, dispensatio mihi concredita est.* Ideſt, si evangelizo liberè & spontè, non autem coactè, non invitè, voluntate nõ reluctante non carebo mercede, nec merito. D. Thomas. *Si necessitate hoc facio non est mihi gloria, si autem volens hoc ago, ideſt si voluntatem adjungo necessitati mercedem æternam habeo. Ideo Psalmista dicit, voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor. Si autem invitus, ideſt solo præcepto coactus evangelizo, dispensatio mihi credita est sicut servo, ut scilicet dispensem ad aliorum utilitatem non meam.* Quasi diceret, alis proficio, non mihi. Intelligit enim hoc de dispensatione servili non filiali. Secundùm Glossam. *Nemo invitus benefacit, si bonum est quod facit.* Juxta illud 1. Corinth. cap. 13. v. 1. *Si charitatem non habuero, factus sum sicut æs sonans.*

Eccl. 48. vers. 1.

1. Petr. 2. vers. 2.

Dionys.

Isaiæ 6. vers. 8.

1. Cor. c. 9. v. 17.

S. Thom.

§. 2.

Secundus Color veri Pastoris.

I. HUic picturæ secundus color adiiciendus est, scilicet, ut Pastor seu Prælatus non suum sed animarum lucrum quærat. Quem colligo ex secundâ explicatione quam D. Thomas subnicit. *Si evangelizavero pro sumptibus accipiendis non est mihi de supererogatione in prædicando. Peto enim contra me Matthæi cap 19. Gratis accepisti, gratis date.* Necessitas enim vitæ sustentandæ mihi incumbit, quia pro necessitate vitæ prædico, væ enim mihi est, idest famis turbatio, si non evangelizavero. Contra eos, qui student potius ipsos saginare bonis temporalibus, quàm pascere populum cibis spiritualibus clamat Ezechiel cap 32. vers. 2. *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonnè greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis.* Dionysius hæc verba ita explanat. *Væ damnationis æternæ debetur ac imminet Pastoribus, qui proprium commodum temporale quærebant, seq; delicatè nutrierunt, non subditorum profectum atque salutem, qui à Christo in Evangelio mercenarii nuncupantur, ita quam appellatione Pastoris indigni. Nonnè cum pecora à pastoribus suis corporaliter nutriuntur, multò magis homines à suis pastoribus spiritualiter sunt pascendi charitatis affectu, verbo prædicationis, & opere exemplari, bona seu opes subditorum consumpsistis, & eorum facultatibus & laboribus corpora vestra pretiosè & ornatè vestistis, potentes & divites spiritualiter peremistis, dum vel cupiditate, vel timore carnali eorum vitia debito modo non reprehendistis, sicque decepistis eos, secundum quod per Isaiam Dominus contestatur cap. 3. Populus meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Vel quod crassum est occidebatis, divitibus crimina imponendo, ut sic aliquid extorqueretis ab eis.* Id probat ex depravato, & laxiore more vivendi sui ævi, qui toti erant ut se pascerent, & gregem degluberent. *Istud proh dolor nunc incessanter & evidentissimè in Christi Ecclesia adimpletur. Videmus ad oculum, qualiter subditi à suis negliguntur pastoribus, qui carnaliter vivunt atque in cibo, potu, somno, vestimentis, & cæteris corporalibus commodis abundanter sibi de subditorum opibus, aut sudoribus provident, in horum superfluitate, pretiositate, & numeralitate vehementer excedunt, qui utinam illud Ecclesiastici cap. 32. ritè pensarent rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex eis, &c.*

1. Cor. 9. vers.

Ezec. 32. vers. 2.

Dionys.

s Thom.

II. Eandem de illis Prælatis premit querimoniam S. Bernardus serm. 77. in Cantica. *Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt, quærunt, ex omnibus charis ejus diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedant nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonnè si quemptam talium repentè eminùs procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem. Unde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum nisi de bonis sponsæ? Indè est quod illa pauper, & inops, & nuda, relinquatur facie miserandâ, inculta, hispida, & exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed devorare. Dicente de illâ Domino psalm. 13. Qui devorant plebem, ut cibum panis. Et quia comederunt Iacob, & locum ejus desolaverunt. Et in alio Propheta Oseæ cap. 4. Peccata populi mei comedunt,* quasi dicat, *peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt.* Plura ibi Idem sanctus Bernardus in vita sancti Malachiæ ostendit sanctum illum Episcopum longè ab istis avaritiæ sordibus fuisse alienum. *Cùm exiret ad prædicandum cum pedibus pedes, & ipse ibat Episcopus, & legatus. Illis dominabantur in Clero: iste dum esset liber ex omnibus omnium se servum fecit. Illi aut nõ evangelizantes manducant, aut evangelizant*

s Bernardus.

ut manducent. Malachias imitans Paulum manducat ut evangelizet. Illi fastum, & quæstum æstimant pietatem, Malachias hæreditatem sibi vendicat opus & onus. Illi fœlices se credunt si dilataverint terminos suos, Malachias in dilatandâ charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, undè onerent mensas, Malachias colligit in ærcria, & solitudines, undè impleat cœlos. Illi cùm accipiant decimas, & primitias, & oblationes, insuper & de Cæsaris beneficio, telonia & tributa, & alios reditus insuitos, solliciti sunt nihilominus quid manducent, aut quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis nec sollicitudinis ullus est finis: Malachias cupiens nihil, non novit tamen cogitare de crastino. Illi à pauperibus exigunt, quod dent divitibus: iste sollicitat divites pro pauperibus sustentandis. Illi marsupium vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hostiisq; pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres, ac mœnia ad cœlos levant, Malachias non habens ubi caput reclinet opus facit Evangelista. Illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non suum; Malachias septus sanctorum fratrum Collegium pedes circumvit portans panem Angelorum quibus animas sanctè esurientes. Illi plebes nè agnoscunt quidem, iste erudit. Illi potentes & tyrannos honorant, iste punit. O virum Apostolicum, quem tot & talia nobilitant signa Apostolatus sui.

III. S. Chrysostomus

In nullo mortalium signa hæc Apostolatus magis emicant, quàm in Elia, id D. Chrysostomus homil. 2. ad populum clarè probat. *Quid? dic mihi Eliâ pauperius?* Ideſt minus ſe quæsivit? sui curam habuit, sivè in cibo & potu, sivè in vestitu, sivè in incessu, hominum favore. Quod lucrum animarum ex hoc sui contemptu fecerit audiamus. *Sed propterea* (inquit idem aureus Doctor) *Omnes divites vincebat, quoniâ pauper hic erat: ipsam vero paupertatem ex mentis opulentiâ elegit: quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putavit inferiorem, nec Philosophiæ suæ dignam, ideò tantam pauperiem amplexatus est. Quod si magna præsentia putasset, non solam melotem possedisset. Sed ita vitæ vanitatem condemnavit, & tanquam lutum projectum aurum omne despexit ut præter amictum illum nihil amplius posideret.* Quod autem hic color mentis oculis objectus non mediocres illecebras intuitibus corporis suggesserit. Audi eundem ibidem. *Idcircò Rex pauperis indigebat, & verbis nihil plusquam melotem habentis inhiabit, qui tantum habebat auri, adeò splendidior trabea erat melote, & regalibus aulis justis spelunca.* Quasi diceret, quemadmodum Epimanondas inter Thebanos & Aristides apud Athenienses res caducas despicientes, paupertatemque præ se ferentes omnium concivium animos commoverunt, & ab iisdem Justi Dei ac Salvatoris nomen promeruerunt, ut refert Stobeus serm. 5. de temperan. *Neque enim Aristides, neque Epimanondas divitiis affluentes, & in servitutem acti vocati sunt: ille quidem justus, hic verò Deus & Salvator, sed cum paupertate, & rerum omnium indigentiâ laborarent Græciam e servitute liberarunt.* Id sanè paupertati Eliæ cõcedendum est. Hic enim non tantùm populum tempore Achab ab idololatriâ revocavit: sed etiam in fine mundi. Quomodò amicti & ornati essent innuit Deus Apoc. cap. 11. vers. 3. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Dionysius. *Dabo Enoch & Eliæ copiosissima gratiæ dona, virtutem, & constantiam contra Anti-Christum, sapientiam, & eloquentiam convertendi Judæos, patiendi martyrium, & prophetabunt contra Anti-Christum perfidiam fortiter prædicando, ejusq; ruinam pronuntiando tribus annis cum medio: amicti pœnitentialibus asperis, abjectis, humilibus indumentis, ut sicut verbis ita & habitu pœnitentiam prædicent.* Subtilius Divus Thomas ibi. *In hoc quod donum non exprimitur, intelligitur magnitudo doni: non enim dicitur quid eis dabit, quia non facile narrabile.* Et Albertus Magnus. *Dabo dicit, nunquid illud est ineffabile quod dabit?*

Apoc. 11 vers. 3.

Dionys.

D. Thom.

Quis non stupeat civitatem Ninivem tam amplam, tot scelcribus & flagitiis IV.

flagitiis addictam unicâ Jonæ (quem fuisse mulieris Sareptanæ filium nostrum P. Lezana tomo 1. annalium nostri Ordinis & alii apud ipsum, asserunt) prædicatione conversam? Quo motivo usus est, ut illam regiam civitatem ad fidem & pœnitentiam induceret? Aliqui dicunt Ninivitas tuisse motos miraculo devorationis, & liberationis è ventre ceti, quod Jonas eis proposuit, & nautæ sparserunt per totum Orientem. Et innuere videtur Christus Lucæ cap 11. vers 30. *Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit & Filius hominis generationi isti.* Hoc enim signo eis clarè demonstrabatur Jonam à Deo ad ipsos mitti, eosque simul hortabatur & terrebat, nè si fidem adhiberent suis verbis, æquè, imò magis plecterentur quam Jonas aliquo aquarum diluvio, vel terræ hiatu. Cui commonitioni Jonæ accessit divina illuminatio & inspiratio, quâ eorum mentes commotæ sunt ad fidem adhibendam prædicationi Jonæ. Alii refundunt subitam conversionem Ninivitarum in gravitatem Jonæ. Gravitas enim Oratoris plurimùm confert ad movendos auditores. Festinam Ninivitarum pœnitentiam & conversionem attribuunt alij prudentiæ Jonæ. Hanc prudentiâ tanti æstimabat S. Bernardus, ut pro eâ acceptâ à Deo plurimùm suis auditoribus gratularetur. *Inter loquendum* (inquit serm. 1. Septuagesimæ) *fateor nonnunquam sentire mihi videor fervorem studii vestri. Etenim quantò abundantius fugitis, tantò amplius replet ubera mea dignatio Spiritus sancti, & tantò copiosius datur, quantò citius quod propinatur hausistis.* Hujus prudentiæ defectum in aliquibus tum Prælatis, tum Prædicatoribus Isaias deplorans ait cap. 56 vers. 11. *Ignoraverunt intelligentiam.* Idest Pastores, Doctores caruerunt prudentiâ ad regimen animarum tam necessariâ. Nam ut rectè D. Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio. *Non temerè ad delictorum modum & mulctam ipsam adhibere oportet, sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, cavendumq. nedum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias, aut dum enim, qui lapsus est erigere atque emendare studes, casus iste major per te reddatur.* Hâc prudentiâ usus est Jonas. Tamen aliqui contendunt Jonam potius suâ pietate commoviſſe animos Ninivitarum. *Nam* (ut rectè Auctor operis imperfecti in Matthæum homil 43.) *Bene vivendo, & bene docendo populum instruis quomodò debeat vivere.* Sed hæc ratio parum probabilis est, quia Jonas erat Ninivitis omninò ignotus, nec ullam cum eis societatem habebat. Alii progressum Jonæ referunt in charitatem & zelum Apostolicum D. Gregorius in psalmum *Miserere*, rectè ad hanc rem exclamat. *O quam utilis est peccatorum remissio, quæ conversos non solum à peccatis liberos efficit, sed etiam alios à via impietatis & injustitiæ retrahit. Flammâ charitatis accendit, hæc enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipso ex zelo studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. Exerceas ergò te in via Dei, cui Deus peccata dimisit, & exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ confugere remedium admoneat.* Verè pronea fuit inobedientiæ remissio, non tantùm Jonæ, sed omnibus Ninivitis, quandoquidem è ventre ceti emissus Jonas indilatè currit in civitatem, & omnes incolas unicâ prædicatione convertit, in eisque flammas vitiorum extinguit, & Spiritus Sancti, ac charitatis igne succendit, ad pœnitentiam & spem veniæ hortatur. Alii contendunt Ninivitas convertos fuisse non tantùm audito vomitu ceti marini, sed etiam quod alias Jonas ad vitam fuisset revocatus.

Luc. 11. vers. 30.

Bernard.

Isai. 56 vers. 11.

Gregor.

V.

Aliqui dicunt Ninivitas statim ad concionem primam Jonæ conversos fuisse, quia hic extraneus erat. His arridet D. Basilius Seleucius orat. 12. *Comminatur extraneus & ad eius orationem moresq. commutat civitas universa. Extraneus loquebatur, ac veruta demissam cœlitus orationem pertimuerunt, & ad unam vocem luctus indulgebant.* Quasi diceret non mireris, si ad tot prædicationes aliorum Prophetarum

Basilius Seleuc.

Ninivitæ

Ninivitæ obsurduerunt, & ad hujus Jonæ indilatè currunt ad cilicia, ad cineres, ad jejunia, omnesque cujuscumque sexus, ætatis, & generis ad ejusmodi pœnitentiæ signa amplectenda convolent. Alii incolæ erant, hic verò alienigena. *Comminatur extraneus, &c.* Alludit ad illud Christi Lucæ cap. 4. vers. 24. *Amen dico vobis nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ* Syriacus. *Amen dico vobis nullum esse Prophetam, qui recipiatur in patriâ suâ.* Græcus. *Non est Propheta inhonoratus.* D. Hilarius. *Non est Propheta inhonorabilis.* Joannis cap. 4. vers. 44. *Propheta in patria sua honorem non habet* Matthæi cap. 13. vers. 57. *Non est Propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, & domo suâ.* Marci c. 6. vers. 4 *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo suâ, & in cognatione suâ.* Syriacus apud Matthæum citatum. *Non est Propheta despectus nisi in provincia sua.* Arabicus in Lucam. *Non habetur Propheta vilipendio, nisi in patria sua.* Patres varias hujus vilipendii proferunt rationes. Glossa, S. Paschasius, Beda, Albertus Magnus dicũt quia naturaliter cives solent civibus invidere, nec virtutem mentis, vel dicentis gratiam, vel mittentis authoritatem considerant, sed tantùm fragilitatis puerilis recordantur. Eleganter D. Hieronymus in cap. 13. Matthæi. *Propemodum naturale est cives civibus invidere, non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ. Quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerunt.* Quasi diceret a primâ notitiâ desistere nequeunt, sed in ea semper perseverant: ideoque quia illos in pueritiâ balbutientes, aliasque nugas exercentes viderunt, progressu temporis & ætatis eos semper ut rudes existimant. *Quia* (inquit D. Thomas in cap. 13. Matthæi) *cognoscunt infirma sua, semper reducunt in memoriam infirma. Hoc enim est à malitiâ hominum, ut magis infirma cogitent, quàm perfecta.* Secundo, ideò Prophetæ & Prædicatores in patriâ honore carent, quia familiaritas & humilis generis notitia contemptum generat. *Solent* (inquit Theophi actus in cap. 4. Luc.) *homines rara & admirabilia curare, despicere autem communia & familiaria. Et idcircò nullus Propheta in patria sua pretiosus, sed si aliundè veniat admirabuntur illum.* Tertiò, ideò Propheta in patria sua non recipitur, parvi æstimatur, tam ipse quàm ejus opera & verba: quia eorum compatriotæ sævâ invidiâ corroduntur, & cùm concives suos sibi præferri vident, dolent, indignantur, si junior præferatur, senior ferre non potest; si plebeius colatur, nobilis excandescit; si pauper magnificat, laudetur, dives ejus famam labefactare contendit. Dionysius in cap. 4. Luc. *Cives civibus communiter invident, homines etiam ut frequenter non æquè ferunt dum comparis sibi ipsis præferuntur, & proni sunt considerare eum qui excelsit, secundùm id quod fuit, dum eis similis videbatur.* Tostatus in cap. 13. Matthæi quæst. 88 aliter respondet, scilicet quod viri conspicui, vel virtute, vel scientiâ plebei sunt ac ex humili genere: quod cum extraneis ignotum sit, solaque eorum virtus pateat, hi potius quam concives magnifunt. Favet Euthymius. *Vide* (inquit) *extremam dementiam, dicunt enim parentibus ortus est tenuibus, unde ergò huic omnia ista proveniunt? At qui ô vani homines? Non ob parentum generationem, neque ob divitiarum affluentiam, aut aliud quippiam hujusmodi, sed ob egregiam vitam, intelligentia, ac miracula desuper his qui dign. sunt cognotantur.* Quasi diceret beneficia illa non cœlitus conferuntur intuitu prosapiæ & facultatum, aliorumque donorum naturalium, sed ob merita, seu quia ita placet Deo.

Luc. c. 4. vers. 24. Theoph. Dionys. Euthym. Hieron. S. Thom.

VI. At hic potius asserendum est ideò prædicatione Jonæ tam efficaciter motam fuisse amplissimam civitatem Ninivem; quia Jonas erat veste squallidâ crinibus incompositis, facie sordibus ac fœcibus marinis conspersâ, uno verbo videbant in eo sui neglectum, & tamen ad animarum lucrum intentissimum. Ex quibus colligo quod ad ejus prædicationem universa civitas ad capienda arma pœnitentiæ prosilierit, ut eleganter ostendit D. Ambrosius sermone 40. *Legimus aliud non habuisse præsidium, nisi ut abjectis* S. Amb.

jectis crapulosis epulis jejunia continuata susciperent, & divitiarum ambitione epositâ humilitate se paupertatis induerent, scilicet ut exinde remedium perciperent, undè his perditio contingebat: hoc est ut iram divinitatis, quàm luxuriando provocaverant abstinendo lenirent, & offensam, quam in eos superbia contraxerat humilitas mitigaret Dicitur enim in illâ tribulatione ipse Rex depositâ imperiali purpurâ regali ambitione submotâ, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco & cinere se noctibus & diebus volutasse. Cur ita convolat illa Civitas amplissima ad hæc humilitatis & pœnitentiæ instrumenta? Ex eo, plùm potius quàm verbum Jonæ id præstitit, plus enim exempla quàm verba movent. D. Greg. Nazianzenus orat. in plagam grandinis. *Præstantior quidem meo judicio existimanda est pulchritudo illa, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermonis penicillo depingitur, & sapientia quæ operibus judicatur, quàm quæ verbis splendescit. Intellectus enim* (inquit ille psalm. 100. vers. 10. *bonus omnibus facientibus eum, non item prædicantibus.* Idest homines ad pœnitentiam, humilitatem, mundi & sui contemptum diriguntur non tam verbis, quam exemplis redolentibus illum sui contemptum, humilitatem, & pœnitentiam.

Gregor. Nazian.

VII. Quis non stupeat Verbum ipsum, qui ut omnium nostrum corda sibi devinciret, non magno apparatu venit, non indutus intulâ imperiali, sed amictu paupere vestitus. Theodoretus orat. de Christi Nativitate, *Venit omnium dominus in servi forma paupertate circumamictus, ut venationem non effugaret.* O nimiam divinæ providentiæ industriam! ó mirum ad captandas & illaqueandas animas artificium! homines ut aliorum sibi amicitiam & gratiam conciliant fastum regium non affectant, sed demittunt: ut Rex Roboamus Israelitarum gratiam captaret suasus est à senioribus, potius vulgari ac plebeio quam honorificentissimo apparatu ac comitatu illo clarus eos alloqueretur. Josephus lib. 8. antiquit. cap. 3. *Suaserunt ut comiter populum alloqueretur, & posito aliquantisper fastu regio, ad captandam multitudinis gratiam se accommodaret. Hac enim arte captos facile illos amaturos, quod naturâ ita comparatum est, ut subjecti dejectentur regibus mansuetis, & de suo fastigio nonnihil se demittentibus.* Non tolùm habitum vulgarem hominum assumpsit, sed etiam cunas & fascias pueriles. D. Cyrillus Hierosol. de occursu Domini. *Idem vagit in cunis, & mundo vitam, gaudiũ impertit.* Quasi diceret, dum olim potentiam & magnificentiam regni sui ac divinitatis divisione maris rubri, diluvio generali, aliisque portentis manifestavit, non tot homines ad sui cultum & ad pœnitentiam adduxit, quàm dum more puerili vagit, plorat, lacrymas fundit, adinstar mendici lac aliaque naturæ subsidia postulat.

Theodoretus.

S. Cyrill.

VIII. Audi S. Laurentium Justinianum de triumphali Christi agone cap. 12. ubi sic de Christi adventu effatur, *Venit in carne humilis, pauper in rebus, in vestitu contemptibilis, in comitatu solus, austerus in corporis deliciis & superborum aspectibus despicabilis atque abjectus; intus verò in spiritu qualis erat noscebatur, non poterat esse parvus, cui ministrabant Angeli, famulabantur Archangeli, & quem omnis cœlorum militia venerabatur laudibus. Apparuit, inquã, in mundo non ut ostenderet quis esset, sed ut ignotam sæculo veritatis scientiam prædicaret.* Et sermone de Nativitate Domini, de hoc cœlesti Rege cujus imperium super humerum, ita dissert. *Ut cognosceretur à nobis ex alto ortus est & manifestatus nobis, non utique in apparatu regio, non in sericis indumentis, non obsequentium multitudine vallatus, neque in imperialibus ædibus, vel deauratis cubiculis, sed sub tugurio in præsepio reclinatus.* Quasi diceret, licet antiquitus varia suæ potentiæ divinæ portenta ediderit, varia prodigia perpetrarit, aliosque effectus protulerit suæ divinitatis indices; tamen illam magis manifestavit sub vili amictu, sub casa rustica latens. Juxta illud Isaiæ cap. 45. vers. 15. *Verè tues Deus absconditus.* Undè sic concludit. *Quamobrem ó dilectissimi accedamus cum fiducia, non ad thronum gloriæ, sed ad diversorium humanitatis ejus, ut inveniamus gratiam in tempore*

Laurent. Justinian.

Isaiæ 45 v. 15.

liciti, sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manu ducentes. Et ut sciamus quantum bonum sit cum salute nostra & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem Ieremiæ cap. 15. Qui eduxit pretiosum à vili quasi os meum eris. Quid hoc? qui ab errore ad veritatem manu duxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit pro viribus humano me imitatur. Etenim ipse cum Deus sit propter, nihil aliud nostrâ induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucē quoq; suscepit, nisi nos peccato obnoxios à maledicto liberaret: & hoc quoque Paulus clamat dicens ad Galatas cap 3. Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipse qui Deus est ineffabilis essentiæ ob misericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos & salutem nostram suscepit, cur non & nos ergà fratres justi sumus, agnoscentesq; eos ut membra nostra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis inducimus. Pondera hæc verba. *Quod propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit.* Quibus innuit Deum non tantùm omnia sustinuisse, sed sui quodammodò immemorem factum esse, ut non tantùm nostram salutem procuraret, sed etiam propter eandem salutem procurandam omnem creaturam produxisse. Ita ut si in firmamento Ecclesiastico sint luminaria collocata, idest Præcones, Prælati, &c. Id Deus præstitit, ut sint signa temporum, annorum, mensium, & dierum, matutini & vespertini temporis, hiemis, & æstatis, veris & autumni. Genesis cap. 1. vers. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos, ut luceant in firmamento cæli & illuminent terram.* Quasi diceret, ista luminaria non lucent sibi sed nobis, non sunt producta ut nos illis ministremus, sed ut illa nobis subministrent lumen, & in nos incessanter influant. Rectè Oleaster. *Vides quæ & quanta terræ luminaria præstent, nihil inde ex eis sperantes, neque dedignantur cùm tam sublimia corpora sint, tam lucida, tam pulchra infimo elementi terræ scilicet tot præstare ministeria.* Qualis est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quia reputas eum? Solent ministri & Dominis & Principibus inservire. Quomodò igitur astra quæ tam sublimia, tam lucida, tam pulchra sunt ipsis hominibus, qui tam viles sunt interviant, ut ostendat Deus. *Quod propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & in hoc astra suam sublimitatem, suum lumen, suam pulchritudinem manifestant, quod illa omnia ad salutem hominis conferant.* Ut canit Seneca in Medeâ.

Hoc Reges habent
Magnificum & ingens nulla quod rapuit dies Seneca.
Prodesse miseris.

Et Ovidius lib. 2. de Ponto elegia 9. Ovidius.

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.

Inter animalia quis non asserat Leonem omnium principem à Deo creatum, ut prædam sibi quærat. Et tamen experientia eorum indoli contraria est. Nam lib. 4. Regum cap. 17. cùm tota Samaria variis sceleribus esset contaminata, diuque ob hoc inculta & habitatoribus privata mansisset, tandem vers. 24 *Rex Assyriorum* 4 Reg. 17. v. 24
adduxit de Babylone, & de Anah & Emath, & de Sepharuaim & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus. Textus facer subdit vers. 25. *Cumq; ibi habitare cæpissent non timebant Dominum.* Quasi dicerent, inquit Dionysius: *Idola sua colebant, in quorum cultu fuerant educati.* Hanc nè idololatriam impunè tolerabit Dominus? minimè. *Immisit in eos Dominus leones qui interficiebant eos.* Quomodò cognoverunt illi incolæ ejusmodi leones esse immissos à Deo, cùm fortè ex proximis nemoribus prosilierint, nō verò a Deo exitus missi sint? Optimè & acutè respondet Abulensis quæst. 5. in illud caput. *Quia leones ipsi occidebant viros & fœminas & cadaver comedebant.* Ut ejusmodi animalia ostenderent se a Deo missa, & non sibi, sed Deo laborare, licet naturali impetu prædæ capiendæ & devorandæ invigilent, & toti inhient, tamen ejusmodi homines & mulieres interfecerunt & illibatos ac integros reliquerunt. Hæc enim ultio

Gen. cap. 1. v. 14.

Oleaster

divina facta, non ut ad ingluviem eorum, sed ad salutem hominum. Ursi ipsis leonibus ferociores lib. 4. Regum cap. 2. id confirmant. Cum enim pueri quidam petulanter in Eliseum insurgerent & insultarent, dicentes vers. 24. *Ascende calve, ascende calve.* Illicò: *Egressi sunt duo ursi de saltu & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* D. Chrysostomus lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ existimat fuisse tantùm decem annorum. Abulensis putat fuisse *paucorum.* Dionysius addit illos ursos non esse egressos de saltu illo seu nemore proprio motu. *Sed ductu Angelico, & nutu divino.* Deus bone cur tam atrocem carnificinam facis? Si alicui ætati parcendum foret, certè illi. Respondet Justinus Martyr quæst. 80. ad Orthodoxos. Ut plecterentur in filiis parentes quorum culpa erat. *Quoniam* (inquit) *ea verba pueri à parentibus suis qui semper in prophetis infesto animo erant didicissent, idcircò Eliseus cæde liberorum parentes castigat.* Dionysius aliam rationem subdit. *Nè alii pueri similia facere attentarent.* Igitur ad conversionem hominum missi sunt ursi, non ad prædam sibi comparandam: undè textus ait. *Laceraverũt,* non verò devoraverunt, comederunt, deglutierunt. Laceraverunt ad vindicandam injuriam Deo & Prophetæ illatam, non verò devoraverunt, ut suæ naturali voracitati, & ingluviei satisfacerent.

l. 4 Reg. c. 2. v. 24

S. Chrysostomus

Justinus Martyr

Dionys.

XI. Constans omninò opinio est inter omnes volucres nullam magis voracẽ magis inhumanam, & malignam, quàm corvum, illo tamen Deus usus est ad pascendum Eliam, lib. 3. Regum cap. 17. vers. 6. *Corvi quoque deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperè.* Quasi diceret, licet corvi sint immites non tantùm erga homines, sed etiam erga pullos proprios, tamen benignè & infallibiliter statis diebus & horis cibum Eliæ subministrabant. Cur ita nativæ feritatis obliviscuntur? ut Deo obtemperent, Eliam instruant. Elegantèr D. Chrysostomus tomo 1. hom. 1. de Elia *Per patres illos filiorum suorum ofores apud Eliam, qui Iudais ut filiis mala fru-*

3. Reg. c. 17. v. 6

S. Chrysostomus

gis succensebat, Deus intercedit, quasi ad eum silenter ita diceret: nè tanto Iudæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos suos corvi. Et ecce illis nunc conversi sunt, vide vel eorum misericordiam qui naturâ pullis sunt immisericordes & inhumani, illi ipsi ut hospites tibi serviunt. Absurdum est ô Elia, quod apud te misericordiæ meæ patrocinantur corvi. Tu autem pro Iudais, in quos sævio non intercedis. Erubesce, & vel eorum exemplo Iudais esto clementior, ego enim ut tua sententia honorem do, ita & istorum qui affliguntur misereri velim. Eandem rationem non minùs egregiè premit D. Basilius Seleucius orat. 11. *Eum nutrit operâ corvorum, ut immundæ bestiæ cibum abominatus solvat famis decreta Corvisq; præcepi, inquit, ut pascant te, ac mihi vide divinam sapientiã, traduitur apud Scriptores sacros corvus, ut animal odio filiorum laborans: nam cum fœtum exclusêrunt repudiant, rejectâ eos nutriendi curâ, sed qua universi providentia Dei circa omnem occupatur creaturam, vel pullis corvorum occultâ quadam ratione cibum suggerit minuta quædam animalcula. Quam providentiam collaudans Propheta David canit melos Psalmo 106. Et pullis corvorum invocantibus eum, corvisq; præcepit ut pascant te: filiorum proditores tibi sumpto alimenti suppeditatores. Nè igitur durior fueris corvis pullorum oforibus. Nè innatum illis in pullos odium imiteris, nevè in Iudæos transferas: quin imitare potius eorum in te curam, bi commodato tibi obsequio naturam vicerunt, tuque Iudæorum nequitiam humanitate convince, nè in contribules corvis fueris inhumanior, revince corvos humanitatis causâ legatos.* Pondera hoc verbum *legatos.* Hoc enim verbo innuit Prælatos corvinum documentum sequi debere, ac suis subditis & gregibus sibi à Deo concreditis magis consulere quàm sibi: seipsos depauperare ut illos ditent, sui oblivisci, ut illorũ sint memores. Seu potius Apostolicũ exemplum sequi debent, 1. Corinth. cap. 4. vers. 11. & 12. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, &c.*

Basilius Seleuc.

1. Cor. c. 4. v. 11. & 12.

Divus

D. Ambrosius ibi. „ Liberè & juxta fi-
„ dem veram, sine aliqua adulatione
„ Christum prædicantes, & gesta pra-
„ væ vitæ arguentes, gratia apud ho-
„ mines habebant, & colaphizabantur,
„ id est injuriis agebantur, & instabiles
„ erant, quia fugabantur, nè in loco
„ diu manentes plures docerent, ideò
„ & manibus operabantur, &c. Ecce quomodò ad alios Christo lucrifaciendos Apostoli scriptos demittant, non tantùm opprobria, aliasque afflictiones patiendo, sed etiam operando manibus.

§. 3.

Tertius Color veri Pastoris.

I. QUamvis benignitas & clementia Prælatum & judicem Ecclesiasticum deceat, eamque virtutem ab Episcopo observari præcipiat Apostolus Lucæ cap. 10. vers. 34. exemplo Samaritani, qui alligavit vulnera læsi infundes oleum & vinum. S. Gregorius 2. part pastoralis cap. 11. *Ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Quatenus per vinum munientur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendum quodam temperamentum ex utroque, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.* Idem paulò supra. *Necesse est ut cùm peccatis vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnâ se sollicitudine etiam distinctior ipse moderetur, quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.* Et statim. *Curandum ut rectorem subditis matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina.* Et paulò post. *Sollicitâ circumspectione providendum, ne ut districtio rigida, aut pietas sit remissa, &c. Erga subditos suos inepte rectoribus debet & juste consolans misericordia, & pie saviens disciplina.* Aliâ figurâ utriusque virtutis conjugium probat per arcam. *In qua* (inquit) *cum tabulis virga simul & manna est, quia tum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore est, si est virga restrictionis, sit & manna dulcedinis. Hinc David ait, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, baculo sustentamur: si ergò est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans, zelus sed non immoderatè sæviens, sit pietas sed non plusquam expediat, parcè: ut dum in arce regiminis nostri tria clementiaq; permisceat, is qui præest, eorum subditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.*

II. Utriusque hujus virtutis defectu quas pœnas incurrerit Sacerdos, Heli testatur lib. 1. Regum cap 2. vers 16. Quamvis enim, quoad mores suos fuerit irreprehensibilis, nec tacitus filiorum suorum flagitia sustinuerit, sed sæpè eos monuerit & arguerit, tamen (inquit S. Basilius proemio ad lib. Emicorum, seu de judicio Dei.) *Quia non eum quem par erat adversum ipsos animi zelum præ se tulit, &c. Non se vehementem nàbuit adversus eos, clementissimi alioqui Dei iracundiam concitavit.* Nam utrumq; filium tuum uno eodemque die trucidatum accepit, populum interfectum, arcà ab hostibus captam. *Atque ad hæc omnia* (inquit) *scriptum legimus ipsum Heli miserabilis admodum exitu vitam terminasse, cùm sibi prius interminatum semel forte omninò, ut illius posteritas ab sacerdotali dignitate submoveretur.* Idem scribit Elias Cretensis Sancti Gregorii Nazianzeni interpres. *Heli filios suos monebat, atque castigabat, sed quia non satis diligenter ac studiosè faciebat, nec ad objurgationem, acrimoniâ, & asperitatem adjungebat, idcirco à Deo contemptus est.* Quomodo castigabat? non verberibus, sed verbis. Sanctus Chrysostomus homilia 9. in 1. epist. ad Corinth cap. 3. *Heli propter filios perit, illos quippe cum acrius coercere ac ulcisci, verbis tantum levibus monuit, quocirca dum illis molestus esse, severa increpatione recusat, & illos, & seipsum una perdidit.*

S. Basilius

Elias Cretens.

S. Chrysostomus

III. Quocirca S. Basilius in regulis fu-

sius disputatis interrogatione 28. differens de illis Prælatis qui segnes sunt & remissi in eos qui malitiosè peccant, nec moniti resipiscunt, ait. *Clementia illa, quâ quis adversum istiusmodi homines utitur, stulta illi Heli indulgentiæ facilitati assimilis est, qua prater Dei voluntatem erga filios suos ille usus fuisse animadvertitur.* S. Basil. Ista Heli & Præsulum lenitas & clementia damnatur nō tantùm à Deo, & ab Ecclesiâ reprobatur, sed etiã à gentilibus. Cùm quidam Charillũ multis encomiis celebrarer, maximè quia erga reos mitis & clemens foret, Archimidas respondit. *Et quâ fronte laudatur aliquis, qui erga sceleratos se mitem prabet? quia sanctæ Principis seu judicis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quàm in bonos crudelitas.* Cato apud Plutarchum dicebat eos judices lapidibus obruendos esse, qui reos pœnis non coercebant, quia ex neglectu pœnæ salus reipublicæ periclitatur. Ratio Senecæ. *Delictorum impunitas homines audaciores facit ad malum, estq; maxima peccandi illecebra, veterem enim ferendo, invitas novam.* Secunda ratio, sicut Rex & Præsul per justitiam profligat fraudes, insidias, & technas inimicorum, quibus profligatis reliquos per misericordiam sibi devincit, & per clementiam mentes subditorum sibi conciliat: seu improbos per justitiam prosternit, & per clementiam probos sibi devincit, ac officiales sibi similes efficit. Tertia Ratio, justitia & clementia sunt quasi duæ bases & columnæ, quæ sustentant quamlibet Rempublicam sivè Ecclesiasticam, sivè civilem, nam justitia cuique jus suum tribuit, pacem init: at clementia omnibus liberalis est, omnium gratiam ac benevolentiam promeretur. Quarta Ratio, justitia & misericordia Deo principem charum reddunt, Deum tutorem ac custodem principis reddunt, & quasi exemplar proponunt. Undè quemadmodum Deus coactus impiorum scelera plectit, sic probus ac pius princeps severus esse debet, ut quasi invitus ad pœnam infligendam propendat. Sic Moyses Numerorum cap. 12. *Num. 12. vers. 13.* vers. 3. *Erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Scilicet istius ætatis, nam Mariæ & Aaroni sibi obtrectantibus & objurgantibus non respondit. Idem Exodi cap. 32. pro populo peccante orat. vers. 9. *Cerno quod populus iste dura cervicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus, & deleam eos.* Et vers. 11. *Moyses autem orabat Dominum Deum suum contra populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti, &c.* Et tamen vers. 27. ait filiis Levi. *Ponat vir gladium super femur suum, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum: fecerunt; filii Levi juxta sermonem Moysi, ceciderunt; que in die illa quasi viginti tria millia hominum.* *Exod. c. 32. v 9. vers. 10.* *vers 11.*

IV. S. Parens Elias clementiâ & severitate præditus fuit, hanc manifestavit lib. 3 Regum cap. 17. vers. 1. dicens Regi Achab. *Vivit Dominus in cujus conspectu sto, si erit annis ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Quæ pœna illico subsecuta est, ut graphicè describit S Chrysostomus homiliâ 2. de Eliâ. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & Lucos despecto Domino coli à sacrilegis provideret, cumq; creatore despecto figmentis se se nemoribusque omnis populus addixisset, Zelo Dei commotus Iudaam terram siccitatis sententiâ, & pluviarum sterilitate addixit: tunc subitò anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt amnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant nocles, dies arescunt, sata torrentur, arbusta torquentur, arbusta ægrotant, &c. iram Dei universa creatura testatur.* Eodem capite suam clementiam patefacit, dum puerum viduæ Sareptanæ ad vitam revocaturus, vers. 11. *Expandit se atque mensus est super puerum.* Vatablus. *Incubuit puero.* Chaldæus. *Coarctavit se super puerum.* Idem præstitit Eliseus lib. 4. Regum cap. 4. vers. 34 volens filium Sunamitidis emortuum matri vivum reddere. *Et incubuit super puerum, posuitq; os suum super os ejus, & oculos super oculos ejus, & manus super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.* Bacchiarius epistolâ *l. 3. Reg. 17. v. 1.* S. Chrysostomus *vers. 11.* *l. 4. Reg. c. 4. v 34.*

de

de recipiendis lapsis pulchrè ait. *In defuncto fratre opus imitare Esaei, manus manibus, pedes pedibus, os ori cõpone, primùm ut cõpatiaris ei, qui mortuus jacet, neque elatius integritatis tua triumpho super extendas te ei. Et si cum membris membra tua fuerint copulata spem capiet resurgendi, ut qui per peccata frigus emortuus est, consolationis tua tepore reducetur ad vitam.* Expende illa verba, *ut compatiaris ei.* Item, *consolationis tua tepore reducetur ad vitam.* Quasi diceret, dum superior reum increpat ei compatiatur, dum eum condemnat condoleat. Et sanctus Chrysostomus homilia 17. in Genesim. *Quando reos condemnamus, non tam crudeliter illis loquamur, neque ferinâ in illos utamur sævitiâ: sed longanimiter & misericorditer agamus, utpotè nostra ipsorum membra condemnaturi.*

Bacchiarius.

S. Chrysostomus

V. Idem S. Propheta cap. 18. postquam vers. 40. *Dixit, apprehendite Prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem, & interfecit eos ibi.* Vers. 41. protinus ad misericordiam convertitur. *Et ait Elias ad Achab, ascende, comede, & bibe, quia sonus multæ pluviæ est.* Cui prædixerat triennalem siccitatem & famem, eidem prænunciat fœcunditatem, quasi diceret, (inquit Cornelius) jam peracta est justa vindicta de impiis idololatris Deo injuriis. Ecce quomodo Deus jam quasi placatus reconciliari cupit Israeli, ac pluviam & fœcunditatem illi denegatam restituere. &c.

3. Reg 18. v. 40

vers. 41.

VI. Eandem clementiam Deus manifestavit Genesis cap. 6. vers. 5. *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, & ait, delebo hominem.* Mittit itaque diluvium, in quo universa facies terræ submersa est, ita ut de eo illud Ovidii canere liceat.

Gen. 6 vers. 5.

Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto (hujus
Indè ejecta malo, culmen tamen altior
Unda tegit. præstatque latent sub gurgite turres.
Jamque mare & tellus nullum discrimen habebant,
Omnia ponitus erant.

Tanti severitati succedit misericordia cap. 8. vers. 1. *Recordatus Deus Noe & cunctorum animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca.* Salianus ad annum mundi 1656. *Vides divinam bonitatem, quæ non solùm hominis justi recordatur: quamquam quid est homo, quod memor sit ejus? sed brutorum etiam, ut eorum captivitate tangatur, & maturet eos pristinæ restituere libertati.* In signum hujus clementiæ Sacer Textus addit. *Adduxit spiritum super terram.* Quis est iste spiritus? S. Ambrosius & Theodoretus respondent esse spiritum sanctum qui ab Ecclesiâ vocatur consolator, ac in fletu solatium.

c. 8. v. 1.

VII. Videamus Apostolum ad Galatas quos cap. 6. v. 1. hortatur ad clementiam. *Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, nè & tu tenteris.* Et tamen 1. Corinth. cap. 4. vers. 1. Ostendit se non carere severitate. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Cap. 5. suam severitatem exercet, vers. 1. eosque reprehendit, quod in incœstu publicè viventem tolerent, quem absens tradit satanæ, monens, ut expurgato vitiorum fermento puri pascha celebrent. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Vers. 2. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit.* Vers. 3. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est.* Vers. 4. *In nomine Domini Jesu-Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu.* Vers. 5. *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Iesu-Christi.* Vers. 6. *Non est bona gloriatio vestra nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Vers. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, &c.* Quibus verbis innuit

Galat. 6 vers. 1.

1. Cor. c. 4. v. 1.

c. 5. v. 1.

vers. 2.

vers. 3.

vers. 4.

vers. 5.

vers. 6.

vers. 7.

quod

quod unus plectitur ut metus aliis incutiatur, conformiter ad leg. C. Jul. repetund. Vel ut delinquens & alii corrigantur. *Pœna in emendationem hominum constituitur*, inquit Paulus l. 20. ff. de pœnit. Vel nè dignitas contempta impunè ad alium contemptum aditum patefaciat, seu. *Nè* (inquit Publius l. 20. §. 15. de pœni) *veterem ferendo injuriam invitet novã.* Vel nè dum Judex reo parcit, plures corrumpat illecebra impunitas. Tuld. lib. 2. de corrupt. judic. cap. 16. Vel ut in provincia universa quieta & pacata sint, quod difficile obtinebitur nisi perversi abscindantur, vel per exilium, vel per mulctam pecuniariam, spoliationem vitæ, boni vel temporalis vel spiritualis, l. 13. ff. de off. præsid.

VIII. Episcopi zelò Eliano, seu potius Apostolico incensi potestatem judiciariam exercuerunt nullâ habitâ ratione personarum, vel temporis. S. Stanislaus Episcopus Cracovienſis Boleslaum Regem Poloniæ ob notam libidinem publicè arguit, in eâ inſordescentem à fidelium communione removit. Apud Surium 19. Maii S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuarienſis die Pentecostes celebraturus petiit an tres falsæ monetæ fabricatores adjudicati ad manuum abscissionem pœnam subiissent, responsum est dilatam esse in crastinum ob reverentiam festi. *Ego* (inquit) *hodie ad altare non accedam, nisi iis ſuſtinuerint pœnam, nàmnegotium ad me respicit.* Hoc dicto statim multas lacrymas fudit pro reis, quibus manus mutilandæ erant, innuens quo zelo justitiæ id dixerit. Peracto supplicio, lotâ facie accedens ad altare. *Nunc* (inquit) *confido, quod ſacrificium de manu mea ſuſcipiet Deus.* Dumque inter sacrificandum hæc verba proferret. *Quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris.* Cunctis videntibus columba candida in eum descendit, alisque expansis silenter remansit ſuper caput ejus usque ad finem missæ. Quidam Episcopus teste Cæsario quadam die Quadragesimę legẽs in psalterio illud psalmi 105. vers. 2. *Quis loquetur potentias Domini.* Ingressus est quidam officiatus justitiæ quærens quid agendum esset de quodam reo. Præsul motus misericordiâ respondit. *Propter ſanctum tempus Quadrageſimæ parce ei.* Judice revertente ut reum liberaret, Præsul reflectens oculos ad psalteriũ dimissum legit hunc versum. *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore.* Quibus lectis, mox judicem revocans. *Diſcute* (inquit) *diligenter cauſam.* Sicque juxta oraculum Davidicum reus supplicio affectus est. Quia ex sancto Leone Papa epist. 9. *Occidere contra legem nemo poteſt, ſervare nemo.* Et C. *eſt onuſta miſeria.* 23 4. 4. *Qui uni indulget indigno plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari. Facultas etiam veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Dumque Judex omnium misereretur pusillanimis est, nam (inquit Lyranus in cap. 20. proverb. vers. 28.) *Miſericordia ſine juſtitia puſillanimitas eſt, ſicut juſtitia ſine miſericordia crudelitas eſt, quæ deſtruunt regem & regnum: ſed miſericordia juſtitiâ ſtimulata, et juſtitia miſericordiâ cuſtodiunt regem & regnum.* Undè Vates Regius psalmo 44. Messiam venturum sic affatur vers. 5. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Scilicet ad plectendos reos & liberandos innocentes. Vers. 7. *Propter veritatem, & manſuetudinẽ, & juſtitiam, & deducet mirabiliter dextera tua.* Vers. 9. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi virga directionis, virga regni tui.* Genebrardus. *Tu tuum regnum ſummâ æquitate & juſtitiâ adminiſtrabis.* Vers. 10. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Genebrardus. *Deus Pater te copioſiore lætitia & gaudio, ideſt fœlicitate ampliore, quàm cuos conſortes cumulabit.* Quod autem hunc justitiæ & fœveritatis gladium in delinquentes evaginarit patet Joannis cap. 2. vers. 14. *Ubi invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes.* Græcus. *Eos qui permutando pecuniam quæſtam faciebant, ſeu permutatores pecuniarum.* Vers. 15. *Et cùm fecisſet quaſi flagellum de funiculis omnes ejecit è templo, &c.* Ex quo justitiæ exercitio noster Sylveira tomo 2. in

Psal. 44. *v.* 5. *vers.* 7. *vers.* 9. *vers.* 10. *Joan.* 2. *v.* 14. *vers.* 15.

Evangelia

Evangelia lib. 4. cap. 2. quæst. 10. numer. 49. colligit cum S. Hieronymo in c. 21. Matthæi quod inter vendentes erant sacerdotes, qui non ab alio criminũ vindice plectuntur & expelluntur, sed ab ipso Domino, & consequenter quod Sacerdotes delinquentes non à judicibus sæcularibus, sed à Domino, seu ejus Vicariis, Romano Pontifice, & Episcopis sunt judicandi, nec aliud tribunal quàm Ecclesiasticum pro discussione causarum Ecclesiasticarum instituendum sit. Idem inferunt post S. Cyrillum lib. 2. cap. 28. Chrysostomum homil. 22. Pius I. epist. 1. Julius I. in rescripto contra Orientales pro Athanasio. Anacletus epist. 2. & eleganter Gregorius VII. lib. 8. epist. 21. apud Gratianum dist. 96. cap. 9. his verbis. *Quis dubitet sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumq; fidelium Patres & Magistros censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit, non solùm in terra, sed etiam in cælis se ligari posse.* Suarez in defensione fidei contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 8. 9. & 10. multa loca juris adducit.

§. 4.

Quartus Color.

Judex maximè Ecclesiasticus nullis Parentum precibus, vel Amicorum obsequiis ab administrandâ Justitiâ abduci debet.

1. Lib. 3. Regum cap 20. postquam Rex Achab Benadab regem Syriæ debellavit ob injurias populo Dei illatas, & Deum variis blasphemiis offensum, Benadab ut cœdem promeritam evitaret Achabi pedibus advolutus dixit, vers. 34. *Civitates, quas tulit pater meus à patre tuo reddam, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit Pater meus in Samariâ, & ego fœderatus recedam à te.* Id est civitates quas pater meus Benadab tulit violenter, & quas Amri pater tuus non potuit recuperare, restituam tibi, & ædificia pulchra, seu loca ampla & vacua, ubi erat forum rerum venalium, & jura provenientia ex rebus venditis reddam tibi. ita ut jura venalium tibi cedam, & inibo tecum fœdus, quod cuncta fideliter tuæ ditioni restituantur. Vers. 35. *Pepigit fœdus & dimisit eum.* Id est, salvum & incolumem remisit eum spe lucri, & avaritiâ impediente nè justitiam administraret. Undè Achab gravissimè peccavit eum dimittendo, illique parcendo spe lucri, maximè cum duas victorias miraculosè de Syro Rege reportasset, ut sic Israel a gladiò Benadab liberaretur. Quæ impietas quantùm Deo displicuerit patet ex vers. 42. ubi Propheta Achabum ita affatur. *Hæc dicit Dominus quia dimisisti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Quasi diceret (inquiunt Rupertus, Lyranus, Dionysius, Cornelius, & alii) quia libertum abire fecisti Benadab regẽ Syriæ qui erat reus mortis, tum ob continuum odium & bellum contra Israelitas, tum præcipuè ob blasphemiam, quâ dixit me esse Deum montium, & non vallium. Hæc enim Deum valdè irritarunt, ut patet vers. 28. *Quia dixerunt Syri Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tuâ, & scietis quia ego sum Dominus.* Occideris pro Benadab, quem occidere debuisti, & populus tuus occidetur pro Syris Benadab subjectis, quos occidere debuisti, id reipsâ contigit, ut patet cap. 20. Subdit Cornelius hoc exemplum neglectę justitiæ, justæque vindictæ notandum, altèque infigendum mentibus Regum & Judicum. *Homicida es eo quod hostem dimiseris.* Inquit S. Chrysostomus orat. 1. contra Judæos. Præcipuè principes Ecclesiastici in rebus gravissimis, & peccatis publicis nullo modo dissimulare debent, vel pacisci cum infidelibus in præjudicium auctoritatis, immunitatis, &c. Ecclesiasticæ, ubi speciale Dei auxilium experti sunt, nè illis con-

l. 3. Reg. 20. v. 34.

vers. 35.

vers. 42.

vers. 28.

tingat idem quod Achabo, qui à Benadab fuit illusus. Nam (inquit Tostatus quæst. 15. in cap. 2. lib 3. Regum.) *Benadab promisit et dare omnes civitates quas acceperat Pater suus de manu Israël, & tamen non reddidit, quia Ramoth Galaad erat una ex istis, & tamen non reddidit eam, sed propter eam pugnavit Achab cum Benadab.*

Tostatus

II. Prudentior fuit S. Parens Elias, nam (inquit S. Chrysostomus homiliâ 2. de S Eliâ.) *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret: cùmque Baal & Lucos despecto Domino colis à sacrilegis prævideret, cumq; creatore despecto figmentis sese nimeribusq; omnis populus addixisset, Zelo Dei commotus Judæam terram siccitatis sententiâ, & pluviarum sterilitate addixit: tunc subitò anhelat terra, siccatur cælũ, sitiunt animes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenus torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, &c. iram Dei universa creatura testatur.* Ejus zelus nulli creaturæ sensibili & insensibili, nec rationali indulget, ut tantâ strage edocti Israelitæ ad meliorẽ frugem, & veri Dei cultum redeant. Pulchrè S. Basilius Seleucius orat. 11. *Quod Judæi in idolorum venerationem inclinarunt; quod auctore vitæ rebello damonibus mortis auctoribus se dedidernnt, proprijs edocti calamitatibus virentem agnoscant.* Ecce sententiæ Elianç motivum Quamvis foret Hebræus oriundus ex Thesbe, vel Thesba vico sito in Tribu Gad inter Jeban & Saron ex Adrichomio in descriptione terræ sanctæ, ex SS. Epiphanio, Dorotheo, Isidoro, Metaphraste, & aliis esset natus in Thesbe. Vel secundùm Hugonem, Lyranum, Tostatum ortus esset in urbe Thebe, in quâ occubuit Abimelech, filius Gedeonis, Judic. cap 9. vers. 50. Seu in Tribu Ephraim juxta Sichem: tamen Deum præ oculis habens lib. 3. Regum cap. 17. vers. 1. dixit Regi Achab. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia.* S. Augustinus lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 15. *Quatenus* (inquit) *qui Deum per mala terrâ exacerbassent cæli clementiâ & aeris commoditate carerent.* Numquid aliquos ex parentelâ suâ à tam miserabili clade eximit? Minimè. *Iram Dei universa creatura testatur.* Non parcit sexui, ætati, conditioni, amicitiæ, propriæ prosapiæ. Undè Scriptura ejus parentes silet, & cognatos, ut ostendat affectum cognatorum ejus zelum non cohibuisse.

S. Chrysostomus

3. Reg. 17. v 1.

S. Aug.

III. Idem deprehendo in historiâ Josue cap. 1. vers. 1. ubi priusquam populi Judex foret electus, filius Num dicebatur. *Factũ est ut loqueretur Dominus ad Iosue filium Num, & diceret ei.* Vers. 10. *Præcepit Iosue Principibus populi dicens: transite per medium castrorum, & imperate populo.* Cur hic supprimit cujus filius sit, & non dicit Textus præcepit Josue filiis Num, &c. Præceptum majus robur habet, cùm mentio fit generis ac nobilitatis illius, qui præcipit, eique facilius obtemperatur. Prosapia Josue præcipientis supprimitur, ut innuat, quod judex ad integritatem & æquitatem servandam debet suæ parentelæ oblivisci, & aures obturare ad importunas parentum & amicorum preces ac intercessiones; sæpè enim parentũm intercessiones judicum mentem ab æquitate deflectunt, judicium subvertunt. Cùm igitur Josue vers. 10. judicem ageret ejus genealogia prætermissa est, nè errasse videretur prosapiæ suæ expressione; & non judicis seu personæ publicæ, sed privatæ partes egisse. Undè Arias Montanus in cap. 2. Josue. *Ex sacri* (inquit) *sermonis observationibus illa una est, ut cum quispiam Patris cognomento appellatur, nisi quid præterea exprimatur, privati hominis locum citra ullam publicam dignitatem tenere intelligatur.* Nomen parentelæ & amicitiæ ita dignitati judicis repugnat, ut sacer Textus eos nomine judicis & officio indignos existimet, qui non ignorant cognationis nomen. Cùm Josue dicitur filius Num, munere judicis non fungitur. Dum Ducis exercet officium non cognominatur Pater.

Iosue c. 1 v. 1.

vers. 10.

Arias Montan.

VI. Sic dum Melchisedech, ideſt *Rex Justitiæ* in scripturâ nominatur, dicitur carere parentelâ & genealogiâ teste Apostolo ad Hebræos cap. 7. vers. 2.

Melchisedech

Heb. c. 7. vers. 2. *Melchisedech primùm quidem, qui interpretatur Rex justitiæ, deindè autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine genealogiâ.* Quærunt Interpretes quis fuerit hic Melchisedech Rex Salem? dum cùm fuerit homo, quomodò dicit Apostolus eum carere genealogiâ, quod soli Adamo id competit. Lyranus secundùm mentem Judæorum asserit fuisse Sem filium Noemi. Quia verò liquet patre & matre non carnisse, ait duplex nomen habuisse, scilicet Sem & Melchisedech, & sub nomine Sem patrem, matrem, & genealogiam referri. At cùm Melchisedech nuncupatur à prædictis nominibus patris, matris, & genealogiæ abstinetur. *Scriptura* (inquit Lyranus) *describit patrem & matrem ipsius Sem, & eius genealogium, sed ad hoc posset dici, quòd scriptura de prædictis non loquitur sub hoc nomine Melchisedech.* Licet idem Sem & Melchisedech nominetur, & dum dicitur Sem patris & matris fiat mentio, tamē dum Melchisedech nuncupatur non absq; mysterio ejus genus siletur, quia *Melchisedech* est *Rex Justitiæ*, seu æquitatis administer, qui genus ignorare debet. Sem patrem novit ut doceat filios in parentes esse debere officiosos. Melchisedech patrem ignorat, ut insinuet judices jus exercentes nullam parentelæ rationē habere debere. *De prædictis Scriptura non loquitur sub hoc nomine Melchisedech.* Ne in eo cognationis affectus justitiam minuisse videatur. Nam cognatio vel provocat gratiam, vel exacerbat odium.

Lyranus:

VII. Hujus rei insigne exemplum nobis subministratur Exodi cap. 2. vers. 11. *Ubi postquam creverat Moyses egressus est ad fratres suos, viditq; afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis.* Vers. 12. *Cumq; circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit in sabulo*, id est interfectū in sabulo. Vers. 13. *Egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitq; ei qui faciebat injuriā, quare percutis proximum tuum.* Vers. 14. *Qui respondit, quis te constituit principem & judicem super nos.* Cur Moysis judicium detrectat? Nonne Hebræus est? Ægyptius ac extraneus critnè aptior Moyse? quia Moyses amat gentem suam, ejusque protectionem suscipit, ejus saluris studiosus est, indignus censetur judicaturâ, nō existimatur idoneus, qui sedeat pro tribunali, non vult Hebræus litigans eum judicem admittere, quem affectu fraternitatis & cognationis motum deprehendit, dum vidit à Moyse Ægytium occisum, qui Hebræo injuriam inferebat. Quia vidit eum blandius loqui sibi quàm Ægyptio, ejus judicium recusat existimans eum partes judicis non impleturum, quamvis Hebræus falsò prætumeret aut suspicaretur Moysem defecturum à justi judicis munere. Tamē hęc repulsa nos docet, eos parum idoneos esse ad officium judicis exercendum, qui nimio erga parentes & cognatos affectu feruntur, ii pro tribunali sedere minus apti sunt, quos amor carnalis fascinavit.

Exod. c. 2. v. 11. vers. 12. vers. 13. vers. 14.

VIII. Regina Esther cap. 15. juxta consilium patrui sui Mardochæi macilentam tridui inediam, ac corporis squallorem sustinuit, lugubribus vestimentis se operuit, tandem pretiosas sumptuosius assumptas duabus comitata puellis regem adit, quam cùm Rex truci aspectu esset intuitus, exanimis corruit, tunc Rex subitò mutatus cap. 15. *Festinus ac metuens exivit de solio & sustentans eam in ulnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur.* Vers. 12. *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.* Cui Esther. *Vidi te Domine quasi Angelum Dei.* Ait, vidi te quasi Angelum Dei, scilicet, dum sederes in throno, quia iudex verus nullum cognationis motum judicaturus habere debet, nullâ carnis illecebrâ illici ad ferendam sententiam, alioqui si fraterno amore feratur, si dicat vide ego sum frater tuus, ego consobrinus, & affinis, festinus è solio egreditur. quia malè conveniunt thronus judicis & amor carnis maximè in Prælato Ecclesiastico. Pulchrè Sanctus Chrysostomus homiliâ 7. in acta loquens de primitivâ Ecclesiâ in terris agente, & ad cœlestem peregrinante. *Hæc erat Angelica Respublica.* Ideòque Prælati instar

Esther c. 15. v. 11 vers. 12.

S. Chrysostomus

Angelorum præesse & iudicare debent. Sæpè miratus sum cur cùm Jacob luctaretur cum Angelo Genesis cap. 32. vers. 25. *Et Angelus videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Et postea. *Angelus benedixit eum in eodem loco.* Cur postquam nervus Jacob emarcuit, stupidusque ac inutilis factus est, benedictionem ei impertivit & non ante? Respondet Thomas Angelicus ibi latere mysterium, scilicet benedictionem ab Angelo datam fuisse, non quia Messiæ Proavus futurus erat, sed quia diu certaverat, non intuitu cognationis cum Messiâ, sed diuturnæ luctæ. *Non ex sobole, sed ex luctatione ac fletu benedictionis munere dignatur.* Priusquam benedictionem Angelicam recipiat nervus fœmoris emarcuit, per quod generationis propago destinatur, proindèque non quia Christi proavus, sed quia constantiâ, justitiâ, aliisque virtutibus conspicuus.

Gen. cap. 23. v. 25

IX. E Contrà Heli summus Sacerdos licet quadraginta annis judicaverit Israel, ut patet cap. 4. vers. 18. lib. 1. Regum, tamen in libro Judicum non recensetur. Hujus omissionis & silentii causam inquirit Rupertus lib. 4. de victoriâ Verbi Dei cap. 10. *Quam ob causam* (inquit) *de numero Judicum tollitur Heli?* Et respondet. *Nimirum propter contemptum verbi Domini, quia in diebus ejus calce abijcere verbum Domini ferè omnibus licentia fuit.* Is in catalogo recenseri non debet, qui judicis partes non explevit, ille judicis nomen non meretur, qui judicis munere ritè functus non est. Illi judicis titulus denegari debet, qui omnes agere cuncta promiscuè permittit, & sic intelligendum est illud lib. Judicũ cap. 21. vers. 24. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat, idest sine reservatione fecit quod voluit.* Nam (inquit Rupertus Heli successit Samsoni in principatu) dicit ergò Sacer Textus quod nullus tunc dominabatur quia nullus judicium exercebat. *Quid* (inquit) *nisi verecundiam sacerdotis accusat, & judicis hujusmodi hoc dicendo. Idem namq; ac si dicat, qui in diebus istis judicabat Israel, etsi secundùm nomen, personamq; aliquis erat, secundùm rem, meritumq; nullus erat.* Istius judicis nomen potius omitti vel deleri debuit, quàm nominari, is è numero & serie judicum expungi debuit, qui vices judicis ritè non obit, qui non laborat pro Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm civilis conservatione & œconomiâ, & subditorum salute, ille honore Pontificis & summi Sacerdotis privatur, qui ignavus est in suo munere obeundo, Ruth. c. 1. v. 1. *In diebus unius judicis, quando judices præerant facta est fames in terra.* Quis fuit hic judex? Josephus, Zonaras, & Magister historiæ Scholasticæ censent fuisse hunc Heli Pontificem. Ratio est quia cum hæc historia narretur post Samsonis obitum, cui Heli in principatum successit, non videtur sub alio judice contingere potuisse. ideò verò non nominatur quia tali nomine ob suam ignaviam indignus erat, dicitur autem homines fame laborasse, ut in populo flagellaret judicis ignaviam.

l. 1. Reg. c. 4. v. 18

Rupert.

Jud. 21. ver. 24

Rupert.

X. Sobna Templi Præfectus, seu secundùm Judæos summus Sacerdos negligens fuit in suo munere obeundo, ut patet ex verbis Isaiæ ipsum arguentis cap. 22. vers. 16. *Quid tu hicᵉ aut quasi quis hic?* Cornelius. *Quid facis in templo Dei ô Sobna? ô homo prophane? ineptus & indignus es hoc loco.* Non interrogat quis sit? sed per contemptum qualiter vivat, qualiter se gerat, innuens eum non verum prælatum, verum judicem, verum Pontificem, sed phantasticum, sed inane Pontificis simulachrum. Undè à sancto Hieronymo ibidem sepulchrum appellatur. *Excidisti* (inquit Textus) *tibi sepulchrum.* Non magis vacas saluti populi, non magis tungeris officio judicis & Pontificis, quam si mortuus esses ac sepultus. Vates ejus negligentiæ pœnas subjungit. Vers. 17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus Gallinaceus & quasi amictum sic sublevabit te.* Vers. 18. *Coronans te tribulatione, quasi pilam mittam te in terram latam & spatiosam.* Idest te relegabit captivum in Babylonem, tuoque de sacerdotio exuet

Isai. 22. vers. 16.

vers. 17.

vers. 18.

tamtà

tantâ facilitate, quantâ Gallus plumis vel homo vestibus denudatur, ut qui prius quasi gallus gallinaceus superbiæ & arrogantiæ si nulacrũ eras titulo pontificis ac judicis gloriabaris, tuo põtificis ac judicis titulo spoliatus intumescere desinas, qui prius tuâ mitrâ auro & gemmis ornatâ superbiebas, & divini Numinis personam gerebas, & quasi officio fungebaris, tribulatione & afflictione coroneris. Seu inquit Cornelius. *Sicut asportatur gallus gallinaceus*, puta castratus, puta capo, *ligatus alis & pedibus, ut vendatur in foro, sic enim satis repræsentat miseram sortem Sobnæ & captivorum, qui abducendi erant in Assyriam.*

Cornel.

XII. Quàm odiosa sit Deo ista acceptatio personarum, & maximè cognatorum præferentia, Christus summus Sacerdos, Pastor & Episcopus animarum nostrarum, supremus Judex vivorum & mortuorum suo exemplo monstravit Joannis cap. 19. vers. 17 cruci affixus charissimo discipulo suo committit Matrem suam. *Ecce Mater tua.* Et converius ad Mariam vers. 26. ait *Ecce filius tuus.* Cùm discipulis in fine vitæ dilectionis suæ signa exhibuerit, Joannis cap 13. vers. 1. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Græcus. *Perfectissimè, seu vehementer dilexit eos.* Noster Sylveira. *Tam magna & præclara amoris signa erga eos ostendit, ut majora esse non possint.* Theophilactus. *Perfectam erga illos charitatem declaravit.* Noster S. Cyrillus lib. 9, in Joannem cap. 1. *Perfectam erga eos dilectionem ostendit.* S. Chrysostomus. *Nihil omisit quod vehementer amantem deceret.* S. Dionysius apud Turrianum lib. 1. de Eucharistia cap 1. *In finem dilexit, ideſt ad summum, quando confecit nobis communionem quâ nos ad summum cum divinâ carne suâ uniret.* Idest in finem & in summam amoris dilexit nos, quando venerabili Eucharistiæ Sacramento instituto nos secum copulavit. Ut Os aureum homiliâ 43. in Joannem insinuat. *Cùm amorem suum Deus indicare vellet per corpus suum se nobis commiscuit atque in unum redegit, ut corpus cum capite uniretur,* Quibus accinere videtur Vates Regius Psalm. 4. vers. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo à fructu frumenti, vini, &c.* Hebræus. *Elevatum est instar signi atque vexilli lumen vultus tui, igneus amor tuus dedisti lætitiam in corde meo.* O Domine instar signi ac vexilli elevatus est amor tuus ignitus, dedistique lætitiam in corde meo, ex eo quod filii Ecclesiæ cœlesti frumento ac vino multiplicati sunt, ubi intervenit fructus frumenti ac vini tuus divinus amor fuit instar signi ac vexilli. Hoc Sacramentum Eucharistiæ esse summam ac vexillum amoris divini testatur Sponsa Cant. cap 5. vers. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus.* Quidã Rabbi vertunt. *Vexillatus ex millibus.* Nõster Sylveira tomo 5. in Evangelia lib. 7. cap. 20. quæst. 15. num 118. *Cum speciebus panis occultatur tanquam nive dealbatur. At cùm ibi vehemente amoris flammâ accenditur, rubescit exterius, tanquam nive dealbatus apparet, intus verò tanquam igne inflammatus totus rubicundus conspicitur, candidus & rubicundus, id autem quod sequitur vexillatus ex millibus, ac si dicatur ab Ecclesia, dum dilectus meus candidus & rubicundus est in Sacramento altaris, vexillatus est ex millibus, seu mille vexillis est insignitus ac conspicitur, quibus fulget ac niteat super universa opera, ac sic in hoc sacramento amor suus vexilla erexerit ac collocaverit.* Ecce quomodò Christus discipulis & Ecclesiæ suæ sponsæ majora dilectionis signa manifestavit in fine vitæ suæ instituendo & relinquendo illis Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, at è contra in fine vitæ suæ Mariã charissimam Genitricem suam privat titulo Matris, & scriptum nomine filii, *Mulier ecce filius tuus*, Non dicit Mater ecce filius tuus. Respondet Ammonius Alexandrinus in harmoniâ Evangelicâ. *Commendabat Jesus Mariam Genitricem cruci vicinam Joanni discipulo mulierem appellans, ne quid affectibus humanis tribuere videretur, qui Patris cœlestis iam ageret negotium.* Quasi diceret, Christus in cruce humanæ salutis agebat. negotium sibi à Patre commissum. Undè Mariam nõ

Psal 4. vers 7.

Cant. 5. vers. 10.

Sylveira

Ammon. Alexan.

Matrem sed mulierem vocat. Ubi enim Dei & salutis causa agitur nullius carnalis affectus ratio habenda est, quando judex & Prælatus pro tribunali sedet, omnem personarum acceptionem removere debet, & solus Deus spectandus. Naxera in cap. 1. Josue vers. 10. §. 10. num. 279. quærit. *Cur Dominus piissimâ ante mortem orbatur matre? Cur parentem intolerando dolore sauciat servum illi pro filio tradens. Mater patibulato filio præsens condolet, ignominiam crucis non refugit, sed morienti fidelis adest, & filius ante mortem quodammodo se abdicat Matre. Respondet, Christus Matrem non repudiat, sed Ecclesiam instruit, Ioanni tradit, quia inter latrones medius judicis personam gerit, ut ij, ministros iustitiæ doceat omni cognatione ac parentelâ carere, cùm causas examinant, ac sententiam dicunt. Ioannis Matrem protinùs commendat, sejj, quodammodo illâ prevat: Nam licet Christus nequeat ab æquitate deflectere, nec sanctissima Mater possit legibus adversari, Matre tamen prudenter orbatur ut judices erudiat in iustitiæ causis omni cognationis titulo denudari.* Naxera:

Quod firmatur auctoritate Theodoreti apud D. Thomam in cap. 15. Marci. *Iudicium erant duo latrones duorum populorum, scilicet Iudaici & Gentilis. Ambo namq, iniqui gentilis quidem tanquam legem naturalem prætergrediens. Iudaicus verò scriptam legem quam ei tradiderat Dominus, sed Gentilis pœnitens; Iudaicus usque in finem blasphemus, in quorum medio crucifigitur Dominus.* Illi arridens sanctus Hieronymus in idem cap. 15. Marci. *Cum iniquis veritas deputata unum reliquit ad sinistram, alterum assumit ad dexteram sicut in die judicii.* Christus hominum & Angelorum Rex ut patet ex titulo Crucis, medius inter populum Judaicum & Gentilem pendet è cruce ex quâ tanquam è tribunali, seu regio throno priusquam sententiam proferat, ac à dextris suspenso & pœnitenti sententiam proferens dicat, Lucæ cap. 23. vers. 43. *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.* Sanctus Chrysostomus homil. de cœco nato *Iustitiæ statera latroni primum in Paradisum ingressum promisit.* Cùm igitur Jesus Cruci affixus negotium nostræ redemptionis adimplens quasi pro tribunali sederet, Mariam virginem alloquens non Matrem, sed nomine universali mulierem appellat, ut doceat judices ab aspectu & compellatione carnis & sanguinis abstinere debere, ut officii sui partes ritè obeant.

Theodoretus.

Luc. 23. vers. 43. S. Chrysostomus

Cur Joanni charissimo discipulo suo Matris custodiam tradens, non eidem regimen Ecclesiæ committit, sed Petro: cùm Beatissima Virgo sit excellentior Ecclesiâ universâ, ut ipsemet asserit Ecclesiastici cap. 24. vers. 16. *Et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Et Proverb. cap. 31. Sapiens eam affatur. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu es supergressa universas.* S. Ephrem orat. de B. Virgine appellat. *Reginam omnium, Dominam, Principem, atque Reginam præstantissimam, & per quam benedictam, dominarum dominam purissimam,* Item. *Dominam ac Reginam cunctis sublimiorem, Reginam supernorum civium, & Dominam Angelorum.* S. Athanasius sermone de Virgine rationem hanc affert. *Quia Christus Rex est & Dominus, Mater quæ eum genuit, & Regina & Domina verè censetur.* Sanctus Antoninus parte 4. tit. 5. cap. 10. §. 2. explicans illud Ecclesiastici cap. 24 vers. 15. *Et in Ierusalem potestas mea.* Ait per Jerusalem accipi Ecclesiam. *Quoniam Ecclesia jure sub pedibus est Virginis, quia non tantùm sub eius patrocinio, verum etiam sub eius dominatione ac potestate. Ergò cum sit pars secundùm Christum omnium nobilissima, per quam Deus suã & in homines misericordiam peculiarì ratione exercet, præcipuè commemoranda videbatur.* Cùm (inquam) Maria omnes justos, totam Ecclesiam gratiæ donis superet, eidem Joannes cum Ecclesiâ non committitur? Cur etiam Christus promissurus Petro Ecclesiæ regimẽ & clavum præmittit examen, Petrum interrogat tertiò Joannis cap. 21. vers. 15. *Simon Ioannis diligis me plus his.* Vers. 16. *Simon Ioannis diligis me, &c.* His interrogationibus docet neminem ad Ecclesiasticam dignitatem promovendum esse nisi prævio longo meritorum examine ac discussione

XII.

S. Ephrẽ

S. Athanas

S. Anton.

tione naturæ. Id mellifluè S. Bernardus sermone 76. in Cantica explicat. *Non otiosè rogasses repetitum est Petre amas me in commissione ovium. Ego id significatum puto, ac si dixisset Iesus, nisi testimonium tibi perhibente conscientiâ quod me ames, & valdè, perfectè q; ames, hoc est plusquam tuos, plusquam te, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est.* Ponderanda illa verba. *Plusquam tuos, plusquam te.* Quibus innuit Petrum & omnes alios ad prælaturas electos in beneficiis conferendis, ac pœnis infligendis potius Deum, quàm sua commoda, quàm suos cognatos & affines, quàm seipsos præ oculis habere debere, fugiendumque esse omnem immoderatum affectum in sua, in suos, in se.

S. Bernardus.

XIII. Exemplo Christi tunc Ecclesia benè regitur cùm Prælati familiaribus, & consanguineis officia, beneficia curâ animarũ habentia, minus dignis conferunt relictis dignioribus & magis idoneis. Eleganter S. Leo serm 2. in anniversario suæ assump. de summo Pontificatu id perpendit. *Denique huius divini Sacerdotii sacramentum non per generationum tramitem currit, nec quod carne nec sanguis creavit, eligitur: sed cassante privilegio patrum, & familiarium ordine prætermisso eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit.* Idest in electione Prælatorum & Judicum, Ecclesiæ potestatem ligandi atque solvendi habentium, non attenditur sanguinis & cognationis suffragium, sed Spiritus sancti dictamẽ. Undè de Prælatis ejusmodi canit Ecclesia cum Vate Regio psalmo 109. vers. 6. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Non dicit secundùm ordinem Aaron, sed *secundùm ordinem Melchisedech.* Quia sacerdotium per familiam propinquorum deferebatur; Sacerdotium autem Melchisedech minimè. Undè ab Apostolo ad Hebræos cap. 7. vers. 3. dicitur. *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ.* Glossa interlinearis, *sine genealogiâ, idest non habens prolem. Quia* (inquit noster Sylveira tomo 5. in Evangelia lib. 9. cap. 7. quæst. 1. num. 9. *Verus Antistes sic est absque affectu carnali, ut totus spiritus feratur, ac nullam habeat cognationem.* Illud enim extremæ miseriæ signum est, & Ecclesiæ excidium proximum est, cùm parentes & cognati aliis præferuntur. Hanc calamitatem prænuntiat Isaias cap. 3. vers. 3. *Apprehendet vir fratrem suum, domesticum fratris sui, dicens vestimentum tibi est, Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in illâ die dicens, non sum medicus, & in domo meâ non est panis.* Extrema, Reipublicæ præcipuè Ecclesiasticæ pernicies est, cùm in Prælaturis, officiis, beneficiis consequendis, judiciis ferendis jus propinquitatis & familiaritatis attenditur, non autem prudentiæ ac virtutis. Pro *Non sum medicus*, Septuaginta vertunt. *Non ero Princeps*, Pagninus. *Non ero Dominus*, Arias. *Numero curator*. Pintus. *Non ero ligans*, instar scilicet Chirurgi. Chaldæus. *Non sum dignus ut sim caput, aut princeps* Ex quibus collige Principem, sive Præsulem esse caput, medicum, chirurgum, judicem, cùm habeat jus ligandi atque solvendi. Sanctus Basilius ibi conqueritur de ista parentum, propinquorum, amicorum, domesticorum, familiarium iniquâ præferentiâ. *Non item enim elegit, qui est dignus, sed domesticum & familiarem. Neque qui salutaris esse posset Reipublicæ, sed qui in suâ gente & familiâ, vi facultatum præpolleret. Apprehendet enim, aut, homo fratrem suum, & domesticum patris sui, id quod absit, ut contingat in creatione ac delectu Præsulum Ecclesiæ.* Dicit *absit*, quia hæc universi ordinis & summæ calamitatis ptonosticum est, magnoque dedecore Ecclesia inficitur, cum potius consanguinitatis calculus attenditur in conferendis beneficiis & dignitatibus, & sententiis ferendis quàm probitas & sapientia, & sufficiens panis doctrinæ. Hanc acceptionem personarum in Prælatis sui temporis deprehendebat & carpebat S. Bernardus in declamationibus. *Ille dignus Archidiaconatu utpotè filius principis: magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum est tota Episcopalis progenies.* Quam multæ nunc sunt Episcopatæ familiæ, quàm multi dicunt cum S. Isidoro

S. Leo.

S. Basil.

Sylveira.

Bernard.

Peluſiota

Isaiæ c. 3 vers. 6.

Heb c 7. vers. 3.

Pelusiota lib. 1. epist. 250. *Cœleste Sacerdotium fidei nostræ commissum est ac per lubricum & periculosum iudicium illud corruptum. Ille per vim Episcopatum accepit, & generi suo rerum statum onerat. Ille famulorum gregibus altare obturbat. Hic ad illius familiaritatem se adjungit, & pauperum bona intervertit. Papa quot maculis divinum sacrarium contaminatur?* Quot cognati, quot domestici, quot familiares in sacrarium & patrimonium Christi Crucifixi introducuntur, aliis præferuntur solâ commendatione, soloque titulo parentelæ, familiaritatis, obsequii, &c. quantum defectunt ab Institutore & fundatore Ecclesiæ.

Isidorus Pelusiota

XIV. Christi Cruci titulus appensus erat trilinguis Joannis cap. 19. vers. 20. Erat autem Hebraicè, Græcè, & Latinè, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Syriacus *Hic est Iesus Nazarenus Rex ille Iudæorum, Hebraicè, Ionicè, & Romanè.* Cur non uno & eodem idiomate, sed pluribus conscriptus fuerit titulus, Ratio facti est, ut causa mortis à pluribus cognosceretur. Ratio mystica cur Deus Pater ordinaverit, ut titulus duorum latronum unâ dumtaxat linguâ, Christi verò filii sui pluribus exprimeretur, ut agnosceretur omnium Rex, Salvator, Victima pro omnium salute immolata Vel ut innueret Christi magnalia omnibus linguis esse prædicanda. Sicut in die Pentecostes Actor. cap. 2. *Apparuerunt dispertitæ linguæ.* Vers. 5. Quia, *Erant in Ierusalem erant viri habitantes ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Vel (inquit S. Chrysostomus homiliâ 84. in Joannem) *Ut Christum excusaret.* Et Euthymius: *Hoc notavit, & illi patrocinatus est, quod propter invidiam esset crucifixus.* Idest titulum triplici linguâ scripsit, ut Christi innocentiam ac sanctitatem declararet, eumque crucifixum fuisse ob invidiam Judæorum omnibus nationibus innotesceret. Vel (inquit S. Augustinus in psalm. 384. *Cum Dominus crucifigeretur titulus inscriptus est à Pilato, & positus Rex Iudæorum tribus linguis Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ.* Quæ linguæ in toto orbe maximè excellunt. Vel (inquiunt multi Interpretes apud nostrum Sylveira tomo 1. proœmio in Evangelia cap. 4. num. 14.) *Quia tribus istis linguis Evangelium erat scribendum. Nam S. Matthæus scripsit Hebraicè, S. Marcus Latinè, S. Lucas & S. Ioannes Græcè.* Vel (inquit Theophilactus in cap. 23. Lucæ.) *Hoc symbolum fuit, quod potentissimi Gentium, quales Romani, & sapientissimi, quales Græci, & religiosissimi, quales Hebræi, regno Christi subjiciendi essent.* Nam per Romanos potestas denotatur, per Græcos sapientia, per Hebræos religio, innuens à potentioribus, sapientioribus, & religiosis Christum esse colendum. Vel (inquit Arnoldus Carnotensis de septem verbis in Cruce. Ad illa verba *Pater ignosce illis, &c.* ut ostenderet Christum sanguinem suum fudisse pro omnibus etiam inimicis. *Crucem superhumerale sacrificium oblaturus pro populo humeris imposuit, & plagæ loco rationalis, non solum intra se duodecim filiorum Israel nomina concluserunt, sed totius generis humani opus illud complexum est naturam, sicut & infixus capiti titulus continebat scriptus Græcè, Hebraicè, & Latinè.* Ait Christum ut summum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, & summum Pontificem ex Apostolo ad Hebræos cap. 4, vers. 14. Ornatum superhumerali Crucis, rationali sui sanguinis continuisse in se non solum duodecim tribus Israel, ut olim rationale Aaronis Exodi cap. 28. vers. 10. Sed universum genus humanum expressum per inscriptionem trilinguem, ut significet Christi sanguinem non esse effusum pro uno populo, sed pro toto genere humano. Vel (inquit noster S. Cyrillus Alexandrinus lib. 52. in Joannem cap. 50.) *Divinitus factum est ut trium linguarum, quæ præcipuæ sunt, litteris scriptus fuerit titulus. Omnium enim gentium regnum attribuendum esse significavit.* Scilicet juxta illud Apostoli ad Philippenses cap. 2. vers. 11. *Ut omnis linguâ confiteatur, Quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Cur S. Joannes ait. *Erat autem scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Non verò Latine, Græcè, Hebraicè? Baronius refert quod Romæ titulus Crucis extat secundum ordinem

Ioan. 19. vers. 20.

Act. cap. 2. v. 5.

S. Chrysostomus

Euthym.

S. Aug.

Sylveira

Theoph.

Arnold. Carnot.

S. Cyrill. Alexand.

Phil. c. 2 vers. 11.

sancti

sancti Joannis expressum: ita ut lingua Hebraica primum locum obtineat, Græca secundum, Latina tertium, ac proindè lingua Latina erat propinquior capiti Christi, Hebraica remotior. Ut significaret populum Latinum seu Gentilem licet extraneũ fore proximiorem Christo, seu magis fore participem passionis Christi, quàm Judæum, quamvis Christus ex genere Hebræorum foret oriundus, illis familiaris fuisset, & toto vitæ curriculo cum illis cõversatus. Hanc quæstionem proponit noster Sylveira tomo 4. in Evangelia lib. 6, cap. 5. quæst. 2. num. 18. *Cur populus Hebraicus sit tam separatus*, ac distans à Christo, cùm (ut ipse ait) Matthæi cap. 15. vers. 14. *Venerit ad oves quæ perierant domus Israel* Respondet. *In Cruce erat Dominus* (ut ait D. Augustinus) *sanguine suo formans Ecclesiam. Tempore ergò, quo Ecclesia à Christo construitur ac ædificatur, longè sit populus, qui Ecclesiastica munia carni fœdere confert, populus autem Gentilium, qui meritorũ ordine illa distribuit in proximo ex divino Patris afflatu apponatur, talem enim dispositionẽ in suâ Ecclesiâ prescribit, ac ordinat divinus Magister.* Quãdo igitur justitia distributiva exercenda est, in primis Ecclesiastica officia, beneficia, &c. conferenda sunt, non debet ab Episcopo examinari persona, sed virtus, sed prudentia, non parentela, sed merita, non cognatio, sed ratio dignitatis & prælaturæ, non ex fœdere amicitiæ, vel sanguinis danda, sed secundum dictamen rationis. Imitentur Deum ipsum, qui Apostolatum Judæ proditoris non Josepho, seu Barnabæ consobrino Christi, sed Matthiæ dedit. In eâdem justitiâ distributivâ in pœnis infligendis Episcopus imitetur Canutum Principem qui dum in Mericâ luæ ditionis latrocitantes curasset ultimo supplicio affici, unus ex damnatis exclamavit se esse de Principis Canuti cognatione, & jure sanguinis, vitam postulabat; quo audito Rex ait, Cognato nostro ut honoratior sit locus, sublimiorem parate crucem, ita Crantzius lib. 3. Wandal. cap. 32. Imitetur Brutum Consulem, & Manlium Torquatum, qui teste Valerio Maximo lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 3. liberos suos capite mulctarunt, ut patriæ libertatem cõservarent. Sic Episcopus nullus muneribus ad conferenda beneficia, vel pœnas infligendas inducatur.

Sylveira

XV. Cùm S. Parens Elias hominum flagitia, impietatem ac idololatriam ferre non posset zelo Dei incensus populum prævaricatorem à maximo usque ad minimum fame castigaturus siccitatem nubibus imperat, cœlestia promptuaria claudit, terram infœcundam reddit, lib. 3. Regum cap. 17. vers. 21. *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta verba oris mei.* Eucherius exclamat. *Magna vis Prophetica dignitatis, humanus sermo divinus effectus in terris homo loquitur, & imperio ejus cœlestes obediunt potestates* Non tantùm cœlestes, sed divinæ quodam modo: Nam videtur jure jurando vim Deo inferre. Sanctus Chrysostomus homiliâ de Eliâ id graphicè explicat. Deum enim ita affatur. *Non quando tibi videbitur pœnæ finem facias. Tibi enim pro clementiâ tuâ semper videtur misericorditer agendum, sed tunc quidem quando pro eis oravero, & judicavero, quod dignam animæ suæ curam gerant, probèque resipiscant. Igitur propheticam sententiam reveritus est Deus & honorem iuramento illi dedit.* Et S. Basilius Seleucius ejus coetaneus & familiaris Eliam ita alloquitur. *Esto, cœlum remoraris, quid Dei compescis humanitatem? Esto vel adversum conservos edicta extrabas, quid Dominipotestatem rapis? Nubes coercuisti, at Creatori vel imperium committe: Nequaquam, vivit Dominus, nisi per os meum. Religionis magistrum (inquit) me populo emisisti, doctorem impiæ multitudinis me constituisti da mihi & puniendi potestatem. Novi ego quis Impiis condignus punitionis modus, nisi sit per verbum oris mei. Compulsus Elia potestatem facit Deus, miserans quidem eos, qui dignè puniuntur, reveritus tamen Prophetæ zelum. Elia & illis devinctus universi Dominus quid agat? Sapientia benignitate necessitatem temperans quod usus postulat aggreditur. Dat enim Prophetæ siccitatis potestatem.* Quamvis Vidua

l. 3 Reg. 17. v. 1.

Eucher.

S. Chrysostomus

Basilius Seleuc.

Sareptana esset Gentilis (ut volunt S. Chrysostomus homil. 3. de Eliâ, Tostatus quæst. 24. in cap. 17. lib. 3. Regum, Cornelius, nam Sarepta erat urbs sita inter Tyrum & Sidonem, ac consequenter pœnam famis & siccitatis incurrisset ob idololatriam, tamen propter modicum panis & aquæ sibi porrectum, & hospitalitatem sibi exhibitam, illam Viduam à sententiâ latâ excipit, lib. 3. Regum cap. 17. vers. 14. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in quâ Dominus dabiturus est pluviam super faciem terræ.* Cur ô Elia sententiam revocas? nonne hæc mulier Gentilis est, & idolis addicta? cur ab eâ sententiam sterilitatis avertis? cur toto triennio & sex mensibus ob suam impietatem fame non plectis? si omnes ob cultum idolorum fame plectuntur, cur hæc eximitur? Cur secundùm Eucherium: *Facta est manus viduæ perenne torcular & mota sugiter fundens*? Unicum sententiæ Elianæ motivum revocatorium, est munusculum acceptum à Viduâ, est hospitalitas? Manus communi supplicio quæ ob idololatriam damnata cum cæteris erat, quamvis eodem quo cæteri sit polluta flagitio, tamen quia panem obtulit & hospitium toto tempore famis, miseriam egestatis experta non est, non illam exemit religionis meritum, sed muneris privilegium. S. Basilius Seleucius orat 33. in fine. *Elias ille magnus jure jurando sterilitatem cœlo induxerat & labiis aerem vinxerat, vocemque creaturam addixerat otio. Hic hospita viduæ oleo persuasit, ut fontis instar flueret, & exiguus farinæ modius cum tempore non imminuebatur sed quantùm in usus natura absumebatur, tantùm gratia refundebat.* Quasi diceret, etsi Vidua Sareptana idola coleret sicut alii, tamen communem illam affectionem nō sensit, quia erat *hospita*, apud illam diversebatur, ejus aquâ potabatur, munera sententiæ solverunt pœnam, quâ flagitia merebantur. Quamvis Elias æquus utrobique sit, tamen ex facto viduæ Sareptanæ docemur quomodo munera iudicum, & magnatum iram refrænent ac sententiam revocent.

Eucher.

S. Basil.

Cur lib. 3. Regum cap. 6. vers. 3. Divini & sacerdotes Philisthinorum consulti an remittenda esset arca Domini ad terram Israel, responderunt: *Si remittitis Arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam.* Dionysius. *Nolite dimittere eam inhonoratam*, idest absque muneribus. Nam iuxta commune proverbiū. *Ubi non est munus non est honor.* Undè Oleaster in cap. 20. vers. 12. Exodi transfert ex Hebræo. *Onera patrem tuum & matrem tuam*, scilicet donis ac muneribus, quibus honor parentum illustratur. Hoc sensu loquitur Apostolus 1. Timoth. cap. 5. vers. 3. *Presbyteri duplici honore habeantur.* S. Hieronymus. *Honor in præsentiarum vel pro elemosynâ, vel pro munere accipitur.* Ex hoc patet quod honorare, est muneribus cumulare. Hoc sensu etiam dixit Balac Rex Moabitarum ad Balaam. *Paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi.* Numer. cap. 22. vers. 17. Hebræus *Paratus sum onerare te*, idest onerabo te non fustibus, sed donis & muneribus. Undè Balaam protinus respōdet. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri non poteris immutare verbum Domini.* Vers. 18. Non dicit, si magnis me honoribus affeceris, sed magnis muneribus me cumulaveris, quia honores ibi non discrepant à muneribus. Sic Divini nolunt Arcam remitti vacuam seu inhonoratam, quia sciebant tantam esse munerum vim & efficaciam, ut non solùm ad homines sæculares, sed etiam Prophetas sanctissimos, imò ipsum Deum placandum plurimùm valere, juxta illud vulgatum

Munera crede mihi placant homines, Deosque.

Quare Epicharmius apud Menandrū aiebat nulla munera esse potentiora auro & argento, &c. qui illis abundat cuncta sibi comparabit. *Ager, domus, famuli, argentea vasa, amici, judices, testes dumtaxat largire: nam ipsos etiam Deos habebis obsequentes.* Universarum rerum negotiatio & comparatio fit muneribus. *Ducis* (inquit S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 21. in Episcopum Parmensem.) *post te castra auro potius armata quàm ferro, & sic nummi proferuntur*

XVI.

1. Tim. 5. vers. 1.

S. Hierō.

Num. 22. vers. 17.

Menand.

Petrus Damian.

proferuntur è loculis, tanquam gladii vibrentur è thecis, phalanges planè quæ ſequuntur ad tua ſigna militia, non tam litui buccina, vel tubæ clangor excitat, quàm venia metalli vibrantis excitat, habet enim ut habent ruſtici, pugillum aureum, frangit thurum ferreum.

XVII. Aaron tam diſertus erat, ut ſuâ eloquentiâ Moyſis infantiam ſupplereret, & tamen ad Hebræorum idololatriam ita obtumuit ut elinguis videretur Exodi cap. 32 verſ 5. Quis ô Aaron tuam eloquentiam in balbutiem permutavit? quis te antea diſertum ſic elinguem reddidit? Exiſtimo fuiſſe illud aurum & argentum quod ab Hebræis accepiſti. S. Petrus Damianus citatus. *Acceptis muneribus ſi contra datorem quid agere volumus, mox in ore noſtro verba mollieſcunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubeſcentiâ præpeditur. Mens quippe præcepti munèris conſcia debilitat judicialis cenſuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etſi judicis rectitudo funditus non adimitur, judicandi tamen auctoritas enervatur.* Imò quod adimatur Apoſtolica etiam poteſtas, id patet in impio Judâ proditore apud eundem. *Qui ut exiguæ ſummæ perciperet quantitatem ſub venalitate diſtraxit rerum omnium conditorem, & pro vilis auri pecuniæ auctorem tradidit vitæ.* Et paulo poſt. *Ecce quid utilitatis conferat avaritia, quæ dum fidem hominibus tollit prophetam vertit in magum, ex Apoſtolici culminis apice mergit in tartarum.* Idem S. Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 2. ſerm. 23. notat filios Samuelis ideò exoſos Deo fuiſſe, quia judicium propter munera perverterint, *Filii Samuelis nullum aliud crimen habuiſſe leguntur, niſi quia munera dilexerunt, & quia paterna munditia non ſequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiſerunt plebis Iſraeliticæ principatum. Et notandum, quod cùm de illis ſcriptura dicit, declinaverunt poſt avaritiam, acceperunt munera.* Protinus intulit. *Perverterunt judicium vicinum quippe eſt atque contiguum, ut poſt munus acceptum pervertatur etiã corrupto cenſore indicium.* Ibi notat judicibus corruptis per munera duo mala comitti. Primum eſt, quod in ferendis judiciis cæcutiunt. Secundum, quod in arguendis flagitiis obmuteſcunt. Utrumque malum Deus exprimit Exodi cap. 23. verſ. 8. ubi Deus ait. *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* Et Deuteronomii cap. 16. verſ. 19. *Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Cornelius. *Munerum enim hæc duo ſunt mala, primò ut mentem excæcent, ſecundò ut linguam & ſententiam pronunciandam immutent. Nam primò inclinant affectum. Secundò affectus inclinat & obnubilat rationem & indicium, tertiò inclinat ſententiam in favorem ejus, qui munera dedit.*

Exod. c. 32. v. 5.

Petrus Damian.

Exod. c. 32. v. 8.

Deut. 18 verſ. 19.

Cornel.

Ab hac munerum acceptione, ut Deus olim averteret Sacerdotes, nè malè apud populum audirent, hunc oblationis ritum præſcripſit Levitici cap. 2. verſ. 1. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, fundetq; ſuper eam oleum, & ponet thus.* Verſ. 2. *Ac deferet ad filios Aaron ſacerdotes, quorum unum tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuaviſſimum Domino, &c.* Munera iſta quæ à populo dabantur ſacerdotibus prius offerebantur Deo in tabernaculo, ut ſacerdotibus viderentur data potius à Deo, quàm à populo. Quorſum ille circuitus, cur populus ſuam oblationem non tribuebat immediatè ſacerdotibus? nè ſacerdotes accipiendo erubeſcerent. Hanc reſponſionem mihi ſuppeditat Philo Judæus lib. de præmiis & honoribus ſacerdotũ. *Nè quis è conferentibus exprobret accipienti ſuum beneficium jubentur prius in templum deferre munera, ut tum demùm inde ſacerdotes deſumant. Nam quiſquis non ab homine, ſed à Deo, nunquam non in omnes beneficio munus accipit, ſalvo pudore accipit.* Hac reſponſione docet, quantùm Deus Sacerdotum & Judicum Eccleſiaſticorum, honori ac innocentiæ proſpiceret, quantùm non tantùm eorum inopiæ, ſed etiam verecundiæ ac gloriæ ſuccurreret. Aliam reſponſionem colligo ex verbis ſancti Gregorii Nazianzeni in ſententiis dicentis. *Munera faciunt, ut ſapientes quoque*

Levit. 2 verſ. 1.

verſ. 2.

Philo Judæus.

Gregor. Nazian.

viri hallucinentur, atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur. Ideſt excœcantur. Nam qui munera ab hominibus accipiunt lumine quodammodo privantur, ac in definiendis eorum cauſis judicio privantur.

XIX. Si ſacerdotibus ac judicibus præcipuè Eccleſiaſticis tam perniciola ſit munerum acceptatio, cur Chriſtus Matthæi cap. 8, verſ. 4 dixit leproſo curato. *Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis?* Nonnè palam patravit hoc inſigne miraculum? Cur igitur Chriſtus optat ut ſacerdotes hoc tam præclarum teſtentur miraculum, quaſi remotis arbitris editum? imò cur leproſum egenum jubet ut ſacerdotem compenſet? Auream reſponſionem ſuggerit ſanctus Chryſoſtomus ibi. *Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Sed vade tu, offer in teſtimonium illis.* Non Moyſes præcepit ut mundatus à leprâ offerat munus ſacerdoti in teſtimonium: ſed ego præcipio tibi, ut offeras ſacerdoti munus in teſtimonium. Quaſi diceret (inquit Celada in Judith. cap. 16. verſ. 22. §. 2. num. 125.) *Etſi miraculum patratum eſt coram tanta hominum frequentia ut oculis viderint meo attactu te mundatum à leprâ, nihilominus ut ſacerdotes credant, vel rei evidentiſſima, tu offer munus, aliàs non crederent: Munere oportet mercari fidem miraculi. Fidem non miraculum redimet ſacerdotum incredulitatem, munerum miraculum miraculo fidem faciet, quod à munere mutuabit credulitatem miraculi. Unde ut manifeſtum miraculum credatur, ait Chriſtus leproſo. Vade offer tuum ſacerdoti in teſtimonium nempè miraculi. Nam à munerum miraculis miraculo faciendæ fides eſt. Et ſanè donis emitur, ut taceant ſacerdotes, nec miraculo obſtrepant, vox enim & laus muneribus empta ſuſpecta eſt.* Idem habet Toſtatus quæſt. 25. *Fuit hoc propter ipſum mandatum: quia ſi non offerret munera, ſacerdotes nunquam judicarent eum mundum, nec reducerent ad communionem cæterorum, licet vere mandatum eſſet à Chriſto. Nunc verò cùm illis munera offerret, non poſſet eam cum repellere.*

Matt. c. 8. v 4.

S. Chryſoſtomus

Celada.

Toſtatus

Quibus verbis noſter Sylveira tomo 2. in Evangelia lib. 5, cap. 20. quæſt. 11. num. 73. ſubnectit. *Quamvis enim mundus maximè ſis, ſi miniſtris ſtipendium ſuum non ſolvas nunquam te mundum & abſolutum indicabunt. Ergò cùm ad ſacerdotes pertineret judicium de mundatione leproſi dare, ſi ipſe munus non offerret, eum nunquam abſolutum judicarent.* Sylveira.

XX. Quantum verò à muneribus abhorruerit, manifeſtavit Lucæ cap. 7. verſ. 44. Cùm enim Phariſæus ipſum invitaſſet ad convivium, ac diſcumberent. *Ecce mulier quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi attulit alabaſtrum unguenti.* S. Gregorius homiliâ 33. *Quia hæc mulier ſuæ turpitudinis maculas reſpexit, lavanda ad fontem cucurrit, convivantes non erubuit: Nam quia ſemetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil credidit quod verecundaretur foris.* Et Aſterius ſermone de pœnitentiâ in bibliothecâ Photii. *Attende* (inquit) *mulierem peccatricem cui non convivarum numerus pudorem incuſſit, quæ tempus confitendi licet importunum in convivio non reliquit, ſed ingenti commota dolore, nec uno quidem temporis momento medicum peccatorum dimiſit.* Verſ. 38. *Stans retrò ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Sedulius lib. 4. Paſchal. cap. 5. *Provoluta veſtigiis nec fletu prolueret, nec crinibus detergere, nec pretioſo quieſcebat unguento pedes oſculans rigare.* Verſ. 39. *Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens. Hic ſi eſſet Propheta ſciret utiq; quæ & quales eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix.* S Gregorius homiliâ 33 in Evangelia. *Phariſæus veraciter apud ſe ſuperbus, & fallaciter juſtus ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de ſubventione.* Chriſtus intima eius penetrans verſ. 40. *Reſpondens Jeſus dixit ad illum, &c.* Verſ. 44. *Et converſus ad mulierem dixit Simoni. Vides hanc mulierem intravi in domum tuam aquam pedibus non dediſti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* Cur Chriſtus oculos

Luc c. 7. verſ. 44.

S. Gregorius.

Aſterius

verſ. 38.

Sedulius

verſ. 39.

S. Gregorius.

verſ. 44.

ad peccatricem mulierem convertit? Nunquid potius ab ea oculos avertere debuisset, & ad Pharisæum convertere, eumque potius laudare ob opiparum convivium sibi exhibitum, illique grates rependere? nonnè potius mulier corripienda erat ob anteactam vitam, pravos mores conversationem scandalosam? Respondet exclamando Naxera in Josue cap. 1. Naxera. vers. 8. §. 48. num. 239. *O miram Domini providentiam! ô novas erudiendi hominis artes! oculos avertit à mensa, quâ pascebatur convivantem capturus, quasi reprehendere nequeat Pharisæum, mensam & munera aspiciens. Pharisæus & Christo delitias offert, & in ipsum peccat, sed ea munerum vis est, ut quo nos doceat Christus oculos à mensa avertat, cibi præbitorem objurgaturus. Sic Pharisæus retunditur* (inquit Gregorius in caten.) *scilicet avertendo oculos à munere. Christum munera non excæcant, nec à justitiæ semita exorbitare, vel tantillùm suadebunt. Verùm ut quantam vim munera habeant, discamus superbiam retundens oculos avertit à munere, quasi visa munera lingua verba aspera eripiat. Sic Pharisæus retunditur, scilicet avertendo oculos à munere.* Perpendant Magnates & Judices tam Ecclesiastici quam Laici instar Christi in judiciis ferendis oculos avertere à muneribus, ab epulis, &c. Sæpè illud Isaiæ cap. 5. vers. 23. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi auferetis ab eo. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis & calor flamma exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum, ut pulvis ascendet.* Audiant illud Deuteronomii cap. 27. vers. 25. *Maledictus qui accipit munera ut percutiat animam sanguinis innocentis.* Imitantur Martinum Cardinalem Prætyterum, qui (inquit S. Bernardus lib. 4. de consider.) legatione functus in Dacia cùm pauper rediret, Romam ab Episcopo Florentino equum socio necessarium accepit, eundemque restituit donatori, ex quo cognovit ab datore muneris causam in Curiâ Apostolicâ ventilatum habuisse.

Isai. c. 5. vers. 23. Deut. 27 vers. 25.

CAPUT VI.

Episcopale Jus est posse pro tribunali sedere, ibiq; Christum imitari.

I. CHristum benignitatis ac mansuetudinis magistrum fuisse ipsemet testatur Matthæi cap. 11. vers. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* O Prælati, ô Episcopi non vereamini tollere jugum meum super vos, illo suscepto cognoscetis me non esse rigidum ac severum, sed valdè mitem ac benignum, testatur ferè tota historia Evangelica. Oracula testantur Matthæi cap. 21. vers. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Si venit Christus oleo misericordiæ & mansuetudinis perfusus, quomodò vers. 12. ingressus in templum cœpit *ejicere vendentes & ementes è templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, dicens illis, scriptum est Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis speluncam latronum?* S. Chrysostomus hom. 22. in Joannē. *Non contentus flagello verbis etiam in eos vehitur, neque tantùm illos ejecit: sed etiam evertit mensas, dispergit argentum.* Si rex mansuetus est, quomodò illicò tantum rigorē exercet. Respondeo cum nostro doctissimo Patre Sylveira tomo 4 in Evangelia lib. 6 cap. 11 quæst. 10. numer. 57. Christum Dominum naturâ & indole suâ mitem ac mansuetum Regem fuisse, & talem semper in omnibus operibus & actionibus se exhibuisse, tamen ingressum in templo ad arma & flagella prosiliisse, ut ostendat Prælatis, quod quamdiu illis crimina maximè sacrilegia, simoniæ, & alia flagitia, contra sacrosancta fidei mysteria, ac immunitatem Ecclesiasticam non objiciuntur omnia benignitatis ac mansuetudinis pastoralis argumenta exhibere debent. At cùm prædicta scelera perpetrantur rigidos & severos esse oportet. Duplicem hanc in Christo dotem deprehendit S. Joannes Evangelista Apoc. cap. 5. vers. 7. ubi ait se vidisse in

Matt. c. 11. v. 29. Matt. c. 21. v. 5. S. Chrysostomus. Apoc. 5. vers. 4.

dexterâ sedentis librum signatum septem sigillis, quo perspecto statim in lacrymas effusus est, eo quod non inveniebatur quisquam, qui librum aperire posset. *Et ego flebam multum, quoniam nemo inventus est dignus aperire librum, nec videre eum.* Apostolo sic lacrymanti adfuit unus de senioribus, qui eum consolatus est his verbis, versu 5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum.* Ideſt potens fuit ad aperiendum librum sic signatum. Per eum qui illum librum aperuit, & solvit signacula ejus, omnes Interpretes passim intelligunt Christum. Si Christus apparuit Joanni in specie leonis, quomodò vers. 6. sequenti apparet in specie agni? & si est Leo victor & triumphans, quomodò repræsentatur sub specie agni occisi ac mactati? vers. 6. *Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* S. Ambrosius ait librum illum totius naturæ humanæ, seu Adami & filiorum ejus seriem & chronologiam, septem sigilla, septem mundi ætates esse. Aureolus, Lyranus, Oecumenius existimant esse librum præscientiæ, providentiæ, ac prædestinationis æternæ, quæ nobis clausa est. Septem sigilla (sunt inquit Prado in Ezechielem cap. 2. vers. 10.) septem graviores Ecclesiæ calamitates. Alcazar putat esse ipsam partem Apocalypsis, septem sigillis, ideſt mysteriis insignitam. Andræas Cæsarienſis docet hunc librum esse Dei decretum & memoriam ubi omnes homines descripti sunt. Liber iste (inquit Maldonatus apud Cornelium) est scientia Dei, ut patet ex cap. 6. Dicitur scriptus intus & foris, quia scientia Dei perfectissima est, vel quia crescere nequit, & à solo Christo explicari potest. Aureolus illi arridens ait librum illum esse divinæ sapientiæ arcanum. Origenes homil. 12. in Exodum. Eusebius lib. 8. de demonstratione cap. 2. S. Hieronymus in cap. 22. Isaiæ. Ansbertus, Anselmus, Beda, Haymo, Andræas, Hugo, Rupertus, Richardus, Ticonius arbitrantur esse sacram Scripturam, sivè oracula tam veteris, quam novi testamenti. S. Hilarius præfatione in psalmos contendit librum illum esse Christum, eo quod Christus sit hujus libri materia & argumentum, septem sigilla sunt præcipua Christi mysteria, Incarnatio, Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus sancti, secundus ejus Adventus in iudicio finali, seu secundùm Petrum Damianum serm. de S. Lucâ Evangelistâ. *Sunt septem Sacramenta, quibus totus ordo dispensationis Dominicæ impletur, videlicet Incarnatio Domini, Nativitas, Passio, Resurrectio, ad cælos Ascensio, deindè Iudicium, postremò regnum.* Vel denique liber ille secundùm Pannonium, Riberam, Aretam, Lyranum, Dionysiũ, Pererium, Pradonem, Viegam, Cornelium, est ipsa Apocalypsis, oracula & mysteria in divinâ præscientiâ, providentiâ, & prædestinatione continens, maximè quæ tempore Anti-Christi, & ejus antagonistarum SS. Eliæ & Enoch continget. Seu potiùs secundùm mentem sancti Bernardi sermone 1. de Paschate, septem sigilla ejus libri sunt septem mysteria, quæ Christi divinitatem & sapientiã celarunt. Primum est Matris cum Joseph desponsatio. Secundum, corporis Christi infirmitas. Tertium, Circumcisio. Quartum, fuga in Ægyptum. Quintum, tentatio Diaboli. Sextum, Crucis scandalum. Septimum, sepultura. Quæ omnia Christus resurgens resolvit. Quamdiu liber ille clausus est, & signacula ejus soluta non sunt Christus dicitur agnus: dum autem aperitur vocatur leo. *Leonem* (inquit S. Bernardus loco citato.) *Ioannes audiverat, & agnum vidit. Denique dignus est, aiunt seniores, agnus qui occisus est accipere fortitudinem, ut & agnus maneat & Leo sit.* Ideſt non amisit innatam mansuetudinem ovinam, sed quando liber apertus fuit absconditam fortitudinem patefecit, quâ universas hostiles turmas expugnavit, juxta illud Abacuc cap. 3. vers. 4. *Ibi abscondita est fortitudo eius ante faciem ejus ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes ejus.* Septuaginta. *Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Tigurina. *Illic latibulum fortitudinis ejus.* Pagninus. *Ibi fidit absconsio fortitudinis* Abac. 3. vers. 4.

tudinis ejus. Vatablus. *Ibi fuit revelata, & detecta fortitudo ejus quæ erat abscondita.* Ubi vulgata ait. *Ante faciem ejus ibit mors, &c.* Septuaginta vertūt. *Ante faciem eius præcedet ruina, & ad pedes ejus sequentur maxima volatilium.* Chaldæus. *Ab ejus conspectu emissus est Angelus mortis, & prodiit in flamma ignis verbum eius.* Tigurina. *Faciem ejus antecedit lues, & egressa est deflagratio ad pedes eius.* Ecce quomodò Christus & agnus, & Leo est. Agnus mitissimus, leo fortissimus, agnus ignoscens, leo vincens: agnus non nocens leo irremissibiliter plectens. Supremus ille Pontifex futurorum sæculorum posteros suos, & maximè Præsules docere voluit, quod quamdiu suorum subditorum perfectam notitiam non habent, quamdiu eorum delicta ipsis non innotescunt, mansueti sint agni, at verò cùm liber aperitur, cùm crimina apparent, & ad eorum notitiam perveniunt, prius absconditam fortitudinem in mediū producant, in illis puniendis leoninam generositatem manifestent peccata, occulta dissimulent, cognita & publica castigent. Rectè Cassiodorus lib. 3. variarum. *Benignitate peccata occulta abscondenda, benignitas verò delictis publicis denegenda.* Imitari debet Dominum de quo Lucæ cap. 16. v. 1. qui ubi accepit quod omnium ore versabatur sua bona dissipata esse à villico. *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocavit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare.* Priusquam Villicus diffamaretur siluit Dominus, at ubi fama pervenit ad ipsum, quod villicus dissipasset bona, non amplius dissimulavit, ubi ejus infidelitatem audivit esse omnibus notam, illam examinavit, sibi exactam omnium bonorum & administrationis rationē reddi voluit, & ubi reum cognovit condemnavit, omnemque villicationem ab eo abstulit. Accipe aurea verba sancti Chrysologi sermone 125. *Quæ pietate velabat, quærere tunc cæpit quando accusabat terra.* Quamdiu hominibus occulta fuerunt se mansuetum quasi agnum se exhibuit, at ubi ad omnium aures pervenit non amplius dissimulandum, sed leoninam generositatem ac fortitudinem in villico plectendo esse manifestandam. Mirantur Interpretes cur Christus in passione suâ iusserit emi gladium, & si pecunia deficeret pro illo comparando discipuli tunicam oppignorarent, venderent, Lucæ cap. 22 v. 36. *Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Luc. 22. vers. 36. S. Ambrosius ibi introducit Petrum respondentem, cur tam sæpè mansuetudinem commendârit, & ipsos nimiæ severitatis erga Samaritas arguerit, imò ipsum Petrum à cæde inferendâ deflexerit, ferientem corripuerit, gladiumque in vaginam cōvertere jusserit, & nunc gladium comparari jubet. *Cur ô Domine emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes, cur habere præcipis, quod vetas promi?* Si mansuetudinem tanto studio cōmendas & sectaris, cur severitatis instrumentis me instrui præcipis? quia Christus erga tortores primę suæ crucifixionis agnus mansuetus apparere voluit. *Tanquam agnus coram tondente se obmutescet.* Inquit Isaias cap. 53. vers. 7. Nam in infami illâ tonsione, in quâ non lana & vestis, sed pellis, caro, sanguis, & vita flagellis, clavis, & plagis illi detondebantur, & abradebantur, non gemuit, non conquæstus est, non obstrepuit, non restitit, sed suâ mansuetudine sustinuit universa. Vt observat Guilelmus Glancus Albiensis lib. de anagrāmatismis. De hâc heroicâ Jesu mansuetudine Sanctus Petrus epist. 1. cap. 2 vers. 23. ait. *Cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injustè.* At nunc in peccatores, ipsum iterùm crucifigentes, ut ait Apostolus Hebræis cap. 6. vers. 6. Leoninam speciem exhibet gladio iræ ac justitiæ accingit se ut olim optaverat, seu prænunciaverat Vates Regius Psalm. 44. vers. 4. *Accingere gladio tuo super femur potentissime.* Illum ipsis peccatoribus minatur Psalm. 7. vers. 13 *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit & paravit illum*

Isaiæ 53. vers. 7.

illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Undè quem Matthæus mansuetum vocat cap. 21. vers. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Prophetat Zacharias cap. 9, vers. 9. futurum justum. *Exulta filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi justus & salvator.* Mansuetus in primâ crucifixione, justus in secundâ, mansuetus in peccatores occultos, justus in manifestos & publicos. Hoc gladio voluit muniri suos ministros maximè Principes & Prælatos ad justam de sontibus vindictam sumendam. Undè Christo interroganti Apostolos an haberēt gladium, responsum est Lucæ cap. 22. vers. 38. *Domine ecce duo gladii hic, at ille dixit satis est.* Uno armantur Præ-
Luc. 22. vers. 39 lati ad feriendos pœnis, censuris Ecclesiasticis rebelles ac sceleratos, alterū gerūt Principes Christiani pro defensione Ecclesiæ. Vel duo illi gladii significant duplicem Ecclesiasticam potestatem, temporalem & spiritualem. Audi mellifluum Bernardum lib. 4. de consider. ad Eugenium Papam cap. 3. *Uterq; Ecclesia gladius & spiritualis & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus est.* Po-
Bernard. stea subdit. *Si nullo modo gladius materialis ad te* (scilicet Pontifex) *pertineret dicentibus Apostolis. Ecce duo gladii non respondisset Dominus satis est, sed nimis est, Uterque ergò gladius Ecclesiæ & spiritualis & materialis.* Utriusque hujus gladii mentionem facit Bonifacius 8, in extravagante *Vnam sanctam*, de ma-
Bonifacius 8. joritate & obedientiâ. *Uterque* (inquit) *gladius est in potestate Ecclesiæ, est spiritualis & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus, ille sacerdotis in manu regum & militum, sed ad nutum & patentiam sacerdotis, oportet autem gladium esse sub gladio & auctoritatem temporalem spirituali subiici potestati.* Vel duo illi gladii duo officia significant, quibus Prælati fungi debent, altero ad resecandum malum seu ulciscendum, altero ad tuendum bonum. *Discipulis* (inquit Paschasius lib. 12. in Matthæum) *Christi nec plus sunt necessarii quàm duo gladii, nec minus habere congruit, unum in verbo, quo feriatur quisque, ut vivificetur, alterum quo ulciscatur omnene scelus.* Ecce quàm ingeniosè Christus & mansuetus, & justus dictus est, quàm congruè manus illæ, quæ in Canticis Canticorum tornatiles sunt, plenæ hyacinthis, postea armatæ videntur gladio & quidem duplici, quem & gestare debent Prælati juxta illud vaticinium Davidicum psalm 149. *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis* Præfatas virtutes scilicet mansuetudinem & severitatem fore in Christo, ejusque successoribus necessarias esse mysticè demonstratū est. Nam Matthæi cap. 3. vers. 16. Christus baptisatus, *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Sanctus Ambrosius lib. 2 de Deo uno. *Vidit Spiritum sanctum descendentem de cœlo, & manentem in eo.* At Act. cap. 2. vers. 3. De eodem Spiritu sancto, *Apparuerunt dispertita lingua tanquam ignis, sedit q; super singulos eorum.* Cur modò in specie columbæ modò in formâ ignis apparet Spiritus sanctus? ut innuat Christum & Prælatos non tantùm lenitate & mansuetudine, sed & severitate præditos esse debere. Per columbæ speciem benignitatem, per formam ignis zeli fervorem ac rigorem insinuat. *Quia* (inquit) S. Gregorius 3. part. pastoralis admonit. 17.) *omnes quos implet & columba simplicitate mansuetos & igne zeli ardentes exhibet.* Undè statim concludit. *Nequaquam ergò sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit.*

Paschas. Matt. 3. vers. 16. Act. cap. 2. v. 3. S. Greg.

Ambabus his virtutibus S. Eliam fuisse insignites præditum testantur sacræ Paginæ, Siracides Ecclesiasticus cap. 48. vers. 1. de ejus potestate sermonem ita instituit. *Et surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Quasi diceret, post quam per annos multos quievit, sedit, quasi taciturus, agnus pacificus ac mansue-

II.

Eccl. 48. vers. 1.

tus

tus, dissimulans peccata hominum prævaricatorum, ut ad cor redirent & pœnitentiâ agerent, vidēs eos peccata peccatis accumulare, suâq; mansuetudine abuti. *Surrexit quasi ignis & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Syriaca versio *Surrexit similis igni, & verbū eius ardens quasi clibanus succensus.* Varablus. *Velut ignis est exortus, & sermo eius instar facis flagravit.* Complutensis. *Verbum ipsius quasi fax urebat.* Faculæ, faci, igni & clibano similis dicitur ob zeli fervorem, justitiæ ac vindictæ severitatem quam in idolatras exercuit: nam tam ardentia verba fundebat, ut flammas eructare videretur, quod nomine Eliæ exprimere voluit. Si enim nomen Hebraicum dicas *El Ia*, ideſt *fortis Deus*, vel secundùm sanctum Hieronymum *Eli*, ideſt, *fortitudo mea.* Cœlestem & planè divinam vim ac potentiam in verbis ac operibus suis exhibuit. Si contendas nomen Eliæ esse Græcum ab ἥλιος ideſt *sol.* Qualis sol? Eccli. c. 43. v. 3. *Sol in meridiano exurit terram & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?* Græcus. *In meridie ejus arefecit terrām, & in conspectu ardoris ejus quis sustinebit?* Tigurina. *Cùm is meridianus torret regiones, quis æstum ipsius sustineat?* Syrus. *In meridie urit terram, & coram ardore eius quis potest stare?* Vers. 4. *Prosequitur fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & resulgens radiis suis obcæcat oculos.* His verbis Siracides arridere videtur quorundam Mathematicorum opinioni, qui existimarunt solem esse naturæ igneæ, ideòque esse verè ignem & fornacem cœlestem, cujus ardor tantus est, ut omnem ignis ardorem excedat, etsi lux ignis est; flamma lux solis est, etiam flamma magis ardens, quam fornax, in quâ vi ignis conflantur lateres, vitrum, metalla, ferrum, æs, stannum, campanæ, tormenta bellica, & alia id genus, ut patet in fornacibus suburbii Leodiensis ita ardentibus, ut speciem ignis infernalis mihi frequenter repræsentaverim, in quibus ferrum liquatur. Solis calor etiam tantus est, ut montes exurat, ut patet in monte Æthnâ, qui à solis ardore exustus igneos amnes, quasi radios exsufflat, patet etiam in aliis montibus, quos Plinius refert lib. 1. cap. 6. Etsi sol non sit lamina seu ferrum candens, ut putavit Anaxagoras. Et si ex potiore sui parte non constet ex igne, ut voluit Plato in Timæo. Uno verbo etsi cœli & astra naturam igneam non participent, ut placuit Platoni & Stoicis, quibus S. Augustinus pluribus locis favere videtur, ut animadvertit Magister sententiarum lib. 2. sentent. distinct. 14. Imò nonnulli alii Patres tam Græci, quàm Latini asseruisse videntur, ut S. Cyrillus Catechesi 9, S. Basilius homil. 3. in Hexameron. S. Chrysostomus homil. 6. in Genesim. Theodoretus quæst. 11 in Genesim. Clemens Romanus lib. 2 recognitionum, Beda, Gennadius, Severianus in Hexameron. Tertullianus lib. de animâ cap. 8. S. Ambrosius lib. 2. Hexameron. Arnobius lib. 2. cap. 8. cōtra gentes. Lactantius lib. 2. cap. 6. Anastasius Sinaita lib. 2. Hexameron. Isidorus lib. 3. Originū cap. 48. Hugo Victorinus in genesim cap. 2. Imò ipsa Ecclesia in Hymno feriæ 4. ad Vesperas.

Quarto die qua flammeam
Solis rotam constituens.

Eliam esse solem testatur ejus nomen, testatur ipse S. Chrysostomus homil. 2. de Eliâ, esse ignem testatur Siracides citato cap. 48. vers. *Surrexit Elias quasi ignis.* Esse fornacem testatur versio Syriaca, *Et verbum ejus quasi clibanus succensus.* Esse jubar exurens in meridie testatur erectum altare in Carmelo lib. 3. Regum cap. 18. cùm victima igne cœlesti assumpta esset, vers. 29, *Postquam transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet.* Vers. 38. *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Ideſt non tantùm victimam ignis cœlestis oratione Eliana evocatus absumpsit, sed etiam lapides, ligna, pulverem, aquam: imò secundum Josephum lib. 8. cap. 13. ipsum locum; ita ut aquæ igni oppositæ arderent, & de Elia illud Cantic. 8. vers. 6, dici possit. *Lampades ejus*

l. 3. Reg. 18. v. 29

vers. 38.

lampades ignis atque flammarum aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Hujus solis ignei effectus magis prodigiosus est, quàm Nehemiæ, de quo libr. 2. Machabæorum cap. 1. vers. 20. Cùm enim in puteo sicco & alto ante captivitatem Babylonicam repositus seu abconditus fuisset ignis Domini, Hebræis reversis in patriam suam, Nehemias loco ignis invenit aquam crassam, quam jussit hauriri. *Et ipsa aquâ aspergi sacrificium, & ligna. Viqúe hoc factum est, & tempus affuit, quo sol resulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, & consumpsit sacrificium, & eo facto ex residuâ aquâ jussit Nehemias lapides majores perfundi. Quod ut factum est; ex his flamma accensa est: sed ex lumine, quod fulsit ab altari, consumpta est.* Quantus zeli Eliani ardor, quanta flamma! sed hanc igneam virtutem ac zelum non minus manifestavit, dum homines fame, ac terram sterilitate arefecit. Hanc severitatem Elianam depingit S. Chrysostomus homil. 2. de Eliâ. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & lucos despecto Domino coli à sacrilegis provideret. Cùmq; Creatore despecto figmentis seje nemoribusq; omnis populus addixisset, Zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententiâ & pluviarum sterilitate adstrinxit. Tunc subitò anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt amnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit. Supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, fata terrentur, arbusta ægrotant, &c.* Quasi diceret; verè ostendit sermonem suum instar taculæ, facis & ignis fuisse, quandoquidem illo emisso statim totanatura flagrarit, aruerit. Nam (inquit idem S. Chrysostomus) *Vix dum exierat sermo ejus, cùm subitò mutatus aer, cælum æneum factum, idemq; sermo in terræ viscera tanquam febris incubuit, & è vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, planta sinum & arbores, &c.* Non tantùm pluviam ardore suo inhibuit ac vim pluendi statuit, sed etiam ignem de cœlis in terrâ ter evocavit. Ecclesiastici cap. 48. vers. 3. *Et dejecit de cælo ignem ter.* Primò in victimam suam ut veri Dei metum ac cultum demonstraret, ut dictum est ex lib. 3. cap. 18. vers. 38 Deindè lib. 4. Regum cap. 3, vers. 10 in duos quinquagenarios. Eandem severitatem non tantùm in populum exercuit, sed etiam in ipsos Reges, *Qui dejecisti* (inquit idem Siracides vers. 6.) *reges ad perniciem, & confregisti potentiam eorum, & gloriosos de lecto suo.* Vatablus. *Qui dederis reges ad interitum, de sede suâ gloriosos, eorumq; potentiam infregeris.* Græcus. *Qui deduxisti reges ad perditionem, & gloriosos de lecto suo.* Idest reges potentissimos temporali & æternâ morte damnavit ob eorum idololatriam & alia flagitia (scilicet Achab cum suâ impiâ uxore Jezabele) ut patet lib. 3. Regum cap. 21. Deinde Ochoziam ob consultum Beelzebub Deum Accaron mortis reum judicavit lib. 4. Regum cap. 1. Joram fratrem Ochoziæ manu Jehu, & totam familiam Achabi lib. 4. Regum cap. 9. extinxit. Deinde alterum Joram filium Josaphat Regis Juda per litteras monuit, eique mortem intentavit lib. 2. Paralipomen. cap. 21. vers. 12. Eandē mansuetudinem & severitatem in ultimo adventu suo manifestabit. Sanctus Joannes Apocal. cap. 11. vers. 4. Elias & Enoch vocat olivas & candelabra. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Si sunt olivæ, quomodò dicuntur candelabra. Quid olivæ & candelabra illa denotant. Olivæ suâ pinguedine ac dulcedine misericordiam, candelabra semper ardentia, semper lucentia severitatē significant. Eliam fore instar olivæ oraculum Ecclesiasticum prænunciat cap. 48. vers. 10. *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Jacob.* Græcus. *Lenire iram ante furorem.* Complutensis, *Ad leniendam iram judicii Domini.* Vatablus. *Ad pacandam iram judicii divini ante furorē.* Scilicet quem exercebit in die judicii in reprobos. Dicitur scriptus ad leniendam iracundiam Domini, quia suis exhortatio-

Eccli. 48 v. 3.

vers. 6.

S. Chrysostomus

exhortationibus populum ad pœnitentiam inducet, illos Deo reconciliabit, & ex vasis iræ faciet vasa misericordiæ. Cui arridet Deus Malachiæ cap. 4. vers. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet cor Patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum.* Et Matthæi cap. 17. vers. 11. *Elias venturus est & restituet omnia.* Idest suâ prædicatione omnes Judæos superstites per prædicationem suam Deo reconciliabit, & efficiet ut imitentur Patriarchas Deum summè diligendo, in eum firmiter credendo, eumque venturum judicem avidè expectando. Vultis ejusdem Eliæ severitatem intueri, audite oraculũ S. Ioannis Apoc. cap. 11. v. 5. *Et si quis voluerit eos nocere ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi, &c.* Idest quemadmodum Elias primo suo adventu se severum exhibuit lib. 4. Regum cap. 1. vers. 10 in duos quinquagenarios, qui palam ipsum irridebant, & igne cœlitus evocato eos absumpsit, non tam oratione quàm imperio, ita ut ignis de ore eius prodire videretur. Sic in fine mundi inseret se publicationibus publicis perfidorum ac impiorũ, ipsamq; regiam Jerosolymam Anti-Christi ingredietur, ibique intrepidè asseret Christum crucifixum esse mundi Redemptorem, Anti-Christum autem esse pseudoprophetam, hominem peccati, filium perditionis, animarum seductorem. Quam loquend libertatem, Civitatum Præfecti non ferentes, eum in vincula conjicient, mactabunt. Et quemadmodum Elias in primo suo adventu precibus, seu imperio siccitatem induxit pluvias conibendo. Sic (inquit Joannes apoc. cad. 11. vers. 6.) *Habent potestatem claudendi cælum nè pluat diebus prophetiæ ipsorum.* In fine mundi cœlo justitiam indicet, clausstrum inducet, uno verbo sterilitatem, famem, pestem Antichristianis accerset, & sicut olim Moyses certans contra Pharaonem aquas in sanguinem convertit; ita (inquit idem Joannes) *Potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem.* Uno verbo, Elias erit quasi Thaumaturgus *potestatem habens percutere terrã omni plagâ quotiescumque voluerit.* Nam ad libitum imperabit cœlo, terræ, aeri, igni, mari, fluminibus, ventis, ealdēq; & plures alias plagas immittet quã olim Moyses.

III. Quod autem Eliana hæc severitas in primo adventu fuerit Deo grata, innuitur lib. 3. Regum cap. 18. vers. 41. ubi postquam in impios Pseudoprophetas Baalis animadvertit, ac ultrices manus in illos intulit, eodem lib. 3. Regum cap. 18. dixit ad Achab, *Ascende, comede, & bibe, quia sonus multæ pluviæ est.* Hæc illata in impios severitas est tam grata & accepta Deo, ut jam quasi placatus pluviam ac fœcunditatem à triennio & amplius denegatã restituere paret. Ecce auditur sonus venti, vel tonitrui, qui ingentẽ pluviam præire consuevit; ascende, comede, bibe, gaude, exulta, ob tam lætũ pluviæ & fertilitatis nuntium, post deletos Pseudopropheras. Quod ejusdem Eliæ rigor in secundo adventu contra Anti-christi asseclas Deo summè placebit, vaticinatur S. Joannes supra Apoc. cap. 11. vers. 11. postquam enim martyrio affecti fuerint. *Post tres dies, & dimidium temporis spiritus vitæ à Deo intravit in suos & steterunt super pedes eos, &c.* Vers. 12. *Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis, ascendite, & ascenderunt in cœlũ in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Idest omnibus spectantibus, resurgent, voceque cœlitus emissâ dicetur eis, ut publicè in cœlos ascendant, ut gloriâ & aureolâ condecorentur, pro reportatâ victoriâ, & debellatis hostibus tanto zelo, tantũ fortitudine, tantâ severitate.

l. 3. Reg. 18. v. 41

Apoc. 11. vers. 11. vers. 12.

IV. Quis benignitatem cum severitate conjunctam in S. Eliâ improbet, quam ipse Eliseus ejus discipulus approbavit ac peroptavit. Cum enim Elias proximus raptui esset, lib. 4. Regum cap. 2. vers. 8. dixit discipulo Eliseo. *Postula quod vis, & faciam tibi antequam tollar à te.* In signum amicitiæ, volo tibi gratificari, & à Deo aliquod auxilium speciale impetrare, ut munere tibi imposito, titè perfungi queas, vers. 9. *Dixitq; Eliseus obsecro,*

4. Reg. 2. v. 8.

ut fiat in me duplex spiritus tuus. Quid per duplicem spiritum intelligis, ô Eliśce? Theodoretus quæst. 7. quidam Græci (inquit) accipiunt duplò majorem, scilicet prophetiæ & miraculorum. Et S. Petrus Damianus serm. 2. de Nativitate sancti Joannis Baptistæ. *In Eliseo fuit duplex spiritus, non meritorum cumulo, sed exhibitione miraculorum, quia 24. miracula fecit, cùm Elias fecerit 12. dumtaxat.* Eandem ferè explicationem habent Eucherius, Angelomus, Procopius, Dionysius, Lyranus, Palacius, & Jansenius. Alii per duplicem spiritum accipiunt donum gratiæ gratum facientis, & gratis datæ. Alii spiritum vitæ activæ & contemplativæ. Alii spiritum orationis & mortificationis. Alii cum S. Bernardo sermone 2. & 6. de Ascensione illuminationem intellectus, & affectus purgationem. D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 11, ait esse duplicem prophetiæ gratiam in zelo prædicandi, & propugnandi veram fidem. Sed potius dicendum credo per duplicem spiritũ esse accipiendum multiplicem, validiorem, potentiorem vim ad propagandam Dei fidem, ad debellandos idololatras, & alios peccatores, ad redarguendam impiorum offensam, intrepidè eis in barbam resistendo: uno verbo Eliseus postulat spiritum duplò severiorem, quàm fuerit in Eliâ. Si severitas Eliana non est grata Deo, sed displicet, sed digna correptione est, cur illam postulas? *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Cur non ais. *Obsecro ut non fiat duplex spiritus tuus,* Ut non sim magis severus, sed *ut fiat simplex spiritus tuus.* Non sim ita severus, sed sim mitior, benignior. Absit (inquit Eliseus) nihil enim optabilius mihi videtur, quàm severitas ad coercendos impios. Quod autem sui voti compos effectus fuerit patet ex sacris paginis. Jacobus cap. 5. vers. 7, ait Eliam flagellasse populum fame ac siccitate trium annorum, & sex mensium. *Elias erat similis nobis passibilis, & oratione oravit ut non pluceret super terram & non pluit annos tres & menses sex.* Eliseus verò famem duplò diuturniorem præscripsit. *Veniet* (inquit ille) *fames super terram septem annis.* Dionysius. *Dominus venire jubebit in ultionem idololatriæ aliorumque scelerum Israel super inhabitatores terræ.* Elias tantùm adultorum flagitia directè punivit, ut patet in Pseudoprophetis Baal lib. 3. Regum cap. 18. duobus quinquagenariis lib. 4. Regum cap. 1. Achabo lib. 4. Regum cap. 22. Jezabele lib. 4. Regum cap. 9. Ochozia lib. 4. Regũ cap. 1. & aliis. At Eliseus non tantùm adultos, sed pueros pœnâ mortis castigat ut patet lib. 4. Regum cap. 2. Ubi 42. pueri ipsum illudentes à duobus ursis è proximo saltu egressis lacerantur, quamvis secundùm nonnullos levitate potius quàm malitiâ peccaverint. Vers. 22. *Qui cum respexisset vidit eos, & maledixit eos in nomine Domini.* Quam sententiam Elisianam S. Justinus Martyr quæst. 80. ad Orthodoxeos vocat severam. *Severitas iis qui sunt inemendabiles utilior est quàm patientia.* Elias quidem quasi judex Achabum & Ochoziam affatus intrepidè seorsim ilum lib. 3. Regum cap. 17, vers. 1, cap. 18. vers. 17. cap. 21. vers. 19. Ochoziam autem jacentem in lecto & proximum morti lib. 4. Regum cap. vers, 16. At Eliseus vocatus ad castra trium Regum, scilicet duorum impiorum Joram filii Achab & Regis Edom, ac pii Josaphati Regis Juda. Duos primos maximè Joram in mediis castris ita intrepidè allocutus est lib. 4. Regum cap. 3. vers. 14. *Quid mihi & tibi est? Vade ad prophetas patris tui & Matris tuæ.* Cornelius. *Mirâ fuit hic dicendi, regem arguendi libertas in Eliseo, digna tanto Propheta & Viris Apostolicis imitanda cùm ab hæreticis Principibus ad temporalia commoda evocantur.* Quod autem hæc in arguendo libertas non elationi, sed zelo justitiæ sit attribuenda innuit Dionysius. *Non ex elatione, sed ex zelo justitiæ dixit hoc sanctus vir abominans impium ut talem, quemadmodum de viro justo fertur in psalmo 14. Ad nihilum deductus in conspectu ejus malignus. Hinc & Philosophis Ethnicis de proprietatibus magnanimi loquens, inter cætera ait, quod sit aspernativus, quoniam aspernatur vitiosos in quantùm*

1. 4. Reg. c. 8. v. 1. Dionys.

Dionys.

salus

l. 4. Reg. 2. v. 22.

tales. Meritò igitur in Ecclesiastico de Eliseo effertur cap. 48. in diebus suis non pertimuit principem & potentiâ nemo vicit illum. Deindè sibi objicit & respondet. *Veruntamen his objici potest, quemam principes, quamvis perfidi, & iniqui sint honorandi propter sui dignitatem officii & tanquam ministri Dei, sicut ad Romanos cap. 13. loquitur Paulus, propter quod Princeps Apostolorũ docet esse obediendum etiam discolis Dominis. Respondetur, quod superioribus in his, quæ ad eorum cathedram pertinent sunt obedientia & reverentia exhibenda in aliis non oportet.* Scio Rabbi Salomonem improbare istam Eliseanam in arguendo rege Joramo libertatem, & ideò spiritum prophetiæ ab eo recessisse. *Spiritus* (inquit) *prophetiæ recesserat ab eo, eo quod exasperatus fuerat contra regem Israel.* Sed hoc delirium refellunt Dionysius, Lyranus, & alii dicentes: Primò illam correctionem ex zelo justitiæ processisse. Secundò, Prophetam ideò jussisse sibi adduci psaltem, ut ostenderet prophetiam non esse donum aliquod habituale, sed actuale, nec adesse mentibus prophetarum ad libitum, sed juxta Dei beneplacitum, & humanâ dispositionem & aptitudinem: possunt enim se disponere ad ejusmodi illuminationem & donum prophetiq recipiendum per devotionem & elevationem mentis. *Quædam enim melodiæ* (inquit Dionysius) *excitant ad compassionem, ad planctum inde nascentem. Hinc tibicines in funeribus carmen lugubre concinnebant. Quædam verò ad audaciam provocant, ut tuba in prœliis. Quædam ad devotionem, ut cantus & organa in divinis.* Porrò ejusmodi correptionem severam Elisei non displicuisse Deo, patet ex eo quod, *Cùm caneret Psaltes facta est super eum manus Domini, & ait facite alveum, &c.* Quâ manuum impositione approbabat correctionem factam regi Joram, seu donum prophetiæ conferebat. Sic Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 4. docet dari gratiam, quando Episcopus super ordinandum manus imponendo ait, accipe Spiritum sanctum. Nam impositio manus significat illapsum Spiritus sancti, quæque obumbrationem & plenitudinẽ, quæ requirit in iis, qui ordinantur, ideòque postulatur & datur in ordinatione, ut scilicet Spiritus sanctus eos corroboret, illuminet, dirigat in omnibus suis ministeriis, quæ ad bonum commune Ecclesiæ pertinent. Ut ex S. Dionysio docent Amalarius lib. 1. de offic. Eccles. cap. 12. Cornelius in cap. 6. vers. 6. Actor. Apost. Benignitatem etiam Eliseus patefacit, dum milites Syros ad se capiendos missos excœcat, ducitque ad regem Israel lib. 4. Regum cap. 6. vers. 22 eosque prohibet percuti, imò benignè & lautè tractari jubet.

Rabbi Salom.

Ex quibus concludo, quod quandoquidem (inquit S. Chrysologus sermon. 145.) *Penes Deum neque pietas sine justitiâ est, neque sine pietate justitiâ cœlesti sensu, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur.* Vatablus. *Si separata fuerint, dilabuntur. æquitas sine bonitate sævitia est, & justitia sine pietate crudelitas. Ergo meritò justus quia pius, & pius quia justus.* Quandoquidem Christus rex mansuetus, & justus fuerit, seu in eo benignitas cum severitate, misericordia cum justitiâ conjuncta fuerit, præclari etiam antiquitatis Heroes maximè Elias & Eliseus modò clementiam, modò severitatem coluerunt. Sic Episcopus & quilibet alius Prælatus, seu Judex debet misericordiam cum justitiâ maritare, modò uti misericordiâ ad dissimulandum, justitiâ ad puniendum. *Habeat* (inquit S. Bernardus epist. 24. ad Hugonem) *charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumque. Plus proficit rigor justitiæ semper feriendus, sed nunquam præceps.* Hanc lenitatem cum asperitate necessariò conjungendam etiam innuit S. Gregorius 2. part. pastoralis cap. 1. *Necesse est* (inquit) *ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnâ se sollicitudine etiam distractior ipse mederetur, quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.* Ubi idem docet Prælatum & matris & patris officio debere fungi, matris indulgendo, patris corrigendo.

V. Chrysol.

S. Bernardus.

S. Greg.

Curandum ut rectorem subditis & matrem pietas & patrem exhibeat disciplina. Ita tamen ut non remitè indulgeat, nec nimis rigidè plectat. *Sollicitâ circumspectione providendum, nè aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.* Ita (inquam) ut dum miseretur sit justus, dum punit misericors, ut miserendo & compatiendo justitiam manifestet, & dum corrigit pietatem ostendat. *Erga subditos suos inesse rectoribus debet, & justè consulens misericordia, piè saviens disciplina.* Sanctus Chrysostomus homiliâ 59 in Genesim ait. Heli sacerdotem debuisse in filios protervos officium medici exercere, ac illâ arte quemlibet superiorem debere pollere. *Quemadmodum medicus si morbum sectionis indigentem, unctione, aut emplastro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat disciplinam; ita & senex ille, cùm deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare, nimiâ usus lenitate illos arguit.* Modò unum, modò alterum remedium à Prælato adhibendum esse Christus significat Lucæ cap. 10. vers. 34. in parabolâ hominis descendentis ab Jerusalem in Jericho & læthaliter à sicariis læsi. Cujus vulnera alligavit Samaritanus iis infundens oleum & vinum. *Alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Cur oleum & vinum infundit? Nunquid oleum sufficiebat vel vinum? Utrumque Samaritanus ille oportunè adhibuit. Quid per Samaritanum significare voluit? Superiorem, seu Prælatum. Per hominem vulneratum in descensu ab Jerusalem in Jericho, subditos delinquentes. Per vinum & oleum, severitatem & misericordiam quas exercere debet. Accipe explicationem tropologicam S. Gregorii supracitati, qui ait vino intelligi severitatem, & oleo benignitatem, quam Prælatus subindè suis subditis adhibere debet. *Per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippè est, ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda est ergò lenitas cum severitate: faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque benignitate solvantur.* Id sanctus Doctor variis documentis confirmat, typo arcæ fœderis, in quâ Manna cum virgâ Aaronis asservabatur. *In quâ urnâ aureâ* (inquit Apostolus Hebr. cap. 9. v. 4) *habens Manna & Virgâ Aaron.* Quorsùm manna cum virgâ conjungitur? Quid virga illa & manna denotant? benignitatem ac severitatem pastoralem. *Ita planè* (inquit) *in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis.* Ambas illas virtutes Pastori necessarias probat ex Psalmo 22. vers. 4. ubi Vates Regius asserit sibi multum profuisse applicationem virgæ & baculi. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quomodò tibi consolamen præbuerunt? quia virga infirmitatem meam fovit, baculo percussit, fovendo non sanasset si non percussisset. *Sit itaque* (inquit S. Gregorius) *amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè saviens: sit pietas, sed non plus, quàm expedit, parcens, ut dum se in arce regiminis justitiâ, clementiâque permisceant qui præest corda subditorum, & terrendo demulceat, & tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.* Nō minus eleganter Samaritani industriam in fundendo vino & oleo, explicat S. Ambrosius lib. 7. in Lucam. *Multa* (inquit) *medicamenta medicus habet iste, quibus sanare consuevit. Sermo ejus medicamentum est, alius ejus sermo constringit vulnera, alius oleo fovet, alius vinum infundit, constringit vulnera austeriore præcepto, fovet remissione peccati, sicut vino compungit denunciatione judicii.* Christi & ejus Vicariorum sermo varia medicamentorum genera habere debent, alia dulcia, alia austera, alia lenia, alia rigida pro diversitate personarum, ac infirmitatum. Quomodò illis severitas & indulgentia necessaria sit, patet speciali exemplo sancti Athanasii de quo S. Gregorius Nazianzenus orat. 27. de ejus laudibus hæc pronunciat. *Ut & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam gravitatem obtineret, nec ore mollities dissoluta*

Luc. 10. vers. 34

S. Greg.

Psal. 22. vers. 4.

S. Greg. Nazian.

soluta, aut severitas rigida & tetrica esset, quin potius illa benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque verò sapientiæ laudem consequeretur. Quasi diceret, in illo Præsule severitatis amaritudinem dulcedo charitatis internæ temperabat, justitiæ acrimoniam suavis benignitas corrigebat, ita ut dum delinquentes duriter corriperet, pœnitentes benignè complecteretur, ac materno quasi gremio foveret.

VI. Quoniam institutum nostrum est de tribunali Ecclesiastico disserere, de Prælatorum severitate hic aliquid etiam dicamus. Mellifluus Bernardus promovendorum ad Episcopatum officia, qualitates referens in judicando æquitatis præcipuè meminit lib. 4. ad Eugenium Papam cap. 4. *Non volentes neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes. Etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus, ut opinor, requievit tuus, qui non sunt attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo, qui adventantium non manus attendant, sed necessitates, qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiã, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordiâ non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissolati, in convivio non effusi, in curâ rei familiaris non anxii, aliena non cupidi, sua non prodigi, ubique & in omnibus circumspecti, qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec jussi renuant, nec non jussi affectent. Qui quo dverecundè excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum* Non contentus dixisse quod præter Deum nihil timere debeant, Bernard.

state viriliter pro afflictis, judicare in æquitate, rigidè procedere ad censuram, esse in judicio rectos, in agendo strenuos, &c. Postea ostendit quomodo in judiciaria potestate exercendâ, & supplicio inferendo si oporteat, debeant imitari Joannem, qui regem Herodem intrepidè arguit: Moysem, qui Ægyptios: Phineem qui fornicantem interfecit: Eliam; qui pseudoprophetas delevit: Eliseũ, qui avaritiam Giezi corripuit: Petrum, qui Ananiæ & uxoris mendacium punivit, Paulum qui in blasphemantes & Christum negantes graviter invectus est. *Qui regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moysem, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliseum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negantibus Christum.* Qui indiscriminatim divinæ legis transgressiones ulciscuntur. *Qui vulgus non spernant, sed doceant, divites non palpent sed terreant, pauperes non gravent sed foveant, minas principum non paveant sed contemnant, &c. Qui duros dure redarguant, & malignantes coerceant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinẽt, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium, injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Illi arridens sanctus Laurentius Justinianus lib. de institutione Prælatorum cap. 15. *Quamvis (inquit) conciliis judiciibus ministriare justitiam postentibus incumbat necessitas, per amplius tamen animarum dixerim imminere pastoribus. Ipsis namq; tanquam cæteris perfectioribus congruit per regiam justitiæ incedere viam, nec à dextris, neque à sinistris mentis gressus ex ea ullatenus declinare.*

Sed numquid alicui ætati, alicui VII.
sexui, alicui statui ignoscendum, indulgendum, vel cum eo dissimulandum? minimè, est medicus ex dictis supra in morbis spiritualibus, corporũ medicos imitari debet. *Illi* (inquit S. Basilius in regulis fusius disputatis interrog. 28.) *quodcunque tandem membrum insanabili morbo correptum invenerint, nè vitium latius proserpat; nevè* S. Basil.

nevè ex contiguo se diffundente contiguas partes corrumpat, illud secando, urendovè tollere funditus soliti sunt. Hanc autem consuetudinem necessariò nos quoque in iis debemus imitari qui præceptis Domini adversantur, impedimentoque sunt: ita enim iussit ipse cùm dixit Matthæi cap. 5. vers. 29. Si oculus tuus dexter scandalisat te erue eum & proijce abs te: quando clementia illa, quâ quis adversum istiusmodi homines utitur, stultæ illi Heli indulgentiæ, facilitati assimilis est, quâ præter Dei voluntatem erga filios suos ille usus fuisse animadvertitur. Et interrogatione 47. *Quod si qui diutius in contumaciâ hæserint, adversus Antistitem clam queruli, nec*
S. Basil. *in apertum voluerint sui mœroris causâ prodere, hi perindè ac discessionis inter fratres exortæ auctores, aut qui certissimam auctoritatem collisserint, & labefactarint, ejus quæ maiorum debetur præceptis, obedientiæ, ac velut rebellionis & inobedientiæ Magistri prorsus à reliquâ fratrum familiâ exigantur. Ejice enim è concilio pestilentem, inquit, & exibit cum eo jurgium Proverb. cap. 22.* Idem interrogatione 50 eandem rationem in objurgationibus servandam præscribit. *In quocumque, quod committatur peccato, tanquam adversus peccatum animo incitari, & in eo acriter vindicando animi sui iustum ardorem præ se ferre.* Interrogatione sequenti iterùm utitur comparatione medici corporalis. *In adhibendis curationibus iis, qui vitioso animi affectu aliquo laborant consuetudine Medicorum debet, ut videlicet ægris non irascatur, sed contra morbum ipsum pugnet, in eoq; impugnando duriore victus ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet, veluti inanem gloriam abjectioribus exercitijs imponendis. Futilem & otiosam loquacitatem, immodicum somnum pervigilio & excubijs rationum, segnitiem corporis laboribus imponendis gravioribus, edacitatem indecoram jejunio, murmurationem à reliquis segregatione, ut videlicet neque ex fratribus quisquam uno cum ipso esse in opere velit, neque opus, quod ipse elaboraverit unà cum reliquis reliquorum misceatur.* Quibus verbis ostendit quomodo Prælati minime debent indulgere Ecclesiasticorum defectus, & scandala, sed etiam penitus rescindere. Hanc nimiam indulgentiam olim exprobrabat sanctus Bernardus Innocentio Papæ epist. 178.
Qui flagitiosi, & contentiosi de populo, sivè de Clero, aut etiam de Monasterijs Bernard.
pulsati currunt ad vos, redeuntes jactant & gestiunt se obtinere tutores, quos magis ultores sensisse debuerant, &c. Proh dolor quos cachinnos res ista movet Ecclesiæ inimicis, eisque etiam ipsis, quorum fortasse metu aut favore à recto tramite amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi ubique in opprobrium veniunt & contemptum, quorum dum rectæ judicia contemnuntur, vestra quoque plurimum derogatur auctoritati.

VIII. Non tantùm auctoritatem Ecclesiasticam, nimia indulgentia minuit, sed etiam gravissimorum suppliciorum ream reddit. Id figuraliter expressum videmus lib. 3. Regum cap. 20. ubi Propheta à socio rogatus, ut
l. 3. Reg. 20. v. 36 se percuteret, renuit, renuens severè damnatur. Vers. 36. *Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me & percutiet te leo. Cùmq; paululùm recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit, sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum, percute me, qui percussit eum & vulneravit.* Hujus punientis commendatur ac laudatur severitas, illius parcentis ac indulgentis damnatur ignavia. Accipe verba sancti Chrysostomi orat. 1. contra Judæos. *Qui percussit Prophetam evasit incolumis, qui pepercit dedit pœnas, nimirùm ut intelligeres in iussis divinis non oportere curiosum esse, examinareq; rerũ, quæ præcipiuntur, naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim nè prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter percute te, sed addidit in verbo Domini, hoc est Deus præcepit, nè quære ulterius, Rex est, qui hanc præscribit legem, revereare iubentis auctoritatem, Summâque ei animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, ideoq; pœnas dedit gravissimas, suoq; exemplo secuturos adhortans, ut quidquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, moremq; gererent in posterùm.* Illi subscribens Dionysius. *Patet* (inquit) *ex dictis quod falsa*

clementia

clementia, præsertim qua vergit in detrimentum boni communis, & derogat juri sit detestanda omni iudici ac prælato. Quare detestanda? quia dum dissimulat Prælati indulgentia subditorũ maximè Ecclesiasticorum peccatum pullulat, serpit, quasi morbus contagiosus. Accipe verba sancti Petri Damiani lib, 1. epist. 6. ubi Nicolaum Pontificem hortans, ait. *Noli pestem hanc per ignaviam ad incrementa producere connivendo grassanti luxuriæ frena laxare. Serpit enim hic morbus ut cancer, & virosa propago ad infinita porrigitur nisi angelica falce quod mox pullulat amputetur. Absit igitur ut sanctum cor vestrum segnis Heli torpor emolliat, &c.* Illi arridens Hugo de S. Victore in allegoriis Godfridi Tilmani ad illa verba Lucæ cap. 22, vers. 36. *Emat gladium.* Subdit. *Hic est gladius spiritualis, quo Prælati vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit, si tamen sui fervoris hæredes existunt.* Undè illis quasi minatur. *Videte igitur ô Pastores quid facitis? Christus in oculis vestris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vaginâ habetis. Quid in Passione Christi fecissetis, qui modò ad percutiendum pigri estis.* Quantùm ejusmodi ignavia pastoralis nocerat innuit iterùm S. Petrus Damianus opus. 57. cap. 3. *Ubi penitus disciplina postponitur ubi districta legitimi rigoris censura reprimitur, necesse est ut prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur.* Quod etiam ipsis Prælatis ejusmodi subditorum culpa nimis indulta imputetur consequenter declarat. *Et in eum procul dubio tota subditorum culpa redundat, quicos nè præcipitanter excederent sub disciplina loco cohibere debuerat. Inordinata nempè pietas Principis, quid est aliud quàm confusio plebis.* Audi qualiter Deus cõminetur ejusmodi pastoribus qui subditorum flagitia dissimulant, nec corrigere student Ezechielis cap. 24. vers. 1. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? lac commedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem non pascebatis. Quod infirmum erat non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis; quod confractum est non alligastis, & quid abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis &c. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod nõ esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt, &c.* Quod oraculum S. Gregorius 2. part. 2. pastoralis cap. 6. ita explanat. *Abjectum reducitur cum quisque in culpa lapsus ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen adstringit cum culpa disciplina deprimit, nè plaga ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat.*

Petrus Damian.

Luc. 22. vers. 36.

Hugo Victorin

S. Greg.

Nec cuiquam Prælato dicere licet se esse indolis timidæ, pacatæ, ideòque ad minas, multò minus ad pœnas se procedere non posse. Illi respondet Siracides Ecclesiastici cap. 7. vers. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Tigurina. *Iudex evadere nè contendas, nè iniquè factis par esse non possis.* Græca & Romana. *Noli quærere fieri iudex, nè fortè non possis auferre iniquitates.* Debet Prælatus ad munus suum ritè obeundum virtute, robore, ac constantiâ animi pollere, ad perrumpendas & tollendas subditorum iniquitates. Plato lib. 2, de legibus, *Princeps ac Magistratus quilibet debet esse prudens ac fortis, prudens nè ex imperitia vulgi iudicio pendeat: fortis, ut qua salutaria sunt constanter exequatur.* Cui subscribens Seneca in sententiis, seu potius ratione confirmans ait. *Bonis nocet, quisquis pepercerit malis, bono iustitiæ proxima est severitas. Vi fulmina paucorum periculo cedunt, multorum metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quàm nocent.* Si solâ mansuetudine præditus es, amicus Dei non es. Episcopi nomine & dignitate indignus es. Sanctus Isidorus Peluſiota lib. 1. epist. 290. *Imperiorum robur ac firmitas Dei amicitia est. Ex quo sequitur eum qui robustè imperium gerit Dei amicum esse. Mihi enim ait scriptura Honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum, quocirca si Dei amicus esse studes, fac robustè præsis, hoc nec muneribus, nec amicitiâ, verum dignitate ac meritò jus præbens.* Quocirca Apostolus discipulum

VIII.

Ezec. 24. vers. 1.

suum Timotheum Episcopum ad severitatem hortabatur epist. 2. cap. 4. vers. 2. *Argue, obsecra, increpa, in omni*
2. Tim. 4. vers. 2. *patientia & doctrina.* Tu ô Episcope, utere omnibus modis, ut errantes ad meliorem frugem reducas. Si orationes & verba doctrinæ non proficiant, argue & arctius increpa. Nam (ut sanctus Innocentius dist. 83.) *Error*, ait: *Error, cui non resistitur approbatur, & veritas cùm non defenditur opprimitur, negligere quippe cùm possis deturbare perversos nihil est aliud quàm fovere,* Si Christi, Eliæ, & Elisei, vestigia sequi reformidas, meis inhærete 1. Co-
1 Cor. c. 4. v. 16. rinth. cap. 4. vers. 16. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Videte quanto zelo, quantâ severitate impios prosequatur. Vers. 21. *Quid vultis in virga veniam ad vos?* Idest (inquiunt sanctus Chrysostomus, Theophilactus, & Anselmus, in severitate correptionis, & potestate puniendi, non tantùm virgam severitatis, & minarum præferebat minando, sed etiam percutiebat, 1. Corinth. cap. 5. vers. 5.
c. 5. v. 5. *Congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Scilicet per censuras. Eandem severitatem se exercuisse in Hymeneum & Alexandrum asserit 1. Timoth. cap. 1. vers. 20. *Ex quibus est Hymeneus & Alexander quos tradidi satanæ,* Idest (inquiunt S. Chrysostomus, Theophilactus, OEcumenius) excommunicavi, ut hoc modo in sanctitate & gratia spiritus permanerēt: Accipe mentem S. Chrysostomi de
S. Chrysostomus excommunicato loquentis.) *Deiiciebantur à communi fidelium cœtu, abscindebantur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus luporum patebat & prodebatur occursibus. sicut enim dudùm nubes Hebræorum castra regebat, ita & Ecclesiam protegebat Spiritus sancti gratia.* Idest, dum more Apostolico Petri & Pauli castigantur, & à cœtu hominū fidelium peccatores abscinduntur à Prælatis, ac quasi nudi, destitutique sunt communibus Ecclesiæ suffragiis, tunc Ecclesia Spiritus sancti gratiam & assistentiam magis experitur. Quomodo tamen benignitatem cum severitate maritare debeat Ecclesia, vide cap. 1. tractat. 2. Hoc præsuppositio videndum an Episcopus habeat aliquod tribunal spirituale, quantum, & quale.

CAPUT VII.

Locus Tribunalis Ecclesiastici & jus dicendi.

I. EPiscopis competere Diœceses, Territoria, sivè Parochias & Ecclesias corum curæ & potestati subjectas colligitur ex cap. *Omnes Basilicæ,* 16, quæst. 7. cap. *cum contingat,* de foro competente, cap. *cùm Episcopus,* de offic Ordin. in 6. Quibus subscribunt Rebuffus in l. *pupillus* §. *territorium,* vers. *tota civitas,* ff. de verb. significat. Socinus tract. de oblation. quæst. 18. num. 63. Troylus tract. de Canoniz. sanctorum, §. *sequitur servandum,* num. 28, & 29. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 8. num. 2. Et in iis jurisdictionem Ecclesiasticam voluntariam & exercere innuit citat. cap. *cùm Episcopus,* & docent Covarruvias in cap. *alma,* part. 1. §. 12. num. 3. Francisc. Emmanuel quæstion. regul. tomo 2. quæst. 63. Suarez in praxi tomo 2. prælud. 1. num. 4. Barbosa supra numer. 3.

II. Illâ jurisdictione ordinariâ sibi cōpetente posse uti in quovis loco suæ Diœcesis, pro tribunali sedere, ibique jus reddere posse docet cap. *cùm Episcopus,* ubi Geminianus num. 13. Gambara de officiō & potest. Legati de Latere lib. 2. tit. *de variis ordinan. nominibus,* num. 168, Bertachinus tract. de Episcopo, lib. 4. part. 5. num. 70. & 71. Cuchus instit. juris canon. lib. 1. cap. 12 vers. *cùm Episcopus,* Bartholomæus Bellencinus tract. de charitativo subsidio quæst. 32. numer. 3. Stephanus discept. forens. cap. 655. numer. 9. & Marchiæ dec. 113. num. 2. in addit. Felianus de Vega in select. rub. de foro compet. num. 13, Barbosa num. 4. Rota Romana in una Placentina decis. 297. vol. 2. divers. Locum tribunalis seu juris dicendi debere

bere esse honestum & ita compositum ut litigantes absque magno incommodo eò loci cõvenire possint declarant Navarrus consil. 3. in antiq. 4. in novis tit. de off. ordin. Sayrus in floribus decis. tit. de off. ordin. & decis. 3. ita ut si Episcopus habens amplissimam Diœcesim, vellet causam cognoscere in loco remotissimo à partibus, possunt partes postulare; ut causa committatur in loco propinquo, quod si denegetur possit appellari, ita Felicianus de Vega in relect. rub. de foro compet. num. 14. Quaranta in summa bullarii verb. *Archiepiscopi auctoritas*, numer. 20. auctorit. 30. Barbosa num. 3. Si tamē majores in loco remoto jus dixerint, potest Episcopus ibidem pro tribunali sedere, modo sit intra territorium, ita Ancharanus cap. *cùm Episcopus*, in 2. nota, de off. ordin. in 6. per text. in l. pœn. ff. de iustit. & jure, & in l. *loeis*, ff. de judic. Unde non tenetur Episcopus ad jus dicendum accedere ad locum delicti, ita l. pœnal. ff. de justit, & iure, ibi salvâ majestate imperii sui, Barbosa num. 5. Ratio est, quia non esset salva maiestas Episcopi, si teneretur jus dicere in loco delicti. Secunda ratio, non judicaret more majorum, sed more inferiorum, Rota decis. 297. numer. 8. part. 2. divers. Andræas Brabatia cap. *nonnulli*, num. 6. Felinus de rescript. docent; quod quando causa est modica & locus judicii valdè distat, potest Episcopus alium delegare, quamvis attento juris rigore possit in quovis loco suæ Diœcesis jurisdictionem exercere, ex cap. *cum Episcopus*, de off ordin.

III. Quod si Episcopus habeat duas Diœceses non potest delinquentem in una Diœcesi extra illam trahere, ita Mandosius consil. 27. num. 6. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 80. num. 5, Sed existens in Diœcesi A, judicare debet causam Diœcesis B, per Vicarium hujus Diœcesis B. Quod si duæ Diœceses sint unitæ, nec obligetur Episcopus retinere duos Vicarios Generales, sed unum; tunc potest in quocumque loco illarum judicare, ut fuisse resolutum in Viterbiensis, seu Tuscanensis Vicarii causâ 13 Martii 1617. refert Barbosa d officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 80. Ratio est quia illæ duæ Diœceses unitæ reputantur quoad Episcopum una Diœcesis exemplo Præsidis duarum Provinciarum, ita Innocentius in cap. Novit. in fine de offic. Legati Paul. de Castro, Jas. Alexand. Angel. & alii in l. final ff. de jurisd. omn. jud. Barb. in l. *unica*, num. 12. C. de Metrop. Beryto lib. 11. Quod si (ut dictum est) causa sit exigua, & locus judicialis valdè distet, tunc si Episcopus accedere nequeat ad locum litigii debet alium delegare, ita Ancharanus in cap. *Nonnulli*, num. 5. de rescript. & in cap. *cum te*, in princ. vers. 2. not. de off. deleg. Antonius de Butr. in cap. *sanè*, in fine de foro compet. & ibi Joannes Andr. num. 5. & Barbat. in cap. *nonnulli*, num. 6. & in princip. & in cap. *dilectus*, num. 59. cum seq. de rescrip. Felinus in cap. ultim. sub num. 2. de judic. Rota decis. 297, quamvis attento juris rigore possit in quolibet loco suæ Diœcesis jurisdictionem exercere, ita cap. *cùm Episcopus*, de officio Ordinarii, & alii. Quod si Vicario vel Officiali, seu locus judicialis sit constitutus, nequit extra illum jus dicere partibus, nisi sit in Comitatu Episcopi, tunc enim potest jus reddere, ubi reperitur cum Episcopo, Ita Zachariasin l, *jus pluribus*, ff. de instit. & jure, Breche in l. *provincialis*. ff. de verb. signific. Barbosa supra numer. 6. Vel nisi ob causam aliquam rationabilem ad alium locum decentem se transferre visum fuerit, ita Sebastianus Vantius de nullit. tit. ex defectu jurisdict. ordin. num. 111. vers. *nisi ex aliqua*, Felicianus de Vega in reject. in rubr. de foro compet. num. 9. Barbosa jam citatus.

Quod si Episcopus sit expulsus à suâ Diœcesi, potest jurisdictionem administrare in alienâ, seu in loco exempto, petitâ, licet non obtentâ licentiâ, juxta Clementinam unicam de foro compet. Cardinalem Zabarellam num. 8, Fridericum de Senis consil. 11. num. 6. Sayrum de censuris lib 2. cap. 21. num. 28. Potest etiam extra jurisdictionem ferre ex-

communicationem non contentiosam: ita Fridericus supra consil. 11. Tuschus verb. *Episcopus*, conclus. 250. num. 5. Ratio est, quia quod est contentiosæ jurisdictionis nequit fieri in alio Territorio, ita Calder. consil. 48 quod est 2. de elect. Tuschus proximè citatus num. 7.

CAPUT VIII.

Potestas Ecclesiastica judicialis etiam in malis Prælatis residet.

I. Libro 3. Regum cap. 19. vers. 5. fertur, quod Elias fugiens à facie Jezabel per desertum, tandem reperta junipero, quasi exanimis, ac viribus corporis destitutus sub illâ obdormivit. *Cùmq; venisset, & sederet subter unam juniperum petivit animæ suæ ut moreretur, projecitq; se & obdormivit in umbra juniperi.* Expende, *projecitq; se.* Non ait inclinavit, nec reclinavit, demisit, deflectit; qui erat debilis, &c. sed *projecit se*, quod verbum secundùm Grammaticos significat aliquam dejectionem, & casum cum impulsu. Virgilius lib. 6. Æneidos.

l. 3. Reg. 19. v. 5.

Virgilius

Projice tela manu.

Idem lib. 5. Æneid.

Calcem ante pedes projecit inanem.

Ovidius epist. 10.

Ovidius *Projecit ipsa suas deductâ fronte coronas.*

Idem lib. 13. Metamorph.

Nec adhuc projecerat Heros Virgineos habitus.

Seneca Seneca epist. 45. *Projicimus bonum, si hoc nomen pani aut polentæ damus.*

Cæsar. Cæsar libr. 3. belli civilis. *Ex superioribus locis in planitiem descendere atque arma projicere jussit.* Vide quæ Philosophi docent de motu projectorum. Elias ergò fatigatus, gravique mœtore confectus, sicque ad somnum maximè prochivis. *Nam & somnus relativus est tristitiæ.* Inquit Dionysius. Eadem habet Gaspar Sanchez. Cur sic Elias se in terram projecit? Quid per Eliam intelligi voluit Deus? Pontificem Romanum, & maximos Prælatos, qui licet sint *Currus Israel, & auriga eius*, seu nomine & jurisdictione sint Elias, ideſt *Dominus Deus*, habeant claves, quibus portas cœli aperiant & claudant, Principibus, Regibus, & Imperatoribus dominentur, eos censuris & aliis pœnis promeritis percutiant, juxta illud Ecclesiastici cap. 48. vers. 6. *Delecit Reges, & fregit eorum potentiam.* Tamen eos permittit modo rigoroso labi, & quasi projici adinstar illius Prophetæ. Divinæ Providentiæ attribui debent ejusmodi casus, & projectiones, non tamen quis existimare debet illum casum sancto eorum regimini officere, vel labefactare. Dionysius. *Quisque penset quod tantus Propheta humanum quid passus est.* Quisque Pontifex, quisque Episcopus, quisque Prælatus, quisque fidelis perpendat casum, & projectionem istius Prophetæ, & cognoscet id de industriâ à Deo permissum esse. Elias potès erat, habebat claves cœli; quibus ad nutum uti poterat, & tamen projecit se. Petrus Vicarius Christi ad vocem mulieris cadit. *Quisque penset quod tantus Propheta humanum quid passus est.*

Eccli. 48 vers. 6.

Dionys.

II. Id lamentari videtur Jeremias Threnorum cap. 5. vers. 16. *Cecidit corona capitis nostri.* Quid per coronam & casum illum intelligit? lapsum Pontificis, Episcoporum, & Prælatorum Dionysius in explicatione mysticâ illius loci. *Dum Principes, & Prælati mitrati dignitatem suæ potestatis, gradus, ac ordinis indignis moribus, vitiosis q; actibus dehonestant, dicendum est eis ac subditis, cecidit corona capitis nostri.* Sic Romana Ecclesia non perit, vel sanctitatis suæ aliquam jacturam facit, licet habeat Pontifices, Episcopos, & Prælatos pravis moribus imbutos. Ea enim est Romana Ecclesia. *Cui (* inquit Tertullianus lib. de præscript. cap. 36.) *totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.* Invadant Ecclesiam Antipapæ, illam regant Pontifices parùm idonei & probi, an iniquitas illorum fidem Dei evacuavit? an Christum mendacii arguere poterunt? minimè, Matthæi cap. 16. vers. 18. *Tu es*

Thren. 5. vers. 16

Dionys.

Tertullianus.

Petrus

Matt. 16 verf. 19. *Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item Matthæi cap. 24 vers. 35. *Cœlum & terram transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quasi diceret, à quocumque Ecclesia mea regatur, semper sanctam & inviolatam fidem conservabit, sicut pollicitus sum: ita ut nec Schismatibus, nec hæresibus, nec potentissimorum armis, nec tyrannorum infestationibus, nec Pontificum, nec Prælatorum pravis moribus everti poterit, hi labentur, projicient se in aliqua vitia, sed hæc semper immobilis permanebit. Et per eorum ministerium semper Spiritus sanctus fidei dogmata, & gratiæ charismata infundet. Et quæ Theologi docent in quarto, distinct. 4. & part. 3. quæst. 64. & Concilium Tridentinum de malis Sacerdotibus, & ministris Sacramentorum; Id de Prælatis, de Episcopis, & magis de summo Pontifice intelligenda sunt. Ratio prima est Petri Damiani lib. qui dicitur gratissimus, seu epistola ad Henricum Ravennatem Antistitem capite 9.

Petrus Damian.

Quia in benedictione sacerdotis non hominis beneficium est, sed Dei, & officii dignitas est, quam Dei sequitur benedictio, non hominis meritum, &c. Postremò spiritum gratiarum non personam sequi, sed ordinationem traditionis. Cap. 10. *Numquid & Caiphas ille dignus fuerat, per quem Spiritus sanctus vivifica mortis Christi mysterium loqueretur; nam cùm dixisset expedit ut unus moriatur homo pro populo, nè tota gens pereat, protinus Evangelista subjunxit: hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetavit, propheticum planè spiritum ad momentum accepit, non ut ipse, quod vaticinabatur agnosceret, sed ad hoc potius ut conspiratores suos ad accelerandam mortem Dominicam avidius incitaret.* Idem cap. 11. *Gratiam dat omnipotens etiam per malos, ipsis autem gratiam, nonnisi per semetipsum. Sæpe namq; Deus & illis spiritum suum ex largitate sua clementiæ prorogat quos tamen per meritum prava conversationis ignorat. An non & illi Spiritum Dei indubitanter habuerant, qui venientes ante tribunal judicis clamabant Matthæi cap. 7. Domine in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Quibus videlicet illicò respondetur, Discite à me operarii iniquitatis, nescio vos, qui nimirum dum se & prophetiæ spiritū habuisse testabantur, & tamen repulsionis sententiam subeunt, patenter ostenditur quia in quibusdam neque propter pravitatem vitæ Spiritus sanctus excluditur, &c.* Et in fine illius Capitis. *Quid mihi si Spiritus sanctus aliquando in reprobos veniat, cum & filius ejusdem cum eo natura, atque potentia impiorum se manibus tradidit, & non solùm se eorum verberibus offici, sed & inferri sibi mortis atrocitatem non contempsit.* Idem Cardinalis cap. 12. probat variis similitudinibus. *Si enim visibilis solis hujus radius nullam caliginosæ cujuslibet scrobis tenebras patitur, nullo cloacarū sordibus inquinatur, quid mirùm, si summus, & incircumscriptus spiritus tenebrosa vel sordida quorundam pectora suo splendore perstringat, ipse tamen nihilominus in munditiâ suâ & puritate permaneat? Cujuscumque ergò criminis reus extiterit ille qui consecrat, nimirùm sive superbus, sive luxuriosus, sive homicida, sive etiam simoniacus, ipse quidem pollutus est, & letali procul dubio leprâ perfusus, sed donum Dei quod per illum transit, nullius labe polluitur, nullius contagione fœdatur. Purum namq; est, quod per illum fluit, mundum & liquidum ad terram fertilem transit, Sancta namq; Ecclesia hortus deliciarum, & spiritualis Paradisus, charismatum scilicet supernorum fluentis irriguus. Ponamus ergò ut mali sacerdotes quodammodo lapideis sint canalibus, in lapideis autem canalibus, aqua nihil germinat, donec per eos decurrens in fœcundas se areolas fundat. Licet enim plures reprobi Sacerdotes servasse temporum vices attulerint, videlicet ut & consecrantes & consecrati æquè reperiantur indigni, fons tamen ille vivus non restringitur, quominus usque ad finem sæculi per nemus Ecclesiæ perfluat, per Sacerdotes siquidem Baptismus & Chrisma tribuitur, & omne Ecclesiastici sacramenti ministerium exhibetur. Si ergò Sacerdotum pravitas divina posset reprimere dona, illis certe prævaricationibus necesse erat totum genus*

& dogmatibus fidei, quæ ab eo pronunciantur. *Memento sacramentis Dei*
S. Aug. *nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omninò non sint, vel minus sancta sint: sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damnationis, non adiutorium sanitatis.* Etsi igitur nullus in Ecclesiâ debeat esse Pontifex, nullus Episcopus, nullus Prælatus quin omnibus virtutibus præluceat; etsi infamem vitam duceret, tamen Sedes & Ecclesia Romana semper sancta diceretur. Imò & ipsi sancti censeri debent, ita ut de illis verius dicendum sit, quod D. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 48. *Quæro si non habebat Saul Sacramenti sanctitatem, quid in eo David venerabatur? Si autem habebat innocentiam, cur innocentem persequebatur? Nam eum propter sacrosanctam unctionem & honorarit vivum, & vindicavit occisum. Et quia vel panniculũ ex eius veste præcidit, percusso corde trepidavit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem, non vitæ suæ, (nam hoc sine innocentiâ nemo potest) sed sacramenti Dei, quod & in malis hominibus sanctum est.* His positis videndum est quomodò & quâ potestate judiciaria Episcopi tam boni, quàm mali polleant circa Clericos.

CAPUT IX.

Episcopalis Potestas Iudicialis circa Clericos.

I. NOn potest Clericus alterius Episcopi jurisdictioni se submittere absque consensu proprii Episcopi, patet ex cap *significasti*. Innuente ejusmodi submissionem nihil valere ac proindè Clericum teneri coram suo Episcopo respondere, ita Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 81, numer. 23. contra Franciscum Salgado tract. de supplicat. ad Sanctissimum, sivè de retentionè bullarũ part. 2. cap. 27. Nec favet illi Covatruvias pract. cap. 20. n. 5. vers. *favet Salgado*. Nam Covarruvias (quem allegat) loquitur de simplici renuntiatione juxta terminos, textus cap. *significasti*, de foro competut quando fit ab ipso Clerico renuntiatio proprii tribunalis, ipseque consentit expresè in alienum judicem, nullo ad id cogente pacto seu tractu.

Potest tamen Clericus absque consensu proprii Episcopi se subjicere jurisdictioni alterius Episcopi, si submissio fiat contrahendo vel delinquendo, ita Benedictus Ægidius in repetit. l. *ex hoc iure*, ff. de justitit. & jure, part. 2. cap. 13. claus. 5. num. 13. Marta de jurisdict. part. 2. cap. 6. numer. 40. Barbosa in l. *Heres absens*, §. 1. num. 60. ff. de judic. ibi *sed insistendum est, quia traditionum*, Gloss. 2. in dict. in l. 1, *etiam locum habere in Clerico contrahente & renuntiante proprio foro*. Etiam tuentur Decanus, Roger. à Mota num. 43. Mariana cap. *dilecti* num. 99, de foro compet. & in cap. 1. num. 68. de judic. Ratio prima est, quia tunc prorogatio fit à lege tacitè vel expresè per factum hominis contrahentis vel delinquentis. Secunda ratio, quia ex Mota num. 3, & Mariana in cap. 1. num. 61, Clericus potest conveniri in loco contractus, etsi non accesserit consensus proprii Episcopi. Tertia, quia (inquit Alexander consil 89. num. 1. lib. 7.) in eo renuntiatio proprii privilegii valida debet censeri, cùm in effectu importet renuntiationem exceptionis declaratoriæ, si in loco contractus non reperiatur, & velle quod in eo præcisè teneatur respondere, & planè decisio cap. *significasti*, non habet locum si Clericus declinatoriè & obliget se respondere coram judice aliàs competente, & ejus declinare jurisdictionem, Barbosa in l. 1. ff. de judic. art. 3. num. 224. aliam rationem assignat. Adeo (inquit) verum est in loco contractus convenire posse, etiamsi ibi non inveniatur, dummodo in contractu illo proprio foro renuntiaverit, juxta traditionem glossæ & in dict. l. 1. Si quis in jus vocatus non ierit. Nam cùm hæc renuntiatio proprii fori cõveniat ad corroborationem fori adjuncti per legem ut aliquid operetur, habent effectum supra relatũ, etsi non accesserit proprii Episc. cotensus, &c.

II.

hæc

hæc ille. Augustinus Barbosa supra de officio & potest. Epise. part. 3. alleg. 81. num. 24. ait hanc sententiam esse receptam in Concilio Regio Matritensi.

III. Episcopus habet jurisdictionem potestque punire suum subditum non exemptum delinquentem in loco exempto suæ Diœcesis, ita Fredericus de Senis consil. 2. per totum, Tuschus verb. *Episcopus*, consil. 143. num. 1. imò potest Episcopus Clericum vel laicum sibi subditum ludentem in loco exempto plectere & excommunicare, ita Federicus de Senis, Tuschus supr. Habet etiam secundùm eosdem jurisdictionem in eos qui contraxerùt in loco exempto suæ Diœcesis, saltem ratione Domicilii. Ratio est, quia aliàs sunt sub jurisdictione Episcopi, nec eximuntur prætextu contractus initi in loco exempto.

IV. Episcopus potest animadvertere in Clericum exemptum suæ Diœcesis, si non evitari facit excommunicatum ab Episcopo, etiam in laico exempto, idem Fredericus & consil. 2. Tuschus consil. 244. num. 1. Ratio est, quia ex Clement. 1. de supplem. neglig. Prælat. Episcopus multa potest in exemptos per modum supplendæ negligentiæ exempti ratione contractus celebrati per dictos exemptos loci exempti de Diœcesi, extra locum exemptum, & in Diœcesi in quâ habent loca exempta quoad ejusmodi contractum non sunt exempti, ita cap. 1. privileg. in 6. secus si in aliena Diœcesi contraherent, ita Tuschus supra num. 3. post Fredericum de Senis consil. 14. circa finem numer. 6. verb. *Unde si contrahant*, & consil. 19. num. 6. vers. *Si præterea exemptos*. ubi loquitur de contrahente & delinquente extra locum exemptum. Ratio est, quia Episcopus Diœcesanus in multis articulis exercet jurisdictionem circa exemptos & loca exempta, & ideò in privilegiis semper ponitur clausula *quod non præjudicetur Ordinario*, in aliis prout est textus in Clement. 3. in fine de privileg. & asserunt Fredericus consil. 14. num. 6. vers. *item prior* Tuschus supra num. 14. Quare si Canonicus Ecclesiæ exemptæ delinquat in loco non exempto, potest Episcopus contra eum procedere, ut post Calderium consil. 127. censet Tuschus supra num. 8. idem Calder. consil. 192. in verb. *Item habent alias*, in fine, de præscript. Tuschus num. 10. extendunt ad Canonicam institutionem. Ratio est, quia potest Episcopus cognoscere an inferiores benè vel malè instituerint in beneficiis, & si reperiat eos deliquisse vel simoniam perpetrasse cognoscet, & puniet, quod possit etiam Episcopus negligentibus vel denegantibus facere justitiam, præfigere terminum & postea procedere, docet idem Calder. consil. 192. in princip. vers. *appellatur tamen*, alias 2. de rescript. Ratio est, quia ordinarius habet intentionem fundatam contra omnes in sua Diœcesi, ut declarant Rota in novissimis decis. 803. part. 1, Caputaquen. decis. 306, part. 1. Tuschus sup. num. 13. Addunt Julius Clarus in praxi crimin. §. *fine*, quæst. 35. num. 14. Tuschus supra num. 17. Episcopum posse animadvertere in Episcopum, vel etiam Archiepiscopum, cui non sit Suffraganeus, quando delinquit in suâ Diœcesi, asseruntque esse communem opinionem. Plura Tuschus verb. *Episcopus*, conclus. 243. & seq. Erasmus a Chokier de jurisdict. in exemptos pag. mihi 313. pag. 333. & pag. 335. Unicum Sacrosancti Concilii Tridentini testimonium sufficiat sessione 14. cap. 4. *Omnes* (inquit) *Ecclesiarum Prælati qui ad corrigendum sub illorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per hujus sanctæ Synodi statuta, cujusvis privilegii prætextu tutus censetur quominus juxta Canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit, si in Ecclesiis residerint, quoscumque seculares Clericos qualitercumque exemptos, qui aliàs sua jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam visitationem tanquam ad hoc Apostolica Sedis delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant, quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, ipsis Clericis, ac* Concilio Trident.

eorum consanguineis, Capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet ipsorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè suffragantibus. Ibi declarat Episcopos tanquam Sedis Apostolicæ delegatos posse procedere contra Clericos exemptos in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinariâ non comprehenduntur, à quibus tunc non potest provocari nisi ad Sedem Apostolicam. Nec in hoc ullum præjudicium affertur judicibus inferioribus.

V. Quod Episcopus possit quoscumque Canonicos, & dignitates, aliosque Clericos exemptos, & non exemptos constitutos ad curam animarum exercendam visitare, examinare, corrigere quoad inhabilitatem nonobstante quocumque privilegio, vel consuetudine in contrarium docent Navarrus consil. 4 de temp. ordin. in antiq. aliàs 8. de privileg. in noviss. Larrea decis. 98. num. 64. tomo 2. Sayrus in floribus decis. tit. de tempor. ordin decis. 5. Barbosa de officio & potest. Epis. part. 3, allegat. 74. numer. 4. Si oriatur controversia super probatione habitus Clericalis an scilicet is, in quo Clericus fuit repertus sit conveniens, tunc judex Ecclesiasticus debet cognoscere, ita Bonacina in 8. præceptum Decalogi disput. 20. quæst. 2. part. 1. §. 4. num. 19, Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 6 Diana resolut. moral. part. 1. tract. 2. resol. 27. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 190. num. 13. Farinacius in praxi crimin. quæst 8. num 14 Zerola in praxi Epis. part. 1. verf. *Clericus*, num. 3. Cavale decis. 10. num. 12. & decis. 21. numer. 18. & 21. Cenedo Can. l. 1. quæst. 40. numer. 32. Barbosa de off. & potest. Epis. alleg. 12. num. 16. & alii ab eo citati. Hæc resolutio intelligenda est in casu quo ejusmodi Clericus sit captus, ita Thomas Valascus alleg. juris tomo 1. allegat. 24. num. 10. & 11. Guitierez Canon. lib. 1. cap. 12. num. 9. Petrus Mexia tract. tasiæ pœn. concl. num. 31. Viv. tomo 1. commun. opin. lib. 1. tit. 17. numer. 218. Barbosa supra num. 17. Ratio est quia particula *inventus*, significat non tantùm inventionem, sed etiam capturam, illeque dicitur inventus, qui fuit inventus & captus, ut patet ex l. *si bursatorem*, C. de fideiuss. & mandat. Quod si Clericus nõ captus tempore delicti commissi non deferebat habitum & tonsuram, sed postea resumpsit, gaudet privilegio fori, ita Thomas Valascus alleg. 44. num. 4. Antoninus variar. resol. lib. 3, resol. 38. num. 8. Farinacius supra quæst. 8 num. 66. verf. *item quid*, Julius Clarus §. final. quæst. 36. verf. *sed hic quæro*, Barbosa supra num. 18. Si sit captus, tunc tonsuram & vestes Clericales non deferens, inquirendum est an eas deferret dum commisit delictum & hoc sufficit ut potiatur privilegio fori, ita Diana variar. resolut. part. 1. tract. 2. de immunitate Ecclesiæ resol. 32 *notandum est etiam*, Marius Antoninus variar. resol. part. 1. tractat. 2. lib. 3. resol. 48 num. 7. Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 46. num. 10. & alii ab eo citati. Præfatorum dubiorum & similium cognitionem spectare ad judicium Ecclesiasticum docent Canonistæ, Quoad Clericatum post antiquiores, Farinacius quæst. 8. numer. 33. Molina de justitiâ tractat. 3. disp. 19. num. 11. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 190. num. 13 Navarrus in cap. *Novit. de judic*, notab. 66. num. 4. Covarruvias pract. cap. 23. numer. 1. Suarez de Paz in pract. tomo 2. prol. 2. num. 6. Ripa, Salzedo, Marcus Anton. Genuensis, Seraphinus, Joseph Sesse, Joannes Maria, Bellerus, Philippus, Anastasius Germanus Marcus Antoninus citati à Barbosa de offic. & potest. Epis. alleg. 12. part. 2. num. 35. Probatur ex textu in cap. *si judex laicus*, de sententiâ excommunic. lib. 6. ubi summus Pontifex reddit rationem, cur in causâ spirituali & Ecclesiastica laicus judex nullo modo cognoscere debeat. Favet etiam cap. 2. de judiciis. Quoad vestes & tonsuram idem docet Bonacina in bullam Cœnæ disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 6. numer. 31 Sanchez in opere moral. tomo 1, lib. 6. cap. 1 dubio 3. Duardus in bullam Cœnæ lib. 2. Can. 19. quæst. 8. numer. 19. Castro-Palao in opere moral.

tomo 2. tract. 12. disp. unic. puncto 4. num. 7. Melchior Lotterius de re benef. lib. 3. quæst. 26. numer. 69. Ambrosius de immunitate Eccles. cap. 23. numer. 15. Barbosa proximè citatus.

VI. Ita tamen ut ejusmodi cognitio de Clericatu, & aliis necessariis fiat citatis judice & fisco Curię sæcularis verificatis verificandis, tunc Judex Ecclesiasticus declaret Titium esse Clericum & gaudere privilegio fori, & postulanda est remissio cum intimatione decreti, ita Ciarlinus controvers. forensium lib. 1. cap. 53. numer. 19 Marius Antoninus variar. resol. lib. 3. resol. 48. num. 24. Barbosa supra numer. 24. post Farinacium, & alios. Quæ remissio est facienda ob reverentiam Clericalis dignitatis, absque Clerici dedecore, ita Julius Clarus in practic. §. final. quæst. 36. vers. *quare quomodo* Marius Antoninus citatus num. 25. & Barbosa numer. 34. Quæ remissio fieri debet intra terminum 24. horarum ad vitandam excõmunicationem Apostolicam cap. *si judex*, cap. *nuper*, de sent. excommun. Clericus notorius in sacris vel beneficiarius repertus in delicto flagranti debet statim & indilatè remitti à judice sœculari & reddi Ecclesiastico judici, ita cap. *si judex*. Flagrans autem delictum dicitur, quando reus nequit fugere vel negare, ex Menochio consil. 82. num. 179. Antonio Monacho decis. 38. num. 2. Cœterùm Judex Ecclesiasticus nõ debet stare processui & sententiæ judicis sœcularis in Clerico remisso inquiunt Valascus consil. 48. num. 9. Suarez de Paz. in praxi tomo 2. prælud. 2. numer. 11. & 12. Decianus tract. crimin. tomo 1. lib. 4. cap. 19. num. 21, Cur. Philippus part. 3. §. num. 11. apud Barbosam supra. Cœterùm ex bullâ Cœnæ excommunicantur personæ sœculares trahentes ad sua tribunalia personas Ecclesiasticas, etiam prætextu cujusvis cõsuetudinis vel privilegii. Vide nostrũ Lezanam tomo 3. quæst. regul. verb, *Bulla Cœnæ*. Duardum, Bonacinam, & alios.

§. 1.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Regulares.

I. POtest Episcopus cum Religioso exempto, & non sibi subdito dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus, ac absolvere à censuris Episcopo specialiter & privativè reservatis maximè ex dilecto occulto provenientibus, ita noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. numer. 6. & probat ex Concilio Tridentino sessione 24. cap. 6. quod solis Episcopis competere probat ibidem, & cap. 10. num. 35. Ratio est, quia quamvis Religiosi sunt exempti ab Episcopis, quoad jurisdictionem ordinariam, nihilominus quoad proprios actus Episcoporum, & in quibus non subijciuntur jurisdictioni suorum Prælatorum, cujusmodi sunt ejusmodi absolutiones & dispensationes possunt esse illis subjecti, ita Suarez tomo 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 12. Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 38. numer. 32. ex nostris Cornelio tomo 2. in 3. part. de irregular. disput. 3. dubio 5. Lezana supra cap. 11. numer. 6. Hic addit post Suarez supra num. 13. & 15, & cap. 23. num. 3. & 4. ad hunc effectum Religiosum non indigere licentiâ vel voluntate Prælati. Ratio est, quia Religiosus utitur jure suo, & in re conducente ad salutem animæ suæ. Quod si ejusmodi dispensationes vel absolutiones possint obtineri à proprio Prælato ratione alicujus privilegii vel aliundè, præfatus Lezana post Suarez supra citatum censet non debere & forsan nõ posse peti ab Episcopo. Ratio est quia hoc videtur cedere aliquo modo in dedecus religionis, maximè eo quod sit probabile prælatum exemptum habentem potestatem dispensandi, habere etiam jus cohibendi subditum, nè ad alium recurrat. Quamvis Regulares sint per privilegium exempti a jurisdictione Episcoporum, tamen possunt Episcopi visitare Parochiales Ecclesias spectantes legitimè ad regulares, ratione

tione suorum locorum, quoad ea quæ ad parochianorum curam, Sacramentorum administrationem & conservationem pertinent, tamen absque visitatorum extraordinariâ impensâ, vel gravamine, item examinare an parochi regulares parochiali officio ritè fungantur, & in eo delinquentes plectere juxta ordinis regularis constitutiones, & intra septa loci regularis, ita Lezana supra num. 7. citans bullam Leonis X. in Concilio Lateranensi, & refertur tomo 1. Bullarii, quam potestatem explicat Concilium Tridentinum sessione 7. de reformatione cap. 7. *Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis, quibuscumque perpetuò unita & annexa reperiuntur ab Ordinariis annis singulis visitentur, qui sollicitè providere procurent, ut per idoneos vicarios, &c. ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur.* Cõgregatio Cõcilii in una Patavien si anno 1591. concessit, ut in parochialibus Monasterio unitis, deputentur vicarii aliiq; ex regularibus, ab Episcopo tamen approbati.

II. Maximè visitare, examinare potest & debet Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus Præposituras, &c. Beneficia tam curata, quàm non curatâ, tam sæcularia, quàm regularia, qualitercumque commendata, in quibus observantia regularis non viget, quamvis exempta, ac ordinare, & quæ revocatione, restauratione indigent ordinare ut reparentur, aliaque officia ritè exerceantur, nonobstantibus appellationibus & quibuscumque privilegiis; consuetudinibus etiam immemorabili tempore præscriptis, conservatoriis, judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, ita Concilium Trid sess. 21. de reform. cap. 8. & sess. 25. de regularibus cap. 11. quod referunt Armendariz in addit. ad recopil. legum Navarræ lib. 1, titul. 6, lib. 5. §. 2, numer. 99. Barbosa supra num. 15. Quod si in iis regularis observantia floreat, monere debet Episcopus superiores, ut corrigenda corrigant. Qui si intra sex menses non correxerint poterit Episcopus corrigere. Accipe mentem Concilii Tridentini sessione 21. cap. 8. *Quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant ab ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet provideri æquum est, propterea commendata Monasteria, etiam Abbatias, Prioratus, & Præposituras nuncupata in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficia tam curata, quàm non curata, sæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis etiam tanquam Apostol. Sedis delegatis singulis annis visitentur, curentq; iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent, aut restauratione reficiantur, & cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaq; debita obsequia rectè exerceantur, appellationibus, quibuscumque privilegiis consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, conservatoriis, judicum deputationibus & eorum inhibitionibus nonobstantibus. Et si vigeret in eis observantia regularis, provideant Episcopi ad monitionibus, ut eorum regularium Superiores juxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent, & observari faciant, & sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint, vel correxerint, tunc iidem Episcopi etiam ut delegati Sedis Apostolicæ eos visitare possint & corrigere, prout ipsi superiores possent juxta eorum instituta, quibuscumque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & nonobstantibus.* De hoc argumento vide plura apud Aloysium Riccium in praxi fori Ecclesiastici decis. 736. in 1, edit. & resol. 513. in 2. edit. & decis. 608. in 1, edit. & resol. 352. in 2. edit, Franciscum Leonẽ in praxi fori Ecclesiast. part 2. cap. 18 num. 105, Piasecium in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 46. Franciscum Emmanuelem quæst. regul. tomo 1. quæst. 36. art. 4. Marium Antoninum variar. resol. lib. 1. resol. 17. num. 3. Campanile in diversis juris Canon. rub. 12. cap. 13. numer. 51. Mendez à Castro in praxi Lusitanâ part. 2. lib. 2. cap. 3. num. 31. vers. *Nec etiam Ecclesiæ*, per hæc verba,

Concilii Trident.

Quæ revocatione indigent aut reparatione reficiantur. Franciscus Leo supra cap. 31. num. 3. Campanile num. 49. Aiunt non intelligi de Ecclesia, vel sacristia reparanda; sed tantùm de his in quibus habent jurisdictionem respectu curæ animarum, ut sunt calices & decentia paramenta, ad decorem administrationis sacramentorum, per has voces, *debita obsequia rectè exerceantur.* Significatur quod Episcopus possit visitare, examinare, &c. modo præfato Ecclesiam Monachorum, in quâ cura animarum exercetur, & personas eam exercentes, nonobstante quacumque exemptione, ita Tamburinus de jure Abbatum disput. 17. quæst. 2. num. 3. Joannes de Solorzano de jure Indiarum tomo 2. lib. 3. cap. 17. num. 51. Ratio est, quia nequeunt Episcopi de administratione sanctissimi Sacramenti, & Ecclesiasticorum, nisi consequenter inquirant de personis ea administrantibus, & conservantibus, ut decisum fuisse à Sacrâ Congregatione referunt Seraphinus decis. 1067. Barbosa supra numer. 20. Ita ut si Parochus regularis delinquat extra Sacramentorum administrationem & curam animarum non ab Episcopo, sed à suis superioribus plecti debeat, ita decisum referunt Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiastici resol. 513. numer. 2. & resol. 532. Franciscus Galetus in Margarita casuum conscientiæ verbo *Parochus*, 3. Si regulares negligentes sint deputare personam, vel personas, quot ad exercendam curam animarum desiderantur, potest Episcopus compellere ut deputent, ita declaratum fuisse scribunt Confectius in Cõpendio privileg. tit. 5. cap. 4. Piatecius proxime citatus, Barbosa supra numer. 24.

III. Potest etiam Episcopus compellere ad Synodum eos, qui ex regularibus deputati sunt in Ecclesiis regularium ad curam animarum, ita Concilium Tridentinum sessione 24. de reformatione cap. 2, *Ratione parochialium aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint Synodo interesse.* Cui subscribunt Azorius instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 47. quæst. 3. Barbosa supra num. 25. Mauritius de Alzedo de præcellent. Episcop. dignit. part. 2. cap. 1. num. 38.

Concilium Tridentinum.

IV. Concilium Tridentinum sessione 6. de reformatione cap. 11. numer. 8. statuit: *Quod nemo regularis extra Monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolicâ delegato secundùm canonicas sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeat.* Idem censent Quaranta in summa Bullarii, verbo *exemptio*, num. 5. Rodriguez tomo 2. quæst. regul. quæst. 63. art. 11. Lezana tomo 1. quæst. reg. cap. 11. num. 8. & cap. 16. num. 26. & tomo 5. verbo *judicialis causa regularium*, numer. 5. & verbo *delinquens regularis*, num. 1. Nonnulli per particulas *extra Monasterium degens* intelligunt de regularibus degentibus extra Monasterium absque licentiâ Prælati. Ita Laurentius de Peirinis tomo 1. privileg. Minimorum in constitut. 2. Xisti IV. §. 11. num. 22. De Religioso autem intra Claustra Monasterii degente, sed extra illa notoriè delinquente, accipe tententiam Concilii Tridentini sessione 25 cap. 14. *Regulares non subditus Episcopo qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo superiore infra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Notat noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 16. num. 36. quod quia aliqui superiores Religionum admoniti de delictis Religiosorum eos extra Episcoporum Diœcesim ex industriâ impunitos transmittebant, vel ipsi ad alias provincias se conferebant, & ita nec Religiosus delinquens ab Episcopo puniri poterat, nec superior officio privari, Clemens VIII anno 1599. motu proprio in bullam apud Quarantam verb. *exemptio*, *Susceptis muneris, &c.* quæ est 39. inter bullas hujus Pontificis, Præcipit omnibus & singulis cujuscumque ordinis

superioribus

superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis Apostolicæ, ac privationis dignitatum ac officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, ut juxta prædictum decretum quilibet ipsorum regularem non subditum Episcopo intra Claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem. *Ut populo scandalo sit, Episcopo instante intra tempus ab Episcopo prælegendum severè puniat, & aliàs de punitione Episcopum certiorè faciat, & aliàs decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur.*

V. Cæterum si superior in regularem delinquentem non animadverterit, quin imò si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi Diœcesim (ut prætertur) transmiserit, voluit & simili motu atque auctoritate decrevit, ut superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis ac privationis dignitatum, & officiorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda, ac ulterius privationis activæ & passivæ vocis, ad quas à nemine, prætèrquam à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis ipsum regularem delinquentem, à loco ad quem transmissus fuit revocare, & in quo deliquit constituere, seu istere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuit, ut Ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, (ut præfertur) tanquàm Sedis Apostolicæ delegatus prædictum Concilii decretum omninò exequi, & in regularem delinquentem severè animadvertere possit & debeat. Peirinis suprà in constit. 2. Pii IV. §. 11. num. 62. ut notat Episcopum debere urgere Prælatum regularem ut plectat Religiosum notoriè delinquentem, sed Portellus in additionibus ad cubia regularium verbo *punitio Relig. extra conventum*, num. 17. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 3. alleg. 106. num. 19. Antonius Cuchus lib. 2. instit. moral. tit. 6. numer. 163 Paulus Fuschus de visitat. lib. 2. cap. 17. num. 1. & cap. 20 num. 7. Cenedo pract. & Canon. in controversiis tam inter Episcopos & regulares, quàm inter regulares & laicos quæst. 1. Marcellus Vulpe in praxi judicii fori Ecclesiast. cap. 42. num. 21. Campanile in diversis iuris canon. tom. 12. cap. 13. Aloysius Riccius in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis. 223. num. 4 part. 1. & decis. 231. part. 4. Erasmus Chokier de jurisdictione ordinarii in exemptos part. 1. quæst. 17. numer. 29. Piacesius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 44. putant Regularem vi illius decreti deprehensum in delicto posse ad carcerem Episcopi deduci, & sumptâ informatione super delicto, dummodò absque mora sumatur remitti cum copiâ processus ad suum superiorem puniendum. Illis subscribunt etiam Ugolinus de officio Episc. part. 1. cap. 20 §. 8. num. 2. vers. *immò comprehendi*. Marcus Antonius Genuensis cap. 59. num. 3. Ciarlinus forens. controver. lib. 1. cap. 50. numer. 10. Arnoster Lezana tomo 4. quæst. regul. cap. 16. num. 27. intelligit & explicat præfatos auctores in casu quo Episcopus timeret fugam religiosi, pro quo etiam vide Erasmum Chokier supra quæst. 17. num. 28. & de conservat. part. 2. quæst. 97. num. 4. Aldret. de relig. disciplin. tuendâ lib. 1. cap. 3. num. 40. Laurentium de Peirinis in constitut. ord. Minim. constit. 2. Xisti IV. numer. 62. & 64. & in formulis regul. litt. P. cap. 7. num. 2. Ad id quod dicitur Prælatum ab Episcopo urgendum esse, ut religiosum puniat, Lezana num. 27. citato post Peirinis addit id intelligi quando delictum ejus est notorium, & scandalosum populo, ut patet ex verbis Concilij, undè non sufficit, quod ejusmodi delictum sit alicui notum, vel paucis. Præterea idem Lezana & Peirinis post Rodriguez tomo 2. quæst. regul. quæst. 2. art. 6. dicunt prædictam constitutionem Clementis VIII. tantùm procedere quando superior religiosi notoriè delinquentis eum transmittit in alium locum, eo fine, ut remaneat

impunitus, non autem quando illum dimittit in pœnam criminis perpetrati, vel ut decentius plectatur. Noster Lezana licet tomo 1. quæst. regul. cap. 11. dixerit decretum Concilii Tridentini sessione 6. cap. 3. tantùm intelligi de regularibus degentibus extra Monasterium, non de iis, qui degunt cum tali licentiâ, quia Religiosus, qui cum licentiâ sui Prælati degit extra Monasterium censetur habitare intra illud, ex Abbate Panormitano, Angelo, Sylvestro, Navarro, Henriquez, & Sanchez, tamen quia graves Auctores scilicet Piasecius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 42. Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 105. numer. 16. Novarius in lucernâ regul. verbo *delinquens*, numer. 10. referunt oppositum esse declaratum à Sacrâ Congregatione, scilicet quod regularis manens extra Claustrum absque licentiâ superioris sui, etiam in domo deputatâ ad erectionem Monasterii, nisi in dicta domo sit regularis observantia, ut saltem vivat sub superiore conventualiter, si deliquerit possit puniri ab ordinario, idque a Rotâ decisum decis. 223. num. 5. refert Tamburinus de jure Abbatum disput. 20. quæst. 7. num. 7. Ideò priorem opinionem retractans huic inhæret. Hac tamen limitatione, ut intelligatur de regulari existente extra monasterium per notabile tempus & habente domicilium etiam de licentiâ superioris sui: non autem de eo, qui ad breve tempus existit extra monasterium in quo habet domicilium. Quod autem sit mens Concilii patet ex ejus verbis, *Regularis extra monasterium degens*, non dicit *existens*. Verbum autem degere significat, existere permanenter, & tempore non brevi, sed diuturno, non transeunte, sed permanente, ut notat Peirinis tomo 1. privileg. Minim. constit 2. Xisti IV. numer. 22. Imò ex cap. *recolentes*, §. *Cæterùm*, de statu Monach. Aloysio Riccio decis. 281. num. 4. part. 4. Novario supra num. 11. & 12. Ciarlino controvers. forens. lib. 1. cap. 50. num. 8. Barbosa supra alleg. 105. num. 17. Lezana citato num. 24. Si Regularis diu moretur de licentiâ sui superioris sub observantiâ regulari in aliquo membro, seu grangiâ sui Conventus pro servitio suæ Religionis, & ibi delinquat, non ab Episcopo, sed à suo superiore corrigendus est. Ratio est, quia ejusmodi loca gaudent privilegiis Monasteriorum quorum membra sunt. Notat etiam Lezana tomo 3. verbo *delinquens regularis*, num. 2. Quod si Episcopus incarceret Religiosum (quē timet nè fugiat) potest & debet indilatè sumere informationem de delicto commisso, & remittere ad superiorem regularem, citatque Novarium supra num. 6. Barbosam supra num. 19. Quibus favent Ugolinus de officio part. 1. cap. 20. §. 8. num. 2. imò & comprehendi, Marcus Anton. Genuensis in praxi Archiepis. cap. 59. num. 3. Ciarlinus citato cap. 50. numer. 10. Portellusin addit. ad dubia regul. verbo *punitio relig. extra conventum*, num. 17. Notat iterùm Lezana supra num. 3. & 4. quod superior regularis sæpè monitus ab Episcopo juxta illa verba, *instante Episcopo*, quæ significant importunitatem: Baldus in l. *eos*, §. *Apostolos*, num. 3. C. de appellat. Aldrete in l. 1. de relig. discip. cap. 3. numer. 37. debet punire suum religiosum, & secundùm decretum Concilii Tridentini & constitutionē Clementis VIII, non tantùm mittere sententiam seu copiam illius, vel acta super delictum illius, sed etiam certiorem facere de executione sententiæ & punitione latâ, ut declaravit Sacra Congregatio apud eundem Lezanam, Novarium; & Barbosam supra, nisi punitio postulet successionē temporis. verbi gratiâ, disciplinæ, jejunii sextis feriis, per annum (inquit idem Lezana) quæ verba Concilii, & Clementis VIII. intelligenda sunt, nisi superior Monasterii, ad quem delinquens missus est, occurrat defectus jurisdictionis, vel alia iusta causa, tunc enim debebit postulari ab Episcopo terminus prorogationis, quā Episcopus non recusabit cap. 1. *de dilat.* cap. 2. *requiris*, §. 1, *de appellat.* cap. *legitima*, de appellat. Cōtendunt Barbosa & Novarius supra decisionē Concilii non tantùm procedere in casu, quo Religiosus extra Claustra deliquerit

liquerit notoriè & scandalosè, sed etiam quando deliquerit intra Ecclesiam sui Monasterii. Cui opinioni etsi severæ (cùm Religiosus in Ecclesia sui Monasterii existens dicatur existere intra claustra) tamen acquiescendum existimat Lezana supra num. 6. decisioni sacræ Congregationis, si de eâ authenticè constet, nisi fortè dicatur & congruentius intelligi de aliâ Ecclesiâ sui Ordinis extra proprii Monasterii Ecclesiam.

VI. Episcopus potest conjugem invalidè professum, seu qui sine consensu alterius conjugis professionem emisit, è monasterio extrahere & cogere nè à Religiosis detineatur, ita Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 33. num. 21. & 23, Erasmus Chokier de jurisdict. Ordinarii in exemptos part. 2, quæst. 45. num. 122, Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. numer. 22. Ratio est, quia hoc non est tam agere contra privilegiatos, quàm proprium munus exercere. Munus autem Episcopi est vigilare, ut jura matrimonii serventur. Potestque Episcopus excommunicare, suspendere ejusmodi conjugem detinentes, si non habeant privilegium, quod non possint excommunicari, &c. ab Ordinariis, ita Lezana part. 1. quæst. regul. cap. 12. numer. 14. 15. 22. Sanchez, Chokier supra. Potest Episcopus contra eos (qui censuris affici nequeunt ob privilegia) procedere aliis pœnis canonicis, verbi gratiâ, depositione, collocatione in arctius monasterium, quod etiam intelligitur de aliis casibus, in quibus Episcopus procedit contra regulares non per censuras, ita Lezana & Sanchez supra, Henriquez de indulgentiis lib. 7. cap. 25. num. 7.

VII. Quomodò in causis civilibus, & miserabilium personarum Episcopi jus habeant in regulares. Accipe verba Concili Tridentini sess. 7. cap. 14. *In exemptorum causis constitutio Innocentii IV. quæ incipit, Volentes, in generali Lugdunensi Concilio edita servetur, quàm eadem sacrosancta Synodus innovandam censuit, & innovat addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum & miserabilium personarum seculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum judicem à Sede Apostolicâ delegatum in partibus habeant, in aliis verò si ipsum judicem non habuerint coram locorum ordinariis, tanquam ad hoc à sede Apostolicâ delegatis conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi & compelli possint privilegiis, exemptionibus conservatorum deportationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.* Rodriguez tom. 1. quæst. regul. quæst. 65. art. 3. Sanchez opusc. moral. tomo 2, lib. 6. cap. 9. dubio 2. num. 4. Lezana tomo 1. quæst. regul cap. 11. num. 10. intelligunt viduas, pupillos, orphanos, senes, decrepitos, diuturno morbo fatigatas, puellas, nobiles pauperes, peregrinos, advenas, cœcos, membris mutilatos, & similes. Quamvis per hoc decretum Concilii regulares intra claustra degentes nequeant citari coram ordinariis, tamen propter illud decretum videntur regulares posse conveniri & trahi coram ordinario in præfato casu miserabilium personarum, nisi huic decreto obstaret Paulus V. in bullâ, quæ habetur tomo 3. bullarii inter bullas hujus Pontificis, approbans decretum Sacræ Congregationis in quo ad instantiam Generalis nostri ordinis ab eâ Congregatione declaratur. *Neque constitutione in generali Concilio editâ, quæ incipit: Volentes, neque decreto Concilii Trid. sess. 14. cap. 7. comprehendi regulares, ideòque nos statuimus juxta eorum privilegia coràm suis superioribus esse conveniendos.* Vide Gavantum in manuali Episc. verbo *jura regularium sub Episcopo*, num. 55. Cui conformis est alia sacræ Congregationis declaratio anno 1573. apud Peirinis tomo 1. privileg. Minim. constitut. Pii IV. §. 11. num. 30. Rodriguez tomo 2. quæst. regul. quæst. 2. artic. 8. Navarrum Navarrum comment. 2. de regul. numer. 6. Lezanam tomo 1. quæst. regul. cap. 11. num. 10. Porrò Henriquez lib. 7. de indulgentiis cap. 2. numer. 5. in comment. litt. O. Sanchez in opusc. motal. tomo 2. lib. 6. cap. 9. dubio 2. numer. 5. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *causa judicialis regularium*, num. 5. per causas mercedũ intelligunt

Concilii Trident.

intelligunt causas stipendiorum, seu salariorum debitorum operariis, seu mercenariis.

VIII. Ex Concilio Tridentino session. 5. cap. 1. *In Monasteriis quoque Monachorum ubi commodè fieri queat, lectio sacra Scripturæ similiter habeatur, quâ in re (si Abbates negligentes fuerint) Episcopi in hoc, ut sedis Apostolicæ delegati, eos ad id oportunis remediis compellant. In conventibus verò aliorum regularium in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur, quæ lectio à Capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus.* Rodriguez tomo 2. quæst. 130. art. 2. Peirinis tomo 1. privileg. Minim. constitut. 2. Julii II. §. 5. numer 16. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 9. num. 48. docent huic decreto satisfieri, si habeatur lectio Theologiæ Scholasticæ, vel moralis. Remedia autem quibus Episcopi in negligentes uti possunt, est excommunicatio, inquiunt Rodriguez supra & Lezana cap. 11. num. 11. Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici part. 2. cap. 2. num. 59. Campanile in diverf. juris canon. rub. 12. cap. 13, numer. 5 Piasecius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 41. vers. *item*, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 56. num. 26, & alleg. 105. num. 25. Marcellus Vulpe supra cap. 42. num. 22. Joannes Maria Novarius in lucerna regularium verbo *lectio*, numer. 1. Notat Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *lectio quoad regulares*, numer. 2. Concilium Tridentinum diversimodè loqui de Monasteriis Monachorum ac de Conventibus regularium. In illis enim præcipit haberi talem lectionem, *ubi commodè fieri queat*. In istis autem solùm id præcipit pro illis conuentibus, *in quibus studia vigere possunt*, quo significatur Monachos teneri habere talem lectionem in suis monasteriis, solùm quamdiu id *commodè fieri queat*. Alios vero regulares videlicet Mendicantes, &c. non generaliter, quando commodè id fieri potest, sed dumtaxat in Conventibus, *in quibus studia vigere possunt*. Similiter loquendo de monasteriis Monachorum ait Episcopos posse eos cogere ad id faciendum, quod non dicit de conventibus aliorum regularium, quo significatur. Undè idem Lezana infert Mendicantes non posse ad id cogi ab Episcopis, sed posse cogi tenet Rodriguez tomo 2, quæst, regul. quæst. 130. art, 2. propter illas particulas *similiter habeatur*. Ad illam etiã lectionem Chartusianos strictioris observantiæ teneri decisum fuisse tenent Novarius supra verbo *Abbas* num. 7. Aldana in compendio canon. resolut. lib. 1. tit. 3. num. 16.

IX. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. statuit: *Ut Regulares, qui sine mandato in scriptis suorum superiorum extra suos cõventus reperti fuerint tanquam desertores sui instituti ab Ordinariis locorum puniantur.* Quæ verba intelligenda non sunt de eo, qui adit superiorem, etiam absque licentiâ, eo quod à Prælato injustè gravatur, si certò & evidenter constet de ejusmodi superioris sævitia. Diana tract, 8, de dubiis regul. resol. 56. Navarrus comment. 2, de regul, numer. 61. & comment. 3, num. 51. Sayrus in clavi regia lib. 12. cap. 17. numer. 40. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. num. 11. & cap. 16. num. 9. Ratio est, quia non est credendum Concilium loqui de Religiosis à suo superiore iniquè & contra jus gravatis. Lezana cap. 6. num. 9. citatus adhuc limitat, quod si pœna capitis, aut abscissionis alicujus membri Religioso illi incarcerato imminere, licere egredi & fugere impunè, Ita Bannes 2. 2. quæst. 69. art. 4. Salonius ibidem controvers. 2. Ratio est quia tunc naturale jus conservandi vitam & membra sui corporis præponderare debet juri positivo religionis. Quod etiam Religiosus damnatus ad carceres perpetuos possit impunè fugere docet Bannes supra, sed Lezana cap. 16. num. 15. citat. post Rodrigez tomo 2. quæst. regul. quæst. 22. art. 6, asserit contrarium esse probabilius. Ratio est, quia pœna carceris etiam perpetua est convenientissima statui Religioso, nec tam contraria juri naturali, ut non possit censeri ad illam se obligasse religiosum ex vi professionis, quando crimen proportionatũ perpetraverit,

Religiosum

Religiosum etiam damnatum ad triremes posse impunè fugere ad superiorem vel Pontificem, ut veniam postulet affirmant Bannes & Lezana supra contra Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 8, num. 16. Ratio prima est, quia ejusmodi pœna est gravissima, & quasi perpetua mors. Secunda quia talem pœnam infligere religioso delinquenti videtur esse contra decorem & honestatem religionis.

XII. Ex eodem cap. 4. sess. 25. Concilii Tridentini. *Religiosi qui studiorum causa ad universitates mittuntur in conventibus tantùm habitent, alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.* Potest Episcopus cogere Religiosos ad observantiam constitutionum Synodalium, quæ concernunt actiones communes totius populi, nec observantiæ regulari derogant cujusmodi sunt jejunia servanda, festa & similia, non exemptos debito obedientiæ, exemptos debito & jure naturali, ita Vasquez 2. part. disp. 167. num. 33. Sanchez lib. 4, in decal. cap. 15. numer. 21. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. num, 13. Ratio est quia sunt partes & membra totius populi, tenenturque se toti corpori conformare. Eodem jure, & eâdem ratione tenentur observare vota, & promissiones factas à populis, vel civitatibus, in quibus morantur, ita Lezana proximè citatus.

Concilii Trident.

XIII. Nullus Fratrum Minorum de Observantiâ potest esse executor testamentorum etiam obtentâ superiorũ suorum licentiâ, sivè ad causas prophanas, sivè pias, ita habetur in clementinâ *eximit*, §. *proindè cum vir sanctus*. versic. *verùm etiam*, de verbor. signific. Rodriguez tomo 3. quæst. regul, quæst. 70. art. 2. in nostris constitutionibus nuper approbatis ab Urbano VIII. & Innocentio X. part. 2. cap. 25. num. 1. etiam specialiter prohibetur nostræ reformationis alumnis, his verbis. *Quia nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus districtè prohibemus in primis nè nostri ascetæ sint tutores, curatores, testamentorum executores, vel dispensatores rerum alienarum sub pœnâ privationis vocis & loci, & carceris pro modo delicti*, Et hoc cõformiter ad cap. 2. de testamentis in 6. his verbis. *Religiosus executor ab aliquo in suâ ultimâ voluntate deputatus, non potest (cum velle, vel nolle non habeat) hujusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à superiore suo petitâ super hoc licentiâ, & obtentâ, saltem tacitè.* Ut voluit Sylvester verb. *testam.* 2. quæst. 2. dist. 3. Sanchez lib. 6. in decalogum cap. 11. num. 11. Eamque facultatem posse à quolibet superiore immediato concedi, cùm circa hoc nihil dicatur in prædicto capite (inquiunt Molina tomo 1. de justitiâ disp. 247, Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 9, num. 9.) Religiosos autem sic executores testamentorum potest Episcopus cogere, ut coram se reddant rationem, ita Alphonsus Villadiego in speculo visit. fol. 32. num. 9. Lezana tomo 1. quæst. regul. quæst. 9. numer. 9. Et colligitur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 8. *Episcopi etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati, in casibus jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultimâ voluntate, quàm inter vivos sint executores.*

Episcopus habet auctoritatem & jurisdictionem omnimodam in Monachos Ecclesiæ Cathedralis regularis cujusmodi sint, aliquot in Siciliâ, ut Panormitanâ, & montis Regalis, modò non spectent ad regularia instituta, ita cap. *de electione* in 6. & ibi Ancharanus, Joannes Andræas Geminianus, & alii, Tamburinus de jure Abbatum disp. 15. quæst. 7. & probat Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *Episcopus*, num. 16. ex quadam bullâ Pauli III. & Rotæ decisione anno 1604. ubi agitur de benedictione Archiepiscopi Montis Regalis in Monachos ejusdem Ecclesiæ, unde colligit Archiepiscopum habere eandem auctoritatem in Monachos ejusdem Ecclesiæ, quoad ea, quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, quàm super Clericos & alios sæculares, Ratio est quia hæc non spectat ad regularia instituta, seu ea quæ peculiaria sunt regularium in quantùm tales sunt, cujusmodi sunt jejunia, abstinentia à carnibus, humilitas in habitu & lectisterniis, similesque mortificationes;

XIV.

quæ in regulis, & statutis ipsorum præcipiuntur, cap. *quanto*, de offic. judic. ordin. Igitur quoad ista debet Episcopus remittere regulares ad Prælatum regularem, vel saltem in visitatione adhibere secum unum illius religionis juxta dispositionem extravagantis *debent superioribus*, de off. ordin. inter communes lib. 1. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 105. numer. 92. Lezana quæst. reg. part. 3. verb. *Episcopus* num. 16, Et id mihi cõtigit, cùm enim fæl. mem. Alexander VII. pro tunc Nuntius Apost. ad tract. Rheni instituere vellet visitationem in aliquo conventu Monialium nostri Ordinis, cujus Confessarius erat professus ordinis nostri, & Parochus, me à Generali nostro deputatum sæcularibus Commissariis adjunxit, ut jura ordinis servarentur, & simul fieret visitatio perfecta, tam quoad ea, quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, quàm regularem.

XV. Regularis dejectus ab ordine suo debet se præsentare Episcopo, illiusque potestati ac jurisdictioni subjicitur, ita Navarrus consil. 76. & 79. de regul. Laureius tract. de controvers. inter regulares & Episcopos, quæst. 5. num. 9. Zerola part. 3. verb. *regulares*, vers. *tertiò*, Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 105. numer. 79. Addit Clemens X. constitutione quæ incipit. *Superna magni Patris familias, &c.* datâ Romæ anno 1670. undecimo Calendas Julii Pontificatus anno 1. *Porrò si regulares cum scandalo aut aliàs inhoneste vivant vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicis videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare quominus ob eam possit regulares à semetipso approbatos suspendere aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsultâ sede Apostolicâ nullatenus posse, &c.* De cœteris autem Religiosis honestè viventibus eadem constitutio Apostolica habet. *Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque & indistinctè absque limitatione temporis, cæterorumq; locorum, aut generis personarum in Diœcesi propriâ admittendos. Quo ad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti arbitrio ordinariorum, ipsos cum limitatâ facultate prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur probare & admittere. Semel autem simpliciter approbatos, posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumq; etiã infirmorum confessiones audire absque ullâ Parochorum vel ipsius Episcopi licentia, de quâ tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum parochum illicò certiorẽ reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœnâ suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamẽ, ut certioratio ejusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutione, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfeciisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterùm examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat. De quâ tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri Episcopũ ipsis regularibus significare, sed Sedi Apost. dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.*

Quando aliqua Religio extincta est vel alia ratione defecit, ejus religiosi sunt liberi à jurisdictione regulari, ac Episcopo subjicuntur, ita cap. de relig. dom. lib. 6. L. de Franchis tract. citato quæst. 5. num. 11. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. allegat. 105. num. 80. Qui subdunt quod ejusmodi Religiosis non permittitur amplius XVI.

vivere

vivere in suis monasteriis secundùm suam regulam, quia in Episcopi obedientiâ ejusque jurisdictioni & potestati subest.

XVII. Episcopi judicio subjacent omnes regulares etiam exempti in causa hæresis, ita cap. *ad abolendum*, 5. final. de hæret. cap. *ut officii*, §. *denique*, eodem tit. in 6. Thomas Trivisanus Venet. decis. 30. num. 2. Philippus Maynardus decis. 25. lib. 1. quos citat Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. resol. 543. num. 6. in 2. edit. & in praxi aurea resol. 210. vers. *decimo-tertio*, & collect. 503. vers. *quarto*, Marcellus Vulpe in praxi judic. fori Eccles. cap. 42. num. 2. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verbo *excommunic. causa materialis*, vers. 4, *an Episcopi*, ibid. *decimo tertio fallit*, Laurerus de Franchis tract. de controv. inter regul. & Epis. quæst. 5. num. 6. Cenedo practic. & canon. quæst. lib. 1. quæst. 26. num. 29. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3, alleg. 105. num. 56. Et quamvis (inquit Barbosa) solùm de inquisitoribus verba faciant, tamen sub eisdem verbis Episcopi comprehenduntur, habent enim titulum inquisitorum, imò sunt inquisitores hæreticæ pravitatis (inquit idem Barbosa post Fr. Emanuelem quæst. regul. tomo 1. quæst. 20. art. 10. vers. *hoc tamen*) Quod maximè verificari debet de Diœcesi Leodiensi, in quâ nullus est inquisitor hæreticæ pravitatis. Addunt Lucas de Penna in direct. inquisit. part. 3. quæst. 28. cumm. 78. vers. *justissimè*. Causæ hæreticæ cognitionem contra quoscumque sivè sæculares, sivè regulares non competere superioribus regularibus, quem sequuntur noster Lezana tomo 1. quæst. reg. cap. 18. num. 38. & tomo 3. verbo *hæresis, hæreticus*, num. 12. Joannes de la Cruce de voto obedientiæ dub. 14. Quidquid dicant Peirinis de privileg. Minim. in constit. 4. Xisti IV. §. 5. num. 10. & alii apud Dianam tractat. de absolut. ab hæresi resol. 6. qui post multa tandem concludit Lezanæ opinionem esse amplectendam propter declarationem Congregationis Cardinalium 17. Novembris anno 1628.

§. 2.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Moniales.

EPiscopus habet auctoritatem circa numerum Monialium statuendum in Monasteriis, ita scilicet, ut in monasteriis tam sibi subjectis, quàm exemptis cum interventu superioris regularis, possit & debeat id curare conformiter ad jura antiqua, & præcipuè ad constitutionem Concilii Tridentini sess. 25. cap. 3. in hæc verba. *Inpraedictis autem Monasteriis; tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, tantùm numerus constituatur, ac in posterùm conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari: nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentiâ priùs obtentâ.* Ad quod decretum accedit constitutio Pii V, quæ incipit, *Pastoralis*, & Gregorii XIII. in constitutione, quæ incipit *Deo sacris*, & decisio Sacræ Congregationis in unâ Hispalensi 26. Martii anno 1591. quæ prohibet Episcopis, Monialiumque superioribus, ut nullatenus permittant plures in Monialium monasterium recipi, quàm ex propriis monasterii reditibus, vel artificio, & manibus propriis, vel consuetis eleemosynis possint sustentari, item in unâ Sortonensi 27. Maii 1603. & pro Monialibus regni Portugalliæ 6. Junii anno 1615. Quibus subscribunt Tamburinus de jure Abbatissarum disp. 5. quæst. 1. num. 4. noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 25. numer. 6. & tomo 3. verbo *Episcopus quoad regulares*, num. 9. Piasecius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 55. in fin. Navarrus cap. *statuimus*, numer. 57. vers. *tertio nota*, 19. quæst. 3. Homobonus de examine Ecclesiastico tract. 12. cap. 3. quæst. 15. resol. 3. Sanchez lib. 7. cap. 23. num. 3. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 3. alleg. 96. num. 4. Tamburinus citatus

1. Concilii Trident.

num. 3. notat secundùm consuetudinem multorum locorum convertas non censeri de numero Monialium prædictarum, Navarrus lib. 1. de redibus Ecclesiæ quæst. 1. num. 26. Suarez tomo 4. de religione tract. 9. lib. 1. cap. 11. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 25. num. 6. Valerius Reginaldus in praxi fori pœniten. lib. 13. num. 194. Sanchez in præcepta decalog. lib. 7. cap. 23. num. 1, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 98. num. 9. Præfata jura explicant nisi Monialis secum afferat dotem ex quâ possit commodè sustentari. Ratio est, quia per hoc sufficienter providetur intentioni Ecclesiæ. Lezana refert loco citato Sacram Congregationem 6. Septembris 1604. quod si quæ supra statutum numerum recipiantur, debeant duplicem eleemosynam afferre; & super numerarium locum tenere debere. Per duplicem autem eleemosynam intelligit duplicem summam ejus, quæ in receptione cujusque Monialis intra numerum in quolibet monasterio constitutum erogari pro tempore consueverit. Plura idem Lezana.

II. Episcopus intendere debet, ut moniales plenâ & spontaneâ voluntate profiteantur, ac proindè nè ante professionem aliquid detur monasterio præter victum & vestitum pro anno Novitiatus. Undè Sacra Congregatio declaravit dotem non esse monasterio tribuendam ante professionem. Cui subscribunt Suarez tomo 4. de relig. tractat. 9. lib. 1. cap. 11. num 4. Lezana citato loco. Episcopi esse ante professionem virginis voluntatem explorare an pia & spontanea sit, Lezana proximè citatus numer. 12. & cap. 16. num. 17. & tomo 3. verbo *Episcopus quoad regulares*, num. 10. Cui favet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 17. his verbis. *Libertati professionis Deo dicandarum prospiciens, Sancta Synodus statuit atque decrevit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non autem eum suscipiat, nec postea professionem emittat quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter an coacta, an seducta, sit, an sciat quid agat, & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisitas iuxta monasterii illius & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat.* Sacra Congregatio in una Burgensi 21. Septembris 1591. statuit ejusmodi inquisitionem sic faciendam esse: primò debet Episcopus vel ejus Vicarius præfigere puellæ professandæ certum terminum dierum, verbi gratiâ, 15. vel 20. intra quem debet declarare an velit professionem emittere, vel non, si noluerit, remittenda est domum consanguineorum, vel affinium. Quod si Episcopus monitus de examine faciendo non venerit intra 25. dies, illis elapsis potest puella ad professionem admitti, ut decisum referunt Armendariz lib. 2. tit. 18. lib. 7. de religionib. num. 44. Campanile in diverf. juris can. rub. 12. cap. 16. num. 16. Lezana tomo quæst. regul. verbo *Episcopus*, num. 10. Barbosa in collect. Bullarum verbo *Episcopus quoad regulares.*

Potest Episcopus declarare professionem ante 16. annum emissam nullam esse, ut decisum fuisse referunt Armendariz supra num. 11. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *Episcopus quoad regulares.* III.

Sacra Synodus Tridentina sess. 25. de reformatione cap. 5. statuit, ut Episcopi procurent observari clausuram monasteriorum, adhibito etiam brachio sæculari si necesse fuerit, accipe ejus verba. *Bonifacii VIII. constitutionem, quæ incipit: Periculoso, renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinarid, in aliis verò sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituni, ubi inviolata est conservari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quacumque appellatione postposita compescentes, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis.* IV.

Quod

Quod auxilium, ut præbeant, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ omnibus Magistratibus sæcularibus injungit. Quaranta in summa bullar. verb. *exemptio*, Lezana tomo 1. quæst regul cap. 25. num. 49. & tomo 3. verbo *Episcopus*, num. 13, ita ut pro clausurâ conservandâ possit à monialibus inquiri in collocutorio, vel ad crates, vel fenestram, de iis quæ ipsas concernunt ita Erasmus à Chokier de jurisdict. ordinar. in exemptos part. 4. quæst. 53. Lezana tomo 1. quæst. regular. cap. 25. numer. 49.

V. Quod Magistratus sæculares non præbentes auxilium Episcopis circa prædictam clausuram, incurrant excommunicationem, patet ex Concilio Tridentino citato, Bonacina de clausura quæst. 1. puncto 7. Lezana supra cap. 25. num. 49. quibus favent declarationes Sacræ Congregationis regularium apud Gavantum in manuali Episc. verb. *Monialium clausura*, num. 29. 30. & 56. & Constitutiones Pii V. *circa Pastoralis officii*, & Gregorii XIII. *Deo sacris*. Existimat tamen noster Lezana tomo 3. verbo *Episcopus quoad regulares*, stando in vi Concilii probabile videri hanc facultatem competere Episcopis in ordine ad moniales sibi subjectas. Et fundatur in illa particula Concilii *in aliis verò*. Huic explicationi arridet Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 15. num. 21. Navarrus comment. 4, num. 60. de regularibus Bonacina de clausurâ quæst. 1. punct. 6. Nihilominus idem Lezana postea resolvit posse in exemptas post Gavantum in manuali verbo *Monialium clausura*, num. 47. 58. 59. 60. 61. 62. Barbosam de officio & potest. Episc. allegat. 102. numer. 6. 7. 8. 9, & in collect. bullarii verbo *clausura*, Galletum in margarita casuum conscientiæ verbo *clausura* num. 1. Quibus arridet constitut. Gregor. 15. *inscrutabili*, & decisio Sacræ Congregationis quam refert tomo 1. quæst. regul. cap. 25. num. 13. Galletus supra, Zerola in praxi Episcop. part. 1. verbo *Moniales*, quæst. 4. & 8. Tamburinus de jure Abbatissarum disp. 24. quæst. 9. num. 4 Novarius in lucernâ regul, verbo *clausura*, numer. 4. Ita ut toties quoties expedire judicaverit possit visitare clausuram, eam ordinare, introducere, nec possit ab ipsis regularibus impediri ab ingressu in monasterium, examine de custodiâ clausuræ, & ad illam spectantium, Gavantus, Barbosa, Lezana supra, Armendariz supra lib, 1. tit. 18 lib. 7. de Episc. num. 44. Et ita decisum fuisse die 28. Aprilis 1584. & 26. Maii 1640. à sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum refert Barbosa, quibus consonat alia declaratio (apud eundem Barbosam in collectaneis Bullarum verbo *clausura*) sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium posse Episcopum visitare & ordinare clausuram monialium non subditarum absque assistentiâ superiorum illarum. Alii inhærent Constitutioni Pii V. decernentis visitationem esse faciendam ab Episcopo *unà cum superioribus eorundem monasteriorum.* Episcopum etiam posse respectu clausuræ custodiendæ in monasteriis monialium subjectarum regularibus imponere pœnam excommunicationis latæ sententiæ, & sibi reservare circa aperitionem ostii clausuræ extra casus necessitatis & indigentiæ, necnon circa accessum & colloquia cum monialibus, & quod præfata censura liget & regulares accedentes, & moniales (si de illis fiat mentio) adeo ut superior regularis ab eâ censurâ nequeat absolvere declaratum fuit in una Viterbiensi 26. Junii 1626. ut referunt Novarius in lucerna regul. verbo *Episcopus quoad regul.* numer. 7, Barbosa in collect. bullar. verbo *Episcopus*, Lezana supra, & authenticè habetur in additamentis ad Peirinis decreto 5. ita ut possit Episcopus præfatam clausuram introducere (*invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis*) Quod auxilium ut præbeatur Concilium hortatur Principes Christianos & sub excommunicatione latæ sententiæ injungit omnibus Magistratibus sæcularibus, ut animadvertunt Lezana tomo 3. verbo *Episcopus quoad regulares*, Sanchez lib. 6. in

decalogum cap. 15. num. 22. Quibus subdit Lezana num. 14. & tomo 1. cap. 25, num. 21. quod harum monialium clausuræ conservandæ gratiâ spectet ad Episcopum approbatio licentiæ egrediendi monasterio. Cui favet Tamburinus de jure Abbatissarum disput. 20. quæst. 5. Item facultas ingrediendi modo explicato à Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 25, & tomo 3. quæst. regul. verb. *clausura Monialium*, numer. 24. & 25.

VI. Quid dicendum sit de monasteriis, in quibus ante Concilium Tridentinum non fuit observata clausura Navarrus de election. & variatione fori comment. 4. num. 45. vers. 8. Franciscus Emmanuel quæst. 44. num. 2. Azorius institut. moral. part. 1. lib. 13 cap. 8. quæst. 1. vers. *ex his. Planè* (inquit) *constat nunc non esse locum multis quæstionibus, quæ ante & post Concilium Tridentinum agitabantur, nimirùm, an ubi nunquam est servata clausura Monialium, servari nunc debeat. Nam constitutioni Bonifacii VIII. ante Concilium Tridentinum potuit consuetudine esse derogatum. At verò post Concilium Tridentinum & Pontificias Constitutiones Pii V. etiam ubi non est servata clausura cogendæ sunt Moniales eam servare.* Quibus subdit hanc quæstiunculam. *An possit consuetudine alicubi esse derogatum decreto Concilii Tridentini; & constitutionibus Pii V. Respondeo* (inquit) *posse, nam fieri potest, ut constitutiones Pii V. simul & decretum Concilii Tridentini non sint alicubi usu recepta. Sed ego novâ constitutione Pontificiâ, quæ consuetudinem contrariam abrogat Moniales ad servandam clausuram cogendas esse putaverim. Quod si ibi quoque ante Concilium consuetudo steterit constitutioni Bonifacii VIII, aut eam usus nullo modo receperit; consequitur, ut ibi Moniales clausuram servare minimè cogantur nisi adducta & pervicta auctoritate Episcoporum, aut superiorum includantur.* Consequenter docet quod post Concilium Tridentinum & constitutiones Pii V. Monasteria absque ullâ clausurâ fundata debeant includi, quamvis statuta concedant liberam facultatem monialibus egrediendi monasterio. Maximè ubi Concilium Tridentinum, & constitut. Pii V. recepta sunt, alibi enim vel jus antiquum, vel consuetudo vim & locum habebit. Pius V. definit etiam facultatem exeundi è monasterio debere esse scriptam accedente Episcoporum & superiorum regularium consensu. Idem Azorius infra docet Abbatissas, Priorissas, sivè Præpositas eodem præcepto comprehendi quo moniales, ipsasque includi debere ad eandem clausuram. Episcopus obligare potest Conversas & Tertiarias, sivè de pœnitentia cujuscumque Ordinis, vel Congregationis sint, si utræque sint professæ, ita Pius V. motu proprio, Ludovicus Miranda de sacris monialibus quæst. 1. artic. 3. & 5. Suarez de religione tomo 4. lib. 1. cap. 8. num. 14. & 17. Bonacina de clausura relig. tomo 1. puncto 2. n. 2. Sanchez supra cap. 15. numer. 13. Lianas in methodo curationis in appendic. §. 1. Fr. Emmanuel quæst. 44. art. 4 Navarrus comment 4. num. 45 Barbosa supra num. 9. Novitias non teneri ad clausuram docet Bonacina num. 5. Suarez cap. 8. num. 16. Quid nomine clausuræ intelligatur docet breviter & clarè noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 25, numer. 18. Rodriguez tom. 1. quæst. regul. quæst. 44, art. 3. Navarrus de regul. comm. 4. numer. 56. Bonacina de clausura quæst. 1, puncto 1. Gavantus in manuali Epis. verb. *Monialium clausura* Episcopum posse permittere ut Conversæ Moniales exeant è monasterio ad exigendas eleemosynas conventus necessarias, si aliundè haberi non possint; servatis conditionibus præscriptis à Pio V. in bulla *Circa Pastoralis*, & à Gregorio XIII. in bulla *Monialium clausura*, Docet Lezana cap. 25. num. 17. vers. *circa conversas.* ubi has conditiones refert, primò, ut Conversæ sint ætatis 40. annorum. Secundò, ut non pernoctent foris. Tertiò, ut octo tantùm destinentur ad quæstum. Quartò, ut absoluto quæstu recludantur, ob quem finem Conversas posse recipi ad professionem docent Bonacina supra quæst. 1. puncto 9. num. 15. Sanchez supra cap. 15. numer. 59. Fr. Emmanuel tomo 1. quæst. 44. art. 4.

Azorius.

art. 4. Suarez de religione tomo 4. lib. 1. cap. 8. num. 19. Dicunt etiam Sanchez supra cap. 15. numer. 30. Llamas in methodo Curatorum in appendice §. 5. Barbosa supra num. 28, nomine Episcopi intelligi etiam Vicarium generalem. Et quí in casibus necessariis possint ingredi monasterium monialium, fusè refert Barbosa supra num. 52, & in quibus casibus ibidem.

§. 3.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Novitios.

I. Conciliū Trident. EX Concilio Tridentino sess. 25. de reformatione cap. 18. *Præcipit sacra Synodus sub anathematis pœnâ dantibus & recipientibus, nè hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut rectè fiat, Episcopi etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat*; scilicet eos qui aliquid accipiunt vel dant pro ingressu novitii. Dixi pro ingressu non licere aliquid accipere quasi pretium: quia pro victu, vestitu, ac congruâ sustentatione non tantùm in anno probationis, sed etiam post professionem posse aliquid dari vel accipi docent D. Thomas 2. 2. quæst. 100. artic 9. ad 4. Navarrus in manuali cap. 27. num. 106, Ratio primæ partis est, quia accipere aliquid ut pretium, esset simoniacum. Ratio secundæ partis est, mos talis inolevit, & ratio naturalis est, quia cum nequeant à monasterio sustentari debent parentes personæ admittendæ subministrare. Quod si monasterium sit locuples, Sotus lib. 9. de justitiâ & jure quæst. 6. artic. 2. negat posse aliquid recipi. Suarez tomo 2. de relig. lib. 4. de simoniâ cap. 17. affirmat posse. Noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 25. num. 3. non excusat illos saltem à peccato avaritiæ. Quoties licitum est aliquid accipere pro ingressu religionis potest de illo fieri pactum, ita Suarez & Lezana jam citati, Bonacina de simoniâ quæst. 7. §. 4. Ratio est, quia hoc non est facere pactum ut detur, vel accipiatur aliquid temporale pro spirituali (quod est simoniacum) sed temporale pro temporali, scilicet pecuniam pro sustentatione, quod jure naturali concessum est. Lezana & Bonacina jam citati. Id autem quod datur nomine, seu tali sustentatione, debet primo anno probationis durante deponi penes personā idoneam, quæ non sit affinis vel consanguinea personæ novitiæ, & post professionem bonis stabilibus applicari (inquit Lezana citato loco) Deindè nulla debet fieri dotium differentia inter indigenas & advenas. Vel tertiò potest expendi dos in usus monasterio communes, & quod supernumerārium est, converti in emptionem bonorum stabilium, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium apud Gavantum in manuali Episcoporum verbo *Monialium novitiarum alimenta.*

II. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 16. statuit: *Ut nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ pia valeat, nisi cum licentiâ Episcopi, sivè eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione, aliter verò facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.* De hoc argumento differunt Azorius instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 2. Molina de justit. tract. 2. disp. 139. vers. *anteaquam*, Lessius tract. de justit. lib. 2. cap. 41. dubio 4. Stephanus Gratianus Marchiæ decis. 37. Franciscus Leo in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 1. numer. 38. Fr. Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 47. art. 8. Piacesius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 3. num. 10. vers. *renunciatio*, Cevallos commun. contra commun. quæst. 806. num. 6, & alii plures apud Barbosam de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 99. num. 1. nostrum Lezanam tomo 1. quæst. regul. cap. 24. & seq.

III. Ut Concilium occurat fraudibus, formidini, precibus importunis, verbis citatis

citatis in bonorum temporalium dispositione à novitio facienda; vult præmitti Episcopi vel ejus Vicarii licentiam, sivè Episcopus sit consecratus, sivè non (inquit Sanchez in præcepta decalog. tomo 2. cap. 5. num. 65 qui num. 66. cum Bartholomæo à S. Fausto in thesauro relig. lib. 5. quæst. 196. asserit Archiepiscopum consecratum antè receptionem pallii posse ejusmodi facultatem dare in suâ Diœcesi. Ratio est quia tantùm illi interdicitur congregare concilium, & exercere ea, quæ spectant ad ordinem Episcopalem, non autem quæ sunt jurisdictionis. Ideò autem Concilium vult præmitti facultatem Ordinarii, quia (inquit noster Lezana cap. 24. citato, num. 33. post Navarrum lib. 3. consil. in 2. edit. de don. consil. 7. & 8. & in 2. edit. tit. de regul. tit. 81. & 82. Rodriguez tomo 2. quæst. regul. quæst. 47. art. 8. Concilium intendit consulere libertati novitii, nè scilicet impediatur ab egressu Religionis, quam amplexus fuerat, sed cogatur in ipsâ profiteri, quæ cum suis bonis spoliavit. Fr. Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 47. art. 14. Barbosa supra num. 4. Lauretus de Franchis in controvers. inter regul. & Episc. quæst. 43, asserunt decisionem Concilii intelligi tam de monasteriis exemptis, quàm non exemptis, ita ut non sufficiat licentia Prælati regularis. Ratio est, quia Concilium cap. 16. citato præscribit licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii prius habendam.

IV. In hac decisione comprehendi tantùm actu novitios, non autem qui novitii esse volunt, & intuitu religionis bonis suis renunciant, volunt Passarellus in privileg. Minim. cap. 37. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 5. num. 4. de quibus & aliis videndi Diana tract. 2. de dubiis regul. resolut. 55. Portellus in dubiis regul. verbo *novitiatus*, num. 41. Ratio 1. est, quia illud decretum tantùm est de regularibus, ut patet ex titulo totius sess. 25. Secunda ratio, quia ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, sed Navarrus proximè citatus, Molina tomo 1. de justitiâ disp. 139. & 149. & tomo 3. disp. 604. num. 2. Suarez supra num. 7. & 8. Lezana cap. 24. citato num. 34. Existimant oppositam sententiam probabilem, nisi obstaret declaratio Congregationis. Ratio est, quia isti volunt ingredi religionem, possuntque aliquo modo numerari inter personas regulares, quæ intelligenda sunt de novitiis, sivè qui attigerint annum 16. sivè non. Ratio Lezanæ est, quia ratio adducta procedit de omnibus, qui notat post Rodriguez tomo 2. quæst. regul. cap. 7. num. 2. Vega tom. 2. summæ cap. 50. casu 3. non requiri Episcopi vel Vicarii præviam licentiam, si in aliquibus Religionibus per consuetudinem legitimèprascriptam oppositum fuerit introductum. Ratio est, quia hæc Tridentina decisio est tantùm lex positiva, quæ per consuetudinem potest abrogari præcipuè quoad aliquas circumstantias. Quomodò autem nihilominus possint novitii condere testamentum seu contractus revocabiles, facere aliquas eleemosynas & donationes parvi momenti spectatis facultatibus ipsorum, vide Lezanam supra num. 35.

V. Licentia dànda ab Episcopo vel ejus Vicario novitiis disponendi de suis bonis temporalibus non debet necessariò esse in scriptis, ita Barbosa supra num. 10. Ratio est, quia Concilium nullam scripturæ mentionem facit, Bartholomæus de Vecchiis in praxi observandâ in admittendis novitiis ad religionis habitum & statum disp. 8. dubio 9. num. 3. & 4. Sanchez supra cap. 5. num. 76. & seq. Lauretus de Franchis in controvers. inter regul. & Episc. quæst. 42, Barbosa loco citato contendunt tacitam licentiam ex ratihabitione de præsenti, plura numeris seq.

VI. Monachus ad Episcopalem dignitatem promotus potest revocare renunciationem legitimè ante professionem factam, legitimamque vendicare. Ita Andræas Molfesius consil. 1. post vol. 1, comment. ad consuetudines Neapol. & consil. 39. post vol. 2. Philippus Paschalius de viribus patriæ potest. part. 1. cap. 3. numer. 98. Aloysius Riccius in praxi

part. 1.

part. 1. resol. 152. Marcus Antonius Genuensis in practic. Eccles. quæst. 45, vol. 2. Marius Cutellus de donat. contemplatione matrimonii tomo 1, tract. 1. discept. 2. part. 3. num. 132. Laurctus de Franchis in controvers. inter regul. & Episc. quæst. 118. quam opinionem probat multis fundamentis, quibus accedit declaratio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quam refert Barbosa supr. num. 15. die 11. Januarii 1631. *Proposito in sacra Congregatione Concilii Tridentini dubio ad instantiam N. regularis professi, & ad Episcopatum promoti: Eminentissimi Patres censuerunt dictum Oratorem recuperare jus succedendi etiam in bonis ab eo renunciatis, dummodò non sint alteri quæsita.*

VI. Qui vult institutum religiosum amplecti potest validè resignare beneficium extra bimestre ante professionem, ita Suarez tomo 3. de relig. lib. 5. cap. 16. numer. 12, Sanchez in præcepta decal. lib. 7, cap. 5. num. 38 Azorius institut. moral. part. 2. lib. 7. cap. 20. quæst. 6. Vega tomo 2. cap. 10. cas. 3. Ludovicus Miranda in manual. prælat. tomo 1. quæst. 23. artic. 5. Sperellus decis. fori Eccles. decis. 16. numer. 49. Bartholomæus de de Vecchis in praxi in admittendis ad religionis statum novitiis disp. 8. dubio 7, num. 4. Hieronymus Venero in examine Episc. lib. 6. cap. 15. numer. 23. idque sæpius fuisse decisum docent Molfesius tomo 1. ad consuet. Neapol. part. 4. titul. de renunciat quæst. 16. num. 34. & 35. & in summa moral. Theolog. tract. 6. cap. 12. num. 12. Bartholomæus à S. Fausto supra lib. 5. quæst. 181. Majolus de de irregul. lib. 3. cap. 6. Barbosa supra num. 19. Novarius in lucerna regul. verbo *renunciatio*, Ludovicus Miranda in manuali prælat. tomo 1. quæst. 23. art. 5. Cevallos quæst. 121. num. 4. & 5. Flaminius de resignat. lib. 3. quæst. 13. num. 4. Marcus Anton. var. resol. lib. 1. resol. 112. Undè Flaminius præmonet nè quis temerè renuntiet dum est Novitius, nè postea contingat eum carere beneficio & monachatu, si non profiteatur, Garcias tamen contrarium sustinet, cui subscribit Barbosa supra.

VII. Renuntiatio beneficii ad cujus titulum quis ordinatus est non debet admitti, nisi habeatur de professione futurâ certitudo, ita Campanile in divers. juriscan. rub. 12 cap. 3. numer. 10. Ratio est, quia est invalida, (inquit Barbosa supra num. 20.) & probat ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. Concilii Trident. *Statuit sancta Synodus, nè quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneis moribus, scientiâ & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat possidere, id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod aliundè vivere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit.* Idem asserendum esse de renunciatione patrimonii, cujus titulo aliquis ordinatus est nisi simul habeat alia bona, de quibus possit se sustentare & vivere, ita Ludovicus Miranda in manuali prælat. tomo 1. quæst. 23. art. 3. Sanchez in præceptâ decal. lib. 7. cap. 5. num. 40. & 41. Bartholomæus de Vecchis in praxi observandâ in admittendis ad religionis statum novitiis disput. 8. dubio 7. num. 6. Hinc inferunt Graffis part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. Lezana tomo 1. quæst. reg. cap. 24. n. 37. beneficiũ, quod habet novitius non esse conferendũ ab Episcopo, vel alio patrono antequam novitiatus expiraverit, sed debere committi deserviturum illius alteri. Ratio est, quia adhuc est capax illud retinendi.

VIII. Potest Episcopus professionem emissam ante 16. annum ætatis nullam declarare. Ita decisum fuisse refert Armendariz in addit. ad recopil. legum Navarræ lib. 2. tit. 18. lib. 7. de relig. num. 11. & 40. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 3. alleg. 10. num. 1. Idem docent posse ab Episcopo declarari professionem illius in causis quæ infra biennium ab ordinario & superiore locali præscriptum non terminantur, juxta decretum Concilii Tridentini sess. 24. cap. 20. *Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint in primâ instantiâ coram ordinariis locorũ dumtaxat cognoscantur,*

atque omninò saltem infra biennium à die mota litis terminentur. Ratio primę partis petitur ex Concilio Triden. sess. 25 cap. 15. *In quacumque* (inquit) *Religione tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante 16. annum expletum. Professio autem antea facta nulla sit, nullamque inducat obligationem aut alicujus regulæ vel religionis vel ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus.* Hanc decisionem explicant Azorius part. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 9. & alibi Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 24. num. 22. Navarrus consil. 23. de regul Sayrus in floribus decis. decis. 97. Zerola in praxi Episc. part. 1. verbo *Monialis*, §. 2. Franciscus Leo in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 1. Petrus Ledesma in summa part. 2. tract. de religionibus in communi cap. 7. Campanile in divers. iuris canon. rub. 12. cap. 11. numer. 1. Joannes de la Cruz de statu religionis lib. 1. cap. 8. dubio 2. & 4. Armendariz in recopil. legum Navarr. lib. 2. tit. 18. lib. 7. de religionibus num. 41. Ludovicus Miranda in manuali prælat. tomo 1. quæst. 24. art. 2. Sanchez in præcept. decal. tomo 2. lib. 7. cap. 4. num. 1. Laurentius Peirinis de subdito religioso tomo 1. cap. 20. §. 3. Hieronimus Rodericus in compendio quæst. regul. resol. 101. numer. 30 Hieronymus Venero in examine Episc. lib. 6. cap. 15. Novarius in lucernâ regul. verbo *Professio*, num. 8. Tamburinus de jure Abbatissarum disp. 8. quæst. 4. Lezana in summa tomo 1. quæst. regul. cap. 2. num. 9.

Concilii Trident.

VIII. Ex Concilio Tridentino sess. 25. de regularibus cap. 19. *Quicumque ex regularibus prætendit se per vim & metum ingressum religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causâ, aut etiam cum habitu discedere sine licentiâ superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario* Noster Lezana notat tomo 4. quæst regul verbo *professio*. num. 21. hanc dispositionem Concilii tantùm procedere pro reclamantibus nullitatem professionis ob impedimenta temporalia non autem perpetua. Ratio est, nam qui cum impedimento perpetuo professi sunt etiam audiri possunt elapso quinquennio, Navarrus lib. 3. consil. tit. de regul. in 1. edit. consil. 5. num. 12. & consil. 25. num. 2. & ult. & in 2. edit. consil. 26. num. 2. & consil. 48. num. 2. Bonacina de clausura quæst. 2. puncto 10. diffic. 4. num 7. Thesaurus in praxi part. 2. verbo *professio*, cap. 1. §. *amplia secundo*, Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 104. num. 20. Sanctarellus variar. resol. part. 1. quæst. 48. numer. 36. Villalobos in summa tract. 35. difficul. 24. num. 8. Portellus in dubiis regul. verbo *professionis nullitas*, art. 5. Hieronymus Rodericus resol. 101. num. 74. Suarez tomo 3. de religione lib. 7. cap. 14. num. 7. 8. & 9. Lezana quæst. regul. tomo 4. verb. *professio regularis*, num. 21. Ratio prima est, quod favore alicujus introductũ est in ipsius damnum non debet retorqueri, l. *quod favore*, C. de leg. & reg. *quod in gratiam*, de regulis iuris in 6. Si enim Religiosus laborans perpetuo impedimento dirimente professionem non posset è religione egredi, religio pateretur detrimentum: quia cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra mentem Concilii, cùm hoc decretũ sit editum in favorem illius. Secunda ideo Concilium denegat audiri post quinquennium, quia præsumit religiosum consensisse, quæ ratio cessat in habente impedimentũ perpetuum, cum ipsius consensus nequeat esse validus. Tertia, sequeretur mulierem, quæ mentito habitu emisit professionem in monasterio posse cogi ut maneat in monasterio, quod est absurdum. Eodem modo philosophatur Lezana citatus de habentibus impedimentum temporale durans etiam post quinquennium, si illud professionem irritet, verbi gratia, si professi sint ex metu, vel ante 16. annum, &c. & hæc durent quinquiennio elapso. Ratio est quia cum Concilii Tridentini constitutio fundetur in præsumptione ratificationis professionis irritæ, & talis ratificatio tunc esse nequeat (quia ex dictis

dictis, ea impedimenta, quæ invalidant professionem expressam, invalidant etiam tacitam) cessat præsumptio Concilii, Portellus supra verbo *professionis nulla reclamatio*, num. 52. Sanchez lib. 7, de matrimonio disp. 37. num. 34. Cùm etiam ex Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 2. num. 7. & tomo 4. verbo *professio regularis*, num. 21. Navarro comm. 4. de regul. num. 71. Nonobstante taxatione quinquennii à Concilio facta audiri possit reclamans post quinquennium, si allegaverit causas legitimas, ob quas non potuit intra præfatum tempus reclamare. Ideò Azorius part. 1. lib. 12. cap. 4 quæst. ult. Suarez tom. 3. de religione lib. 7. cap. 4. numer. 6. Sanctarellus quæst. 48. num. 3. Diana part. 3. tract. 2. resolut. 53. & 62. Pasqualigus decis. 432. Lezana tomo 4. verbo *professio*, probabiliter existimant, quod is qui non reclamavit intra quinquennium, vel quia impeditus fuit, vel quia ignoravit justâ ignorantiâ possit reclamare post quinquennium suam professionem esse irritam. Suarez loco citato subdit, quod quamvis Concilium dicat quinquennium esse computandum à die professionis intelligendum est per se, per accidens autem interveniente ignorantiâ probabili, compntandum esse à die, quo aliquis cœpit habere scientiam de nullitate professionis. Quod confirmatur: quia Concilium voluit concedere tempus quinquennii habere ad ratificandam professionem, at quamdiu ignoratur nullitas professionis nequit ratificari. Igitur non debet tempus illud in hoc quinquennio comprehendi, ita Suarez & Lezana supra, apud quos & alios plura. Quod si priusquam declarata fuit professio nulla. *Habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandum quacumq; causâ admittatur: sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur. Interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur.* Ratio est, quia (inquit Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 2. num. post Concilium Tridentinũ sess 25. cap. 19.) ut reclamatio professi audiatur fieri debet cum habitu, debetque, ut audiatur illum reassumere. Ita Portellus in dubiis regul. verbo *professionis nullitas*, num. 45. Diana tract. 2. de dubiis regul. resol. 55. Lezana jam citatus.

Concilii Trident.

X. Quis autem processum talis nullitatis professionis instituere possit, accipe resolutionem Concilii Tridentini sessione 25. de regul. cap. 19. *Coram superiore suo & ordinario.* Ita ut solus superior nequeat nullitatem professionis declarare, eumque ad sæculum dimittere, sed prius debeat fieri processus coram Episcopo, seu Ordinario, ita Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *professio regularis*, num. 22. Portellus in responsionibus moral. tomo 2. casu 14. quæst. 2. & casu 93. ubi narrant quendam ordinarium excommunicasse Prælatum cujusdam religionis, eo quod nollet illi tradere quendam religiosum ob culpas commissas in carcere detentum, prætendentem se nulliter professum. Debet igitur ejusmodi reclamatio de nullitate professionis fieri, vel coram Sede Apostolicâ, vel conjunctim coram Episcopo illius loci, ubi est monasterium professionis, & Superiore locali illius Monasterii in quo professionem emisit. Ita Tamburinus de jure Abbatum tomo 3. disp. 6. quæst. 26. Barbosa in collectaneis bullarii verbo *professio regularis*, Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *professio regul.* num. 22. Novarius in lucerna regul. verb. *professio.*

XI. Notat Lezana supra num. 23. post Bonacinam, Navarrum, Henriquez, Sanchez, imò & Lessium lib. 2. cap. 41. dubio 7. num. 63. Sayrum lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7. supposito, quod religiosus invalidè professus nequeat cogi ad ratificandam professionem, eo quod professio debeat esse actus omninò liber, non autem ullo modo coactus, & si nolit spontaneè ratificare professionem invalidam, possit intra quinquennium auctoritate propriâ dimittere habitum, fugere è religione, jungi matrimonio secluso scandalo, vel aliis circumstantiis extrinsecis. Nihilominus hæc limitanda sunt, primò, quando invalidè professus est certus de invaliditate suæ professionis, quod si dubius sit, debet judicare

dicare in favorem suæ religionis. quæ ipsum possidet, ita Sanchez de præceptis decal. lib. 4. cap. 2. Diana part. 4. tract. 2. resol. 35. Lezana tomo 3. quæst. regul. verb. *dubia regul.* num. 16. & tomo 4, verbo *professio regular.* num. 23. Suarez supra cap. 2. num. 6, Ratio prima est, quia religio possidet ipsum, cùm professio sit facta verbis inducentibus obligationem ipsorum, & traditionem religiosi. Secunda, quia præsumptio fori externi stat pro verbis professionis, & ita dum non constat certo de contrario standum est etiam in foro conscientiæ, etiam huic præsumptioni. Quod extenditur ad casum metus gravis; quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit, possessio stat pro professione, ita Sanchez supra cap. 3. num. 27. Lezana verbo *dubia regul.* numer. 16. Imò ad omne dubium valoris professionis ob eandem causam Suarez tomo 2. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 6. Sanctarellus variar. resolut. tomo 1. quæst. 18, num. 48. Lezana jam citatus, ubi plura. Limita 2. pro casu, quo ille nequeat probare coram Episcopo & superiore locali invaliditatem suæ professionis. Si enim probare potest debet uti remedio à Concilio designato, reclamando scilicet coram Episcopo & superiore suo. Quia auctores relati probabiliter intelligunt tantùm pro foro externo non interno, vel conscientiæ. Probabilius tamen existimat Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *professio regularis*, num. 23. oppositum esse verum, non tantùm ob pœnas, quas Concilium assignat, scilicet quod habeatur pro apostâta, & quod nullo suæ religionis privilegio gaudeat, quæ pœnæ cùm sint graves, videntur supponere culpam in foro conscientiæ, sed etiam quia illi actus per se videantur pernicioſi bono communi, & contra jus religionis, vel saltem contra justitiam legalem. Quia quando aliquis habet jus ad rem, vel in re, quam alius possidet, præsertim justè. non potest suâ auctoritate illam usurpare, sed debet uti auctoritate judicis, quando commodè potest. Deindè opposita opinio est contra bonum ordinem Reipublicæ, ac inferre potest scandalum & perturbationem, non per accidens, sed per se (inquiunt Suarez supra cap. 3. num. 11. Lezana citato numero) qui plura ad hoc intentum refert.

§. 4.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Eremitas.

NOtat P. noster Lezana tomo 2. quæst. regul. cap. 7. numer. 1. esse tria Eremitarum genera: primum eorum qui ob vitam Eremiticam, quam in primâ sui institutione gesserunt, vel modò in locis desertis degunt, Eremitæ vocantur, Cujusmodi sunt Carmelitæ, qui à Pontificibus Eremitæ Montis Carmeli nominantur ob talis montis habitationem. *Mons quippè* (inquit Joannes 44. Patriarcha Jerosolym. de institut. Monachorum cap. 19.) *præbet Eremitæ homini ex suæ solitudine silentium & quietem, ex suis antris congruam mansionem.* Infra loquens de oratorio, quod vocat *Seunion. Elias & discipuli ejus de eorum tabernaculis & speluncis egredientes ad domum illam honestè tribus vicibus conveniebant.* Et cap. 21. *Quoniam igitur Elias præ cæteris eremis in quibus habitavit montem Carmelè tanquam commodiorem ad plantandam in eo propheticam religionem vitæ monasticæ & docendam melius & exercendâ, &c. Ideò Eliseus & cæteri Eliæ discipuli religiosi viri Prophetarum filii, necnon eorum tam veteris, quàm novæ legis successores Montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes ipsum aliis eremis, ut eorum religioni magis commodum præstulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipuè ad exemplum & imitationē illius sancti Viri Eliæ Prophetæ, & prædicti religiosi secundùm formam per Deum Eliæ creditā in iustitia propheticā vitæ monasticæ Domino Deo Israel devotè servierunt. Ubi religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis & cavernis, atque cellis continuè & incessanter duxerunt, iuxta fontem Eliæ, ob cujus sanctitatem & loci devotionem ad majorem servandæ vitæ* Ioan. 44.

eremi-

Eremiticæ oportunitatem, &c. Undè tum nostræ reformationis Professores, nunc nostri Discalceati in multis Provinciis magnâ cum populi ædificatione commorantur. Hoc nomine Patres Augustiniani passim nuncupantur. Item Camaldulenses, Eremitæ S. Hieronymi, Montis Senarii, S. Petri de Pisis, &c. Secundum est eorum, qui licet non emittant tria vota substantialia religionis, tamen degunt sub obedientiâ alicuius superioris Ecclesiastici, verbi gratiâ, Episcopi ex voto vel pacto alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco sacro deserviunt in communitate, vel separatim. Tertium est eorum, qui in eremis & desertis locis morantur, non sub obedientiâ speciali alicujus regulæ, vel religionis institutione, sed ex merâ voluntate. Non est hic quæstio de Eremitis primi generis, quia sunt verè religiosi, ita Suarez tomo 4. de religione tract. 9. lib. 1. cap. 2. Sylvester verbo *Eremita*, Lezana, & alii passim. Sed de secundo genere, qui non sunt verè & propriè religiosi (inquiunt Suarez & Lezana supra) Ratio est, quia non emiserunt tria vota substantialia religionis, nec aliquam regulam approbatam profitentur. Vel esto, quod castitatem, vel aliquod genus paupertatis & obedientiæ promittant privatim, & non solemniter: sed per modum voti simplicis, non ideò sunt propriè religiosi, ita Suarez tomo 4. de religione tract. 9. lib. 1. cap. 2. Lezana supra num. 2. Nisi analogicè, & lato modo, si aliquod, vel aliqua ex votis essentialibus emittant, ideòque incompletè & imperfectè participant rationem status Religiosi, idem Suarez tomo 3. de relig. lib. cap. 2. num. 18. & ideò possunt contrahere matrimonium post emissum votum simplex castitatis, licèt illicitè ut Lezana supra numer. 3. post Corneio tomo 2. in 3. part. tract. 6. de impediment. matrim. dubio 40. testari etiam possunt, ita Sylvester verbo *testamentum*, quæst. 3. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 8. num. 40. Molina tomo 1, de justit. disput. 41. Lezana num. 3. Hos Eremitas inter personas Ecclesiasticas numerari debere & gaudere privilegio canonis docent Suarez tomo 5. in 3. part. disp. 22. sect. 1. Layman in Theolog. morali lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4, Rodriguez tomo 2. quæst. regul. quæst. 63. num. 4. Lezana supra numer. 4. Lauretus de Franchis in comment. controvers. inter Episcop. & regular. quæst. 41. Leonardus Duardus in bullam Cœnæ lib. 2, cap. 15. quæst. 2. num. 2. Bonacina in eandem bullam, disp. 1. quæst. 19. sect. 1. puncto 3. num. 18. Paulus Squillante de privileg. Cleric. cap. 7, numer. 44. Antonius de Marinis resol. quotid. cap. 114 num. 8. Bossius de triplici jubilæi privilegio sect. 3, casu 22. §. 6. num. 60. Barbosa de officio & potest. Episcopi alleg. 12. num. 43.

II. Eremitæ tertii generis, si non sint in sacris constituti non gaudent privilegio fori, sed manent subjecti potestati seculari, ita Covarruvias pract. 2. cap. 34. numer. 4. vers. 2. Petrus Duenas reg. 100. Armendariz ad recopil. legum Navarræ lib. 4. tit. 29. l. 1. Boerius tract. de statu & vitâ eremit. num. 13. & 14. Carolus de Grassis de effectu 1. num. 102. Franciscus Emmanuel tomo 2, quæst. 62. artic. 1. Cevallos commun. contra commun. tract. 4. quæst. 898. num. 585. Molina de justitiâ tract. 2. disp. 141. vers. *Eremita*, & tract. 3. disp. 50. num. 4. Morla in emporio juris part. 1. tit. 2. in prælud. num. 141. Flores quæst. 21. num. 194. Curia Philipp. part. 3. §. 1 num. 15. Zerola in praxi Episc. verbo *Eremita*, Sanchez in præcepta decal. lib. 4. cap. 16. numer. 30. Camillus de Cutt. part. 2. cap. 2. num. 93. Paulinus tit. 1. cap. 3. numer. 4. Belletus disq. Cleric. part. 1. titul. de discipl. cleric. §. 2. numer. 25. Novarius in praxi de vat. fori sect. 2. quæst. 67. Bonacina in bullâ Cœnæ disput. 1. quæst. 16. puncto 3. num. 18. Castro-Palao in opere moral. tomo 2. tract. 12. disp. unic. puncto 4. numer. 10. & alii apud Barbosa supra num. 42.

III. Eremitas tertii generis non esse exemptos à gabellis & tributis, docent Bossius de triplici jubilæi privilegio sect. 3. casu 22. §. 6. numer. 60. Marta de jurisdictione casu 113. n. 1,

Lauretus

Lauretus de Franchis in suis controversiis part. 1. quæst. 41. Antonius de Marinis resolut. quotid. cap. 114. num. 8. Bonacina in bullam Cœnæ disput. 1. quæst. 19. sect. 1. puncto 3. num. 18. Duardus in eandem bullam lib. 2. can. 15. quæst. 6. num. 2. Layman Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4. Barbosa de officio & potest Episc. allegat. 12. numer. 34. Lezana supra num. 7. Ratio est, quia non sunt personæ Ecclesiasticæ, Deo specialiter dicatæ, nec obsequio Ecclesiastico addictæ.

IV. Ex quibus concludit Lezana declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum & regularium relatam à Barbosa in collectaneis bullarum verbo *Eremita*, quâ permittit, imò injungit Episcopis, ut non tolerent Eremiticam vitam agentes utriusque sexus, intelligi de Eremitis tertii generis. Ratio est, quia modus vivendi illorum est expositus multis periculis, multiqué inter eos scelerate vivunt. Undè qui voverunt vitam eremiticam gerere vitâ eremiticâ secundi generis, votum validum est, & obligat, quia est de re honestâ. Si autem sit de vitâ eremiticâ tertii generis, votum nullum est. Ratio est, quia est de re periculosâ & ab Ecclesiâ reprobatâ à Sacrâ Congregatione Episcoporum & regularium.

V. Tamen si aliquis contemplativus, & virtutibus præditus amore vitæ solitariæ vitam eremiticam vovisset, tenetur adimplere accedente consensu Episcopi, ita Sanchez lib. 4. oper. moral. cap. 16. num. 10. Ratio est, quia commendatur in jure communi 16. quæst. 1. cap. *Qui verè, purèq; solitariâ vitam elegit digni sunt convenienti honore.* Notat tamen Lezana num. 9. post Lauretum de Franchis in controvers. Episc. & regul. quæst. 41. ejusmodi eremitas debere vivere sub obedientiâ Episcopi, seu Ordinarii, ex dist. 11. quæst. 3. cap. *si autem*, & ex dist. 93. cap. *nulla ratione.*

§. 5.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Eleemosynarum Quæstores.

I. PEr Quæstores Eleemosynarum intelligo eos, qui eleemosynas colligunt in usum Ecclesiæ, vel in sustentationem ministrorum Dei, seu eorum, qui divinis officiis sunt specialiter mancipâti, ac institutum amplexi sunt specialiter destinatum ad docendum, concionandum, sacramenta administranda, ac proindè ad diligentem litteris operam navandam (inquit S. Thomas opusc. 19. cap. 5.) contra quos Wicleffus acriter invehitur adulterans verbum Dei, apud nostrum Thomam Waldensem lib. 4. Doctrinalis fidei. Ejus sequaces Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis Bohemi in Concilio Constantiensi combusti sunt, apud Prateolum verbo *Hieronymus Pragensis*, & verbo *Hussita*, Genebrardū in Gregorio 12. Onuphrium anno 4015. Sanderum hæresi 170. Platinam in Joannem 24. Dupleix in Carolo 6. Florimundum lib. 4. cap. 3. Azorium institut. moral. part. 2. lib. cap. 17. Guilelmus de S. Amore apud S. Anthoninum part 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. summæ Theologicæ. Ille ab Alexandro IV. Romam evocatus est, ubi auditus, convictus, & damnatus beneficiis omnibus spoliatus fuit, ejusque liber publico igni mandatus, & in Gallias reversus à sancto Ludovico hujus nominis IX. Frācorum Rege totâ Galliâ expulsus & ejectus est. Azorius in institut. moral. part. 1, lib. 13. cap. 1. Giraldus de Abbatis villâ apud S. Bonaventuram in apologiâ Pauperum qui gravi paralysi, & fœdâ leprâ consumptus interiit. Novissimè Lutherus cujus miserrima mors omnibus satis nota est. Præcipua eorum argumenta sunt. Primum extra statum salutis eos esse qui sponte se ipsos redigunt ad mendicatè vitam sustentandam. Secundum, qui illum statum amplectuntur

se

se exponere evidenti periculo moriendi fame. Tertium, quod non licet eis nisi infirmis eleemosynas petere quæ iis tantùm debentur, qui seipsos juvare nequeunt. Denique quod lex divina & humana ejusmodi voluntariam mendicitatem reprehendit ac prohibet, sed eos impugnant sanctus Thomas opusculo 19. sanctus Bonaventura in apologiâ Pauperum, fusissimè noster Thomas Waldensis tomo 1. lib. 4. doctrinalis fidei totis 46. capitibus, Bellarminus lib. 2. de monachis cap. 44. 45, 46. Azorius part. 4. institut. moral. lib. 13. cap. 1. quæst. 8, & 9. & alii. Quædam hic tantùm ad intentum nostrum expendemus.

II. Ac primò dico nobis licere omnia Dei amore relinquere, ut nihil proprium privatum, aut communiter habeamus, cujus argumenti probationem mihi subministrat sacra Eliæ historia. Cùm enim secundùm Hugonem, Lyranum, Tostatum in librũ 3. Regum esset oriundus ex ea Civitate Palestinæ, quæ Thebes dicitur in libro Judicum cap. 9. vers. 50. non procul à Sichinis, quæ Abimelechi Gedeonis quondam filii cæde nobilitata est. Vel secundùm alios ex Civitate Ægyptiâ, quæ Heliopolis vocata est ob nostri Prophetæ natalitia, ita ut à tanti viri origine dicta sit Heliopolis, quasi Civitas Eliæ, quomodò apud nonnullos Historicos Drepanum Helenopolis dicta est, ob Imperatricis Helenæ Magni Constantini Matris originem. Sivè secundùm alios ex eadem Civitate in quâ fertur natus, sivè secundùm auctorem Gallicum, qui libro suo hunc titulum inscripsit *Le Pelerin veritable*, lib. 3. cap. 18. ortus sit inter Hierosolymitanã & Beethleemiticam Civitatem, quasi ad itineris medium, ubi celebre Monasterium fuit extructum ab Eliâ nomen habens, cujus Monachi, qui frequentes habitant, Græci sunt omnes. A cujus Monasterii latere juxta viam publicam, apparet lapis satis magnus vel ut arte quadã excavatus, hominis nudi figuram referens, quæ à Monachis hujus loci incolis dicitur Eliæ Prophetæ, cujusque monasterii lapidis & figuræ icones cum pluribus aliis præfatus Auctor apponi curavit additque constantem esse opinionem omnium ibi demorantium eum locum esse Eliæ natalitium. Sivè secundùm Epiphanium, Isidorum, Dorotheum, Joannem Patriarcham Hierosolymitanum, Metaphrastem, apud Surium tomo 3. Elias prodierit in lucem ex Thesbe, quæ est Arabiæ contermina, seu Elias sit appellatus Thesbites à sacerdotibus præsago quodam & prophetico spiritu ob significationem nominis, quæ in eo completa est. Vel ab ædibus ipsis & loco nativitatis, ac diuturnioris in eo moræ nomen acceperit. Quomodò Christus Nazarenus dictus est, quia ibi conceptus & educatus, Isai Bethleemites à loco originis, & passim alii tam apud sacros, quàm prophanos scriptores. Tamen sacer Textus lib. 3. Regum cap. 17. vers. 1. subdit illum habitasse in Galaad, *Dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad.* Vatablus. *Dixit autem Thesbites ex inquilinis Galaad.* Pagninus. *Dixit Eliachu Thesbites de advenis Ghilhad.* Cur prætermisso ac prænominato nobili loco nativitatis Elianæ dicitur Galaadites, seu advena, seu inquilinus Galaad? non verò colonus, accola, seu incola, seu civis & indigena? Ut significet sanctum Eliam studio paupertatis à parentibus ac propriis sedibus, natalique solo recessisse. Magis propriè dicitur inquilinus quàm advena: quia licet advena degat extra natale solum, tamen potest ibi habere propriam possessionem, vel domum. At inquilinus ita pauper est, ut ne domum quidem sibi propriam, seu vile aliquod cœnaculum habeat, sed in alienis ædibus commoretur, quod inquilini nomen denotat quantùm Elias evangelicæ paupertatis amore flagrarit.

l. 3. Reg. 17. v. 1.

III. Id testatur Vidua Sareptana, testantur corvi, animalia etiam humanæ carnis voracia. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & absconde in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Et ibi de torrente bibes, corvisq. præcepi, ut pascant te ibi.* Cur non illum remittis ad parentes, ad patriam? Siccine Prophetarum, & athletarum ante-

antesignanum in exilium mittis? Ut Deus innuat primævum Eliæ à parentibus discessum sibi gratum esse, non ad eos in hâc temporum injuriâ remittit, sed magis ab eis recedere jubet, imò ab omni hominum societate: ut optimè animadvertit Joannes 44. Patriarcha Jerosolymitanus lib. de instit. mônach. in lege veteri cap. 2. *Deus ei apparens, mandavit ut communem hominum habitationem fugeret, &* Ioan 44. *se à turbis in deserto absconderet, atque deinceps in eremo monasticè secundùm formam ei indictam viveret.* Et infra de contemptu bonorum. *Loquens Dominus sancto Eliæ, atque etiam tam in veteri, quàm in novâ lege cuilibet monacho vitæ eremiticæ ait. Recede hinc, scilicet à rebus caducis mundi & transitoriis, & vade contra Orientem, scilicet contra originalem cupidinem tuæ carnis, & abscondere in torrente Carith, nè in urbibus moreris similiter cum turbis, quæ est contra Iordanem, ut scilicet per charitatem sis divisus à delictis.* Quæ Domini verba fusius explicat sequent. Cap. 3. *Ea quæ tibi suadeo sigillatim intellige per ordinem & discurre. Nam primò dixi tibi in meâ visione, recede hinc in, scilicet de terrâ & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, non solùm animo, ut terrenis possessionibus tui generis, & caducis mundi divitiis cor tuum non apponas, sed etiam opere, ut ipsas non possideas. Nisi enim Lucæ cap. 14. Quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quoniam licet possessæ divitiæ non claudant diviti introitum cælestis regni, si cor suum ad eas non apponat, Sapiente dicente Ecclesiastici cap. 31. Beatus est dives, qui inventus est sine maculâ, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris: attamen per hoc, quod Sapiens protinus subdit, dicens: Quis est hic & laudabimus eum? Expressit sumi manifestè difficultatem reperiendi talem virum, qui divitias possidens, ad eas cor non apponat. Cor enim facilè adhæret his, quæ frequentat, propter quod cùm possidentur divitiæ multæ, non possis majorem flammam accedere in corde, & vehementiorem cupidinem gignere, quemadmodum Sapiens ait Ecclesiast. cap. 5. Saturitas divitis non sinit eum dormire. Occupatus quippè in supervacuâ possessarum divitiarum amore, cum habeat ipse rebus domesticis intendere, affligitur assiduè ab arumnâ continuarum curarum, quæ non sinunt ad ipsum ingredi desiderium adimplendi verbum quod audivit diversorum præceptorum. Æruminæ enim sæculi, & deceptio divitiarum & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Propter quod dives difficile introibit in regnum cælorum. Tu ergò fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem Monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere, recede hinc, scilicet à rebus caducis mundi hujus, relinquendo corde & opere omnes possessiones tuas terrenas & facultates propter me, quoniam facilior & tutior via ad perfectionem propheticam tendendi, & tandem ad regnum cælorum perveniendi, est ista, Matthæi cap. 19. Omnis enim qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet jam in hac vitâ prægustans suavitatis meæ dulcedinem cunctis terrenis centupliciter prævalentem, & tandem vitam æternam possidebit.* Ecce secundùm illum Patriarcham primus gradus, quò conscenditur ad propheticæ, seu religiosæ perfectionis verticem. Secundum explicat cap. 4. sequenti aliquid tantùm referemus. *Et vade contra Orientem, hoc est contra originalem tuæ carnis cupidinem, ac concupiscentias ejus, &c. Non est enim discipulus supra magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Ego verò Dominus Prophetarum & Magister descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Patris, Et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quamobrem si quis vult venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus, &c.* Consequenter ostendit Religiosum debere esse instar Crucifixi. *Qui præsentia non contemplatur, præteritorum obliviscitur, de crastino non sollicitatur, nullæ concupiscentiæ carnali permoveatur, nullâ superbiâ, nullâ contentione, nullâ ultione*

nullâ

nullâ amulatione succenditur, sed cum adhuc aspires in corpore se mundo credit esse defunctum, illud tantùm permittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illicò transiturum. Ita quoque te timore divino confixum oportet his præmissis omnibus esse defunctum, illic tantùm oculos animæ tuæ habendo defixos, quo te sperare debes singulis momentis intraturum, &c. Ad tertium gradum pergit cap. 5. *Abscondere in torrentem Charit. Nolo enim te ulterius morari inter turbas in urbe, Psalm. 54. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate, die ac nocte circumdat eam super muros eius iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia, & non defecit de plateis eius usura & dolus, propter quæ omnia vitanda ipse Propheta in exemplum tibi datus maluit in solitudine habitare, quàm in urbe. Ecce (inquit psalmo 54.) elongavi fugiens, & mansi in solitudine, ait enim Sapiens Eccles. cap. 7. Non pecces in multitudine civitatis, nec te immittas in populum, nec alliges duplicia, nec enim eris in uno immunis. Quia ergò secundùm sapientem, in μόνῳ, ideſt in uno singulari, degens non eris à peccato immunis, ideò debes solitarius pavere & flere, ideſt, Monachi officium exercere μόνος enim Græcè; Latinè dicitur unus, sivè singularis, aut solus. ἄχος autem Græcè, dicitur Latinè tristis. Indè itaque dictus est monochus, quasi singularis & tristis, sua scilicet, & aliorum peccata solitarius lugens.* Infra. *Abscondere in torrente Carith colens scilicet in absconsâ solitudine silentium. Quippe sciens imbecillitatem tuam & vas fragile, quod portas, timere debes in urbe offendere, nè inter turbas impingas, & corruas, & frangaris. Sedebis ergò solitarius & tacebis. Quia bonum est homini præstolari cum silentio salutare Dei. Quamobrem abscondere in torrente Carith, quæ divisio interpretatur, &c. Oportet enim te dividi ab his, quæ te impediunt, ut perfectè tendas in Deum, sollicitudo verò sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocant verbum Dei. Teste enim Sapiente, qui diligunt Deum conservabunt verbum eius, qui verò cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, & propterea retrahitur nè perfectè inhæreat perfectioni Dei, sed cogitat quomodo placeat uxori,* Cap. 6. procedit ad quartum gradum. *Qui est contra Iordanem.* Ait Jordanem idem esse ac descensionem eorum, Charit verò divisionem. *Per quam charitas meritò intelligitur, quia ipsa sola hominem dividit à Iordane, scilicet à peccatorũ descensione. Hinc namq; Charit, scilicet Charitas perhibetur esse contra Iordanem, ideſt contra peccatorum descensionem; quia sicut Apostolus 1. Corinth. cap 13. quilibet homo, si cæteris omnibus polleat bonis, etiamsi loquatur linguis, & habeat omnem prophetiam, & omnem scientiam, &c. charitatem autem non habeat nihil ei prodest, nec transfertur à morte peccati in vitam, 1. Ioan. cap. 3. Qui enim non diligit manet in morte, Ab hac tamen morte dividitur per charitatem & ad vitam dicente Apostolo transfertur 1. Ioann. cap. 3. Nos (inquit) scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Benè igitur Charit, ideſt charitas est contra peccatorum descensionem, quoniam sicut ait Sapiens Proverb. cap. 10. Universa delicta operit charitas. Tu ergò fili mi si vis esse perfectus, & ad finem monasticæ eremiticæ pervenire, & contra Iordanẽ, ideſt peccatorum descensionẽ absconderis debitè in Charit, ideſt in charitate absconderis, &c.* In hoc recessu vers. 4. *De torrente bibes.* Idem Patriarcha cap. 7. *Expedit tibi Sapientis eloquio abstrahere à vino carnem tuam, ut animum tuum transferas ad sapientiam devitesq; stultitiam. Proverb. Luxuriosa enim res est vinum, & tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens. Propter quod ut facilius ad verã pervenias sapientiam à vino in Charit abstinebis, & in remedium tuæ sitis, ac tutamentum vitæ tui corporis bibes ibi de torrente materiali, scilicet de aqua torrentis?* Quibus verbis spiritualem sensum subdit, docens mundum, & consortia hominum relinquentibus à Deo subministrari ambrosiam cœlestium deliciarum, eosque torrente voluptatis divinæ potari.

Pro cibo quotidiano non sis sollicitus, vers. 4. *Corvisq; præcepi ut pascant te,* ideſt ordinavi, ac instinctum indidi, ut tibi ad vitam sustentandam quotidie subministrent. Quorsum IV.

Domine corvorum uteris ministerio, cùm sint aves voraces, inhumanæ, malignæ etiam erga proprios fœtus. *Corvus ejus natura* (inquit Joannes 44 cap. 8.) *est, quod pullorum suorum in ortu candidorum ora hiantia, huc, illucsi, in nullo vagantia, & cibos expetentia respicit, quibus cibum prius non ministrat, donec per pennarum nigredinem proprii coloris similitudinem in eis recognoscat, postquam verò nigrescere eos conspicit, totis viribus eos deinceps pascit.* Interea à quo pulli illi albi pascuntur? à Deo. Psalm. 146. vers. 8. *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Corvi proprios fœtus abhorrent quamdiu albi sunt, & ranscn illos ministros adhibes Eliæ, qui lib. 4. Regum cap. 1. vers. 8. *Vir pilosus, & Zonâ pelliceâ accinctus.* Idest melote, sive pelle ovinâ accinctus, ex pelle illius arietis, quem pro Isaac immolavit Abraham Genesis cap. 22. (inquit Rabbi Eliezer cap. 31. *Nihil refert* (inquit S. Basilius homil. 8. in divites avaros loquens de Carmelo, & corvino illo ministerio) *Carmelus mons sublimis ac desertus Eliæ habuit. cui viaticum cibusque fuit spes in Deo, & cùm ita viveret fame tamen extinctus non est, sed avium rapacissimi corvi cibum ei attulere, & qui alienas solebant escas invadere, viro justissimo ministri fuere, naturâ quoque oblisi in pane, carneque ei offerendis Dominico præcepto paruerunt.* Divina providentia iisdem corvis usa est ad nutriendos Sanctos Paulum & Antonium Eremi incolas, sæculique & divitiarum contemptores. Tostatus existimat Angelos invisos è domo Achabi panem & carnes asportasse in certum locum, undè corvi Deo instigante ad Eliæ speluncam manè & vesperè deferrent pro prandio & cœnâ. Cornelius existimat Angelos apparasse hos panes & carnes, ideòque meliores & sapidiores fuisse nostris, qui à pistoribus & cocis apparentur, juxta illud psal. 77. vers. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* Eosdemque statim dedisse corvis ad deferendos Eliæ, & eorum voracitatem innatam continuisse, itaut S. Elias eos intactos ac integros quotidie reciperet. Ratio fundatur in historiâ S. Onuphrii & aliorum, ubi Deus & Angeli singularem curam habent eorum qui egressi sunt de terrâ suâ & cognatione suâ, divitias sæculi contempserunt, uno verbo mundo valedixerunt juxta illud Psalm. 9. vers. 4. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Dum S. Elias sic aleretur, spirituales dapes etiam ei non deerant, nam divinis contemplationibus fruebatur, eamque vivendi rationem edoctus (ut aiunt Joannes 44. Patriarcha Jerosolymitanus supra cap. 20. & Salianus ad annum mundi 3124. ante Christum 929.) in eadem eremo plurimos ad se accedentes instruxit. Accipe verba Patriarchæ Auctoris antiquissimi, qui floruit 4. sæculo, & natus existimatur à nostro Lezana anno 351. post monachismi Carmelitici professionem, Episcopatu inauguratus anno 386. secundùm Baronium. *Elias* (inquit) *in monastica vita tremitica, quam primus hominum à proposito inchoaverat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit,* Expende illa verba *in perpetuum*, quæ sanè prophetica sunt, nam nonobstante sævissimâ persecutione suscitatâ tùm in Oriente, tum Occidente, cùm deprimi, imò opprimi visus magis, magisque floruit. *Qui ut* (inquit idem) *primus Monachorum fieret in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcirco ad ipsum in solitudine torrentis Carith tunc latentem confugiebant, nè per regem Achab & reginam Iezabel cogerentur, sicut & cæteri adorare Baal. Viri quippe isti timore Dei repleti cernentes Eliam ita verbo Domini tunc continere cœlum, quod pluviam non dabat super terram, ad eum tanquam ad veri Dei custodem accedebant occulte in solitudine Carith, ut sub ejus doctrinâ in cultu veri Dei persistere possent, & idololatriam vitarent. Hos itaque Deo devotos viros Elias secundùm formam à Deo ei traditam habuit sua Monastica vita discipulos & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, & psalmos cum instrumentis musicis canere, &c.* Non est dubium quin eandem vitæ rationem amplexuri, fame ficut S. Pater Elias laborarent, Deusque eos pari beneficio affecerit, quo S. Antonium dum sanctum Paulum Eremitam inviseret,

Ioan. 44

Psal. 9. vers. 14

1 4. Reg. c. 1. v. 8.

Psal. 77. vers. 25

scilicet

scilicet in gratiam hospitum annonam duplicarit, ad cosque conversus dixerit cum S. Paulo. *Eia Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors, &c. Nunc ad aduentum vestrũ militibus suis duplicavit annoã.* Ratio est, si domi suæ victum quotidianum habuissent, non opus fuisset miraculoso corvorum ministerio, sed potuissent alternis vicibis victum Eliæ magistro suo suppeditare. Secundò, ex infra dicendis in gratiam Eliæ in domo viduæ Sareptanæ per aliquod tempus. *Hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei est imminutus.* Tertiò Hebræis ex Ægypto egressis Deus manna pluit, non tantùm ad familiam Moysis & Aaron sustentandam, sed totum populum, quamvis in eo multi forent peccatores & ad idololatriã propensi. Quantò magis Deus tavere debuit Eliæ discipulis timoratis, ac idololatriam fugientibus.

V. Eadem Eliada paupertas & mendicitas quantùm Deo placuerit, Deus ipse iterùm manifestavit eodem capite 17. lib. 3. Regum. Cùm enim torrens Carith qui potum aquæ præbebat siccatus esset præ nimiâ aeris siccitate, vel Deo ita volente præcepit ei Dominus, ut in Sareptam Sidoniorum migraret, ibique moraretur, vers. 9. *Surge & vade in Sareptâ Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.* Cur non remittit illum in Galaad antiquum habitationis locum, vel in Thesbem vicum suum natalitium? quia ut paupertatem amplecteretur parentibus, cognatis, & amicis valedixit. Cur ad mulierem viduam pauperem, & quidẽ secundùm S. Chrysostomum hom. 3. de Eliâ. Tostatum quæst. 24. Gentilem? ut mendicet aliquid ad victũ, Divina enim providentia dispotueratut illa Eliæ stipem petenti erogaret. Paulò attentius Eliæ mendicantis orationem põderemus. *Da mihi paululum aquæ in vase ut bibam.* Ad tantam paupertatem redactus est ut non aquâ, sed paululùm aquæ cogatur petere à muliere gentili & paupere, tam inops est, ut etiam careat vase quo aquam mulier propinet, sed in proprio rogetur illi porrigere. Per vas enim intelligitur id, quod est idoneum ad aliquem liquorem capiendum, juxta illud Horatii epist. 1. *Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.* Vasorum autem alia sunt maxima, quæ ab aliis dolia nominantur Plautus Cæs. *Dabitur tibi amphora una & una semita, fons unius, vinum aheneum, & octo dolia.* Cicero de Claro Oratore. *Qui hoc sentiant, si is putare velit de dolio hauriendum patet.* De hoc vasorum genere intelligendum est illud lib. 4. Regum cap. 4. vers. 3. *Vade pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, &c.* Alia sunt vasa minora, quæ ab aliis doliola vocantur: sic Titus Livius libr. 5. ait, quod post Albanensium cladem Gallis urbem invadentibus doliola, in quibus Sacra Romanorum Pontifices condiderant, eo in loco fuerint defossa à Flamine Quirinali. De hoc genere vasorum loquitur Jacob Genesis cap. 43. vers. 11. *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris.* Tertiò nomen vasis sumitur pro olla caldaria, lebete, sive cacabo, in quo carnes coquuntur, sic Levitici cap. 6. vers. 28. *Vas autem fictile, in quo cocta caro confringetur. Quod si vas æneum fuerit defricabitur, & lavabitur aquâ.* Lib. 1. Regum cap. 2. vers. 14. ubi fit mentio de peccato filiorum Heli. *Veniebat puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, sive in cacabum, & omne quod levabat fuscinulâ tollebat sacerdos sibi.* Vide Lorinum in cap. 6. Levitici, Mendozam in cap. 2. lib. 1. Regum. Quartò accipitur pro poculo convivali seu mensali ad potandum commodè, quod ab aliis vasculum, seu vasillum vocatur. Cato cap. 111. *Si voles scire in vinum aqua addita sit necne, vasculum facito de materia hederaceâ.* Plautus Aula. Sc. 5. act. 1. *Vascula intus purga atque elue.* Horum vasorũ meminit Daniel cap. 1 vers. 2. ubi ait quod Nabucodonosor *Asportavit in terram Sennaar in domum Dei sui partem vasorum domus Dei & vasa intulit in domum thesauri Dei sui.* Et cap 5. vers. 2. Rex Balthasar fecit magnum convivium optimatibus suis mille. *Et præcepit jam temulentus*

l. 4. Reg. 17. v. 9.

vers. 10.

l. 4. Reg. 4. v. 3.

Genes. c. 43. v. 1

ut offerrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabucodonosor Pater eius de templo quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis Rex & Optimates ejus, uxoresq́, & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea & argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Ierusalem, & biberunt in eis Rex & Optimates, uxores, & concubinæ illius De hoc genere vasis loquitur S. Elias undè ait, *Da mihi paululùm aquæ in vase.* Non immittitur paululùm aquæ in maximo vase, neque in dolio, neque in caldariâ, sed in vasculo convivali seu mensali, quem alii vocant scyphum, de quo Macrobius Saturnal. libr. 5. cap. 21. Vasis potorii genus, quod propriè Herculi attribuitur, quo veteres usi sunt in sacris & in conviviis. Undè canit Virgilius lib. 8.

Et implevit dextram scyphus.

Horat. epod. 9.

Capaciores affert huc puer scyphos.

VI. Sicut Cantharus est vas potorium quod Baccho tribuitur, Plinius lib. 33. cap. 11. *C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi Patris exemplo traditur.* Plautus Sc. 1. art. 3. *Datur cantharus bibi.* Idem Asin. Sc. 2. art. 5. *Cantharo mulsum dare.* Item Sc. 1. art. 1. & pseud. sc. 4. art. 4. & sc. 1. art. 1. & Mostell. sc. 4. art. 1. *Melior bellator cantharo.* Vas autem illud potorium existimo fuisse fictile, vel ligneum, ad summum stanneum usuale, S. Elias tam pauper erat, ut alterutro illorum careret. Suddit Textus sacer vers. 11. *Cumq́, illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens, affer mihi obsecro, & buccellam panis in manu tua.* Aliquis fortè altissimæ paupertatis ignarus, ita Eliam affabitur: Non te pudet ô Elia alienigena à muliere, & quidem Gentili stipē postulare? Cur potius ad parentes, affines, & amicos non recurris, ut tuam inopiam sublevent? Divino spiramine huc veni, & ab eâ specialiter eleemosynam corrogarem. vers. 9. *Factus est sermo Domini ad eum dicens: Surge & vade in Sareptá Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri, ut pascat te. Ad quas autem paupertatis angustias esset redactus, affer obsecro & buccellam panis in manu tuâ.* Buccella (inquiunt Grammatici) significat frustulum alicujus rei aptum cui alicujus rei, quantùm scilicet buccea commodè capit, quod & bolus dicitur. Cæsar Augustus ad Tiberium *Nè Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbathis id jejunium servat, quàm ego hodie servavi. qui in balneo demum post horam primam noctis duas buccas manducavi, priusquam vagi inciperem.* Idem in Augusto cap. 76. Cùm mulier etiam extremas inopiæ suæ angustias exposuisset, vers. 12. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydriâ, & paululum olei in lecytho, en colligo duo ligna ut ingrediar & faciam illum mihi, & filio, ut comedamus & moriamur.* Dionysius per duo ligna intelligit pauca ligna, ponendo numerum determinatum pro determinato, subditque se ex illis lignis structuram ignem, & cocturam panem ex farina quam habebat in hydriâ, & conspersa oleo recondito in lechyto, qui lechytus est genus vasis ventre protuberante, ac ore angustiore oleo asservando accommodatum, quod Aulus Gellius Guttum appellat. Tantùm abest ut Propheta auditâ mulieris tenui annonâ steterit, quin potius eam magis urgeret ad misericordiam. *Verumamē nisi primum fac de ipsâ farinulâ subcinericium panem parvulum, & affer mihi, tibi autem & filio tuo facies postea.*

VII. S. Chrysostomus homil. in Sanctos Petrum & Eliam hunc cum Eliâ sermonem instituit. *Quid ais Elia? esto panem petis? Cur seorsum & primum tibi dari vis? an non gratias agere deberes, si unà cum filiis viduæ commederes? Tu vis solus panem comedere, & ejus filios fame necari?* Nec Vidua ad ejus sermones obstupuit, nec dixit (inquit sanctus Chrysostomus.) *Tu es qui famem intulisti, & ex reliquis hujus famis à me nutriri postulas? Non dixit, tam magnam orbis terrarum partem prætergressus ad me venisti, cur liberos meos fame corrumperes, ipse auctor famis existens. Nihil tale dixit, sed Abraham illum imitata ingressa est domum, & fecit, sicut à Propheta dictum fuerat. Quin imò licebat videre viduam illam* S. Chrysostomus

magis

magis quam Abraham hospitalitatis amantem. Ille enim cum esset locuples Angelos hospitio excepit, at hac post famem mortem expectans Prophetam excepit. Itaque videre licuit naturam contemptam, & hospitalitatem honoratam, licebat videre ejus viscera projecta, & Prophetam susceptum cùm integram filiorum multitudinem sepulchro mandavit. Quasi diceret, si Eliæ paupertas & mendicitas non fuisset Deo grata, hospitalitatem viduæ non pluris facerem quàm Abrahæ, & dum vidua illa hospitalitatem quam exercet erga Eliam extraneum, & proponit propriis prolibus potius censenda esset noverca, quam mater: potius inhumana, quàm humana foret. At quantum Elianæ paupertatis compassio fuerit Deo grata, audi ex ipso ore Prophetæ, vers. 14. *Hæc dicit Dominus Deus Israel Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, in quæ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* D. Chrysostomus supra. *Dei benignitate factum est, ut filii viverent & incolumes essent.* Et consequenter docet ejusmodi mulieris liberalitatem esse incomprehensibilem cogitatu, ac encomiis humanis ineffabilem. *Nescio certè quibus verbis hujus viduæ laudes comprehendam, quemadmodum seipsam & filios contempserit, & hospitalitatis studium secuta fuerit, quemadmodum ejus natura non rapuerit ut viscera non dissoluta sint, cum videret integram filiorum multitudinem jam jam fame perituram, sed illa animum gerens omnibus his rebus superiorem accepit Prophetam hospitio.* Deindè hospitalitatis stipendium messi assimilat. *Cùm verò propheta ipse panem accepisset & comedisset, deinceps mercedem retribuit. Hospitalitatis semen vidua sparsim & statim florentem atque copiosam hospitalitatis messem collegit, &c. Facta est vidua dextra torcular, & sinistra facta est area, & manupili fructum in ipsa necessitate reddentes, ac propter Prophetæ dicta viduam illam nutrientes, Torcular & area facta est domus viduæ, non imber, non pluvia, non ver, non autumnus, non æstas, non ventorum vis, non temporum mutationes, sed verbum unum ex illius prophetæ sententiâ prolatum abundantem rerum copiam viduæ suppeditavit.* De ejusdem viduæ liberalitate præferentis Eliæ mendici famem propriorum filiorum fami, & cœlestis mercedis compensatione ita loquitur S. Hieronymus epist. 10. ad Furiam. *Recordemur viduæ Sareptanæ,* Hieron.
quæ & suæ, & filiorum saluti Eliæ præstulit famem, ut in ipsâ nocte moritura cum filiis superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quam eleemosynam, & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit, farina seritur & olei capsaces nascitur. In Judeâ frumenti est penuria, granum enim tritici ibi mortuum fuerat, & in gentium viduæ olei fluenta manabant.

Porrò Eliam fuisse verè religiosum VIII.
& Religiosorum patrem, ac tria vota essentialia, vota præcipuè paupertatis innuit Dorotheus in synopsi prophetarũ, S. Athanasius in vitâ S. Antonii, Auctor vitæ S. Pachomii, Paphnutius in vitâ S. Onuphrii, S. Ephrem de vitâ spirituali cap. 90. Gregorius Nyssenus orat. 7. & 15. in Cantic. & in orat. de laudibus S. Basilii, Gregorius Nazian. orat. 11. adversus Arianos, orat. de laudibus S. Basilii, & orat. 9. S. Hieronymus epist. ad Paulinum, & in epist. ad Rusticum. S. Ambrosius epist. ad Vercellenses. Auctor sermonum ad fratres in eremo apud S. Augnstinum serm. 39 Cassianus lib. 1. cap. 2. Collat. 18. cap. 6. Paulinus epist. ad Sebastianum Eremitam, Sidonius carm. 16. Antiochus homil. 89. de inopiâ, & homil. 112. Isidorus lib. 2. offic. cap. 16. Petrus Damianus tomo 3. opusc. 14. cap. 2. & lib. 5. epist. 19. Hugo Victorinus serm. 72. Joachimus lib. de concordia novi & veteris testamenti & super Apocal. S. Bernardus, seu Auctor epist. ad fratres de monte Dei. Joannes Patriarcha Jerosolymitanus passim in lib. de institut. Monachor. veteris legis, & alii apud nostrum Thomam Waldensem in doctrin. fidei tit. lib. 3. Unicum Rupertum Leodiensem audiamus lib. 3. in cap. 4. Cant. *Hæc dixit, & fecit ille primus auctor & institutor eorum, qui dicti sunt filii Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri testamento consensit auctoritas Patrum venerabilium.*

Addam consentit plurimorum Pontificum auctoritas.

IX. His verbis, *Qui dicti sunt filii Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri testamento, &c.* Quibus innuit eos amplexos fuisse vitam religiosam, & maximè pauperes ac mendicos fuisse testatur sacer Textus lib. 3. Regum cap. 18. ubi Abdias aulæ regiæ œconomus ait sancto Eliæ vers. 13. *Nunquid non indicatum est Domino meo quid fecerim, cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod absconderim de Prophetis Domini centũ viros quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & paverim eos pane & aquâ.* Quid per Prophetas intelligit? viros Religiosos pauperitatisque professores. *Propheta verò* (inquit Lyranus) *hi dicuntur viri religiosi intenti divino cultui.* De iisdem, eorum solitudine, paupertate Apostolus Hebræis ait cap. 11. vers. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, & in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Quæ verba soli Eliæ, ejusque pauperibus discipulis, filiis prophetarum applicat noster Joannes 44. Patriarcha libro citato cap. 38. Subditque de veste paupere. *Quod melota propriè dicitur à melo animali, quod etiam taxus appellatur, de cujus pilis vel pelle facta vestis, quæ est valdè hispida, & melota propriè vocatur: quanquam qualibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta melota vulgariter dicatur. Nam & indumentum de camelorum pilis, vel de pilis caprinis consuevit melota communiter dici à multis, quo etiam habitu in novâ lege Ioannem Baptistam fuisse indutum Evangelista testatur, qui ait Matthæi cap. 13. vers. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Hujus autem melotæ gestatio fucrescentibus temporibus derisum potius quàm ædificationem eam videntibus comparabat, idcirco vestem illam cilicinam despectam cunctis, & quæ ex hoc ipso nulla poterat spiritus emolumenta conferre, sed elationis concipere nativitatem professores hujus religionis concordi sententia refutarunt, loco autem ejus tunicam lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ ejusdem coloris, cujus existebat melota subtus scapulare gestare assumpserunt.* Undè meritò refutantur Hæretici quidam existimantes vestes Joannis Baptistæ fuisse undulatas, vulgò *camelot.* Illos enim mendacii arguunt S. Chrysostomus homil. 10. in Matthæum, homil. 1. in Marcum, S. Paschasius, Beda, Albertus Magnus, sanctus Thomas, Dionysius in Matthæũ, Tostatus quæst. 29. in Matthæum ait Joannem hunc habitum potius quàm alium gestasse, ut parentem suum Eliam (cujus virtute præditus & spiritu animatus erat) imitaretur. Rationẽ naturalem suggerit S. Chrysostomus homil. 13. de imperfecto. *Non dixit de lanâ cameli, sed de pilis cameli. Nam omne vestimentum ad tres pertinet causas, aut ad vanam gloriam, aut ad delectationem corporis, aut ad tegumentum nuditatis: sed quid tantùm in Ioanne ad tegumentum nuditatis* Secundam moralem addit, scilicet in signum pœnitentiæ. *Non lana cameli habuit vestimentum, nè ipsa mollities vestimenti delicata faceret membra, & ipsa deliciositas virtutem patientiæ emolliret, ideo non dixit de lanâ cameli, sed de pilis cameli.* Tertiam rationem suggerit sanctus Gregorius homil. 6. in Evangel. scilicet hirsutâ veste vestitum fuisse, ut ostenderet se esse militem Christi. *Non cœlesti, sed terreno regno militant hi, qui contra Ioannis exemplum pro Deo perpeti aspera fugiunt, sed solis exterioribus dediti præsentis vitæ mollitiem & delectationem quærunt.* Idest, illi Joannis exemplum sequuntur, & pro Deo militant, qui cum Uriâ in hæc verba prorumpunt lib. 2. Regum cap. 11. vers. 11. *Arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & ego ingrediar in Domum meam, ut comedam, & bibam, &c.* Quartam, Vestes camelorum, sivè arte compositæ denotant eum vitam pœnitentem duxisse. Sanctus Gregorius lib. 4. expos. in lib. 1. Regum cap. 9. *Ioannes, qui aliis durus erat sibi remissus non erat, nam ut pœnitentiæ duritiem, quam prædicabat Evangelista eum tenere ostenderet, ait habebat vestimentum de pilis camelorum.* Cui arridet S. Chrysostomus homil. 10. in Matthæum dicens Joannis habitum

3. Reg. 18. v. 13

Lyranus

Heb. 11. vers. 37.

habitum compunctioni ac pœnitentiæ congruisse, quoniam pœnitentiæ preco ille missus est.

X. Theophilactus. *Ad pœnitentiam hortabatur etiam habitu, lingua, &c. ut enim vestium aliæ sunt nuptiales, aliæ primogenitorum, aliæ prædilectorum filiorum, aliæ virorum: ita saccus & cinis pœnitentium, ut manifestum est in Achab rege, Ninivitis, Davide.* Er ante illos Tertullianus lib. de pœnitentiâ. *De ipso quoque habitu, atque victu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccarunt tristi tractatione mutare.* Quinta ratio ex S. Thoma in cap. 3. Matth. *Alii de lanâ, Joannes de pilis reputabat vestimentum, de lanâ mollitiem, quæ non convenit prædicatoribus.* Quasi diceret, sicut Elias missus fuit ut in aula Achabi concionaretur, & idololatriæ aliisque vitiis bellum indiceret, sic Joannes missus est, ut adulterium Herodi, aliaque populi vitia impugnaret, ideò Prædicatores asperis vestibus indui debuerunt. Sextam rationem accipio ex S. Anselmo, scilicet, ut carnis illecebras domarent, eamque in castitate continerent. *Quod verbo (*inquit in cap. 3. Matth.*) prædicabat, exemplo ostendebat: gerebat enim habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus esset, & cibos sylvestres comederet, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus fecerat perizomata de pellibus siccis animalium circa lumbos ad libidinem refranandam.* Septimam habet S. Hieronymus epist. ad Lætam de institut. filiæ, ut pœnitentiam prædicaret. *Hic fugis urbes zonâ pelliceâ cingitur, locustis alitur, ac melle sylvestri, & in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuviis.* Octava ratio est, quia Elias seu ejus imitator Joannes totus spiritualis ac mente cælestis erat. *Vestimentum Joannis setis contextum fuit, ut ostenderet nihil cum terra commune habuisse.* Denique veste ex pilis confecta usi sunt, ut illâ vestem immortalitatis sibi compararent. Quo vestis genere etiam nonnulli posteri usi sunt, ut testatur S. Joannes Damascenus. *Vestes nobis ex asperis ciliciis, & ovium pellibus sunt, vetustæ omnes atque ex variis consutæ pannis imbecillam nostram alterantes carnem. Etenim eadem nobis est tum ætatis, tum hyemis vestis, quam etiam ut semel induimus, exuere postea non licet, quousque vetustate confecta prorsus deleatur, adhunc enim modum & frigoris & æstus molestiis corpus afflictantes futuræ immortalitatis vestem nobis comparamus.* In eundem finem donatus est (inquit noster Lezanâ anno Christi 402. num. 10.) Paulinus celebri matronâ Romanâ tunicâ agnorũ contextâ vellere donatur, quam ipse dono misit Severo, ad quem ipse scribebat, vice pallii ex pilis camelorum hirsutis quod ab eo acceperat, quod vestimentum non erat rarum inter illos, quia (inquit Lezana) hi omnes qui Monachissimi professores erant, eo indumenti genere utebantur quo antiquiores Eliani, de quibus Hebr. cap. 11. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.

Damascenus.

XI. His omnibus Doctissimus Rupertus libr. 3. in Cantic. cap. 4. applicat verba illa Cantic. cap. 4. vers. 1. *Capilli tui sunt greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad,* Filiis Prophetarum, seu primis vitæ religiosæ professoribus. *Qui* (inquit) *greges caprarum, vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? utique greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines esse, de quibus Apostolus dicit, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c.* Horum auctorem asserit esse Eliam his verbis. *Quando cœperunt homines esse hujusmodi, vel quando apparuerunt homines hujusmodi conversationis? nimirùm quando Iezabel interficiebat Prophetas Domini, tunc apparuerunt de monte Galaad, ideſt de civitate ejusdem nominis Galaad sitâ ad radices montis Galaad. Sic enim scriptum est, & dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab. Vivit Dominus in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia nisi juxta oris mei verba, & factum est ad eum verbum Domini dicens. Recede hinc & vade contrà Orientem, & abscondere, &c.* Hæc dixit. *Fecit ille primus auctor, & institutor eorum qui dicti sunt Filii Prophetarum quos fuisse Monachos in veteri testamento*

Cant. 4. vers. 1.

Rupert.

consentit

consentit auctoritas Patrum venerabilium. Et rectè dicuntur apparuisse, quia jam dictus institutor illorum Elias sic repentè introducitur, ut antea nusquam scriptura memineris quis, vel undè fuerit progenitus. Deindè ait illis caprarum gregibus rectè assimilari capillos, seu cogitationes B. Mariæ, quia ejus cogitatus in eo subtilissimi fuerunt, quia fugit ad desertum gentium ob sanguinem multum, quem pravo Synagoga effudit tempore Jezabelis impiæ, quæ interpretatur fluxus sanguinis, quam persecutionem ut declararunt filii Prophetarum Eliæ discipuli in vastissimas solitudines, & specus recesserunt, ut affirmat Abdias eorum Patriarchæ Eliæ libr. 3. Regum cap. 18. vers. 13. *Absconderim de Prophetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos in speluncis.* Josephus lib. 1. antiq. cap. 12, scribit Judæam abundasse speluncis & cavernis, quas hostes adire, vel expugnare vix poterant. Ad eas Judæi ab hoste pressi confugiebāt. Et lib. 2. cap. 14. ipse Josephus captâ Jotapatâ in puteum & speluncam se abdidit, ex qnâ evocatus, & deductus est ad Cæsarem Vespasianum, Et lib. 7. cap. 16 Simon & alii in fossâ humo diu latuerunt. Sic sanctus Pater Elias abscondit se in torrente Carith, & ejus exemplo filii Prophetarum variis in locis latitaverunt. Accipe verba nostri Joannis 44. libro citato cap. 17. *Elias propter regis Achab & regina Iezabel idololatriam, & alia eorum, ac populi peccata, ita continebat virtute divinâ cœlum, quod nec rorem, nec pluviam dabat super terram. Sed erat fames vehemens in Samariâ, de qua fame indignata valdè contra Eliam regina Iezabel, procuravit ut rex Achab faceret ad mortem perquiri eum per omnes gentes, & regna, propter quod Elias in nulla eremo poterat tunc securè prophetalem vitã Monasticam assidue colere, sed vagus & profugus eam excolebat, modò in torrente Carith, modò in domo mulieris Sareptana, modo autem in deserto Bersabée, modò verò in spelunca montis Oreb, quem cum non reperirent, effudit regina ezabel ultionem famis in eius discipulos, interficiens alios quantulos quos deprehendit ex prophetis Domini, qua aliâ atque aliâ ratione usque ad mortem persequebatur: quia cùm ipsa esset idololatra moliebatur cultum Baal per totum regnum Israel extendere, & cultum veri Dei de Israel delere. Ad quem jugiter restaurandum Elias noviter instituerat religionem horum Prophetarum Deo devotè psallentium, qui in eremis latitantes, in nulla solitudine regni Israel audebant tunc jugem moram trahere propter metum regis Achab, & predictæ Iezabel uxoris ejus.* Undè Abdias ex illis aliquos abscondit. Hos primi Christiani imitati sunt, ut patet in vitâ S. Cæciliæ, quæ sponsum suum Valerianum misit ad S. Urbanum Pontificem in sepulchris Martyrum latitantem, ut ab eo baptisaretur. Extat adhuc Romæ Cœmiterium Callixti in quo videntur non tantùm sepulturæ infinitorum Martyrum, sed etiam domicilium sanctorum Christianorum. Item catacumbæ in S. Sebastiano, ubi Pontifices concionabantur, ordinabant, habitabant, & celebrabant semper medii inter vitam & mortem. De hoc Christianorum grege ita antris latente cani potest cum Viduâ Hectoris filium abscondente.

Fata si miseros juvant habes salutem,
Fata si vitam negant habes sepulchrũ.

Ex præcedentibus patet latibula illa fuisse ab Abdiâ cõcessa filiis Prophetarum, qui ad tantam angustiam redacti erãt ut miseriores feris (quibus homines venando insidiantur) antris carerent, imò pane & aquâ, quibus vitã sustentarent, quæ omnia ab eodem Abdiâ subministrati singulis diebus debuerunt.

Ioan 44.

XII. Eandem mendicitatem ab Eliseo fuisse usitatam patenter innuit lib. 4. Regum cap. 4. vers. 8. cùm sanctus ille Propheta de more transiret per Sunam (quæ erat urbs de tribu Issachar) iter faciens de Carmelo in Jericho, vel Bethel, vel Galgala, invisens subjecta sibi collegia Prophetarum, non ad hospitium, aut tabernam divertere solebat, sed mendicatò quærebat locum ubi aliquam refectionem sumeret. & decumberet præcipuè conjecit oculos in quandam domum cujus matrisfamilias, *Erat mulier*

l. 4. Reg. 4. v. 8.

mulier magna, ideſt (inquit Dionyſius) *multùm notabilis, utpotè prudens, virtuoſa, dives ac nobilis.* Ab eâ poſtulavit victum & lectum. Hæc non tantùm illi hilariter annuit, ſed *tenuit eum, ut commederet panem.* Dionyſius, ideſt, *cibum & potum acciperet. Omne etenim alimentum nomine panis exprimitur.* cùmque Propheta peculio careret, ut ei mulier oſtenderet ejus mendicitatem non eſſe ſibi importunam. *Cùm frequenter indè tranſiret divertebat ad eam, ut comederet panem.* Verſ. 9. *Quæ dixit ad virum ſuum, animadverto, quod Vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter, faciamus ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos maneat ibi.* Dionyſius expendens illa verba. *Et maneat ibi.* Subdit. *Poſſit ſeorſum comedere, & orationi inſiſtere. & ſuas neceſſitates, exercitationeſq; facere.* Ut Deus oſtenderet quantùm illud hoſpitalitatis officium ſibi gratũ fuerit, Prophera videns mulierem beneficam non differre, ſed offerre hilariter non ſemel, ſed ad ipſius Prophetę nutum, noluit magnitudine doni ſuperari, ſed ipſam ſuperare voluit, juxta illud Sapiẽtis Proverb. c. 23 verſ. 1. *Quando ſederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatus cultrum in gutture tuo.* Septuaginta vertunt. *Si ſederis cœnare ad menſam potentis vel Dynaſtæ, magnâ attentione conſidera cujuſmodi fercula tibi ſunt appoſita, injice in illa manum, ſed ita ut certò ſtatuas te quoque ejuſmodi præparare debere.* Quaſi Sapiens diceret conſidera, quàm lautum & ſplendidum ſit convivium, quæ fercula tibi apponantur, & ſtatim ſtatue aliud convivium lautius, alia fercula melius condita illi exhibere, ut non tolùm rependatur & adæquetur beneficium, ſed ſuperetur. *Menſura* (inquit ſanctus Ambroſius lib. 1. offic. cap. 31. & 32.) *uberiore reddendum arbitror, &c. Etenim ſuperiorem non eſſe in referendo beneficio eſt minorem eſſe, quoniam qui prior contulit tempore ſuperior eſt, humanitate prior.* Ac proindè ſi non ſuperetur magnitudine doni beneficiũ non exequatur. Quod probat ſimilitudine terræ. *Terra* (inquit) *aut ſponte tuos fructus germinat, aut creditos uberiore cumulo refundit ac reddit: Virũque debes quodam hæreditario uſu parentis.* Quaſi diceret, debet accipiens beneficium imitari terram, quæ multiplicato fœnore colonum ſuum cõpenſat, quod ſi aurum pro auro, veſtem pro veſte, convivium pro convivio rependere nequis, ſaltem de referendo æquivalente cogita, quod ſi nequeas aliquo effectu, ſaltem affectu compenſare ſtude. Idem S. Ambroſius citatus. *Alius fructum accepti beneficii, ut aurum auro, argentum argento rependit, alius laborem, alius haud ſcio an etiam locupletius, ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi reddendi nulla facultas ſuppetit, in beneficio reddendo plus animus quàm cenſus operatur, magisq; præponderat benevolentia, quàm poſſibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipſo quod habetur, refertur.* S. Prophera Eliſeus etſi non poſſet viciſſim mulierem Sunamitidem excipere hoſpitio cùm careret domicilio, licet nec eam ſuſtentare poſſet, cùm ipſe ſtipem cogere deberet, tamen & ſuam mendicitatem & ejus hoſpitalitatem Deo gratam eſſe oſtendit. Sed (inquies) quomodo Eliſei paupertas & mendicitas Deo placere poteſt, cùm ipſe dives eſſet, ut patet libr. 3. Regum cap. 19. verſ. 21, ubi vocatus ab Eliâ. *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt.* Ubi Toſtatus notat Eliſeum nihil voluiſſe ſibi reliquum manere in ſæculo, ut liber & expeditus totus tranſiret ad Dominum, & ideò aratrum & boves conſumpſit, carnesque coctas dedit populo, ac amicis omnibus & cognatis antequam ab eis diſcederet epulum fecit: cur non aliquid ſibi reſervavit vel ad amicos & cognatos potius divertit, quàm ad illam Sunamitidem? Quid per Eliam & Eliſeum intelligit? Eliam Chriſti figuram geſſiſſe paſſim innuunt Interprètes, maximè S. Auguſtinus ſermone 101. de tempore. *Beatus Elias typum habuit Salvatoris.* Eliſeum fuiſſe religioſorum exemplar, ac Eliæ in ſpiritu & regimine monaſtico ſucceſſorẽ teſtatur illud lib. 4.

Dionyſ. Proverb. 23. v. 1. S. Ambr. l. 3. Reg. 19. v. 21

Regum cap. 2. vers. 15. *Requisvit spiritus Eliæ super Eliseum, & venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.* Quibus subdit Joannes 44. Patriarc. cap. 23. *Recipientes pro Eliâ in præcipuum eorum Patrem & magistrum quem videbant habitu Eliæ & spiritu dotatum, &c.* Christus autem de discipulatu suo differens Luc. cap. 14. vers. 33. *Omnis qui renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Syriacus. *Ita quisquis ex vobis non reliquerit omnem possessionem suam, non potest mihi esse discipulus.* Arias. *Qui non renunciat omnibus suis substantiis.* Græcus. *Qui non renunciaverit omnibus, quæ sunt ejus.* Cui explicationi seu versioni ultimę sanctus Augustinus epist. 58. ad Lætam subdit, *In quibus etiam continetur illud, ut oderit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c.* Cur igitur Eliseum, Eliæ seu Christi discipulis ascribi vellet, non mirùm si ita parentibus valedixerit, ut maluerit ab exteris stipem quærere quàm recurrere ad parentes, & amicos, quos dimiserat amplexurus vitâ & perfectionem Evangelicam paupertatis & prædicationis. Porrò quam grata fuerit Deo ejusmodi renunciatio & mendicitas Elisei (ut dictum est) patet ex eximiâ mercede & retributione datâ mulieri Sunamitidi. Nam pro suo gratitudinis studio, offert suum obsequium & favorem (si eo indigeat) apud regem, lib. 4. Regum cap. 4. vers. 13. *Ecce sedulò in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi, nunquid habes negotium, & vis ut loquar regi, sive principi militiæ.* Quasi diceret, non tantùm mihi, sed & ministro meo Giezi hac transeuntibus victum & cubitum ministrasti, pro hoc charitatis officio rependam quidquid volueris, quacumque re indigneris, imò si regiam auctoritatē in tuis negotiis intervenire oporteat, ego illam implorabo. Eliseum enim colebant Rex Joram, & Princeps militiæ, *ut successorem Eliæ, & quia procuravit & adiutoribus eius aquam, quibus & prædixit victoriam.* (inquit Dionysius) Ut autem illa respondit se pacificè cum vicinis, civibus & amicis vivere, omnes amare, & ab omnibus amari, nullamque cum ullo litem habere, ut pro eâ Regis vel Principis opem vel favorem implorare debeat. Nè quæras (inquit Giezi) quid illa velit, cum filium non habeat, & vir ejus sit senex, ideòque spe prolis destituta sit, nisi divinam opem pro eâ interpelles. Hoc responso accepto, tum à muliere, tum à ministro suo, statim Deum pro ea fœcunditate exoravit, ejusq; instinctu filium promisit tempus conceptioni & gestationi necessarium. Vers. 16. *In tempore isto, & in hac eadem horâ, si vita comes fuerit habebis in utero filium.* Dionysius. *Anno revoluto, si vixeris, habebis in utero filium eadem horâ.* Pro naturali beneficio supernaturale pollicetur. Primò, quia maritus ejus senex generavit. Secundò, quia Eliseus illam generationem præscivit & prænunciavit. Tertiò, ipsam horam determinavit. Quartò, quia prædixit prolem dandam fore non filiam, sed filium: illud beneficium prolis futuræ duplicavit, dum eam defunctam miraculosè ac supernaturaliter ad vitam revocavit. Quis credat mendicitatem esse infamem: quam Deus tot gratiis & prærogativis insignivit. Uno verbo approbavit tot miraculis per sanctos Eliam & Eliseum perpetratis, imò à proprio filio suo exerceri voluit ab infantiâ usque ad extremum vitæ.

XIII. Nam si locum ejus natalem inspiciamus, S. Lucas cap. 2. vers. 7. scribit, quod *non erat ei locus in diversorio.* Tam pauper ac inops fuit, ut Mater & Joseph nullum locū in Bethleem mendicare potuerint, sed ut ultimus virorum in diversorio nasci debuerit. Simon Cassianus libr. 1. cap. 6. *Capit ab ea hora, qua mundo apparere voluit prius facere quàm docere altissimam paupertatem rerum omnium abdicationem, ut ei non essent panni, nisi viles, non sua, sed aliena ædes, non amicorum, non consanguineorum, non conducti stabuli determinati hospitis, sed loci vagi atque communis, &c.* Et Hildebertus Episcopus Cenomanensis sermone de sancto Andreâ. *Ipse est qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quacumque voluit fecit. Huic servire regnare est, qui serviunt pro nobis sub durâ & gravi necessitate, &*

Luc. 14. vers. 33.

1. Reg. 2. v. 15.

1. Reg. 4. v. 13

Dionys.

Luc. 2. vers. 7.

Simon Cassian.

Hildebertus

& purpuram suæ divinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem nostram. Hanc mendicitatem ac paupertatem admirans S. Fulgentius sermone de Epiphaniâ. *O mundi* (inquit) *naturam! confer mecum quis est ille, cui exhibes obsequium, & non habet tectum? Quis est qui præsepe vagitibus implet? responde mihi! ô te dic mihi, cùm exhibes laudem non diu inquirat animus rationem. Stupens enim video pannos, & intuor cœlos, æstuo cùm conspicio in præsepi mendicum, & super astra præclarum, Subveniat nobis fides, quia ratio naturæ deficit.*

Fulgentius.

XIV. Cùm anno duodecimo per triduum à consortio parentum se subduxerit, quomodò victitavit? fortè jejunavit, sicut Matthæi cap. 4. quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto? fortè Angeli illi victum suppeditarunt, ut olim Eliæ Patri nostro lib. 3. Regum cap. 19. Fortè divina Providentia manna illum fovet, ut olim Hebræos. Fortè aliquod viaticum quod parentes secum asportaverant, retinuit? minimè: sed triduo illo ostiatim mendicavit. Ita sibi respondet S. Bernardus sermone infra octavam Epiphaniæ. *Domine Jesu quis te cibavit in illo triduo? Quid dicam Deus meus! ut te per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi unus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum participem fieri, vel saltem divini illius edulii reliquiis saginari.* Eodem ferè modo ipsum affatur Alaredus sancti Bernardi contemporaneus. *Per triduum illud ubi eras bone Jesu? quis tibi cibum aut potum ministravit? quis membra puerilia vagientis fovit aut balneis? Scio certè quod sicut voluntate nostram infirmitatem suscepisti, ita cùm velles propriam virtutem ostendisti, & cùm velles his obsequiis equisti, de his autem existimare aut conjicere temerè aliquid, aut affirmare nihil licet. Quid dicam Deus meus, &c.* Cætera sunt ipsissima sancti Bernardi verba, quibus arridet Apostolus 2. Corinth cap. 8. vers. 9. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniã propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* Quasi diceret, Christus Rex Regum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei propter vos egenus & mendicus factus est, ita ut nascens in stabulum, seu locum omnibus pauperibus, viatoribus, ac mendicis deserto, quia non erat ei locus in diversorio, pro throno haberet præsepium, pro culcitris fœnum, pro igne hipocausto, vel basilio halitum bovis & asini, pro peristromatis arenearum telas, pro odoramentis excrementa boum, pro purpurâ viles panniculos, pro equitatu bovem & asinum, pro procerum turbâ Josephi & Mariam, pro benefactoribus pastores. Undè non incongruè pro nobis *egenus factus est*, Erasmus vertit *mendicavit*.

XV. Nonnè dum concionem ad populum haberet aliquibus prædiis, palatiis, reditibus fruebatur, quibus tuos Apostolos aliosque sibi adhærentes aleret? minimè, sed è contra Lucas cap. 9. testatur vers. 3. quod *Maria quæ vocatur Magdalena, de quâ septem dæmonia exierunt, & Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Ad tantam paupertatem & mendicitatem redactus est, ut cap. 9. vers. 58. de se asserat. *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Græcus, *Vulpes habent cavernas, & volucres cæli umbracula ex ramis cõtexta.* His verbis demonstrat Christus se nihil habere proprium, sed ita pauperem, ut in alienis domibus mendicatis degere cogeretur, & esse deterioris conditionis, quàm vulpes & volucres cœli. *Vulpibus* (inquit Euthymius) *& volucribus cæli sum pauperior. Neque enim receptaculum habeo, nec quantum sufficiat ad caput tantum reclinandum. Tales enim esse volo & eos qui me sequuntur. Itaque frustra & in vanum speraſti, &c.* Quibus verbis innuit Scribæ suum regnum non esse de hoc mundo, nec instar aliorum Regum & Principum qui majestatem suam regiam in palatiis, hortis, amœnis construendis manifestant, imo nihil cõmune se habere cum vulpibus

Euthym.

& volucribus. Hæ enim nidos, illæ foveas habent sibi proprias: at Filium hominis nec domicilium, nec lectulum, nec cervical, imò nec quidquam, cui caput ad somnum capiendum applicet. Se verò non tantùm paupertatem, sed & mendicitatem profiteri testatur psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper*, & de facto exercere patet Joannis cap. 4. vers. 7. ubi mulieri Samaritanæ ait. *Da mihi bibere.* Syriacus, *Da mihi aquam bibendam.* Theophilactus & Vatablus. *Da mihi quod bibam.* Hanc extremam Christi paupertatem & mendicitatem agnovit mulier, primò dicens vers. 9. *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quia sum mulier Samaritana. Non enim coutuuntur Iudæi Samaritanis.* Theophilactus, Euthymius, Vatablus *Non inim commercium habent Iudæi cum Samaritanis.* Verè deprehendo te extremâ siti laborare, quandóquidem præter morem postules à me potum aquæ. Secundò hanc paupertatem agnoscit his verbis, vers. 11. *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* Arabicus. *Domine non est tibi situla & puteus profundus est.* Græcus. *Non habes haustrum.* S. Augustinus. *Non habes hauritorium.* Tam pauper Christus erat, ut instar Eliæ nec situlam, nec vasculum haberet, quibus hauriret & biberet aquam, sed à muliere & quidem Samaritanâ illa mendicare cogeretur. Eandē mendicitatem suam Christus patefecit, dum triumphantium more Civitatē Jerosolymam ingredi voluit utens asinâ alienâ, animali omnium infimo, Sanctus Chrysostomus 37. in imperfecto eandē paupertatem exaggerat.

S. Chrysostomus *Dominus* (inquit) *ascendens Ierosolymā non sedet in curru aureo, pretiosâ purpurâ fulgens, neque ascendit super fervidū equum, &c. Non vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut catera ornamenta terribilium armorum, &c.* In Cruce extrema siti laborans Joannis cap. 19. vers. 28. *Dixit sitio.* Arabicus. *Sitiens sum.* Eum enim verè, realiter, vehementi siti laborasse asserit noster Sylveira tomo 5. in Evangelia lib. 8. cap. 18. in expositione 3 & quæst. 4. Cornelius & alii. Primò quia nihil comederat & biberat à cœnâ pridianâ. Secundò, quia exsiccata erat illa sanctissima caro humido naturali consumpto per effusionem totius sanguinis. Tertiò quia acerrimi cruciatus & dolores ingentem sitim excitabant. Accipe verba nostri S. Cyrilii Alexandrini lib. 13. cap. 35. *Dolores* (inquit) *innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera urunt.* Hinc fauces siccantur, ac præ nimiâ siti arescunt, & in Christo illud Davidicum oracullum impletum est Psalm. 21. vers. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Quasi diceret, sicut siccatur testa igne cocta, sic virtus mea tormentis, doloribus, angustiis: & juxta illud Proverb. cap. 17. vers. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Idem Vates Regius. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis.* Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 92. *Agglutinata est gutturi meo.*

XVI. S. Cyprianus contra Judæos cap. 13. *Agglutinata est faucibus meis.* Adeò ut lingua defectu humidi moveri nequeat. Aliàs dixerat Samaritanæ mulieri *Da mihi bibere*, sicut olim Pater Elias mulieri Sareptanæ, *Da mihi paululùm aquæ.* At in Cruce omnibus ait, *Sitio*, at tam inhumani sunt astantes, ut non vinum, ut cæteris in supplicio dabatur tum ad levandam sitim, tum ad confortandum, non aquam in vase ut Sareptana, in situlâ ut Samaritana, sed acetum spongiæ immergunt. Primò, ut gratificentur Judæis Christo infensis, ut prædixit Vates Regius Psalm. 68. vers. 22. *Et in siti mea potaverunt me aceto.* Secundò, ut ei illudant juxta illud Lucæ cap. 23. vers. 6. *Illudebant autem ei, & milites accedentes, & offerentes.* Tertiò ut tormentum augerent, ac cruciarent. Quartò, ut sitim potius augerēt quàm extinguerent. Acetum enim quamvis initio sitim levare videatur, tamen statim eam auget, & quia siccum est, desiccat valdè. Quintò, inquiunt Cajetanus, Toletus, Franciscus Lucas, Barradius, Emmanuel Sa, & alii, ad accelerandam eius mortem, quia tunc scilicet horâ

nonâ

nonâ milites famescebant, ac prandere cupiebant. Ratio est quia acetū suâ malignitate habet magnam vim penetrativam, ut sanguis citius è vulneribus ac plagis effluat. Sextò Baronius tomo 1. anno Christi 34. num. 1626. putat porrectum esse acetum Christo, ad restringendum sanguinē, & a profluvio coercendum, stomachumque cum reliquis membris roborandum, ut sic Christus diutius conservaretur, diutiusque vivendo magis cruciaretur. Septimò, nihil dat quod non habet, cùm Judæi carerent vino, sed essent pleni aceto acerbo, illud Christo porrigunt, ut docet Origenes lib. 7. contra Celsum. *Semper veritatis insidiatores sel suæ malitiæ, & acetum proclivitatis ad malum efferunt Domino Deo suo.* Cui subscribens S. Augustinus tractat. 119. in Joannem. *Date* (inquit) *quod estis Judæi, quippe erant acetum degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tanquam vas plenum aceto habentes, scilicet cor plenum iniquitate, & velut spongiam cavernosis & tortuosis latibulis fraudulentum.* Non omittenda explicatio Theophilacti in Matthæum porrexisse acetum, ut priusquam adveniret S. Elias, Christus emitteret spiritum. *Acetum* (inquit) *Christo in potum dabant, ut moreretur priusquam veniret Elias. Unde alii dicunt, sine videamus an veniat Elias, hoc est sine eum, facias mori, ut sciamus an juvetur ab Eliâ.* Ex quibus patet Christum omnium miserorum miserrimum, omnium pauperum pauperrimum, omnium mendicorum maximè mendicum fuisse; quandoquidem petenti denegetur, & porrigatur, quod illis non denegatur non porrigitur. Denique si modum sepulturæ ejus attendas, inspicies corpus ejus involutum fuisse sindone, non quam Mater vel Joseph porrexit, sed extraneus scilicet Joseph quam ipse emit. *Joseph mercatus est sindonem, & deponens eum involvit sindone.* Marci cap. 15. vers. 46. Meritò sanctus Chrysostomus concludit se alloquens. *O Chrysostome, verecundaris audiens quod mendicat Christus, verecundare magis, cùm mendicantis vendes, hoc enim est verecundia, hoc supplicium, hoc tormentum.* Ex quibus patet Christum non tantùm fuisse pauperem, sed etiam mendicum, & caruisse non solùm usu, sed dominio temporali rerum terrenarum. Quamvis enim semper habuerit dominium divinum, non tantùm accepit dominium politicum more humano. Fuit igitur verè mendicus, fuit etiam Dominus saltem in communi cum suis discipulis eorum bonorum, quæ illi ut mendico erogabantur, ut patet ex Joannis cap. 12. vers. 6. ubi de Judâ. *Fur erat & loculos habens, eaque mittebantur portabat,* in suos usus convertebat pecunias loculorum Christi. *In usum suum* (inquit Theopilactus) *rapiens, quæ in divinum dabantur.* Quod si Christus non habuisset proprietatem, nec dominium civile, Judas non commisisset furtum, cùm illæ pecuniæ per dominium naturale, seu divinum, non magis spectarent ad Christum quam reliquæ creaturæ (inquiunt Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 45. & Cornelius in cap. 12. Joannis.) Idcò autem Christus amore paupertatis mendicare voluit. Primò, quia illum nemo coegit, subjici legi, sed sponte elegit. Secundò, subjectos legi poterant divitias comparare, sicut regnum quod tamen recusavit. Tertiò, perfectioris vitæ magister esse voluit & exemplar, nec res mendicatò collectas in loculos communes mittere, perfectionem Evangelicam innuit, ut fusè docet Suarez in part. 3. quæst. 40. art. 3. disp. 28. sect. 2.

XVIII. Cœterùm quod Christus voluerit paupertatem ac mendicitatem ab Apostolis observari, sicut Elias ab Eliseo & filiis Prophetarum. Probatur ex primo sermone Christi in monte, ubi *Cùm sedisset accesserunt ad eum Discipuli ejus & aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Secundùm vocem Græcam πτωχοὶ Hebræam *raschin*, Syriacam *meschme*, *mendici*, qui scilicet non invitâ, vel miserabili necessitate, vel ex vanâ gloriâ, vel liberius philosophandi studio, ut Crates Thebanus, Diogenes, Aristides, sed spiritu, idest laudabili

voluntate à Spiritu Sancto inspiratâ, & ad spiritualia bona tendente, seu propter Deum & regnum Cœlorum suscipitur. Quasi diceret, Beati, quorum spiritus pauper est, seu amans paupertatis, contemnendo terram, amando cœlestia. *Pauperes spiritu* (inquit S. Bernardus sermone 1. in festo Omnium Sanctorum) *id est spirituali voluntate, spirituali intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, & salutem animarum.* Illud motivum addit. *Præter plebeios pauperes, necessitate miserabili, non laudabili voluntate.* Vel Christus dicit. *Beati pauperes vel mendici spiritu*, ut innuat hanc paupertatem & mendicitatem esse Christianam, religiosam & divinam, non humanam, vel ad corporis sanitatem servandam. S. Hieronymus. *Spiritu propter Spiritum sanctum voluntariè pauperes.* Sed audiamus nostrum Waldensem part. 1. doctrin. fidei lib. 4. art. 1. cap. 5. ubi post sanctum Chrysostomum distinguit nomen pauperis, à nomine mendici: *Quia pauper* (inquit) *est, qui angustiam quidem habet, non autem tantam ut mendicare cogatur. Igitur Apostoli, qui votum voverant paupertatis altissimæ usque ad ipsam mendicitatem feruntur.* Consequenter ostendit cur Apostoli sint similes cœco sedenti in viâ, & mendicanti. *Via publica quæ maximè conculcantur à populis nonnisi mendicata ad stipe reparantur. Sic Domini mei Apostoli, Præcones verbi, lux mundi, & via publica Paradisi seipsos substernebant cunctis gentibus viam incedentes versus cælum: sed tamen nonnisi in mendicitate lassa eorum corpora refectum iant, & stipe publicâ reparata, &c.* Christus non tantùm existimat Beatos Apostolos si mendicitatem sectentur, sed eandem ipsis commendat Matthæi cap. 10. vers. 9. *Non peram in viâ neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius mercede sua.* Cornelius subdit, ideo hoc præceptum Apostolis fuisse impositum, ut omni terreno affectu æquè ac sollicitudine expediti toti a Dei providentiâ penderent confidentes, & securi sibi ab eâ prospiciendum esse abundè de cunctis necessariis. Cautam sic commendatæ paupertatis ac mendicitatis Christus affert eodem vers. 10. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Quibus verbis innuit Apostolos debere sustentari à Judæis, quibus Evangelium prædicabat, ac Prædicatores jure suo indè posse vivere. *Accipiant* (inquit sanctus Chrysostomus) *sustentationem à populis, mercedem à Deo.* Hortatur ergo Christus Apostolos, ut operentur in vineâ Domini, ac strenuè prædicent, nec sint solliciti de cibo seu victu & vestitu. quia sicut Deus dat escam omni carni, & pullis corvorum invocantibus eum, ita idem Deus sui verbi Preconibus per hospites vel aliundè illis abundè prospiciet. Eodem Capite Christus mercedem vocat illam Divinæ Providentiæ sollicitudinem, ac sustentationem per auditores verbi Dei suppeditandam, vers. 14. *Quicumque non receperit vos, neque receperit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris*, Idest in eos, qui vos, nec prædicationem vestram receperint, excutite pulverem eis indignitatem & enormitatem suæ inhospitalitatis, ac æternæ pœnæ meritum ostendite. Et probat Christus exemplo Sodomitarum, qui igne cœlesti assumpti sunt, ditque horum peccatum esse tolerabilius, vers. 15. *Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum terræ in die judicii, quam illi civitati.* Quamvis enim Sodomia sit gravissimum peccatum in specie libidinis, seu contrà legem naturalem continentiæ, tamen inhumanitas erga viros Apostolicos dicitur gravior, primò, ratione ingratitudinis, inhospitalitatis, infidelitatis, inobedientiæ, rebellionis, & contumaciæ in Deum. Secundò, quia est contra legem naturalem & divinam, sed quomodò ista inhospitalitas erga viros Apostolicos dicitur intolerabilior peccato Sodomitarum, cùm in Angelos ad Loth divertentes violare voluerint & incestum committere Genes. cap. 19. Sodomitæ ad verba Loth obsurduerunt, at qui divini Verbi Preconibus se inhospitales exhibent prædicationem Christi & Apostolorum spernunt,

Chrysostomus.

Tertiò

Tertiò, Sodomitæ non tam inhumani fuissent, sed credidissent si eadem signa & miracula vidissent, ut Christus innuit Matthæi cap. 11. vers. 23.

XIX. Luc. 10. vers. 9. Christus iisdem ferè verbis Lucæ cap. 9. prohibet Apostolis itinerantibus ratione prædicationis Evangelicæ ferre peram, panem, pecuniam, &c. & eos non recipientibus easdem minas infert. Theophi lactus. Undè Theophilactus ibi. *Ipsos mendicos mittit, quod neque panem ipsos portare vult, neque aliquid, quibus indigent multi.* Rationem affert Luc. cap. 10. vers. 7. dicens Viros Apostolicos debere sustentari ab auditoribus. *In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede suâ.* Theoph. Theophilus ibi. *Vide ergò qualiter discipulos mendicare instituit & pretio eos enutrimentum habere voluit.* Quasi diceret, Apostolorum mendicitas nō est vitiosa, quandoquidem eam Christus instituerit. *Vide* (inquit idem Theophilus apud nostrum Waldensem supra cap. 5.) *qualiter Christus Jesus Dominus noster discipulos suos mēdicare instituit.* Walden sis. Ubi noster Waldensis. *Junge singula singulis, mendicare instituit edendo & bibendo, quæ apud eos inveniant, & ut apud eos sic mendicent à proposito ipsos mendicos mittit sine virgâ, sine pane, sine pera, sine pecunia. Planum ergò est quod in sic statuendo, & sic mittendo, non casui consuluit, sed præscita, & benè prævisa miseria post futura.*

XX. Vocat Christus sustentationem viri Apostolici non actum Charitatis, sed justitiæ *Dignus est operarius mercede suâ.* S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap 30. S. Augustinus. *Cur eos hæc possidere ac ferre noluerit? Non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis quibus Evangelium credentibus annunciarent.* Expende illa verba *Ut eis hæc deberi demonstraret.* Quæ actum justitiæ significant. Cui subscribens S. Gregorius homil. 17. S. Greg. *Qui peram* (inquit) *& saccum portari prohibuit, sumptus & alimenta ex prædicatione concedit. Dignum est enim, ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patria cœlestis præmia offerimus.* Ideſt meremur de condigno sustentari ab auditoribus, & alimenta quasi stipendia ab eis percipere; quandoquidem prædicatio regni cœlestis corporalem sustentationē superet ac transcendat.

XXI. Matt. 19 vers. 21. Iterùm Christus Matthæi cap. 19. vers. 21. cuidam inquirenti iter cœleste, Christus observantiam mandatorum præcipit, & perfectiora postulanti suggerit ut suas opes det pauperibus. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c.* Vis ad perfectionis culmen pervenire & alios deducere, imitare me, qui cùm essem dives propter hominem factus sum egenus, mendicus. *Hæc verba sunt* (inquit S. Bernardus in declamatione non longè à principio) S. Bernardus. *quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam hominibus persuasere paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc autem sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque vasa ejus diripiunt. Hic sermo vivus & efficax convertens animas felici amulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.* Hanc Christi vocem S. Antonius audiens in missâ relictis omnibus mundo valedixit, Christumque nudus secutus est (inquit S. Athanasius.) Idem præstitit S. Prosper Regiensis postea Episcopus tempore sancti Leonis apud Surium in ejus vitâ 25. Junii, ad illam vitæ rationem amplectendam illa Christi voce suos cohortabatur, ut patet ex epist. 150. ad Hedibiam. *Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis? fac quæ fecerunt Apostoli, vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvatorem, nudum solamq; Crucem virtute nudâ sequaris.* Et fusius epist. 24. ad Julianum, Hieron. *Et hoc hortor, si vis esse perfectus, si Apostolicæ dignitatis culmen cupis, si sublatâ Cruce Christum sequi, si apprehenso aratro non respicere pōsit tergum, si in sublimi tectus positus pristina vestimenta contemnis & ut evadas Ægyptiam Dominam sæculi pallium derelinquis.* Et adducit Exemplum S. Eliæ, qui usque ad raptum suam paupertatem & mendicitatem demonstravit. *Vnde & Elias*

ad

ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundo vestimenta dimittit. Eandem virtutem commendat Demetridi epist. 8. ad Demetridem. *Apostolici fastigii, perfectaq; virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic levem atque expeditum cum Christo ad cœlestia sublevare.* Iisdem verbis etiam utitur sanctus Franciscus, ut scribit S. Bonaventura in ejus vitâ cap. 3. & hac viâ paupertatis & mendicitatis incessisse primos Evangelici verbi Prometheos docet noster Waldensis supra.

XXII. Sicut Christus nudus, pauper, ac mendicus ex hac vitâ migravit, eandemque Apostolis observantiam injunxit, ita Matri valedicens non eam Cæsari, vel alicui Principi, vel Josepho ab Arimathæâ diviti, de quo Matthæi cap. 27. vers. 57. commendavit, sed Joanni Evangelistæ. Joannis cap. 19. vers. 27. *Mulier ecce Filius tuus, &c. Ecce Mater tua.* Eam tibi do, ut omne filiale obsequium præstes, quod tua dignitas, tua ætas senescens meretur, quasi diceret (inquit Cornelius) *Ego sum Filius & Mater: Et quia morior tui curam gerere nequeo, illam ergo in Ioannem resigno & transfero.* Quam curam Joannes habere potest qui omnia reliquit cum aliis Apostolis, cui, sicut aliis Apostolis prohibuisti gestare in viâ virgam, peram, panem, pecuniam, & duplicem tunicam? Omissis variis Patrum responsis mihi maximè placet subtilis & ad intentum nostrum congrua responsio nostri Thomæ Waldensis supra. *Quantum Christus detestatus est mundi divitias, & appretiatus rerum egestatem, & penuriam lucuienter declarat, quod Matrem suam charissimam uni ex prædictis mendicis finaliter commendavit, quam utique illi commendasse noluisset, si quicquam sæculare præter Christi gratiam possedisset.* Pondera illa verba, *uni de prædictis mendicis,*

Ioan. 19 vers. 27

Cornel.

XXIII. Historia Apostolica eorum mendicitatem satis insinuat, dum Actor. cap. 3. Petrum claudo gressum restituentē introducit. Cùm enim claudus ex qui utero matris suæ bajulabatur, vers. 3. *Vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum rogabat ut eleemosynam acciperet.* Vers. 4. *Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit, respice in nos.* Vers. 5. *At ille intendebat sperans se aliquid acceperum ab eis.* Vers. 6. *Petrus autem dixit argentum & aurum non est mihi, &c.* Quasi diceret tu postulas eleemosynam à nobis, sumus pauperes sicut tu, relinquimus omnia, mendicato vivimus sicut tu. Undè Petrus Blesensis apud Waldensem. *Nunquid soli divites hujus sæculi thesauros habent, ut faciant oblationem Deo, ecce peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, nunquid acceptatores sunt, qui thesaurisant in terrâ? ergò pauperes & pannosi discipuli Christi, & filii sponsi, quorum vox est, aurum & argentum non est mecum, &c.*

Act. cap. 3. v. 6.

Petrus Blesensis

His etiam arridet Apostolus Paulus 1. Corinth. cap. 9. vers. 4. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi.* Idest omnibus rebus renunciavimus ut Christum sequeremur, ita ut si aliquo indigeamus, sivè quoad victum, sivè quoad vestitum illud nobis comparare debemus vel labore manuum, vel mendicatione, confidentes & committentes divinæ Providentiæ curam corporalem omnium nostrùm. *Nam* (inquit versu 9.) *scriptum est, non alligabis os bovi trituranti.* Quasi diceret, si Deo cura est de bobus, à fortiori de viris Apostolicis. Iis enim ex Evangelio vivere licet sicut boves ex triturâ, illi enim boves typici sunt laborantes & triturantes in agro & areâ Dominicâ, ut consequenter vers. 10. *An non propter nos utique hoc dicit. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat, arare, qui triturat in spe fructibus percipiendi.* Idest, inquit Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 7. Theodoretus quæst. 21. in Deuteron.) si bos vivit ex triturâ, ergò multò magis vir Apostolicus ex prædicatione Evangelicâ. Et quemadmodum agricola qui arat & triturat in spe seu sperans mercedem, juxta illud Ovidii lib. 1. de Ponto.

XXIV. 1. Cor. c. 9. v. 4.

vers. 9.

Spes fovet agricolas, spes sulcis credit aratris
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Sic

Sic Concionatores, aliique saluti animarum invigilantes debent sperare alimoniam ex suis exercitiis. Undè Cornelius optimè animadvertit Apostolum hic sex argumentis probare licere Ministris Verbi & Ecclesiæ à suis ad victum & vestitum necessaria expetere. Primò exemplo Apostolorum vers. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas.* Secundò Similitudine militum & pastorum & agricolarum, vers. 7. *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non comedit? Quis pascit greges, & de lacte gregis non manducat.* Tertiò ex lege Moysis, vers. 9. jam citato. *Non alligabis, &c.* Quartò, ex exemplo Sacerdotum & Levitarum, vers. 13 qui in veteri lege vivebant ex ministerio & ex victimis, & oblationibus altaris cui serviebant. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt cum altari participant.* Quintò, vers. 14. *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere.* Idest Christus ordinavit, ut qui Evangelicæ prædicationi, &c. incumbunt aliquam alimoniam percipiant ab iis, quorum saluti invigilant. Sextò, ex ipsâ rei naturâ, sive jure Divino positivo & naturali dictante deberi operario & ministro Dei & Ecclesiæ mercedem & stipendium, non quasi præmium rei sacræ, (alias esset simoniacum) sed velut stipendium sustentationis, seu ut sustentetur, ut suas functiones obire queat, quod stipendium ex dictis supra, & S. Chrysostomo ex justitiâ.

XXV. In illum finem & fidelium pauperum sustentationem Apostolus 1. Corinth. cap. 16. vers. 1. instituit collectas fieri. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.* Vers. 2. *Per unâ Sabbathi unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei placuerit, ut non cùm venero tunc collectæ fiant.* Quod illæ collectæ essent eleemosynæ quas primi Christiani sponte, & ex merâ suâ liberalitate erogabant, patet ex his verbis. *Quod si benè placuerit.* Deindè ex vers. 3. *Quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* Idest eleemosynam quam non coacto, sed grato animo dederitis. Omitto hic alias probationes nostri Thomæ Waldensis scilicet hoc argumentum non valere Apostoli non mendicarunt, igitur nec aliis licet. Secundò, quamvis mendicitas electa repugnat statu innocentiæ non tamen est culpabilis, sed perfectionem Evangelicam inducit. Tertiò, undè S. Hieronymus Paulam miris laudibus effert, quæ omnia sua ita in pauperum usus profudit, ut instar mendicorum obierit. Quartò, commendat Mutium Valerium consulem, qui stipe mendicata sepulturâ habuit. Subditque ad Clericos conversus Waldensis. *Mendicitatem erubescitis, & Christi paupertatem spernitis ultra modum. Si sanctos, si Catholicos non auditis, saltem audite Valerium. Quid (inquit) mendicam fortunam, quasi præcipuum humani generis malum diuturnis convitiis laceramus. Iam erubesce Sidon ait Mare, satis peccasti, quod huc usque te delinquentem in Christi & discipulorum ejus mendicitatem sacratam gentilis homo redarguit. Sic mittitur Gentilis secundùm Gregorium, ut saltem puderet fideles inferiores esse gentili, sic mittitur vobis Valerius, ut à fortuna defensaret avaritiæ, ubi Christianus non potest spretus, saltem ab Ethnico redarguti audiatis. Quid mendicam fortunam, quasi præcipuum generis humani malum diuturnis convitiis laceramus.* Thomas Walden. Consequenter producit sanctos Chrysostomum & Augustinum pari zelo impugnantes eos qui mendicitatem contemnunt.

Sed illam esse gradum ad perfectionem Deo gratam & omni laude dignam testatur mendicitas Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei instituti Carmelitani fundatorum, quam Deus illustravit resurrectione mortuorum ante hac inaudita, lib. 3. Reg. cap. 17. & lib. 4. cap. 4, de quâ supra, testatur mendicitas Sanctorum Dominici & Francisci in cujus confirmationem Deus varia per eos signa edidit, ab eis prodiit immemorabilis progenies sanctissimorum Religiosorum, quæ XXV.

Ecclesiam miro modo amplificavit, ut canit Ecclesia in Collecta Sancti Francisci. *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, &c.* Uno verbo secundùm Bellarminum citatum in
Bellarm. fine cap. 45. *Conversio Gentium, confutatio hæreticorum, pietas populi Christiani, conservatio Theologiæ, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maximâ ex parte accepta referenda sunt.* Undè S. Thomas opusculo 19. cap. 5. affert discrimen inter Ordines Monachorum sanctorum Basilii, Benedicti, &c. & Mendicantium, quod illi ex suâ regulâ, & ex cap. de præsentium, 16. quæst. 1. manibus laborare solcant, at verò mendicantes, licet viribus præditi minimè laborant, quia sunt instituti & approbati ab Ecclesiâ ad docendum, concionandum, sacramenta conferenda, ac proindè ad incumbendum studiis litterarum. Undè secundum Apostolum congruum est, ut qui spiritualia seminant, temporalia metant, & qui altari serviunt ex altari vivant.

6.

Diluuntur argumenta contra Mendicitatem.

1. PRimum argumentum, quod mendicitas etiam spontanea sit jure divino prohibita, accipe ex Deuteron. cap. 15. vers. 4. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos.* Respondeo primò nonobstante hoc textu fuisse in Judæâ multos mendicos, ut patet Lucæ cap. 16. de Lazaro, Luc. c. 18. de cœco mendicante secus
Walden. viam. Joan. cap. 9. de alio cœco mendicante. Act. c. 9. de claudo mendicante ad portâ speciosam templi, & in veteri lege de SS. Eliâ & Eliseo. Respondent Secundò, noster Thomas Waldensis & Bellarminus non prohiberi mendicitatem, sed promitti tantam rerum abundantiam, ut nullus sit futurus mendicus. Qui sensus maximè convenit textui Hebræo sequenti. *Quia benedicet tibi Dominus Deus tuus.* Quâ promissionem esse conditionatam innuitur vers. 5. *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris universa, quæ iussit, & quæ præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.* Undè quia frequenter legem Dei violarunt & violaturos prævidet Deus, ideò Christus Matth. cap. 26. Luc. cap. 22. ait. *Semper pauperes habebitis vobiscum.* Quæ verba explicans Thomas Waldensis supra cap. 7. *Ipsos autem* (inquit) *qui peccassent in legem non decernit Dominus debere egere & mendicare, sed quod in pœnam peccati illorum egenos haberent, quos alerent, & mendicos quos per diminutionem substantiæ suæ eleemosynarii sustentarent.* Et probat exemplo S. Eliæ, qui inculpabiliter mendicavit. *Quid rogo* (inquit) *peccavit sanctus Elias Virgo, Propheta, & Presbyter, quod aquam à Sareptanâ fœminâ mendicaret, cùm hoc auctoritate & cœlesti imperio fecisset.* Consequenter respondet Wicleffo dicente S. Eliam non mendicasse pabulum, cùm suum auctoritativè, & cœlesti quæreret imperio. Undè in signum hujus auctoritativè dixit, *Da mihi*, sed hanc vocem esse mendicatoriam, docet S. Ambrosius lib. de Nabuthe cap. 2. ad illa verba Achab ad Naboth. *Da mihi vineam tuam.* lib. 3. Regum cap. 21. vers. 2. Quibus subdit. *Quæ vox alia est stipem publicè postulantis, nisi da mihi, hoc est da mihi, quia egeo. Da mihi quia aliud vivendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus Deus dedit, undè largiri debeas, mihi non dedit nisi tu dederis habere non potero da mihi, quia scriptum est, date eleemosynam.* Quibus cõtra Wicleffum subdit Waldensis. *Statim scriptura subjungit clamasse Eliam à tergo fœminæ affer tecum obsecro & buccellam panis. Si non mendicavit prius cum imperasset aquam, saltem mendicavit postea, cùm obsecrat dare panem. Quod si æquâ auctoritate exegit panem & aquam, ergo qui planè mendicavit panem cùm dixit obsecro, concedatur mendicasse aquam cùm dixit da mihi. Mendicavit planè, nec in hoc tamen prævaricatus est legem, qui fuit*
Thomas Walden.
l. 3. Reg. 21. v. 2.

sub

sub lege, sed magis illi qui prævenire debuerant egestatem Prophetæ. Cùm enim peccare cœperunt homines legis, statim incepit eis esse præceptum, quod fuit promissum. Hoc dico, si posset aliquo modo dici præceptum, quod tu conaris asserere: nec in ista lege prohibita fuit. Christiana mendicitas, sed tenacitas bona possidentium, nè ad tantùm derelinquerent egenum, ut præ penuriâ necessariorum cogatur mendicare, alioqui peccarent mortaliter omnes, qui jam inter Christianos mendicant. Respondeo tertiò, cum Cornelio præfatis verbis Deuteronomii Deum mandare, ut Hebræi curent pro posse suo, ut non sint inter eos indigentes & mendici, sed mutuò dent pauperibus, præsertim infirmis & invalidis ea, quibus indigent, illisque ea remittendo anno septimo, si ante ea solvere & reddere nequeant. Undè cum hoc rectè addit id quod vers. 11. ejusdem capitis. *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ.* Quibus prædicit fore pauperes, at vers. 4. præcipit, ut illis subveniatur. Ideò verò Deus voluit ut inter Hebræos forent pauperes, ut ditiones haberent occasionem misericordiæ in eos exercendæ, ut sic nemo cogatur mendicare. Huic responsioni favet divus Thomas opusc. contra impugnantes religionem.

II. Argumento secundo impugnatur mendicitas deprompta ex psalmo 36. vers. 26. *Iunior fui, etenim senui & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* At contra (inquit noster Michael de Bonnoniâ in psalmos) Michael de Bonn. auctor hujus psalmi. *David fuit justus, & tamen panem quæsiuit ab Abimelech, ut patet lib. 1. Regum cap. 21. Elias homo fuit justus, & tamen panem quæsivit à muliere viduâ Sareptanâ, libr. 3. Regum cap. 17. Etiam sequeretur quod status Religiosorum, qui panem mendicando quærunt, non esset licitus, si nullus est iustus. qui panem quærit.* Quare respondet ad vers. citatũ, primò, quod locus ab auctoritate negativâ nõ tenet. Secundò, *Quod hic David utitur communi modo loquendi, sicut quando pauci sunt in Ecclesiâ, dicimus nullus est in Ecclesiâ, vel foro, scilicet quando sunt ibi pauci respectu ad alias vices, quia illud quod modicum est, quasi nihil computatur. 2. Physic. Licet autem iusti aliquando quærant panem, hoc tamen rarò contingit, nisi in illis, qui voluntariè statum mendicitatis assumunt. Quod etiã rarius contingebat tempore veteris testamenti, quando scilicet abundantia bonorum temporalium pro operibus iustitiæ promittebatur, ut patet Deuteronomii cap. 8. & Isaiæ cap. 1. Si audieritis me, bona terræ commedetis.* Tertiò, *Dicitur quod iusti non petunt panem, scilicet ad congregandum avarè, sicut dicitur Philipp. cap. 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu-Christi. Quærunt autem ad vitæ sustentationem.* Quartò, *Quod justi non quærunt panem, vel alia temporalia, ut finem intentum, sicut faciunt mali, qui quærunt servire Deo propter beneficium, & non beneficium propter Deum. Sic enim dicitur, Quærite primùm regnum Dei, &c. & hæc omnia adjicientur vobis. Dic ergò non vidi justum derelictum, scilicet à Deo finaliter, nec semen ejus, ideſt imitatorẽ ejus, quærens panem, scilicet temporalia pro suo fine.* Respondet quintò Titelmannus. *Attendendum est impropriè ad modum accipi hoc in loco quærere panem. Non enim panem quærit, qui mendicatum panem sibi colligit; sed panem quærere hoc in loco potius est pane deficere, panem non invenire, quasi panem requirere, sivè desiderare. Secundùm fermè modum, quo dici solet in præliis illos desiderari, qui interfecti sunt. Undè hoc loco Psalterium Rõmanum habet, nec semen ejus egens pane, pro quærens panem. Alioqui quis est ex operariis, qui non quærit panem? Et quomodò non quæret panem homo, cui præceptum est, in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Titelmannus. Sextò respondet de multis fame pereuntibus, hoc animadvertendum esse diligenter. *Plures esse hominum qui derelinquuntur, & destituuntur necessariis, verum à seipsis derelinquuntur non à Deo. Et multi fame consumuntur, quos non derelinquit Deus, sed ipsi sese interimunt, neque solùm se, sed & suos liberos multò miserius. sunt enim nonnulli (quod dolendum est) crudeles sui, suorumq; interfectores, qui cum honestâ & satis divite sint familiâ pregnati, si ad paupertatem devenerint, malunt extremam pati penuriam, se q; ac*

suos fame crudeliter & impiè perimere, quam, suam paupertatem propalare, & eleemosyna gratiam verecundè postulare. Et dum foris nonnunquam vestimentorum decore satis splendent, interius membra corporis tabescere sinunt, & esurire familiam, quo (ut ipsi aiunt) suam non dehonestent progeniem. Hos sanè Deus neque dereliquit, neque perimit, sed potius ipsa illorum vana superbia. Atque hujus rei vehementer expedierit eos, qui pascendo & erudiendo populo præsunt, illos commonefacere, quoniam satis compertum est multum hominum numerum ita sese perdere. Neque suas tantùm & suorum corpora (quod forsitan utcumque fuerat tolerandum) verùm etiam crudeliter proprias suas animas crudeli homicidio æternæ damnationis reddere obnoxias. Quomodò enim sui suorumq; non est crudelis interfector, qui ob humanam verecundiam, imò verò ob vanam superbiam seipsum, & suos domesticos interficit? imò verò non unius est homicidii reus, qui cùm mendicando possit alere creditam sibi domum, fame perire sinit. Quid enim refert, sive brevi horula spatio gladio animam tibi, tuisque ejicias, sive longiore cruciatu necessariis fabuli subtractione cogas emigrare. Hi ergò non ut iusti derelinquuntur, cùm nec justi sint, qui sunt crudeles homicidæ. Deindè neque à Deo, sed à semetipsis derelinquuntur, si enim media ad hanc rem accommoda quærerent, vel laborantes manibus, vel (si id non valeant, aut si id non sufficiat) verecundè suam necessitatem exponentes, & eleemosynæ gratiam, quam etiam Dei filius non est dedignatus agnoscere postulantes, nequaquam, neque ipsi, neque domus eorum fame deficerent. Quemadmodum enim juxta Domini vocem semper pauperes habiturus est mundus, ita ejusmodi ordinatione & dispositione nunquam deficient viri misericordiæ, qui non patientur fame perire iustos. Et si quando omne humanum subsidium deficeret viro justo, nihil dubitanti & fidenter postulanti procul dubio tempestive adesset divinum: id quod de pluribus sanctorum virorum atque mulierum certissimè prodierunt historiæ. De l 3. Reg. cap. 17. *Eliâ quidem in torrente à corvo pasto, liber Regum. Per quem Sareptana quoque mulier, cujus jam oleum & farina defecerunt, plurimo tempore sustentata est, alioqui jam jam cum filio cocto ac vorato ultimo pane moritura. Item & de* l. 4. Reg. cap. 3. *hujus discipulo Eliseo, per quem tres reges periclitantes in solitudine cum omnibus exercitibus resocillati sunt. De Daniele in lacu leonum liber Danielis refert. De Paulo quoque Eremita scribit sacer Hieronymus. Sed & de aliis plurimis in lege novâ viris sanctis dignissima fide hoc ipsum tradunt historiæ.* Septimò, respondent SS. Augustinus & Hieronymus Psalmistam loqui de pane spirituali. Octavò, Bellarminus supra cap. 46. ait quærere ibi non significare quomodocumque quærere, sed quærere cum anxietate & labore, ut illi faciunt, qui diu quærunt & vix inveniunt, ut patet ex Hebræo verbo, quod significat quærere diligenter.

Tertiò, Argumentum tertium desumitur ex Proverb. cap. 30. vers. 8. ubi Sapiens ait Deo *Mendicitatem & divitias nè dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, nè fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Dominus, aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Quibus videtur condemnare paupertatem & mendicitatem religiosam. Respondet Bellarminus non loqui de Religiosâ, & voluntariâ, sed involuntariâ mendicitate. Secundò, loqui in personâ infirmorum, quorum plurimi sunt in Ecclesia, quibus nocent nimiæ opes, & extrema egestas, non autem de viris perfectis, scientibus cum Paulo abundare, & penuriam pati, & quibus multæ divitiæ & extrema inopia sunt instrumenta virtutum, ut patet in Job, qui utrumque expertus est. Tertiò, hæc sapientis verba secundùm S. Chrysostomum homil. 18. in epist. ad Hebræos. S. Ambrosium sermon. 8. in psalm. 118. conveniunt hominibus veteris legis qui erant imperfecti. Quartò Sapiens loquitur de mendicitate expositâ periculo, qualis non est Religiosorum. Mendicantium, qui sciunt sibi non defutura necessaria, ut Christus promisit cap. 19. vers. 29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quomodò *centuplum*? ob populi devotionem, qui ob adminis-

III. *Proverb. 30. v. 8.*

strata

strata sibi spiritualia restituent temporalia. Quintò, competunt è contra hæc Sapientis verba Religiosis, non enim volunt divitias, & ideò deserunt, nec mendicitatem periculosam quâ fame moriantur. Undè aiunt, tribue tantùm victui meo necessaria. Sextò, (inquit Cornelius in Proverb.) loquitur ac præscribit modum majori parti hominum congruum, qui est victus moderatus cum carentia superfluorum, & necessariorum copia, cui modo communi Christus addidit perfectiorem, scilicet paupertatem Evangelicam, quam exemplo confirmavit Psalm. 39. vers. 18. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Et Matthæi cap. 8. vers. 20, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autè hominis, &c.* Quæ Christi Apostolorum, & Religiosorum mendicitas est libera & observata ab illis humilitatis studio, & ut avocato animo ab opum, terumque terrenarum affectu, in Deum & res divinas liberius transferantur, ut docet S. Thomas 3. part. quæst. 40. art. 2. ad 1. Septimò. respondet noster Thomas Waldensis supra cap. 8. Salomonem postulasse hoc à Domino, quod posset ferre. Quod nihil est contra nos, qui hæc ferre valeamus. Possumus enim nos firmi Christiani hoc jugum Domini portare per gratiam, quod Salomon non potuit per suam sapientiam, vel legis observationem. *Non ut exoltum* (inquit) *supercilium fratrum hæc infero, sed Christi gratiam sapientiæ Salomonis præpono. Duo enim circa divitias extremaliter collocantur, quæ nisi per Christi gratiam vix censeam portabilia sine peccato. Affluentia scilicet divitiarum, & inopia, quarum neutram potuit inculpabiliter sapiens Salomon sustinere, ideò postulavit in medio eorum esse.* Quod probat SS. Ambrosii & Chrysostomi verbis, quibus subdit. *Iam discere Christum præstantiorem Salomone aliquid virtutis in mendicitate spontaneâ suis parvulis recitasse, quod à sapiente absconditum.* Et paulo post, *Christus accepit hanc potestatem à Patre mutandi maledictum mendicitatis per legem in benedictionem per gratiam.* Matthæi cap. 11. *Omnia* (inquit Christus) *mihi tradita sunt à Patre meo.* S. Chrysostomus homil. 48. in imperfecto. *Mihi traditæ sunt divitiæ & paupertas. Usque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat, divitiæ autem inflabant, nocendi virtutem præstabant. Nunc autem mihi traditæ sunt, ut paupertas, dum magnanimiter sustinetur ad gloriam Dei proficiat & divitiæ etiam dum misericorditer dispensantur.* Ultimò subtiliter respondet idem Waldensis, & animadvertit prius de divitiis mentionem fecisse, quàm de paupertate, ideoque eas potius contemnendas & reprobandas ab hominibus, quam mendicitatem. *Divitias* (inquit) *antequam mendicitatem abhorret. Cur ergò majorem partem Ecclesiæ auctoritate Salomonis non damnas divitiarum, ex quâ tam fortiter mendicitatis sanctæ præjudicas, &c.*

Thomas Walden.

Ecclesiasticus cap. 27. vers. 1. aliud argumentum suggerit, asserens quod *Propter inopiam multi delinquerunt.* Cui subscribūt Philemon apud Stobæum serm. 94. *Inopia prompta est in perpetrandis malis.* Silius lib. 13. *Sceleri proclivis egestas.* Cicero. *Duæ res sunt quæ homines ad turpe compendium movent inopia, & amantia.* Lactantius lib. de ira Dei cap. 20. *Multa sunt, quæ ad peccandum invitant egestas, violenta egestas.* Salustius in Iugurtha. *Egentissimo omnia cum pretio honesta videntur.* Quibus accinens noster Mantuanus ait. *Paupertas inimica bonis est moribus.* Sed respondeo ut supra, vel loqui de egestate ac mendicitate coactâ, vel de hominibus sui ævi. IV. *Eccl. 27. vers. 1.*

Accedit Ecclesiastes cap. 7. vers. 12 præponens copiam inopiæ. *Utilior sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem.* Quæ verba his versibus reddunt Victorinus Monachus, & Joannes Ferus. V. *Eccl. 7. vers. 12*

Optima mixta opibus sapientia magnus ab illis
Accedit decor in vitâ mortalibus ægris.

Quibus arridens Meander ait,

Cui mens, opesq; sunt, simul beatus est,
Illic namq; vitè solus ille vivitur.

Et rationem affert vers. 13. *Sicut*

enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Chaldæus. *Quemadmodum custoditur vir in umbra sapientiæ, sic custoditur in umbra argenti in tempore, quo facit ex eo eleemosynam.* Idest, sapiens & dives sibi & aliis in adversis solatium, lætitiam in prosperis conferunt, sicut umbra opaca & frondosa arboris, verbi gratiâ, platani ramos extendentis, quibus umbram in æstu solis viatoribus & advenis præbet gratissimam, ita ut *gentis vectigal pro umbrâ pendeant.* Respondet Bellarminus post Titelmannum, meliorem esse sapientiam cum divitiis, quàm divitias sine sapientiâ, quod colligit ex Hebræo, ubi non habetur *melior*, sed *bona est sapientia cum divitiis*, non quod sapientia sit mala absque divitiis, sed quia divitiæ malæ sunt sine ipsâ, quod probat: *Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Idest, sicut sola sapientia præbet vitam, ita pecunia protegit in hoc mundo à multis miseriis.

VI. His obstare videtur illud Actor. cap. 20. vers. 35. ubi Apostolus ait. *Beatius est magis dare quàm accipere.* Syrus. *Beatior, vel melior est illi, qui dat, quàm qui accipit.* Cassianus lib. 10. de instit. renunc. cap. 18. & 19. *Beatior est impartientis largitas, quàm accipientis penuria,* Ratio est, quia dare est regale, ac divinum, accipere plebeium, ac humanum. Deus enim omnia dat, & nihil accipit. Hinc Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 9. *Dei imago est homo benefaciens.* S. Leo sermon. 10. de Quadrag. *Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit,* Et sanctus Gregorius Nazian. orat. 16. de cura pauper. *Nihil adeò divinum habet homo, quàm benefacere, esto calamitoso Deus.* Id etiam veteres agnoverunt, nam Maximus serm. 8. ait quod Demosthenes rogatus, *Quid Deo simile haberent homines?* Respondit, *benefacere.* Ex quo sequitur Religiosos Mendicantes sæcularibus divitibus, hi enim dant eleemosynam, illi accipiunt. Respondet Cornelius non sequi, Primò, quia Religiosi non mendicant ex concupiscentiâ, vel inopiâ coacti, sed ex virtute & liberâ electione. Quia Religiosi in ingressu religionis, simul & semel omnia sua dedetunt Christo & pauperibus, & consequenter liberaliores & beatiores fuerunt divitibus, qui sensum ex parte sua erogant, plura sibi reservantes. Undè sanctus Basilius apud Cassianũ lib. 7. de instit. renunc. cap. 9. dixit Syncletio Senatori Monasterium ingresso, sed quædam sibi reservanti nè cuiquam esset onerosus. *Syncleti Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.* Et sanctus Hilarion apud sanctum Hieronymum in ejus vitâ recusans onera Orioni. *Nemo* (inquit) *melius erogat, quàm qui sibi nihil reservat.* Tertiò, quia secundùm S. Franciscum Religiosus plus dat diviti, quàm ab eo accipiat. Accipit enim terrena & corporalia, & dat spiritualia & cœlestia, accipit assem & terram, & procurat illi gratiam & cœlum, juxta illud Lucæ cap. 16. vers. 9. *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defecerint, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ex quo patet textum citatum Actor. cap. 20. potius favere pauperibus, quàm divitibus, cùm hi modicum dent, & multùm recipiant.

Nec refert quod Apostolus 2. Corinth cap. 8. vers. 12. dicat. *Si voluntas prompta est secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.* Quibus verbis Apostolus innuere videtur vitiosum esse extremare tentare, virtuosum verò mediam viam tenere, at qui nihil dat, & omnia dat, extrema tentat, igitur offendit. Respondet Bellarminus homini patrifamilias sæculari & uxorato, qui ex officio deberet alere uxorem, proles, & servos, &c. esse extremum & vitiosum dare omnia, non autem ei qui intendit mundo renunciare, ut orationi & prædicationi incumbat. Sensus igitur textus Apostoli est, actu perficite id quod habetis, quia promptitudo, & voluntas accepta est & meritoria, *Secundùm id quod habet, non secundùm id quod non habet.* Seu si det, det quod habet, non autem det non suum, juxta exhortationem Tobiæ ad filium suum cap. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multùm tibi fuerit, abundanter* VII. 2. Cor. c. 8. v. 12.

danter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude. Non enim impero, ut erogetis tantā eleemosynam, quâ pauperes lautius vivant, & vos ad necessitatem redigamini, sed ut quilibet pro viribus ita consulat alienæ necessitati, ut suam negligat. *Nisi* (inquit Lyranus) *quando propter Christum vult esse pauper, ut cùm quis religionem ingreditur, ut sic pauper pauperem Christum perfectius sequatur. Etiam exiguum impertiri stude, nam in hoc magis pensatur affectus, quàm census propter quod Salvator plus reputavit duo minuta à paupere viduâ oblata, quàm divitis munera magna*, Marci cap. 12.

Lyranus

VIII. Quandò Christus Lucæ cap. 14. vers. 13. ait. *Cùm facis convivium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Hoc consilio usi sunt S. Gregorius Papa, S. Ludovicus Rex Galliæ, S. Ludovicus Episcopus Tolosanus, S. Hedwigis Ducissa Poloniæ, S. Elizabetha filia Regis Hungarorum, igitur Religiosis non est danda eleemosyna. Respondeo primò, ex hâc interpretatione sequeretur reditus datos Ecclesiis, Clericis & Monachis defraudare mendicantes, quibus tantùm datur fruſtulum panis. Respondeo secundò, sensum Evangelii esse, erogandam esse eleemosynam pauperibus, sivè sint debiles, &c. Et probatur ex Apostolo, qui Actorum cap. 24. vers. 17. asserit se venisse Jerosolymam, ut collectas in Asia eleemosynas pauperibus Christianis largiretur, inter quos multi erant integro, ac vegeto corpore.

IX. Nec Mendicantium Religiosorum paupertatem reprobat Jus Civile, C. *de mendicantibus validis*, lib. 11. cap. 25. Loquitur enim de iis, qui mendicant ut otiosè vivant, vel ut ditescant &c. absque ullâ populi utilitate, undè ibi vocantur inertes.

X. Multò minus Aristoteles libr. 1. Ethic. cap. 8. paupertatem voluntariam ac mendicitatem damnat, dum ait opes esse ad beatitudinem necessarias, ibi enim differit de humanâ & naturali beatitudine, quæ multis rebus indiget, non autem de beatitudine Christianâ, quæ non indiget multis opibus terrenis (nam tota in Dei visione statuitur à S. Thomâ) nec divitiæ valdè necessariæ sunt ad eam comparandam, sed humilitas, patientia, aliæque virtutes recensitæ à Christo Matthæi cap. 5. Respondeo secundò Aristotelem loqui de homine politico, qui vult in civitate vivere, rempublicam cum aliis administrare, uxorem, liberos, & servos habere, non autē de eo, qui intendit sibi soli vivere, & contemplationi vacare, cui opes non ita necessariæ sunt, modò habeat undè vivat absque contemplationis dispendio. At qui ingreditur religionem eo fine, ut Deo & saluti animarum se applicet de sufficientiâ victus certus est ob Christi promissionem, & diuturnam experientiam, quę servis Dei semper suppeditant, vel panem mendicatum, vel miraculosè allatum, seu productum.

Ex quibus concludit S. Hieronymus in fine libri contra Vigilantium eleemosynam potius dandam Religiosis Mendicantibus, quàm laicis indigentibus. Iis (inquam) Religiosis, qui laborant pro salute populi, fide propagandâ, scribendo, concionando, sacra celebrando, confessiones excipiendo, &c. Secundò, qui omnia bona sua in pauperes erogarunt. His enim non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitiâ debetur victus ex bonis pauperum. Tertiò, ob religiosam perfectionē. Semper enim eleemosyna danda est meliori. At cùm non possimus de internis judicare, eroganda est eleemosyna profitenti potius majorem sanctitatem, quàm minorem, si mala vita Religiosi non innotescat, excipitur tamen extrema pauperis, quæ semper præferenda est minori paupertati. XI.

In Jure Canonico cap. *Religionum*, de religiosis domibus in 6. §. *sanè*, & alibi, quatuor Ordines Mendicantes communiter recensentur, quibus mendicatio est licita, ita Alphonsus à Castro contra hæreses, verbo *mendicitas*, & alii, & quibus erogata eleemosyna meritorium est, ut patet ex Innocentio IV. qui indulgentias 10. dierum concessit dantibus eleemosy- XII.

nas

nas Carmelitis Quatuor illi sunt Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, ita cap. citat. *Religionum*, Pius V. constitut. quæ incipit *Romanus*, Ordinem Minimorum S. Francisci de Paulâ iis annumerari statuit. Idem Pius V. constitut. quæ incipit *Apostolicæ*, Idem in aliâ, cujus initium est *Romanus*. Inter Ordines Mendicantes contineri voluit Congregationem Fratrum S. Hieronymi, qui Jesuati vocantur, Societas Jesu ab eodem Pontifice inter Mendicantes recensetur, & alii Ordines apud Lezanam quæst. regul. tomo. 4, verbo *Mendicantes Regulares*, num. 3. Ideò verò in Jure Canonico Ordines Prædicatorum & Minorum præcedunt Ordines Augustinianorum & Carmelitarum, quia illi publico, ac diplomate Romani Pontificis fuerunt priùs approbati, licet illi sint institutione antiquiores, & privatâ Episcoporum approbatione, & cõsuetudine ab Ecclesiâ recepti in Oriente, Africâ & alibi. Notat Azorius part. 1. lib. 12. cap. 23. quæst. 6. quod ut aliquis Ordo inter Mendicantes recenseatur, non sufficiunt Constitutiones, quæ mendicitatem imperant, sed etiam opus est ut confirmetur ejusmodi auctoritate Apostolicâ, Ratio est, quia (inquit Azorius supra) sicut in Jure Canonico, nulla Societas hominum communiter viventium censetur Religio, nisi à Romano Pontifice approbetur, ita nec gaudere privilegijs & facultatibus Mendicantibus concessis absque ejusmodi confirmatione. Deindè si solæ Constitutiones per se sufficerent, posset ex Ordine mendicante, fieri Ordo non mendicans. & è contra, Ratio est, quia Constitutiones ab Apostolicâ Sede non confirmatæ possunt mutari, tolli vel abrogari, non autem illæ, quæ sunt confirmatæ. Secundò, respondet aliter & probabilius; Ordinem Mendicantem quoad substantiam esse ex regulâ, instituto & constitutionibus suis, & Pontificum approbationem non facere substantiam Ordinis Mendicantis, sed tantùm declarare esse mendicantem, & dignum privilegiis Mendicantium, & dare Ordini Mendicanti rationem & formulam, sine quâ non censeretur talis. Utrumque igitur necessarium est ad Ordinem Mendicantem, scilicet regula seu constitutiones, & approbatio Apostolica.

XIII. Prædicatorum, Augustinianorum, & Carmelitarum Ordines non desinunt esse mendicantes, licet annuos census in communi habeant. Probatur ex Concilio Tridentino sessione 25. de Regularibus cap. 3. *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum & eorum, qui Minorum de Observantiâ vocantur, etiam quibus aut constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Quibus subscribunt Azorius supra quæst. 8. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 1. numer. 5. Ex quibus patet Capucinos & Minores de Observantiâ nec in communi, nec in particulari posse habere dominium bonorum quæ possident, ut etiã declarat Nicolaus III. cap. *exiit*, de verb. significat. in 6. Clemens V. clementinâ 1, §. *Proindè cùm vir sanctus.* Undè dominium earum rerum quas illi Patres possident spectat ad Papam seu Sedem Apostolicam. Maximè ex quo Martinus V. & Paulus III. apud Rodriguez tomo 2. quæst. reg. quæst. 125. num. 6. id declararunt. Vel saltem dominium pecuniarum quæ illis dantur spectat ad dantem illas, dominium autem aliarum rerum quas possident ad Romanum Pontificem, ita Sotus lib. 4. de justit. quæst. 1. art. 1, Rebellus de justit. part. 1. lib. 1. quæst. 7. sect. 4. Lezana supra. Ratio est, quia id videtur determinatum à Nicolao III. cap. *exiit*. Etiam Domus professæ Societatis nequeunt habere nec in particulari, nec in communi aliquos reditus, aut bona stabilia, vel possessionem præter eam, quæ illis ad habitationem, vel usum fuerit necessaria, ut patet ex bullâ Julii III. & constit. Societatis part. 6. cap. 2. §. 5. Ex quibus patet prefatos mendicãtes posse à fidelibus eleemosynas colligere, ità

ita Navarrus consil. 33. de pœnitent. Ugolinus de potestate Episc. cap. 8, §. 4. num. 6. Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 57. art. 7. Ratio est, quia cùm isti proprium, vel exiguum habeant, lex naturalis concedit, ut per se vel per alios mendicando victum quærant juxta instituti sui regulam à Sede Apostolicâ approbatam, etsi debitum modum observent, non debent impediri à collectione eleemosynæ per se, vel per alios.

XIV. Regulares mendicantes quæstuantes debent Episcopo fidem facere per literas authenticas de licentiâ superiorum datâ ad hujusmodi eleemosynas colligendas. Ita decisum fuisse refert Piacesius in praxi novâ Episcop. part. 2, cap. 3. num. 47. vers. *Quoad quæstuationes.* Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 109. numer. 9. Possunt iidem Regulares mendicantes prohiberi ab Episcopo nè eleemosynas superfluas colligant, verbi gratiâ, si in uno Conventu sint duo Fratres ad summum, & mittentur quatuor, vel quinque quæstores per urbem absque necessitate auferentes eleemosynas verè indigentibus, Barbosa supra num. 9. Lauretus de Franchis in controvers. inter Episc. & regular. alleg. 39, vers. *ad undecimum.* Item ab Episcopo possunt prohiberi non tantùm ab immoderatâ exactione eleemosynæ, sed etiam nè eleemosynas colligant pro Conventu existente extra Diœcesim, nisi Episcopus eorum licentias prius confirmaverit. Ita Campanile in divers. juris canon. rub. 12. cap. 13. num. 134. Marcus Antonius Genuensis in praxi Archiepisc. Neapol. cap. 59. num. 11 Barbosa supra num. 9. Quibus favet Illustrissimus Prosper Fagnanus Congregationis Sacri Concilii Secretarius referens responsum ad illud dubium anno 1621, his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, censuit Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi quominus per seipsos in Diœcesibus ubi habent Conventus, eleemosynas quærant, sed tantùm si extra loca ubi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere.*

Fagnan.

Qualitates omnium quæstorum pecuniæ sacræ describuntur cap *tuarum remiss.* vers. *qui autem,* his verbis. *Modestissimi & discreti, nec in tabernis aut aliis locis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas.* Decius num 3, Socinus numer. 6. in cap. *tuarum,* Paulus Fuschus de visitatione lib. 1. cap. 30. num. 36. Petrus Bollus in œconomio Canonico classe cap. 2. §. 4, Henriquez in summa lib. 7. cap. 29. Navarrus de indulgent. notab. 31. num. 46. Barbosa supra num. 1. Quod si abutantur facultate sibi concessâ, admittendos non esse absque Episcoporum, vel Sedis Apostolicæ litteris veris, ex quibus constet de eorum moribus, & petitorii causâ seu necessitate sancitum fuisse in Concilio Generali, refertur cap. *cum ex eo,* Quod repetiit & strictius ordinavit Concilium Viennense in Clement. 1. de pœnit. Videns enim Concilium abusus sæcularium quæstorum pecuniæ sacræ in maximum numerum crescere, & cum Ecclesiæ scandalo in concionibus & cõfessibus publicis multas fabulas & mendacia confingere circa indulgentias & reliquias, quàs propè infinitas falsò prædicabant ad pecunias à simplici plebe extorquendas, eis prorsus interdixit prædicationis munus, relinquens dumtaxat facultatem narrandi ea, quæ in litteris Sedis Apostolicæ & Episcoporum continentur. Quod decretum optimè propugnat Cardinalis Bellarminus tomo 2. de indulgentiis, lib. 2. cap. 20. §. *Igitur contra calumnias Archemisii.*

XV.

Contra præfatos pravos quæstores multarumque ineptiarum prædicatores prodierunt varia decreta Sacræ Synodi Tridentinæ. Primum sess. 5. de reform. cap. 2. *Quæstores verò, qui etiam quæstuarii vulgo dicuntur, cujuscumque conditionis existant nullo modo nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis & Ordinariis locorum privilegiis quibuscumque nonobstantibus oportunis remediis omninò arceantur.* Quod decretum emanasse tantùm contra quæstores sæcu-

XVI. Concilii Trident.

ares, non autem regulares, nonobstante illâ clausulâ *cujuscumque conditionis*, docent Navarrus 3. consil. tit. de regul. consil. 79. num. 3. Et fusè Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 37. art. 7. Idem fusius repetit Concilium sess. 21. de reformatione cap. 9. *Cùm multa à diversis antea Cõciliis tam Lateranensi ac Lugdunensi, quàm Viennensi, adversus pravos eleemosynarum quæstorum abusus remedia tunc adhibita posterioribus temporibus reddita inutilia fuerint, potiusq; eorum malitia ita quotidie magno omnium fidelium scandalo & querelâ excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur, statuit, ut post hac in quibuscumque Christiana religionis locis eorum nomen, atque usus penitus aboleatur, nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, nonobstantibus privilegiis Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibusvis, cujuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias verò, aut alias spirituales gratias, quibus non ideò Christi fideles licet privari, deinceps per Ordinarios locorum adhibitũ duobus de Capitulo, debitis temporibus populo pupplicandas esse decernit, quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi Charitatis subsidia, nullâ prorsus mercede acceptâ fideliter colligendi facultas datur; ut tandem hos Ecclesiæ thesauros, non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant.* De hujusmodi quæstoribus differunt Henriquez in summa lib. 7. cap. 29. Navarrus de orat. miscel. 66, num. 2. Quaranta in summâ bullarii, verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 26. in fine. Zerola in praxi Episcoporum part. 1. verb. *quæstores*, Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 57. artic. 7. & quæst. 98, art. 1. & alli apud Cenedũ ad Clement. collect. 9, & in sess. 9. in decreto de indulgentiis, & lib. 4. & 9. lib. 2. de recopil. & alibi Aloysium Riccium in praxi variar. resolut. 290. num. 2. Barbosam in Concilium Trident. Idem Barbosa de officio & potestate Episcop. allegat. 109. numer. 4. Ultimam sanctionem Tridentinam sess. 21. de reformatione cap. 9. editam fuisse; quia malitia quæstorũ magis ac magis in dies excrescebat, atque etiam fidelium scandalum, indèque & perversis actionibus ansa hæreticis data est debacchandi, seu oblatrandi in usu indulgentiarum, statutumque fuisse, ut quæstuariorum nomen, atque usus penitus aboleatur, nec ad hoc officium exercendum ullo modo admittantur, nonobstantibus privilegiis Ecclesiasticis, aut Monasteriis, vel Hospitalibus concessis. Quare præcepit, ut indulgentias, & alias gratias debito tempore publicari per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo, quibus permittitur colligere eleemosynas, nullâ prorsus acceptâ mercede. Occasione præfati Concilii Tridentini decreti notat Bonacina de censuris extra bullam Cœnæ disp. 2. quæst. 3. puncto 30. num. 9. quod quamvis ob hoc decretum Ordinarii locorum nequeant prohibere quominus regulares inconsultis Episcopis publicent indulgentias olim à Sede Apostolicâ concessas: tamen nullus regularis exemptus potest indulgentias de novo concessas publicare in suâ Ecclesia absque licentiâ Ordinarii. De hoc decreto etiam differunt Cenedus ad Clement. collect. 9. Henriquez in summa libr. 7. cap. 9. Zerola in praxi Episc. part. 1. verb. *quæstores*, Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 57. art. 7. & quæst. 98, art. 1, Julius Lavorius de Jubil. & indulgent. part. 2, cap. 14, Timotheus de Ecclesiâ militante, lib. 1. tract. 2. num. 12. Quaranta in summa bullarii verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers 26. Novarius in lucerna regul. verb. *quæstuarii*, num. 2. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 109, num. 4. & in hoc delinquentes Erasmus à Chokier de jurisdict. in exemptos, part. 2. quæst. 45. num. 96. existimat posse ab Episcopo corrigi.

Concilii Trident.

Pius V. constitut. 99. quæ incipit, *Quam planum* 4. Nonas Januarii anno 1570. prohibuit indulgentias, ac confessionalia publicare ad quæstum, revocavitque indulgentias quomodolibet concessas continentes facul- XVII.

tatem

tatem quæstuandi, & pro quibus consequendis sint porrigendæ manus adjutrices, prohibuitque nè deinceps quęstuarii ac quæstores id promulgēt, vide Constitutionem 30. datam anno 1567. sextò idus Februar. quæ incipit, *Etsi Dominici gregis, &c.* Cujus mentionem faciunt supra Sperellus decis. 58. num. 29. & seq. Ex citatis duobus decretis Tridentinis patet damnari pravos eleemosynarum quæstores, non autem eleemosynas, nuntios, vel receptores, qui recipiunt eleemosynas collectas, in pios usus cōvertendas absque fraude & sponte datas. Et ita fuisse referunt Galetus in marguarita casuum conscient. verbo *eleemosyna*, Barbosa supra num. 5. Testatur Bonacina supra disp. 2. quæst. 3. punct. 30. num. 9. vers. *tertiò*, id decisum fuisse à sacrâ Congreg. Concilii, Quibus arridet Baldus consil. 25. vol. 2 resolvens quęstuarios propriè dici, qui quæstum sibi reservant, & negotia gerunt, ut sibi quæstum faciant juxta text. in l. *sed etsi adjiciatur, ff. pro socio*, quod autem Concilium non reprobet nuntios, qui verè mittuntur & idonei sunt ad pias eleemosynas colligendas, Baldus probat ex præfatis declarationibus & principiis juris, meritòque laudat Cardinalem Tuschum qui tomo 6. verbo *pastores*, concl. 46. hæc scribit. *Quæstuarii dicuntur, qui quæstum sibi reservant, &c. Amplia, quia etiam quæstuarii dicuntur, qui emunt, vel conducunt quæstum, & ideò quicumque sibi ipsi exigis & appropriat dicitur quæstuarius. Alii verò qui pro loco pio, vel religione deputantur ad eleemosynas recipiendas, dicuntur nuntii, vel consignarii. Baldus consil. 27. per totum, maximè in fine lib. 1. limita. Quia missi ad recipiendum eleemosynas, vel ad illas procurandum nomine loci pii; & sic nomine religionis, non proprie sunt quæstuarii, ideò si conceditur indulgentia, vel privilegium cum prohibitione mittendi quæstuarios, intelligitur de quæstuariis sementibus suo nomine. Baldus consil. 27. per totum lib. 1.* Navarrus consil. 33. de pœnit. apud Ugolinum de potest. Episcop. cap. 8. §. 4. num. 6. Barbosam supra numer. 7. existimat Fratres S. Antonii non comprehendi in decretis Concilii Tridentini. Ratio est, quia profitentur paupertatem pro quâ sublevandâ quærunt eleemosynas.

XVIII. Ex dictis patet Episcopum posse licentiam concedere postulandi eleemosynam pro usu alicuius loci pii, vel operis, modò personæ eas colligentes sint honestæ, spectatæ Religionis, & judicio ipsius Episcopi approbatæ, nec sint participes eleemosynarum, & quæstorum nomen non gerant, sed simpliciter eleemosynarum collectores, modò etiam non concionentur, non circumferant sua privilegia vel reliquias, non pulsent campanulam, vel alia instrumenta ad excitandas personas, non petant tanquam debitam eleemosynam, aut aliqua arte, vel prætextu dicendi orationes talis Sancti, vel similes, ut pecunias extorqueant, sed simpliciter & modestè recipiant, quod fuerit liberaliter oblatum. Et hoc fuisse decisum scribunt Bonacina supra disp. 2. quæst. 3. puncto 30. num. 10. Zerola in praxi Episc. verbo *quæstores*. Hunc morem pulsandi nolam dum colliguntur eleemosynæ vidi in aliquibus locis Germaniæ, qui fortè si ab Episcopis sciretur, emendaretur. Maximè cùm à sæcularibus & laicis ejusmodi eleemosynæ conquirantur. In quos Episcopum debere & posse animadvertere patet ex cap. *tuarum*, ubi Abbas num. 1. de privileg. Clement. abusionibus de pœnitent. Ratio est; quia laici nequeunt quærere eleemosynas pro aliquâ causâ, nisi prægnitâ ab Episcopo, l. *unica*, ubi Glossa, Barth. & Joannes de Platea C. *de mendic. validis*, leg. 11. Eoquod istorum mendicatio absque causa incurrit offensam peccati mortalis, quia substrahit ab iis, qui verè indigent, cap. *Pastor*, 1. quæst. 1. Barbosa supra num. 12. Pius V. constitut. 99. quæ incipit, *Quam plenam*, non tantùm revocavit indulgentias quæstuarias à se, vel Prædecessoribus concessas, & in posterùm concedendas porrigentibus manus adjutrices, sed etiam corruptelam, qua prætextu reparationum Ecclesiarum, & aliarum piarum causarum solventibus certam pecuniæ

mam concedebatur indulgentia, & facultas eligendi Confessarium, qui eum à casibus reservatis absolveret. Item licentia sumendi duos vel plures compatres in Baptismo. Item privilegium Missæ & sepulturæ tempore interdicti, & hujus constitutionis executionem seriò injungit Episcopis. Sunt enim ejusmodi quæstuarii similes Giezi, de quo lib. 4. Regum cap. 5. vers. 20. dicenti. *Vivit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Ideſt (inquit Cornelius) *Petam à Naaman aliquod antidotum, vel munus, pro sanitate ei datâ à meo Magistro Eliseo.* Severæ animadvertionis in ejusmodi pravos quæstores figuram proponit Episcopis Sanctus Elisæus, vers. 26, *Nunc accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum, & egressus est ab eo leprosus, quasi nix.* Renatus Chopinus de sacra politia lib. 3. tit. 5. num. 23. scribit in Galliâ non tantùm ab Episcopis, sed etiam à Senatu Regio cautum esse nè quisquam eleemosynas colligendas publicare faciat sub nomine alicujus Sancti, nisi etiam litteræ ostendantur, quod si aliter factum sit, omnes pecuniæ quæsitæ confiscentur. Cardosius in praxi Judicum & Advocatorum verbo *elemosyna*, num. 2. Georgius de Cabedo part. 1. decis. 193. Barbosa supra numer. 13. narrant in Lusitaniâ omnes pecunias à præfatis quæstoribus compilatas tradi collectori eleemosynarum pro redemptione Captivorum. Idem fieri in Hispaniâ patet l. 1. & 2. titul. 18. numer. 12. Perez l. 1. tit. 9. lib. 1. & l. 37. tit. 6. lib. 3. novæ recopil. Alphonsus Azevedo, Avendagno de exequendis mandatis lib. 3. cap. 30.

l. 4. Reg. 5. v. 20.

§. 7.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa Laicos.

I. SAnctus Elias non tantùm in filios Prophetarum potestatem legislativam exercuit, ut patet in Joanne Hierosolymitano lib. de institut. Monachorum cap. 2. *Hic Propheta Dei Elias, Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta eorum primæva institutio sumpsit exordium. Ipse enim obtentu contemplationis divinæ & desiderio sublimioris profectus longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis ac mundanis exuens, religiosâ & prophetalem vitam eremiticâ primus hominum docere cæpit, quam sancto dictante et mandante Spiritu inchoavit, & instituit &c.* Et cap. 10. *Elias in Monasticâ vitâ Eremiticâ, quam primus hominum à proposito inchoaverat successores post se in perpetuum relinquere disposuit. Qui ut Pater primus Monachorum fieret in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcircò ad ipsum in solitudine torrentis Carithtunc latentem cõfugiebant, &c. Hos itaque Deo devotos viros Elias secundùm formam à Deo traditam habuit suæ Monasticæ vitæ primos discipulos & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, &c.* Sed etiam in populum ea potestate publicè usus est. Nam (inquit S. Chrysostomus tomo 1. sermon. 2. de Eliâ.) *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & Lucos despecto Domino coli à sacrilegis pervideret, cumq; Creatore despecto figmentis sese nemoribusq; omnis populus addixisset, zelo Dei commotus; Judæam terram siccitatis sententiâ & pluviarum sterilitate addixit. &c.* Ioan. 44. Chrysostomus.

II. Hanc Eliæ in populum potestatem exprimit Elisæus, dum illum sursum rapi intueretur, lib. 4. Regum cap. 2. vers. 12. *Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga ejus.* Chaldæus. *Magister mi, magister mi.* Cur ait? *Pater mi, magister mi.* Vocat *Pater*, quia (inquit Joannes 44. jam citatus) est *Pater primus Monachorum.* Vocat *Magister*, quia secundùm eundem Patriarcham

l. 4. Reg. 2. v. 12.

sup. a

supra. *Religiosam & Prophetalem vitam primus hominum docere cœpit.* Et infra. *In suos discipulos elegit quosdã viros.* Et paulò post. *Habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos.* Subdit. *Currus Israel & auriga eius.* Quid per Israel intelligit? populum, statum sæcularem, aulam regiam, ut patet ex S. Chrysostomo supra, seu dicitur currus Israel, quia munia veri Principis obivit. Accipe verba Hectoris Pinti in cap. 1. Ezechielis. *Eliseus Eliam vocabat currũ Israel, & aurigam ejus.* Auriga est, qui ducit & viam ostendit, Currus verò qui supra se pondera suscipit. *Illa efficiens, quæ præcipit faciendo.* Pintus *Debet Christianus Princeps, & Præsul aperire quid sit de sanctissimo nomine sentiendum, quæ sit vera sanctimonia, quæ pura religio, quid in vitâ sequendum, quid fugiendum juxta Ecclesiæ Catholicæ documenta, nè subditi in errorum tenebris versentur, sed ad virtutem excitentur, & ad labores pro Christo subeundos moveantur. Hoc quidem est aurigæ officium, & Præsulis Christiani munus, sed non sat esse putandum est quod errantibus viam indicarit, & recta suaserit, nisi ipse portaverit pondera, quæ aliis portanda monuerit. Et hoc quidem est currus esse pondera sustinentem invenies Præsulem, qui currus vocari potest, sed non auriga, alium, qui nomine aurigæ gaudet, sed currus appellari non valet, alium, qui nec currus nec aurigæ nomen meretur, aljum qui utroque dignus est.* Scilicet, qui instar Eliæ currus & aurigæ officium obit. *Hic est* (inquit idem Pintus) *dorsum populi, oculis plenum, omnibus cõsulens, omnia circumspiciens semper immortalitatis amore flagrans, cujus laudes dignæ sunt, quæ celebrentur, omnium penè gentium, litteris & linguis, de quibus nulla unquam ætas conticescas. Talis est, qui Dei scientiam habet, & juxta illam operatur. Hoc intuens Salomon aiebat Sapient. cap. 9. Mitte Domine sapientiam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret. Nec sat esse existimabat alios excitare ad laborem, nisi ipse etiam laboraret. Non solum habebat in optatis, ut sapientia cum eo esset, sed cum eo laboraret. Hebræorum magnates in majorum instauratione unâ manu faciebant opus, alterâ tenebant gladium, ut in lib. Nehemiæ cap. 4. scriptum legimus. Gladius acutus, ut ait in epist. ad Ephesios Divus Paulus cap. 6. est verbum Dei. Hic est gladius, quem de ore Christi procedentem vidit in Apocalypsi D. Ioannes cap. 1. & 19. Quid est Principem alterâ manu tenere gladium, alterâ in opus incumbere, nisi debere eum, qui inter alios obtinet principatum non solùm docere, sed id quod docet efficere. Hic est verè Præsul, qui & verbo & opere omnibus consulit, qui omnia providet, tanquam ex aliquâ speculâ futura prospiciens. Hunc appellat Deus per Ezechielem speculatorem, qui cum sit in loco eminentiore constitutus, debet esse sollicitudine affectus, & in illã curam & cogitationem semper incumbere, quæ illi summam afferat dignitatem. Hoc suo modo complectens animi Latinus Poeta, volensq; Æneam suum laudibus efferre, ait illum semper secum habuisse Achatem comitem individuum, dicitur autẽ Achates à verbo Græco Acheos, quod curam significat, innuens debere Principem in perpetuâ curâ versari, & dorsum esse quod populi onera sustineat. Si hæc cura & sollicitudo sæculi Principibus convenit, quantò magis Pastori Ecclesiastico, qui debet animam ponere pro ovibus suis, illumque imitari, qui ait, Ego sum pastor bonus, qui pro ovium salute sanguinẽ suum fundere non dubitavit.* Talem fuisse Eliam satis liquet ex cõfessione ejus discipuli Eliśei, ex totâ ejus historiâ.

III. Talem debere esse Episcopum docet Apostolus 1. Timoth. cap. 3. vers. 1. & sex sequentibus, & præcipuè 2. epist. cap. 4. vers. 1. quod caput incipit per obtestãs & adjurans per Christum judicem, ut judiciariam potestatem in plebem sibi creditam exerceat. *Testor coram Deo, & Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius & regnum eius, prædica verbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ, & doctrinâ.* Quasi diceret, rectum judicium judicate, quia de prædicatione vestrâ, si non instanter prædicetis oportunè & importunè, si non argueritis, & obsecraveritis, & increpaveritis in omni patientiâ & doctrinâ, negligentiæ & pusillanimitatis vestræ 1. Tim. c. 3. v. 1. 2. Tim. c. 4. v. 1.

exactam in die judicii Christo Judici (cujus populum regitis) reddetis rationem. Hoc Episcopi munus & onus animo revolvens S. Gregorius Pontifex ita scribit Dominico Episcopo Carthaginensi epist. 39. lib. 2. indict. 10. *Episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare, intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta servis distribuens dicat, Luca cap. 19. Negotiamini dum venio, quod profecto negotium, tunc verè nos agimus, si vivendo & loquendo proximorum animas lucramus, si infirmos in supremo amore roboramur, si protervos & tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus: sed ad hæc, ego pondus meæ infirmitatis expaveſco cogitans rationem, quam sum redditurus, quâ enim mente illum sustinebo, cui de suscepto negotio animarum lucrum nullum reporto.* His verbis. *Si protervos & tumidos, &c.* Innuit Episcopum debere nonnunquam severitate uti, ac judicialem potestatem in eos exercere. Undè alibi ait. *Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac desides excuset, ac succendat, asperis blandiatur, desperatos consoletur.*

5 Greg. PP.

IV. Sapiens cap. 6. vers. 6. & seq. Præsulibus negligentibus, & maximè Ecclesiasticis has minas prænunciat. *Durissimum judicium in his, qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualis cura est illi de omnibus fortioribus, autem fortior instat cruciatus.* Imitentur Præsules Deum, cujus personam gerunt, sint diligentes in officio exercendo, paremque in omnes exerceant potestatem, omnes subditos suos hortentur, omnes corripiant, omnes judicent, nec magnatum favore, opulentiâ seducantur, & si severitas adhibenda sit ab ejus executione nec precibus, nec muneribus flectantur, sed instar Eliæ & Elisei in omnium statuum defectus seriò, severè, aliquando animadvertat, & cum talento sibi credito negotientur. Accipe ex egregiâ sancti Gregorii Papæ ad Episcopos exhortatione. *Hæc verba pensemus (inquit homil. 17. in Evangelia) quod lucrum Deo fecimus, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus, Luca cap. 19. Negotiamini dum venio. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus, quot ejus conspectui animarum mavipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus. Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex veniet, & rationem cum suis servis, quibus talenta credidit, ponet: Ecce in majestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium, & reproborum omnium multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus ostendetur.* Deindè consequenter ostendit, quomodò quilibet de grege sibi credito rationem reddet. *Ibi Petrus cum Judæâ conversâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum (ut ita dixerim) mundum ducens, ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint. Nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habemus, & oves quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic Pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus.* Paulò post monet se & Præsules cunctos, ut suas actiones officio conforment. *Timeamus hæc Fratres, conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum relaxatione quotidie cogitemus, nè nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus quotidie alios solvit, consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negotium nostrũ, pensemus pondus quod suscepimus, faciamus*

Sap. c. 6. vers. 6.

S. Greg.

faciamus, quotidie nobiscum rationes, quas cum nostro judice habebimus. Et sic debemus agere nostri, ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos injungitur ex lingua nostra sale condiatur. Cùm lascivientem quempiam & lubricum videmus, admonendus est, ut conjugio frenare studeat iniquitatem suam, quatenus per hoc quod licet, discat superare quod non licet. Cùm conjugatum videmus, admonendus est, ut sic exerceat curam sæculi, nè postponat amorem Dei, sic placeat voluntati conjugis, ut non displiceat conditori. Cùm Clericum videmus, admonendus est quatenus sic vivat, ut exemplum vita sæcularibus præbeat, nèsi quid in illo justè reprehenditur, ex eius vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravetur. Cùm Monachum videmus, admonendus est, ut reverentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione suâ semper circumspiciat, ut ea, quæ mundi sunt perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat, &c. De potestate & officio Episcopi circa Ecclesiasticos tam sæculares & regulares supra diseruimus. Nunc quid circa laicos ei incumbat agere videamus.

V. Idem S. Gregorius homiliâ citatâ expendens illâ verba Christi Matth. cap. 5. vers. 13. *Vos estis sal terræ.* Subdit. *Si ergò sal sumus condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui pastores estis, pensate quia Dei animàlia pascitis, de quibus profectò animalibus per Psalmistam dicitur psalmo 67. Animalia tua habitabunt in ea.* Consequenter probat Sacerdotem & maximè Episcopũ debere iisdẽ qualitatibus pollere quibus sal. *Sæpè videmus, quod petra salis brutis animalibus ponitur ut ex eâdem salis petrâ lambere debeant & meliorari. Quasi ergò inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare namq; Sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemq; qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æterna vita sapore condiantur. Sal etenim terræ non sumus si corda audientium non condimus.* Quale sit, illud salis condimentum? est divini verbi concio. *Quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit.* Primam salis Evangelici proprietatem ait esse Prælati exemplum, amorem, & propriorum peccatorum pœnitentiam. *Tunc verè aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus, si nos ipsi divino amore compungimur, & humanæ vitæ, quæ sine culpa transiri non potest quotidianas lacrymis maculas lavamus, &c.* Secundam proprietatem dicit zelum suæ, & subditorum salutis. *Est autem valdè necessarium, ut cùm de nobis compunctione afficimur, etiam commissorum nobis vitam zelemus. Sed ergò nos amaritudo compunctionis afficiat, ut tamen à propriorum custodia non avertat.* Duas alias qualitates recenset, scilicet severitatem & mansuetudinem. *Semper in sacerdotali pectore cum terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut & iram mansuetudo condiat, & eandem mansuetudinem, nè fortasse dissoluta sit, zelus districtionis accendat.* Iterùm idem urget 2. part. Pastor. cap. 11 *Necesse est ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur magnâ se sollicitudine etiam districtior ipse moderetur, quatenus sic cura disciplinæ delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.* Et infra eleganter. *Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè æviens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens, ut dum se in arce regiminis justitia, clementiaq; permisceant: is, qui præest corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.* Itaut dum populum ad pietatem, aliasque virtutes comparandas adhortatur, non tantùm hortari, sed increpare, non tantùm monere, sed & arguere debet.

Matt. 5. vers. 13.

S. Greg.

VI. Per pietatem non tantùm devotionem, & singularem Dei cultum intelligo: sed erga pauperes afflictos misericordiam, quia divinam misericordiam nequit quis experiri, qui aliis misericordiam non præstat & ab humanâ misericordiâ divina suam mensuram accipit. *Beati* (inquit Christus Matthæi cap. 5, vers. 7.) *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quam misericordiam non finitam

finitam & limitatam, sed infinitam ac perpetuam, pro modicâ eleemosynâ totum divinæ miserationis censum pollicetur. Si unum modicum tantùm habeat panem debet nè erogare? Ita (inquit Isaias cap. 58. vers. 6. & 7,) *Frange esurienti panem tuum, &c.* Accipe verba Cæsarii Arelatensis homilia 2. *Non dixit ut integrum daret, &c. Hoc est dicere, etiamsi tibi tanta paupertas est, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.* Frustulo illo panis panem cœlestem, indeficientem, æternum, & divinum lucraberis. In hujus veritatis confirmationem mihi occurrit exemplum egregium S. Eliæ divinæ mentis oraculi. Hic Propheta dum itineris labore communi fame periclitaretur & siti æstuaret, ex singulari Dei ordinatione abiit in Sarepta Sidoniorum, ad cujus portam offendit quandam viduam, sed in re familiari valdè exiguam, ita ut frusta lignorum vicatim colligeret. Eam intuitus his verbis affatus est lib. 3. Regum cap. 17. vers. 10. *Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.* vers. 11. *Cùmque illa pergeret, ut afferret clamavit, post tergum ejus, affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tuâ.* Vers. 12. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydriâ. Ecce colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Cur potius ab illâ pauperculâ & vidua muliere pabulum postulat? quam ab opulentis, quæ ad suam & prolis vitam sustentandam uno die vix habebat? an fortè ut acceleret mortem illius? an ut eam Israeliticæ famis consortem efficiat? minimè. Cur ergò ad illam extremâ inopiâ oppressam proficiscitur.. Meritò illa respondet, Vers. 12. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in Hydriâ, & paululum olei in lecytho. Ecce colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Septuaginta vertunt. *Lebaum filiis meis*, quod innuit eam habuisse plures filios. Quibus subscribit Eucherius, & S. Chrysologus, & S. Hieronymus. Ideò ad illam potiùs quàm ad Primates & alios divites Sareptanos pergit, ut hæc sua misericordia cœlestem ac divinam misericordiam sibi conciliet. *Elias* (inquit S. Chrysologus serm. 136.) *illius viduæ victum esurivit extremum, & parvulorum ejus suâ fame vexant angustiæ, novum deferens suæ petitione ministerium, ut petendo tribueret, esuriendo saturaret, & exhauriendo deficientibus horreum divinâ largitate cumularet.* Ut patet ex responso Eliano, vers. 13. *Noli timere, sed vade & fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinulâ subcinericeum panem parvulum, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies postea.* Vers. 14. *Hæc autem dicit Dominus Deus Israel. Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Vers. 15. *Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ, & comedit ipse & illa, & domus ejus.* Quasi diceret, vis videre uberrimam divinæ misericordiæ messem, modicum farinæ & olei, quod habebat, ita divinitus multiplicatum est, ut (inquit Dionysius) *Elias, & vidua, & domestici ejus, præcipuè filius. Et forsan jam tam gratiosè provisa accepit aliquos pauperes & propinquos in domo suâ, ut secum reficerentur.* Cui favet Eucherius. *In verbo Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta est. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non calidi soles, non nivibus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus, sed omnia & in omnibus sermo Prophetæ affatim viduæ ministrabat.* Et Hieronymus epist. 10. ad Furiam. *Recordemur viduæ Sareptanæ, quæ & suæ, & filiorum saluti Eliæ prætulit famem, ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quam eleemosynam, & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit. Farina seritur, & olei capsaces nascitur. In Judæa frumenti est penuria, granum enim tritici ibi mortuum fuerat, & in gentium viduæ olei fluenta manebant.* Non sufficit divinæ misericordiæ hic fructus & compensatio, alium insigniorem producit.

Isaiæ 58 vers. 7. S. Cæsar.

l. 3. Reg. cap. 17. vers. 11.

vers. 12.

S. Chrysologus

Dionys.

Eucher.

Sub

V. Sub hoc ipsum tempus publicæ famis, ac privatæ messis, dum S. Elias apud viduam Sareptanam moraretur, misericordiam ac hospitalitatem mulieris iterùm remuneraturus, permisit ut filius ejus læthali morbo laboraret. *Nam* (inquit S. Augustinus ad Simplicianum quæst. 5.) *non malefaciendi causa mortificavit filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantùm Prophetam, & tunc viventibus & posteris commendaret. Sicut dixit Dominus non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in filio, & ideò consequentia probetur, & ipsa etiam fiducia, quâ credidit Elias non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu ejus hospita affligeretur: sed potiùs ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ qualem Dei famulum suscepisset.* Significat susceptione Eliæ, hospitalitate illi exhibitâ, porrectione modicæ aquæ, & frustuli panis non tantùm meruisse multiplicationem farinæ & olei toto tempore famis, sed etiam proprii filii resurrectionem. Et innuere videtur S. Propheta lib. 3. Regum cap. 17. vers. 20. *Domine Deus meus etiamnè viduam apud quam ego nutricumque sustentor afflixisti ut interficeres filium ejus.* Quasi diceret, ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ? Abrahamo ob tres Angelos hospitio & convivio exceptos (qui verè non laborabant fame & siti) promisisti filium ex Sara, numerosissimamque ac robustissimâ progeniem Genesis cap. 14. vers. 11. & vers. 18. Eundemque filium de manu Patris immolaturi eripuisti. Tobiæ seniori visum restituisti, ejus filium de ore voracis piscis liberasti, eidemque uxorē procurasti, quam à dæmonio maritticida liberasti ob exceptum Raphaelem qui fingebat manducare, ut ipsè asserit cap. 13. vers. 18. & 12. expressè ait se ideò missum fuisse propter eleemosynas, mortuorum sepulturas ab eo derelicto prandio factas. *Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem.* Eleemosyna Eliæ erogata non tantùm corpori profuit, sed etiam animæ. Nam testibus S. Chrysostomo tomo 1. homil. 3. de Elia. Tostato quæst. 24. Vidua Sareptana fuit Gentilis, ut potè Sidonia, & colligitur ex cap. 17. vers. 12. *Vivit Dominus Deus tuus*, quæ cum familiâ suâ conversa est ad fidem, & ejus filius in numerum discipulorum Eliæ ascriptus fuit, ut scribit Joannes 44. lib. de institut. Monach veteris legis cap. 12. *Inter hos Prophetas Eliæ discipulos primus ordine temporis ad vitam monasticam per Eliam vocatus fuit Sanctus Jonas in regione Geth, quæ est in offir, filius mulieris viduæ cui ligna colligenti in Sareptâ Sidoniorum Elias obviavit, & in cujus domo latuit dum rex Achab per omnes regiones & regna eum ad mortem perquiri fecit. Hunc Jonam puerum Elias tunc resuscitavit à mortuis, cùm sustentaretur in domo matris illius. Quem ob hoc mater ex devotione tradidit Eliæ erudiendum in disciplinâ vitæ monasticæ, & factus Eliæ discipulus ministravit Eliæ. Cùm autem oraret Deum Elias pro pluvia in monte Carmeli, misit semel hunc Jonam puerum, ut de monte prospiceret, si aliquis in mari appareret, qui cùm contemplatus esset, ait non est quicquam. Et rursum dixit ei Elias, revertere septem vicibus, & in una vice vidit Jonas nubeculam parvam quasi vestigium hominis ascendentem de mari. Quod cùm Eliæ renunciasset, agnovit Elias pluviam grandem venturam. Jonas per Eliam missus Regi Achab eam desideranti indicavit. Post raptū verò Eliæ in cœlum Jonas ab Eliseo in Ramoth Galaad missus unxit Jehu in regem Israel ad ulciscendum necem Prophetarum Eliæ discipulorum. Dein monitus à Deo Jonas ut in Ninivem pergens prædicaret eam infrà 40. dies subvertendam, &c.* Idem sentiunt, non tantùm Hebræi in Seder Olam, sed etiam S. Dorotheus in vitâ Jonæ, S. Epiphanius, S. Isidorus, Mariana.

S. Augustinus.

Joan. 44.

VI. Abdiam fuisse ad vitam monasticam vocatum, & sub Eliæ disciplinâ educatum, prophetiæque spiritu donatum, eo quod centum Prophetas sustentarat sævientę persecutione Achabi & Jezabelis asserunt Hebræi, S. Epiphanius, Dorotheus, Eusebius in chronico, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Castro in proemio lib. 4. cap. 3. Rupertus, Hugo, Lyranus,

Sanchez, Mariana, Lezana in annalibus nostri Ordinis tomo 1. Quibus favere videntur S. Hieronymus in Abdiam prophetam. *Hunc aiunt esse Hebræi qui sub rege Samaria Achab, & impiissimâ Iezabel lib. 3. Regum cap. 18. vers. 12. pavit centum prophetas in speluncis, qui non curvaverunt genu Baal. Hic igitur quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus, fit dux Ecclesiæ,* His verbis, *quia centum prophetas aluerat, &c.* significat Abdiam misericordiâ in pauperes prophetas erogatâ gratiam prophetalem promeruisse. Quod si dicas sanctum Hieronymum non hoc dixisse ex se, sed ex Hebræorum sententiâ. Accipe propriam mentem nostri Joannis 44. Patriarch. Hierosolim. Sancto Hieronymo coetanei apud Bellarminum lib. de Scriptorib. Eccles. & alios apud nostrum Lezanam anno Christi 409. & alibi, quam sanctus Hieronymus in suis contentionibus contra ipsum non reprobat. *Alter* (inquit cap. 15.) *Propheta, discipulus Elia fuit beatus Abdias de terrâ Sichem, ortus in agro Beccatharam, qui (ut in libro regnorum legitur) timuit ab infantiâ suâ valdè Dominum. Et prius quidem Abdias dispensator regis Achab existens, cùm Regina Iezabel interficeret Prophetas Domini, ipse sicut prædiximus centum ex illis Prophetis Elia discipulis, durante illâ persecutione quinquagenos in speluncis abscondens, pane & aquâ pavit. Deindè mortuo Achab rege cùm filius ejus Ochozias Rex Principes duos quinquagenarios ad Eliam misisset, qui orante Eliâ fuerunt cum suis ab igne de cælo descendente combusti, rursus misit Rex Abdiam cum quinquaginta viris: in monte Carmeli coram Eliâ genu flectens pro animâ suâ, & pro animabus quinquaginta suorum Eliam humiliter exoravit. Porrò Elias cernens Abdiæ humilitatem, & recolens, quod centum suis discipulis vitam restauraverat, vicissitudinem ei rependit, quoniâ sibi, & suis quinquaginta vitam clementer servavit.* Expende illa verba. *vicissitudinem ei rependit, &c. Abdiam & suos quinquaginta præservavit à morte, quia centum prophetas aluit.* Non contentus hoc beneficium corporale pro mercede hospitalitatis tõtuliss, spirituale, longèque excellentius addidit scilicet spiritum prophetiæ. *Igitur, quia centum prophetas Eliæ discipulos paverat, accepit & ipse à Deo Spiritum prophetiæ, in quo spiritu prævidit Idumæos adjuturos exercitum Assyriorum contra Hebræos, propter quod prophetavit dictos Idumæos, tandem per exercitum Nabucodonosor dissipandos.* Hæc verba ita clara sunt, ut explicatione, vel paraphrasi non indigeant.

Hieron.

Ioan. 44.

Non immeritò igitur Episcopi animarum saluti incumbentes ad eam accelerandam, ac facilius procurandam, divinamque misericordiam obtinendam commendare debent munificentiam in pauperes, imò Gabriel del Toro in lib. Thesauri misericordiæ cap. 50. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3, alleg. 82. n. 3. docent posse ab Episcopo subditos cõpelli ad eleemosynas erogandas, maximè tẽpore penuriæ. Ita etiã Azorius part. 2. lib. 12. cap. 13. quæst. 5. Henriquez in summa lib. 13. cap. 17. §. 5. Matta de jurisdict. part. 4. casu 163. num. 13 Valerius Reginaldus in praxi fori pœnitent. lib. 4. num. 237. Joannes Petrus Surdus de alimentis tit. 3. quæst. 3. Tiraquel. de pœnis tempor. causa 44. num. 10. Lara in l. *Si quis à liberis, §. & si impubes,* num. 36. & seq. ff. *de liberis agnosc.* Cornelius Benincasius tract. de paupertate quæst. 7. princip. in speculo judicum num. 17. Barbosa supra num. 4. Ratio est quia judicis officium implorari potest, ubi deest actio juris, possuntque aliquando divites officio judicis cogi ad dandam eleemosynam, cùm populus magnâ penuriâ laborat. In ejusmodi eleemosynâ erogandâ aliquis ordo tenendus & servandus est, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 26. Ratio est quia sicut in diligendo est quidam ordo, ita & in benefaciendo proximo ex charitate. Undè, si Pater & Mater sint in extremâ necessitate, potius est Patris, quàm Matris necessitas sublevanda, D. Thomas 2. 2. quæst. 26. artic. 10. Deindè si parens aut filius simpliciter egeat, potius est illis succurrendum, quàm uxori extremè indigenti, idem

VIII.

D. Thomas

D. Thomas citatus art. 11. Tertiò, extrema necessitas uxoris est potius sublevanda, quàm propinqui nos ex latere attingentis, ex eodem artic. 11. Quartò amico egenti potiùs est subveniendum quàm inimico. Sicut etiã est magis diligendus amicus quàm inimicus, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 27. art 7. & quæst. 26. art. 6. Quintò, elargienda est eleemosyna his qui meliores sunt, quàm his qui minus boni, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 7. Et hoc insinuare videtur nostra historia Eliana quæ mentionem facit hospitalitatis, & eleemosynæ à viduâ erogatæ soli Eliæ; licet alienigenæ & ignoto, solùm, *quia consideravit hac mulier* (inquit Dionysius) *Eliam esse devotum Dei cultorem, ideò Deum universorum vocavit Deum ipsius.* Sextò, quãvis ex D. Thomâ 2. 2. quæst. 7. & 8. potiùs naturalibus parentibus sit succurrendum, quàm spiritualibus, tamen ex singulari Dei instinctu, petivit sibi prius parari panem, quàm filio Sareptano lib. 3. Regum cap. 17. vers. 13. *Veruntamen mihi fac primum de ipsa farinulâ subcinericium panem.* Sanctus Prosper part. 2. prædict. 29. causam hujus Elianæ petitionis suggerit. *Ut misericordia primum occupet locum, quàm praire ante faciem Dei scriptura testatur.* Cui arridet S. Hieronymus epist. 10. ad Furiã. *Recordemur* (inquit) *viduæ Sareptanæ, quæ & suæ & filiorum saluti Eliæ pratulit panẽ, ut in ipsâ nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere quam eleemosynam* Septimò, domesticos, & qui sunt nobis aliquâ ratione conjuncti potiùs esse eleemosyna juvandos, quàm externos, & minùs nobis conjunctos, docet D. Thomas 2. 2 quæst. 26. art. 7. & innuit sancti Eliæ historiã lib 3. Regum cap. 17. vers. 15, *Et comedit ipse, & illa, & domus ejus.* Dionysius. *Comedit Elia, & vidua, & domus ejus, hoc est domestici ejus, præcipuè filius, & forsan jamtam gratioriè provisa accepit aliquos pauperes & propinquos in domo suâ ut secum reficerentur.* Octavò, prius subveniendum esse iis, qui de nobis sunt benè meriti, quàm qui nihil boni in nos cõtulerunt, vide divum Thomam 2. 2. quæst. 26. art. 12. Denique debitorem debere potius subvenire creditori, quàm alteri, habet D. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 12. nisi ipse debitor extremâ necessitate etiam premeretur, vel nisi Rex, vel Princeps, vel alius Reipublicæ utilis etiam in extremam necessitatem inciderit, Azorius part. 2. libr. 12. cap. 13.

Dionys. — 3. Reg. cap. 17. vers. 13. — Prosper. — vers. 15. — Dionys.

IX. Potest Episcopus cogere Laicos, ut vendant peregrinis & hospitibus merces & res victui necessarias eodem pretio quo publicè ab incolis vendi, & comparari solent, ita cap. 1. ubi Abbas num. 3. & 6. de empt. l, *hæreditas*, ubi Glossa & Doctores ff. *de petit. hared.* l. 1. C. de Episc. audient. l. *nulli*, §. *quod si testator*, & §. *quod si in viâ*, C. *de Episcopis & Clericis*, Authent. *Si verò contingit.* C. de judic. Covarruvias lib. 3. cap. 14. num. 5. vers. *hinc tandem faciunt*, Barbosa supra num. 5. Ratio est, quia spectat ad Episcopum ut annonæ victualia vendantur justo pretio, nè pauperes fame pereant, ita Marta de jurisdict. part 4. casu 3. num. 50. Cardinalis Mantica de tacitis & ambiguis convent. lib. 4. tit. 4. num. 12. & tit. 20. num. 23. & seq. Posse ab Episcopo compelli laicos ad vendendum frumentum, & aliàs res tempore penuriæ, colligitur ex l. fin. *item Episc.* ff. *de muner. & honor.* ex Abbate in dictum cap. 1. numer. 8. & 9. Surdo consil. 90. num. 47. Barbosa de officio & potest. Epis. part. 3. alleg. 82. num. 8. Posse coram Episcopo, aliisque judicibus Ecclesiasticis citari, conveniri, & urgeri laicos ad alimenta subministranda, docent Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 60. num. 30. & seq. cap. 154. numer. 10. & seq. Barbosa in l. 1. part. 4. num. 82. ff. *soluto matrimonio*, Ciarlinus controvers. foren. cap. 28. num. 16. Guitierez pract. l. 1. quæst. 44. Camillus de Laratha in l, *si quis à liberis*, § *idem rescripsit*, num. 78. ff. *de liberis agnosc.* Molina de primog. lib. 2. cap. 15. numer. 75. Joannes Baptista Lupus in repetit. cap. *per vestras*, not. 2. num. 19. *de donat. inter.* Joannes Maria Belletus disquis. Cleric. part. 1. tit. *de favore Clericali*, §. 5. numer. 69. Surdus de alimentis, titul 8.

privileg. 6. num. 6, Sanctarellus var. quæst. 34. num. 2. Ratio prima est, quia cognitio hujus causæ est mixti fori. Ratio secunda, quia causa alimentorum dicitur pia, l. *Mela*, §. 1. ff. *de aliment. legatis*. Aymon Cravetta consil. 169. num. 10. Menochius consil. 72. Ciarlinus controver. foren. cap. 56. num. 7, Franciscus Garpius de execut. testam. cap. 2. numer. 10. Legatum alimentorum dicitur pium, quando fit pauperi, non verò diviti, Barbosa l. 1. part. 1. num. 55. ff. *de soluto matrim.* Hieronymus Cevallos tractat de cognit. per viam violent. part. 2. quæst. 13. num. 12. & quæst. 21. num. 1. Ciarlinus controver. cap. 5. num. 8. Surdus de aliment. tit. 8. privileg. 1. num. 3. & 9. Menochius de præsumpt. lib. 4. quæst. 115. num. 17. & præsumpt. 143. numer. 6. & 7, Undè legatum factum Monacho dicitur pium, quia censetur pauperi factum, Baldus in authen. *similiter*, numer. 5. C. *ad legem falcidiam*. Relictũ legatum etiam ex causâ studii dicitur pium legatum ac pietatem continet, Tiraquellus de piâ causâ in præfat. col. 12. vers. *item relictum causâ studii*, Moneta de commut. ultim. volunt. cap. 4. quæst. 4. num. 3. & seq. Ciarlinus controv. forens. cap. 2. num. 10. Octavianus Simoncelus de decretis tit. 8. inspect. 15.

X. Potest Episcopus cogere laicos ad præstandam eleemosynam Prædicatori, ita Concilium Tridentinum sessione 24. de reformat. cap. 4. *Impensis eorum qui eas præstari, &c.* Apud Joannem Gallemart Sacra Congregatio die 4. Septembris 1597. decrevit, ubi viget consuetudo, quod populus solvat Concionatori, ea est servanda, nisi forsan facultas nominandi prædicatorum Universitatis ab immemoriali tempore Episcopo competeret, & Episcopus talem nominationem sibi vendicaret. Merces quæ prædicatoribus tribui solet, nullâ ex parte à pensionariis est exigenda, atque eò minus si populus hos sumptus facere solet, si ex publico Civitatis ærario Cõcionatori solent eleemosynæ dari, ea consuetudo servanda est. Vide Barbosam supra num. 7.

§. 8.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa pia Legata, ac Testamenta.

I. EPiscopus est executor indistinctè omnium piarum voluntatum, seu dispositionum, tum morientium, tum viventium, si nullus fuerit nominatus executor. Clement. 1. de testam. §. *si quis autem pro redemptione*, authent. de Ecclesiast. tit. Castro consil. 177. num. 1. & per totum, lib. 2. Curt. imm. consil. 66. num. 2. per totum. Barbosa supra numer. 2. Rota in Romanâ 3. Martii anno 1617. vers. *neque facit*. Imò executionem legatorum prophanorum ad ipsum Ordinarium, vel ad Præsidem fori spectare docent Seraphinus Rotæ Romanæ decis. 611. num. 7. part. 1. Franciscus Hieronymus Leo Valent. decis. 20. num. 2. lib. 1. Marta de jurisdict. part. 2. cap. 10. qui num. 2. addit Episcopum executorẽ debere esse loci Episcopum, vel originis, vel municipii, vel villæ, quæ illi subest, aut etiam Episcopum loci rei, & num. 9. ostendit quis pro executione piorum legatorum præferendus sit, an Episcopus originis, an domicilii, an rei sitæ. Quod Episcopus possit compellere ad solutionem relictorum ad pias causas per defunctos factorum, licet sit hæres laicus, statuit Concilium Trident. sessione 22. de reformatione cap. 8. *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultimâ voluntate, quam inter vivos sint executores.* Et colligitur ex authent. de Ecclesiast. titulis, §. *si quis autem pro redemptione*, cap. *nos quidem*, cap. *si haredes*, cap. *videndi Ioannes*, cap. *tua nobis*. Abbas in repetit. cap. *cum esses*, num. 32. codẽ tit. Glossa *in fine*, cap. *relatum*. Ubi Covarruvias num. 13. eodem tit. Hostiensis num. 6. & 7. de testam. Cochus instit. canon. tit. de Episc. numer. 142. & seq. Marcellus Vulpe

Concilii Tridem.

cap. 10

cap. 10. numer. 10. Jacobus Sbrozius de vicar. Episc. lib. 2. part. 49. num. 1. Franciscus Carp. de executor. testament. lib. 1. cap. 2. num. 1. & seq. Felicianus de Vega in relect. cap. *ex tenore*, 11. de foro compet. num. 41. Cenedo pract. quæst. 14. numer. 2. Marta de jurisdict. part. 2, cap. 10, Aloysius in collect. 714. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 82. num. 13, Ratio est quia Episcopus in casibus à jure cõcessis est omnium piarum dispositionum, ut dictum est, executor, etiam secundùm leges iuris Civilis, ut notat Ciarlinus de judic. lib. 1. tit. 1. disp. 2. quæst. 3. num. 334 & 335. Dixi *piarum voluntatum*, quia ex cap. *nos quidem*, cap. *si heredes*. cap. *suo nobis*, Seraphino decis. 611. num. 7. Ciarlino controvers. forens. cap. 3. num. 11. Marcello Vulpe in praxi judic. fori Eccles. cap. 10. numer. 10. Francisco Leone in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 2. num. 42. Benedicto Capra de execut. ultim. volunt. memb. 8, num. 56, Barbosa supra numer. 14. Executio testamentorum, quoad ea, quæ merè prophana sunt, & pietatem non concernunt, non spectat ad Episcopum, vel Ecclesiasticam jurisdictionem, sed ad solum tribunal sæculare, si hæres sit laicus, in quo casu judex sæcularis conveniendus erit pro legatis solvendis. Quod si piarum dispositionum causa ad Episcopum pertineat, poterit Episcopus non tantùm esse judex, sed etiam cõstituere procuratorem ad agendum coram se, ita Geminianus consil. 214. apud Cardinalem Tuschum tomo 3. consil. 257. num. 7, Et ejusmodi executio ad eum Episcopum spectat in cuius Diœcesi testator morabatur, ita Roman. consil. 250. apud Cardin. Tuschum tomo 3. consil. 293. num. 27. Ciarlinus controv. forens. cap. 8. num. 16. Barbosa supra num. 14. Molin. disp. 247. num. 8. Franciscus Carpius lib. 1. cap. 21. num. 6. Marta de jurisdict. part. 2. cap. 10. n. 18. Jacobus de Canibus tract. de execut. ultim. volunt. part. 2. num. 26. Fullent. 1. Capra eodem tract. memb. 8. num. 63. Et colligitur ex citato cap. 8. Concilii Tridentini ubi subditur. *Ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant & exequantur non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto.* Notant Franciscus Leo in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. ultim. in fine, Alzedo part. 2. cap. 2. num. 54 Barbosa supra, hæc verba Concilii intelligi, & habere locum, quamvis executores sint officiales sanctæ Inquisitionis, & consequenter exempti à jurisdictione Ordinariorum, vel professores in aliquâ Universitate, vel ratione litterarum conservatoriarum, quæ eximunt ab ordinariâ jurisdictione, non verò à delegatâ à Sede Apostolicâ. Dicuntur lato modo relicta ad pias causas, quæ relinquuntur in ultima voluntate pro animæ redemptione, vel suæ, vel alienæ, ita Textus in §. *si unum*, vers. *occasionem*, in authent. *ut cum de appellat. cognos.* Sanchez de matrimonio lib. 1. disp. 4. numer. 9. Ciarlinus de judic. cap. 5. numer. 9. Menochius lib. 4. præsumpt. 115. numer. 9. Navarrus de reddit. quæst. 1. mon. 26. num. 3. & 4. Molina de justit. tract. 2. disp. 34. Franciscus Carpius de execut. testam. cap. 2. Barbosa citato loco, strictè dicuntur relicta pro animâ, quæ Ecclesiæ, piis locis, vel ad pia opera pro animæ salute relinquuntur Ecclesiæ quidem pro celebrandis Missis, alimentis Clericorum vel ipsius Ecclesiæ ornamentis, ita cap. *fin.* de testam. Barbosa supra. Dicuntur relicta piis locis, scilicet Hospitalibus, Monasteriis, vel aliis locis, in quibus miserabiles personæ pauperes soventur, vel alia charitatis opera exercentur, l. *si quis ad declinandum* C. *de Episcopis & Clericis*, Dicuntur relicta ad pia opera, ut pro redimendis captivis, maritandis puellis, alendis egentibus, impotentibus, l. *nulli*, C. eodem tit. authent. de Ecclesiast. titul. §. *si quis*, Bart. in l. 1. ff. *soluto matrim.* Doctores in cap. fin. de feriis, Mascardus consil. 1177. num. 3. Carpius supra cap. 2. num. 8. & seq. Ratio quia hæc omnia & similia pro redemptione animæ facta censentur, quia ex charitate erga Deum & proxi-

mum, & mortis cogitatione videntur fieri, cap. *Pontifices*, 12. quæst. 3 Latè etiam intelliguntur relicta pro animâ, quæ legantur pro bono publico, verbi gratiâ pro reparatione pontium vel viarum, l. 1, §. *ad municipium*, ff. *ad leg. falcidiam*, vel pro custodiâ Civitatis, & locorum publicorum, si ejusmodi loca necessitatem patiantur, argum. cap. 2. de immunit. Eccles. & Not, in l. *illud*, C. de sacrosanctis Eccles. Barbosa supra. Ratio est, quia tunc præsumitur legata illa esse relicta pro bono publico, & personarum utilitate, & consequenter pro salute animæ. Quod si ejusmodi rei necessitas non occurrat, non potest dici legatum ad pias causas, argum. cap. 2. & cap. *non minus*, cap. *adversus eos*, titul. eodem de immunit. Eccles. & l. *ad instructiones*, C. de sacrosanctis Eccles.

II. Si nullum tempus sit præfixum executoribus testamentariis ad executionem testamenti faciendam, Jus dat annum ad solvenda quæcumque legata, quæ non sunt pietatis causâ relicta, & ad exequendam in cæteris rebus ultimam voluntatem, ita l. *nulli*, C. *de Episc. & Cleric.* C. *nos quidem*. de testam. l. Hisp. 10. tit. 6. part. 6. Matiens. l. 7. glossa 2. num. 2. tit. 4. & l. 14. glossa 1. num. 45. lib. 5. novæ recop. Pro executione autem legatorum piorũ præscriptum est à lege tempus sex mensium, quod cedit à die insinuati testamenti, Authent. de Ecclesiast. tit. §. *si legatum*, Matiensis supra l. 7. glossa 2. num. 2. in fine, & l. 14. glossa 1. num. 58. Joannes à Canibus tractat. de execut. ultim. volunt. part. 2. quæst. 43. Surdus de alimentis tit. 8. privileg. 32. num. 7. Cevallos commun. quæst. 374 Franciscus Carpius lib. 3. cap. 1. numer. 6. & seq. Spin. in speculo testament. glossa 28. num. 9. Hoc termino elapso jus exequendi devolvitur ad Episcopum, nisi testator casu hujus negligentiæ substituerit, l *nulli*, cap. *nos quidem*, cap. *si heredes*, de testam. Matiensis lib. 14. glossa 1, num. 45. Guitier. in specul. juris Pontificii cap. 26. Covarruvias l. *nulli*, num. 3. l. Hispan. 5. tit. 10. part. 6, Addunt Cenedos ad decret. collect. 114. numer. 2. Guitterez part. lib. 1. quæst. 44. num. 4. & lib. 2. quæst. 43. num. 1. & lib. 3, quæst. 29. num. 8. Antonius Genuensis in praxi Archiepis. Neap. cap. 69. num. 25. Azevedo consil. 10. num. 1, Hieron. Leo decis. 20. Marta de jurisdict. part. 2. cap. 10. num. 2. Molina de justit. tract. 2. disp. 250. num. 1. disp. 251. num. 4, Gabriel Pereira de manu regiâ part. 1. cap. 16. numer. 5. Bobadilla in sua politica libr. 2. cap. 17. num. 104. & 105. Franciscus Carpius supra lib. 1. cap. 20. per totum, & cap. 22. num. 26. Diana moral. resol. part. 1. tract. 2. resol. 98. Barbosa supra num. 15. Dixi, *nisi testator in casu negligentiæ substituerit*. Quia secundùm Sylvestrum verbo *testamentum*, l. 2. num. 8. vers. *quantum verò ad devolutionem*, Covarruviam supr. cap. 3, de testam. num. 2. vers. *nisi testator*, Molin. tract. 2. disp. 251. num. 4 vers. *si verò testator*, Matienſem supr. l. 14. gloss. 1. num. 45, vers. *fallit tamen*, Benedictum Ægidium in repet. l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. part. 6. §. 1. Franciscum Cap. lib. 1, cap. 22. numer. 5, lib. 3, cap. 1. numer. 7. Barbosam jam citatum. Si testator loco mortui impediti, vel aliàs officium acceptare nolentis alium ejus loco substituerit, seu delegaverit, tunc ejus executio non spectat ad Episcopũ, sed substitutus ultimam piam voluntatem deficientis ad effectum perducet. Ratio prima est quia faciens legatum post obitum est miserrima persona, cùm sit destituta cunctorum auxilio, nec habet aliud velle, l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. Sed Episcopus, & quilibet Judex Ecclesiasticus debet succurrere omnibus oppressis & miserabilibus personis, destitutis omni auxilio, cap. *super quibusdam*, de verb. signific. & consequitur ejusmodi legata prophana & ad pias causas est executor. Rationem secundam suggerunt Navarrus in manuali cap. 25. num, 65. Spin. in speculo testament. glossa 28. princip. num. 47. 48. 67. & 68. Franciscus Emmanuel in summa part. 1. cap. 33, numer. 8, Antonius Menesses de Badillia in summa legum pœnal. part. 2. casu 25. numer. 3.

Martinus

Martinus Cartillo in explicatione bullæ pro defunctis part. 2. cap. 15. num. 8. Scilicet executorem, qui non adimplet voluntatem defuncti peccare mortaliter juxta negligentiæ qualitatem, sed laicus ratione peccati subjicitur jurisdictioni Episcopi cap. *novit de judic.* Suarez de censuris disp. 4, sect. 5. num. 20. Sotus in relect. de secreto tegendo membr. 2. conclus. 2. quæst. 2. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 154. num. 25. & seq. Barbosa supra num. 17. ita ut sæcularis Judex cumulativè cum Episcopo, & ejus Vicario, capitali sede vacante, seu alio Prælato Ecclesiastico, prout quisque prævenerit, ultimæ voluntatis sit executor, ita l. *hæreditas*, 54. §. *si defuncto*, ff. *de petit. hæredit.* ibi *principali vel Pontificali auctoritate.* Et authent. de Eccles. tit. §. *si qua ad ædific.* collat. 19. ibi *providentia locorum Episcopi, & civilis judicis, &c.* Covarruvias in cap. *nos quidem*, num. 8. & in cap. *si hæredes*, num. 3. & 4. Rebuffus respons. 135. num. 7. l. Hispan. 7, tit. 10. part. 6. ubi Gregorius Lopez Madera glossa 1. Tiraquellus de privileg. piæ causæ, privileg. 149. Bobadilla in sua politica lib. 1. cap. 18. num. 120. Matiensis l. 14. glossa 1. num. 57. Gabriel Pereira part. 1. cap. 16. num. 2. & 3. Guitier. pract. lib. 1. quæst. 44. num. 3. Spin. in speculo testam. gloss. 28. num. 20. Suarez de Paz tomo 2. prælud. 2. numer. 45. & seq. Molina tract. 2. disp. 134. numer. 5. Joannes Franciscus Leo decis. 20. numer. 18. Carp. lib. 1. cap. 21. num. 3.

III. Si cui à testatore fuerit commissa electio pauperum, verbi gratiâ, inter quos præcipitur aliquid distribui, vel electio puellarum orphanarum, quæ nuptui tradi mandantur, vel alterius rei similis, & intra annum eligere negligat, eo anno elapso, electio devolvitur ad Episcopum, ita Covarruvias in cap. *nos quidem*, numer. 7. Molina tract. 2. disp. 251. n. 18. Matiensis l. 14. glossa 1. num. 61. Barbosa supra num. 17. Ratio est, quia eodem modo philosophandum est ac de executore, & in eo eventu electo habetur quasi quædam ratio executionis ad eam prærequisitam. Addit Matiensis l. 14. gloss. 1. n. 56. Barbosa num. 18. Vel aliud tempus arbitrarium cogere hæredes & executores testamentarios, ut exequantur ultimam voluntatem per censuram Ecclesiasticam, vel per interdictum administrationis bonorum defuncti. Ratio est, quia certum est, hæredes debere quamprimum potuerint exequi, quæ in testamento ordinata sunt. Si igitur debent & tenentur exequi, etiam cogi possunt per Episcopum, & Episcopus contra executores negligentes exequi ultimas voluntates potest propriâ constitutione statuere pœnam excommunicationis, Ita Barbosa supra num. 18. post Covarruviam in cap. *si hæredes*, numer. 4. Matiensem l. 14. glossa 1. num. 56. Gregorium Lopez l. 6. Botteum tract. de Synodo Episc. part. 3. art. 1. num. 172. Quod ejusmodi coactio Episcopalis ad exequendas ultimas voluntates possit fieri statim post aditam hæreditatem, docet Barbosa supra num. 19. Ratio est, quia debitū ex contractu puro statim peti potest, neque dilatio conceditur à jure, l. *eum qui*, 41, §. *quoties*, ff. de verb. signific. l. *quod dicimus*, 105. ff. de solut. l. *credere diem*, 213. ff. eodem tit. de verb. signif. l. *omnis obligatio*, in princip. ubi glossa recepta verb. *confestim*, ff. de verb. signific. Covarruvias in reg. *peccatum*, part. 1. §. 1. numer. 4. Sed hæres obligatur quasi ex contractu non in diem, neque sub conditione, sed purè. §. *hæres*, instit. de obligat. *quæ ex quasi*, ubi Glossa *intelligitur*, l. *apud Iulianum*, 3. §. ultim. cum l. seq. ff. *quibus ex causis*, in possess. Emmanuel Costa in cap. *S. Pater*, verb. *Trebellianica*, num. 10. de testam. lib. 6. Ferdinandus de Menchara de succes. creat. in præf. num. 27. Potest igitur statim cogi absque ullius termini delatione vel concessione. Nam spatium unius anni non in favorem hæredum vel executorum, sed dumtaxat defunctorum fuit præfinitum ut concludunt Gabriel Pereira de manu regia part. 1. cap. 16. *de causis mixtis*, num. 35. vers. *dubitari tamen*, Molina tract. 2. disp. 251. Franciscus Carp. supra lib. 3. cap. 1, num. 4. & 5. Barbosa supra num. 19.

Quamvis

IV. Quamvis in legatis prophanis spatium unius anni, in piis sex mensium sit præfinitum, tamẽ Episcopus poterit binâ monitione præmissâ, maximè ex causâ restringere tempus seu terminum, Barbòsa citatus num. 24. Ratio est, quia in distributione legatorum observari debet, quod testator verisimilius voluit præstari, l. *cum res*, 46. ibi *verisimile est eum voluisse*, &c. ff de legatis, 1. Bart. ibidem in princip. Abbas propè finem, Covarruvias num. 6. in cap. *judicanti*, de testam. At non tantùm verosimile, sed certum est testatorem voluisse suam ultimam voluntatẽ & executioni mandari, & adimpleri quantò citius fieri posset, l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. l. in testam. 12, ff. de regul. juris. Et maximè favet l. *cum res*, in princip. ubi fertur, quod si hæres habet copiã rei legatæ tenetur indilatè eam præstare, l. *si domum*, 74. §. *in pecunia*, ff. de legatis, 1. ibi *confitenti hæredi modicum tempus*, &c. ibi Glossa verbo *modicum*, Padilla in authent. *hoc amplius*, num. 9. C. de fideicommiss. Matiensis l. 7. glossa 5. numer. 6. Abbas in cap. *nos quidem*, num. 11. ubi Covarruvias numer. 5. Gregorius l. 6. Glossa 3. Azevedo num. 5. vers. *si tamen*, non tantùm restringere posse in relictis prophanis, sed etiam semestre in piis specialiter docet Franciscus Carp. lib. 3. cap. 1. num. 19 Barbosa supra num. 24, ob easdem rationes. Ideò supradixi necessariam esse monitionem ad effectum, ut negligentiâ datâ hæredis exequendi, potestas ad Episcopum devolvatur, cap. *nos quidem*. Ita Doctores in authent. *hoc amplius*, & in cap. *si hæredes*, Abbas & Covarruvias ibi num. 5. Guilelmus in cap. *Ranutius*, verbo *si absque liberis*, 2. numer. 198. Menochius de arbitr. casu 498. num. 58. & alii apud ipsos. Ratio est, quia ibi agitur de privando hærede proprio emolumento, eoquod non adimplevit voluntatem defuncti intra tempus, necessaria est planè monitio. Quod autem non plures monitiones; sed unicâ in singulari absque aliqua duplicatione adjectâ sufficiat, patet ex cap. *nos quidem*, cap. *tuæ nobis* in fine, ibi *monitione præmissâ*, de testam. authent. *hoc amplius*, ibi *admonuimus*, ibi Bartolus, Salicetus, & Doctores communiter, Jason numer. 3. Padilla 16. Guilelmus proximè num. 20. Menochius casu 498. numer. 53. Gregorius l. 8. tit. 10. part. 9. glossa 1. Cenedo ad decret. collect. 114. n. 3, Barbosa num. 25. Hanc autem monitionem faciendam esse personaliter à iudice, non autem per nuntium vel epistolam docent Jason in authentic. *hoc amplius*, num. 3, Paulus & Angelus num. 2. Abbas in cap. *nos quidem*, num. 10, Covarruvias num. 2. Guilelmus supra num. 199. & 203. & alii apud Cenedo collect. 114. numer. 3. quibus arridet cap. *nos quidem*, ibi *eam commoneat*, & authent. *hoc amplius*, ibi *monitus à iudice*. Posito ibi quod elapso anno jus sit devolutum ad Episcopum, Bart. in l. *cùm quidam*, vers. *& per prædicta dixi*, numer. 9. & seq. de delegatis, 2. & in l. *executorum*, num. 2. vers. *contingit*, C. de execut. rei judic. & consil. 142. quod incipit *Constitutione*, col. 2. num. 2. & alii apud Botteum de Synodo Episcopi part. 5. num. 187. vers. *limita*, Henriquez tenent facultatẽ eligendi pauperes, verbi gratia, quibus distribuenda est certa pecunia à testatore relicta, non esse ad Episcopum devolutam, sed Barbosa supra num. 25. post Baldum, Petrum de Ancharano, Cornelium, Paulum de Castro, Felinum, Covarruviam, Barb. Rendinam & alios docet facultatem illam eligendi anno elapso spectare ad Episcopũ, ita ut non tantum potestas eligendi, sed etiam exequendi Episcopo competat, ita post Ancharanum in cap. *nos quidem*, de testam. num. 14. Jason l. *ultima*, §. 1. num. 2. comm. de leg. Covarruvias num. 7. Imola 14. Padilla in l. *cùm quidem*, ff. *de delegatis*, 2. Matiensis l. 14. num. 61. Gregorius Lopez l. 7. glossa 3. verbo *ubi* num. 10. part. 6. Padilla in l. *cum quidem*, Benedictus Ægidius in repetit. l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. part. 6. §. 2. Franciscus Carp. l. 1. cap. 22. & lib. 3. cap. 1. Molina supra 251. Barbosa supra num. 25. Ratio prima est, quia sicut testator, verbi gratia, elegit aliquem censum, & hæres in præstando legato

legato est negligens potestas executoria ad Episcopum devolvitur (ut omnes asserunt) ita si testator legaverit potestatem eligendi vel nominandi, & electo non eligat intra annum, sic in hoc casu devolvi debet, cùm nullum discrimen sit inter utrumque casum. Quemadmodum enim in primo casu adimpletur ultima voluntas per collationem legati, sic in secundo per electionē vel nominationem. Ratio 2. est, quando præcipitur largitio pecuniæ personis ab electore nominatis: Nominatio est pars ipsius distributionis, vel saltem necessarium accessorium sine quo non potest fieri distributio, ut patet. Igitur cum ex l. *nulli*, 28, C. *de Episcopis & Clericis, &c.* distributio seu executio ad Episcopum devolvatur, ut debitè & ritè transferatur, necessariò electio transferri debet, sine quâ non potest fieri distributio, l. 2. ff. *de jurisdict. omnium judicum* & cap. *propterea*, 3. *de officio delegati.* Ratio tertia est, quando quis habet jus electionis & debito tempore non elegit, protinus privatur potestate eligendi l. *cùm quidam*, vers *idem ait*, & vers. *videtur enim*, ubi Padilla num. 23. Bart. Peralta num. 18. Molin. *de privilegiis*, lib. 2. cap. 4. num. 42. Cùm in hoc casu elector non eligerit debito tempore videtur perire potestas in electore, ideòque ut satisfaciat voluntati testatoris ejusmodi potestas transferenda est ad Episcopum. Quod si negligentia executorum manifestè appareat, Episcopus non tantùm (ex dictis supra) sed etiam tenetur exequi mentem testatoris, ita cap. *nos quidem* & tit. *ædificetur*, item *assignetur*, ubi Pontifex videtur id præcipere Episcopis. Quibus favet doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 1. & Soti de justitiâ lib. 7. quæst. 1. artic. 2. Quod hac ratione probatur. Quia executio (si sint negligentes) devolvitur ad Episcopum, ut suppleat eorum defectum, & ad impleat illicò ultimam voluntatem testatoris. Secunda ratio, si non præcipitur Episcopo, non poterit congruè supplere negligentiam executorum, nec statim adimplere testatoris mentem. Quarta Ratio, esto Doctores non asserant expressè teneri ex præcepto, sed tantùm illud facere, ut explicant Abbas num. 5. in cap. *si hæredes*, ubi Covarruvias num. 4. de testam. Henriquez de Synodo Episcopi part. 3. art. 1. numer. 72. tamen Barbosa supra num. 26. ex mente jurium juxta probabilem testatorum voluntatem concludit præceptum in his terminis adesse.

V. Undè Molina de iustit. tractat. 2. disput. 251. num. 9. Valascus consult. 105. num. 57. Pereira de nomine emphyt. quæst. 19. & 56. Marta de jurisdict. part. 4. casu 88. & casu 113. Franciscus Leo part. 4. cap. 2. Spin. in speculo testam. glossa 28. num. 20. Tiraquellus tract. de mort. part. 7. decl. 5. Franciscus Sarmiento select. lib. 1. cap. 11. Menchara de success. §. 3. Barbosa supra numer. 27. Ripa l. *nemo potest*, 127. ff. *de legatis*, 1. Cardinalis Tuschus num. 3. conclus. 295. num. 38. Bobadilla lib. 2. cap. 17. Garcias Gironda de privileg. explic. Matiensis l. 14, glossa 1. Covarruvias in cap. *tua nos*, & alii plures. Non posse testatorem prohibere nè Episcopus suppositâ hæredis vel executoris negligentiâ valeat se intromittere, & probatur primò ex cap. *tua nos* 17. de testam. ubi Glossa authent. *licet*, in princip. C. *de Episcopis & Clericis*, authent. de Eccles. tit. §. *si quis autem pro redemptione*, vers. *licet*, collat. 9. Secundò probatur ex Sarmiento supra; ex Novellâ Justiniani, *Omnia enim facta ad pietatem pertinentia Episcopo interesse oportet, quamvis testatoris vel donatoris verba contraria voluntatis expresserint.* Ratio est, eodem modo sic sentiendum est ac de fundatione Capellæ, de quâ Chokier de jurisdictione Ordinarii in exemptos part. 1, quæst. 35. num. 3. Antonius de Prætis de potestate Episc. cap. 1. num. 3. & 5. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 75. & alleg. 82. & alii ab hoc citati. Vel de loco pio hospitalitatis, Homobonus de examin. Eccles. tractat. 10. cap. 4. quæst. 13. suppl. 1. Barbosa sup. num. 10.

VI. Nec etiam testatorem posse prohibere nè executores designati compellantur reddere rationes sustinent ex antiquioribus Salicetus, Dynus, & alii

alii, quos recenset Jacobus de Cambus part. 2. num. 2. Covarruvias in cap. *tua* Ripa l. *nemo potest*, Gabriel in repet. l. *centurio*, ff. *de vulgari*, Spin. in speculo testam. glossa 28. princip, Marta part. 4. casu 88. & casu 113. Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 3. quæst. 70. art. 5. Valascus supra num. 57. Martinus in explic. de defunctis part. 2 cap. 14. Ratio est, quia compellere ad ejusmodi rationes spectat ad potestatem publicam Reipublicæ, & commune bonum introductum, quod testator nequit impedire, eoquod ejusmodi præberet occasionem peccandi, & colligitur ex l. *quidam descendens*, in principio, ff. *de administ. tuorum*, ubi statuitur, quod licet testator prohibeat, nè rationes exigantur à tutoribus, adhuc tutores poterunt ad illas reddendas cogi, quia jus publicũ quod consistit in dolo vitando à partibus remitti nequit secundùm textum, imò (inquit Barbosa supra alleg. 82. numer. 28.) omnis remissio doli futuri omninò nulla est. Et probat ex l. *si unus*, 28. §. *illud*, ff. *de pactis*, Covarruvia lib. 2, variar. cap. 14. num. 4, vers. *quartum*. Dices id repugare l. *aurelio*, 21. §. ult. digest. *de liberat. leg.* ibi *quæstionem de curatoribus meis nemo faciat*, & l. *si quis rationes*, 10. l. *petitur*, 31, ff. *illo tit.* Respondeo primò, illis juribus differi de liberatione circa administrationem præteritam. Secundò, ibi censeri rationes remissas de futuro, quoad illa, quæ levi, vel levissimâ culpâ in ipsa administratione fortè acciderint, non verò si dolo, vel latâ culpâ, quæ dolo æquiparatur, l. *quod nerva*, ff. *depositi*, Quod si defunctus mortuus est in unâ Diœcesi, & iussit in aliâ sepeliri, vel ad illam deferri, Episcopus loci ubi obiit potest compellere executorem, ut rationes testamenti reddat. Ratio est, quia licet testator, quasi ex destinatione sepulturæ videatur se subjicere illius Diœcesano, & contrahere l. 3. ff. *de eo quod certo loco*, Tamen Pereira de manu regiâ cap. 16. num. 40. vers. *quod si*, Barbosa supra num. 31 dicunt judicatum esse, ut rationes exposcantur ab Episcopo Diœcesis ubi defunctus obiit & degebat:

Quod si aliqua dubia occurrant in legatis, primò Episcopus debet pro piâ causâ judicare, ita Tuschus verbo *pia causa*, concluſ. 333. numer. 55. & Baldus apud ipsum consil. 216, verbo *testamenti*, in fine libr. 1. Ratio est, *quia tutior via est pro piâ causâ inclinare*, & num. 79. *in dubio piæ causæ favendum est*, l. *sunt personæ*, ff. *de relig. & sumpt. fun.* Signorolus consil. 206. in fine. Petrus de Ancharano consil. 46, num. 2. Alexander consil. 121. in fine lib 2. & consil. 71. visa lib. 6. Idem Tuschus num. 79. *Ecclesia & pia causa favetur in dubio, ut verba dubia, probatio & dispositio, dubia pro Ecclesia & pia causa interpretetur.* Aug. Aret. consil. 41. in hoc themate & sequent. Apud eundem Tuschum numer. 80. *In generali dispositione non comprehenditur pia causa, etiam per æquiparationem.* Et citat Cravetta consil. 3. num. 10. Vide Sanctarellum & alios apud Barbosam supra numer. 32. VII.

Denique quod Episcopus possit compellere administratores Montis Pietatis, ut reddant rationem suæ administrationis, decrevit Concilium Tridentinum sessione 22. de reformatione cap. 8. *Eleemosynas Montis Pietatis, &c.* ita Barbosa supra num. 43. ibi glossa *alii dicunt*, 89. distin. Clement. *quia contingit*, §. *ut autem præmissa de relig. domibus.* Idem philosophandum est de aliis piis locis. Quod si ex consuetudine aut privilegio, vel aliquâ constitutione loci non Episcopo, sed aliis ad id deputatis sit reddenda ratio, tunc adhibendum esse Episcopum decrevit Rota decis. 355. num. 1. apud Farinacium part. 1, recent. Joannem Baptistam Valenzuelam tomo 2. consil. 122. Pluta apud Barbosam supra num. 43. & seq. Tandem numer. 51. resolvit cum Menochio consil. 322. num. 14. quod Fabrica Ecclésiæ trahat laicum reum ad forum Episcopi seu Ecclesiasticũ. Ratio est, quia ratio sumptuum Fabricæ cujuscumque Ecclesiæ reddenda est Episcopis Ordinariis, nisi in institutione Fabricæ præfatæ aliter sit statutum. Quod si aliquis administrator piorum locorum videns se VIII.

constrictum

constrictum ad reddendam rationem suæ administrationis appellet, admittenda est ejus appellatio quoad devolutivum, non quoad suspensivum, ita resolvit Sacra Congregatio apud Zerolam in praxi Episc. part. 1. verbo *Hospitale*, §. 3. vers. *sextum*. Denique tanta est Episcopi potestas, ut pluries in anno possit exigere rationes administrationis, si illi constet dolosè & erroneè fuisse redditas, vel si redditio non fuerit finalis, & cum plena restitutione reliquorum, ita Barbosa supra num. 54. post Aloysium Riccium in praxi fori Ecclesiast. Stephanum Gratianum Marchiæ decis. 182.

9.

Potestas Ecclesiastica judicialis circa propriam causam.

I. CUm libr. 4. Regum Rex Ochosias laptus esset per cancellos cœnaculi sui, deambulando (inquit Vatablus) in tecto, & fenestra, quâ immittebatur lumen in cœnaculum obstructa lignis cancellatis intertextis aperta foret, ac tracta, & ex eâ tractione ac ruinâ Rex laptus esset deorsum, ac capite conquassato, & corpore contrucidato Rex ægrotaret, ac de recuperandâ salute dubitaret, misit nuncios in Accaron civitatem Palestinæ ad consulendũ Deum Beelzebuth, eo quod certiora cæteris oracula fundere censebatur, an salus desperata esset, nec nè. Nuncii dum profectionem parant, Angelicâ jussione Elias illis occurrit, arguit quod neglecto Deo Israelis Beelzebuth Deum Accaronitarum consulerent, eiq́ue falsò & sacrilegè divinitatem ac scientiam futurorum atrribuerent. *Quam ob rem* vers. 4. *hæc dicit Dominus de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Ochosias eâ denunciatione, ac Prophetæ reprehensione tristis & iratus, militarem manum ad eum comprehendendum, & ad se adducendum misit, forsan coacturus ut à Deo salutem imploraret, cùmque Dux ille militaris cum quinquaginta qui erant sub eo, hominem Dei per ludibrium appellasset, vers. 9. *Homo Dei Rex præcepit, ut descendas.* Vers. 10. *Respondens Elias dixit quinquagenario, si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos, descendit itaque ignis de cælo & devoravit eum & quinquaginta qui erant cum eo.* Vers. 11. *Rursumq́; ad eum misit Principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta eum eo, qui locutus est ei, homo Dei, hæc dicit Rex, festina descende.* Vers. 12. *Respondens Elias ait, si homò Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos: descendit ergò de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.*

1 4. Reg. 1. v. 4.

vers. 10.

vers. 11.

ve. sr 12.

II. Hoc Sanctissimo Prophetâ sursum elato, Eliseus ejus discipulus & hæres, seu successor tùm in regimine cœtus Prophetici, tùm in spiritu & virtute docendi plebem cap. 2. vers. 23. *Ascendit in Bethel, cumq́; ascenderet per viam pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei dicentes, ascende calve, ascende calve.* Vers. 24. *Qui cùm respexisset vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini: egressiq́; sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Cur duo isti Vates tantâ severitate plectunt? respondet Cornelius cum aliis, ideò in duos primos quinquagenarios Eliam ita sæviisse, quia ironicè hominẽ Dei eum appellarunt. Quasi dicerent, ô Elia, qui te vocas, jactasq́ue virum Dei, *Rex præcipit ut descendas*, ex vertice montis Carmeli ad nos, ut te quasi captivum deducamus ad Regem Ochosiam, cui mortẽ prænunciasti, ut hujus funesti oraculi rationem reddas, & pœnas luas. Itaque uterq; quinquagenarius primò peccavit impietate, quia impietati Ochosiæ regis Eliam castigare volentis consensit, ejusq́ue administer fuit. Secundo fastu quia superbè & imperiosè quasi regii mandati executor jussit eum descendere, ideò ab Eliâ, igne cœlitus evocato absumptus est. Pueri etiam ab Eliseo maledicuntur, & illicò à duobus ursis devorantur, quia virum Religiosum irridebant. Dionysius. *Quoniam Bethel interpretatur domus Dei, per Eliseum ascendentem in Bethel, intelligitur quæcumque devota persona*

cap. 2. vers. 23.

vers. 24.

Dionys.

intrans Ecclesiam aut Cœnobium, & de virtute in virtutem ascendit, Psalmus 3 quæ à sæcularibus hominibus irridetur, juxta illud Iob 12. Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum: ideò ab ursis, ideſt maligni spiritibus devorantur. At historiæ inhærendo, cur pueri illi ursorum dentibus exponuntur, cùm necdum ætatem discretionis attigerint, ut innuit scriptura, à quâ *pueri parvi nuncupantur.* Castigantur tamen, quia. *Edocti ad hoc, & incitati à suis parentibus idololatris, ut subsannarent Prophetam Domini, & ideò maledixit eis, ut parentes eorum in ipsis punirentur, & ut malitiam parentum amplius non imitarentur, sciebat enim Deo revelante mortem eorum citò evenire post suam maledictionem, quam protulit ex sententiâ divinæ justitiæ.* Ita Lyranus. Lyranus

Vel (inquit Cornelius) appositè. *Imprecatus est eis justam punitionem & vindictam ex iusto religionis zelo, quia dum servi & Propheta Dei irridentur, Deus irridetur. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. ad 4. Secundò magis parentes quàm pueros punire voluit, Parentes enim idololatræ suis pueris instillabant suam idololatriam, & contemptum veri Dei, ejusque Prophetarum. Nam (ut ais S. Augustinus sermone 4. de tempore. Rem parentibus instingantibus fecisse pueri contumelioſi credendi sunt. Neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. Et S. Justinus quæst. 80. ad Orthodoxos. Deus puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit, ut in veri Dei cultu, modestiâ, probitate filios suos educent nè similiter castigentur.* Undè sanctus Gregorius libr. 4. Dialogorum cap. 18. narrat parvulũ quendam blasphemare solitum è sinu patris à dæmonibus abreptum. *Quatenus* (inquit) *reatum suum pater agnosceret, qui parvuli sui animam negligens non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrivisset.* Undè ursi potius quàm alia animalia immissi sunt ad devorandos pueros ante ora patrum, ut quos ad informandos pueros imitari neglexerant, eosdem reperirentur in eorum internecione lictores. Ostendit enim hosce parentes qui informandis filiis fuerant socordes, imò impii ursis esse peiores. Ursi enim informes fœtus suos lambendo formant & figurant teste Plinio lib. 8. cap. 36. & lib. 10. cap. 63. Undè sanctus Ambrosius *Ursi* (inquit) *partus suos* (lambendo) *ad sui similitudinem formant, tu filios tuos instruere similes tui non potes.* Auctor mirabilium S. Scripturæ lib. 2. cap. 22. ait fortè istos pueros à parentibus fuisse idolis consecratos. Theodoretus quæst. 13. addit Eliseum benè consuluisse pueris, effecit enim nè impunitate deteriores fierent. Si enim diutius vixissent, evasissent sceleratiores, & idololatræ parentum exemplo & doctrinâ, & ideò gravius damnandi. Tostatus contendit ejusmodi pueros, licet parvos ætate, tamen peccare potuisse malitiâ supplente ætatem. *Pueri in parvâ ætate peccare possunt, quando malitia supplet ætatem.* In iis sæpè regnat mendaciũ, furtum, juramentum, sensualitas. His usum rationis non defuisse probat. *Quia pueri isti sciebant quod calvitium erat aliquid exprobrabile, & quod dicendo calve, erat quædam offensio, & malitiosè hoc agebant, & ideò propter peccatum suum puniti sunt.* Cornel. S. Aug. S. Iustin. S. Greg. S. Ambr. Tostatus

III. Cur ambo isti Prophetæ de offensâ sibi illata non conqueruntur, & recurrunt ad tribunal, seu Ecclesiasticum seu Civile more majorum, sed in propria causa parvulos illos judicant & damnant? contra l. 1. C. *nè quis in suâ causâ.* Respondi tomo 4. tract. 3. cap. 12. numer. 6. non posse esse judicem in propriâ causâ, quando delictum non est notorium & manifestum. At delictum duorum Pentatenchorum, & puerorum manifestum erat. Deindè ejusmodi pœnam divinitus immissam patet primò, quia ignis absumens milites illos naturaliter non descendit. Secundò, quia ejusmodi evocationem non præcessit aliquod tonitru, seu procella. Tertiò, Angelus monuit Eliam ut descenderet. Vers. 15. *Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens descende cum eo, nè timeas, &c.* Extinctis etiam 42. pueris, vers. 25. *Abiit Eliseus indè in montem Carmeli*, scilicet pro more oraturus. Dionysius. *In quo Elias consuevit orationi & cõtemplationi vacare* Dionys.

ut & ipse hoc faceret ibi, & amore Magistri sui, ac propter sanctitatem loci illuc accessit. Vel dicendum utrumque, Prophetam non judicasse causam propriam, sed Dei. Spernebantur enim Elias & Eliseus quasi falsi Dei cultores. Vel dum S. Elias dixit, *Descendat ignis de cælo, &c.* Dionysius. *Hoc dixit Elias, zelo justitiæ & divino instinctu, quo etiam noverat, quo animo ille fuisset locutus, juxta quem modum sacratissimus Princeps Apostolorum imprecatus est mortẽ Ananiæ & conjugi ejus, ut in Actis narratur.* Et quando S. Eliseus maledixit pueris in nomine Domini. Idem Dionysius. *Mala pœnalia imprecabatur virtute Divinâ, & nomen Domini invocando, vel juxta beneplacitum Dei, & per nomen ipsius, quod fecit zelo justitiæ, nè pueri illi in tantâ malitiâ crescerent, sed punirentur in vita ista, & gratia sibi concessa à Deo manifestaretur hominibus signo sequente, nec alii pueri similia facere attentarent, ac vitiosi parentes in suis filiis, quos malè instruxerunt, castigarentur.*

IV. Ex his etiam infero primò, Romanum Pontificem posse esse judicem in causis ad Ecclesiam spectantibus. Ita Oldradus consil. 124. *quod remissio*, verb. *& specialissimum est*, num. 3. Posse etiam declarare aliquid spectare ad Sedem Apostolicam Gemin. consil. 64, & 144 numer. 5. verbo *Nec obstat quod ille* Tuschus tomo 4. concl. 403. num. 2. Quando agitur de re Ecclesiæ potest committere alicui, Alexander consil. 79. num. 2. Tuschus supra numer. 8. maximè quando agitur de aliqua injuria Deo illata, vel hæresi, schismate, &c. patet ex dictis tomo 3. tract. 2. cap. 5. per totum, & alibi.

V. Infero secundò, Episcopum posse esse judicem in propriâ causâ, quando factum est notorium & manifestũ, ita Alexander Trentacinquius resol. lib. 2. tit. de judic. resol. 5. numer. 6. uterque Barbosa, ille in l. *si de vi*, numer. 143. ff. de judic. Hic de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 87. numer. 6. Potest esse judex in causâ suæ Ecclesiæ, ita Oldrad. consil. 156. *primam quæritur*, ubi ait esse cõmunem opinionem, & consil. 283. numer. 2. verbo *circa secundum*. Maximè dum concernit dignitatem & honorem Ecclesiæ propriæ, ita Surdus consil. 50 Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 87. num. 6. Trentacinquius variar. resol. tit. de judic. resol. 5. Aloysius in resol. Curiæ Archiepis. Neap. decis. 144. Marta in votis noviss. voto 57. num. 23. & alii apud Zerolam in praxi Episc. part. 1. verbo *Episcopus*. Limitant Calderinus consil. 528, Tuschus supra num. 9. posse esse à fortiori judicem in causa suæ Ecclesiæ, modò in illa causa vel lite non faciat partem, sed judicet inter subditos.

VI. In subsidio charitativo exigendo posse esse judicem competentem, dixi tomo 4. part. 3. cap, 12. num. 6. cum Cæsare de Grassis decis. 4, num. & seq. de except. Mario Antonino variar. resol. lib. 1. resol. 48. num. 8, Jacobo Sbrozio de officio vicarii lib. 3. quæst. 60. Guilelmo Cassadoro decis. 6. numer. 1. de privileg. Maranta de ordine judic. Navarro consil. 21. num 17. Barbosa supra num. 6. Jacobo Puteo consil. 210. num. 3. part. 2. & aliis apud Sperell. in decis. fori Eccles. decis. 93, num. 2. Præfata confirmantur ex cap. *Romana*, de pœnis. Causam suæ Ecclesiæ Episcopus delegare potest maximè in notoriis, probatur ex cap *cum persona* in 6. & omnibus Canonistis in cap. *cùm venissent* de judic. jur. in cap. *ex parte*, de verb. signific. Antonio Butrio in cap. 2. de mal. Felino in cap, *insuper*, de testibus Tuscho supra num. 1. & aliis passim.

VII. Quod si possit esse judex, multò magis testis, ita Felinus supra Tuschus num. 5, Ratio est quia aliquis facilius repellitur à judicando quàm à testificando. Nec obstat quod Lapus alleg. 103. *Non potest Clericus*, in privat. verbo *in contrarium*, dicens quod nequit aliquis in causa propria esse judex cõtra suum subditum, nec committere causam. Quia id jure cautum non est nec prohibitum. Secundò, Lapus fortè loquitur de causa particulari Episcopi. Tertiò, sermo est de præjudicio proprio alterius Ecclesiæ sibi subditæ, ita Tuschus supra num. 5. Vel quartò intelligit Lapus Episcopum nõ posse esse judicem in causa propria quando

agitur de re quæ est de mensâ sui Episcopatus, posse esse tamen judicem in re quæ non est de mensa sui Episcopatus, censet Tuschus supr. num. 6. & Alexander consil. 79. *circa primum*, num. 2. lib. 1. Undè potest esse judex in causâ suæ Ecclesiæ, modò res non sit de mensa sui Episcopatus, inquiũt Tuschus supra num. 7. Felinus in cap. *insinuante*, col. 1. de officio delegat. Alexander consil. 79. numer. 2. verbo *Iudex*, lib. 1. Tunc verò Episcopus potest esse judex suæ Ecclesiæ, quando non facit partem causæ, vel litis, sed judicat inter subditos, ita Calder. consil. 528. in fine Tuschus supra num. 9. & verbo *Episcopus est index suæ Ecclesiæ*, concl. 257. ubi citat Oldradum consil. 156. *primum quæritur in principio*, Calderinum cõsil. 120. Undè potest subditum excommunicare propter denegatam procurationem visitationis, vel occupantem Ecclesiam in suâ Diœcesi, &c. Ita Gemin. consil. 114. num. 2. verbo *secundò probatur*. Non tantùm in causa suæ Ecclesiæ, sed etiam pauperum judex esse potest, ita Capic. decis. 13. *in causa jurisdictionis*. Tuschus verbo *Episcopus*, concluf. 157. num. 18. Episcopus, Abbas, & Prælatus inferior potest punire, corrigere, & condemnare suum subditum, seu Religiosum etiam in causa injuriæ sibi illatæ, quãdo delictum est notorium, ita Calder. consil. 405. verbo *nec obstat si dicatur*, Tuschus verbo *iudex*, concluf. 409. num. 12. Alexander consil. 13. num. 12. lib 6. Addit consil. 114. numer. 5. verb. 4 *neg.* Tuschus num. 28. quod si Episcopus & alii possint ex officio suo in sua causa judicare, possunt etiã judicem & procuratorem constituere. & sic esse judex & actor. Quod si Episcopus vel alius judex ordinarius allegetur suspectus in propria causa, potest vigore statuti dare substitutum ad universitatem causarum. Ita Baldus consil, 365. *in causa, quæ vertitur*, lib. 3. Plura apud Canonistas.

VIII. Nota Episcopum & quemlibet alium Judicem facere litem suam, quando non admittit exceptiones & defensiones justificabiles sivè sint declinatoriæ, dilatoriæ, vel deciſoriæ, ita Baldus consil. 310. *aut similes*, numer. 8. verbo *tertio casu*, lib. 1. Tuschus verb. *iudex*, concl. 404. num. 10. Judex facit etiam suam litem quando injustè condemnat, confiscat bona uxoris, vel dotem uxoris propter delictum mariti, teneturque ad restitutionem unà cum damnis & interesse secundùm jus commune, ita Baldus consil. 196. lib. 2. & Tuschus supr. num. 2. Judex etiam facit suam litem quando profert iujustam sententiam, quamvis partes promiserint non appellare, & stare suæ sententiæ, ita Aug. consil. 188. *sed nunc videndum*, pen. in fine, verbo *eodem modo*, Tuschus supra num. 3, de reliquis consule Canonistas.

CAPUT X.

An soli Episcopo criminales causæ Clericorum notitia, & potestas judicialis competat, vel nequeant illas judicare, nisi personæ Ecclesiastica.

FErtur libr. 3. Regum cap. 21. Naboth Jezraelitam possedisse vineam in natali solo (quam patrum suorum hæreditatem vocavit) Achabum autem Regem in eodem agro Jezraelitico palatium habuisse, seu prædium eidem vineæ cõtiguum, quam vineam ad præfati prædii commoditatem concupivit. ac expetiit, obtulitque in commutationem meliore vineâ, vel pretio eâ digno ratione cujus desiderii S. Elias Propheta eum non corripuit, quia privata Nabothi consolatio (inquit Salianus ad annum mundi 3137.) non debuit præponderare injusto Principis desiderio, vel commoditati. Regiæ cupiditati & petitioni nõ acquievit Naboth, religioni ducens, quasi ad se per manus majorum suorum hæreditatem transmissam non conservare, quam si venderet; & Rex in hortum commutaret, eam etiam in jubilæo nunquam recuperare posset. L.

Hanc

Hanc repulsam à subdito sibi factam Rex indignissimè ferens, ægrum animum suum tripliciter patefecit, scilicet à cibo abstinendo, in quiete nocturnâ non dormiendo, & humanam societatem fugiendo. Jezabel re cognitâ, eum amicâ objurgatione consolata est, innuens promptum sibi remedium adesse, modò ipse læto animo esset, & cibum sumeret. Quare nomine regis misit litteras ad Magistratum Jezraelitanum, ut Nabothũ ob blasphemiam in Deum & Regem compositam damnaret. Hujus damnationis & cædis Nabothicæ Tostatus & alii varias rationes proferunt, hæc sufficiat illâ machinâ usam fuisse Jezabelem, ut non tantùm vineam, sed etiam reliqua bona posset occupare, & ea in fiscum Regium transcribere, hæredesq; Nabothi de medio tollere. Jezabel perceptâ sententiâ capitali & cæde ejusmodi. *Surge* (inquit Achabo) *3. Reg. 21. v. 15* *posside vineam Naboth; non enim vivit, sed mortuus est.* Postridie patrati facinoris, vers. 18. *Factus est sermo ad Eliã vers. 18.* *dicens, surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria, ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam, & loqueris ad eum dicẽs. Hæc dicit Dominus, occidisti insuper & possedisti. Et post hæc addes, Hæc dicit Dominus in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, &c.* Vineam Naboth esse Ecclesiam docent Glossa ordinaria ibi, & passim Patres ac Interpretes in Matthæi cap. 21. vers. 33. in Marci c. 12. vers. 1. Lucæ c. 20. vers. 9. Deus occupatæ vineæ certiorẽ facit Eliam. Cur non alteri significat, ac corripiendi, & damnandi hanc provinciam demandat? quia Elias erat Sacerdos, ortusque ex tribu Levitica, ideòque causa Ecclesiæ non laico, sed levitico viro committi debuit? quis Elias? forma justitiæ ac eorum, qui in judicio Ecclesiastico seu tribunali præsunt exemplar.

II. Ad cognoscendas & judicandas causas criminales Ecclesiasticas, & scelera in Ecclesiam commissa nõ delegari debent judices laici, sed Ecclesiastici, ita Covarruvias in cap. *Alma Mater*, part. 2. §. 11. numer. 3. Tiberius Decianus tomo 1. libr. 4. Ugolinus de censuris tab. 1. §. 10. Sayrus de censuris lib. 2. cap. 3, Farinacius in praxi criminali quæst. 8. Bobadilla in politica lib. 2. cap. 18. Cenedo can. quæst. 4. Suarez tract. de censuris disp. 2. sect. 3. Et de defensione fidei lib. 4. cap. 31. numer. 8. Bonacina de legibus disp. 10. quæst. 10. de judicio publico puncto 1. §. 3. num. 12. Salas de legibus disput. 14. sect. 10. Ratio prima est, quia Clerici jure divino sunt exempti à potestate laicâ nec contra jus divinum potest introduci jus humanũ. Secunda, Nequit introduci consuetudo ut legitima, quæ à lege reprobatur, at consuetudo judicandi Clericos per laicam potestatem reprobatur cap. *Clerici*, de judiciis, & in bullâ Cœnæ Domini. Tertiam rationem subministrat Azorius part. 1. lib. 5. cap. 12. ex cap. *Noverit*, de sententia excommunicationis, eos ipso facto excommunicari, qui consuetudinem contra libertatem Ecclesiasticarum personarum servari faciunt, vel servari præsumunt. Idem Azorius cap. 14. quæst. 5. & Rota decis. 839. in antiquis existimant hoc procedere etiamsi extet consuetudo immemorabilis in contrarium. Consuetudo enim, cujus initium non extat, confert quidem jus ei, qui capax est, cap. de præscrip. in 6. non autem ei, qui capax non est.

III. Laicam potestatem posse judicare & punire Clericos de licentiâ & consensu Sedis Apostolicæ docent Farinacius de inquisit. quæst. 8. numer. 4. Decianus tract. criminali lib. 4. cap. 9. numer. 66. Ambrosinus de immunit. cap. 18. Clarus lib. 5. sentent. 9. Bonacina supr. Salas de legibus disput. 14. sect. 9. Vasquez 1. 2. disp. 167. cap. ult. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 5. Ratio prima est quia hæc potestas est delegabilis. Secunda, potest mulieribus delegari facultas à Sede Apostolicâ leges ferendi, igitur etiam laicis potest ab eadem sede Apostolicâ delegari potestas cognoscendi & judicandi causas Clericorum. Posse Clericos judicari à laica potestate de consensu Episcopi saltem in civilibus docent Clavis regia, Farinacius supra num. 4.

num. 4. Decianus in tract. criminali lib. 4. cap. 9, num. 70. contra Ripam num. 34. Panormitanum numer. 5. Clarum §. final. quæst. 41. numer. 5, vers. *quæro nunquid*, & plures alios apud Barbosam de officio & potestat. Episc. part. 3. alleg. 108. numer. 1. Asserit Vega in relect. ad cap. *decernimus*, 2. de iudic. numer. 152. attento rigore juris veriorem esse priorem sententiam, quæ admittit saltem delegationem simplicem in Episcopis, quoad omnes causas, sed secundam quoad praxim esse receptam affirmat num. 156. Ratio est quia est maximè indecens, quod causæ spirituales & criminales Clericorũ à laicis tractentur etiam per potestatem delegatam: licet enim verum sit, quod talis indecentia videatur quasi sublata in casu quo delegatio fit à Sede Apostolicâ ratione suæ auctoritatis & gravitatis: aliud tamen est quando fit ab Episcopis quoad communem existimationẽ, nam sæpè minor reverentia, ac minus obsequium mandatis Episcoporum exhibetur, quàm Sedis Apostolicæ, in confesso tamen apud omnes, præsertim Bonacinam apud Barbosam num. 6. Camillum de Curte in diverf. sivè comprehens. Juris feud. part. 2. cap. 2, num. 64. ab Episcopo posse in causis criminaliter sibi assumere assessorem laicum.

IV. Sunt tamen aliqui casus in quibus Episcopus potest delegare absolutè causas criminales laico. Primus, si non adsit Clericus sufficiens & habilis, cui Episcopus posset tales causas delegare. Ita Vega Mexicanus Archiepiscopus in relect. 2. cap. 2. de judic. Carolus de Graffis de effectibus Clericorum effectu 1. num. 364. Julius Cæsar Imbrianus tract. de judic. regul. part. ult. num. 60. Barbosa supra num. 5. Secundus casus, si pro delicto inferenda sit pœna sanguinis, Ripa supra cap. 2. Decianus supr. cap. 9. Barbosa proximè citatus num. 6. Ratio est, quia tunc Episcopus non tantùm potest illas causas criminales delegare, sed etiam tenetur & quivis alius judex Ecclesiasticus delegare laicum, ut sententiam ferat postquam delegans cognoverit de causâ & processum compilaverit. Tertius casus potest Episcopus & quilibet alius judex Ecclesiasticus delegare laicum ad cognoscendas civiles & temporales Ecclesiasticorũ causas, ita Glossa verbo *non præsumat*, in cap. 2. de judic. ubi Abbas num. 5. Baldus 10. Decianus 5. Felinus 6. & alii. Segura Davalos in direct. judic. Ecclesiast. part. 2. cap. 11. Sigismundus Scaccias de re judic. lib. 1. cap. 11. Carolus de Graffis supra, Decianus citatus cap. 9. Sebastianus Vantius de nullit. tit. de nullit. ex defectu jurisdict. Cuchus in institut. moral. lib. 6. tit. 2. Barbosa supra numer. 7. Marcus Antonius Genuensis limitat, modò absint Clerici idonei, & non fiat commissio generalis ad omnes causas civiles. Cui subscribunt Sperellus in decis. fori Eccles. decis. 14. Duardus in bullam Cœnæ can. 15 quæst. 11. num. 13. contra Bonacinã in eandem Cœnæ disput. 1. quæst. 16. sect. 1. puncto 6. Quartus casus, Episcopus in alieno territorio potest præfatas causas delegare, ita Barbosa supr. post Stephanum Gratianum Marchiæ decis. 98. Vitalinum in Clement. unic. in princip. vers. *idem*, in delegat. & alios. Quintus casus, si Clericus sit degradatus, seu depositus realiter, ita communiter Doctores. Bonacina disput. 10. quæst. 11. puncto 1. §. 4. Farinacius de inquisit. quæst. 8. Ambrosinus de immunit. cap. 17. Molina tom. 4. tract. 3. disp. 49. & 54. Clavis regia & alii. Ratio est quia cùm tunc tradatur brachio sæculari judicandus & puniendus, cap. *degradatus de pœnis*, in 6. & per degradationem contra Clericorum privilegia pereant, sequitur posse judici laico subjici. Sextus casus, si Clericus sit bigamus, seu duxerit viduam, vel defunctâ primâ uxore, quam virginem duxerat, duxit aliam. seu sit bigamus bigamiâ verâ, vel interpetativâ amittit omnia Clericorum privilegia. Ita Farinacius de inquisit. quæst. 8. num. 8. Bonacina supra num. 2. Antonius Gomez. 3. variat cap. 10, Probatur cap. unic. de bigamis in 6. Quod si dubium sit an uxor fuerit virgo, præsumitur virgo secundùm auctores citatos. Septimus casus, in causâ feudi, ita Sylvester

verbo

verbo *judex*, quæst. 2. Sayrus in Clavi Regiâ lib. 12. cap. 8. num. 9. Reginaldus lib. 9. num. 312. Farinacius de inquisit. quæst. 8. verbo *limita primò*, Menochius de retinendâ possess. remedio 3. num. 398. Surdus lib. 9. consil. 396. Ambrosinus cap. 20. Toletus lib. 5. cap. 36. S. Antoninus 3. part. tit. 9. cap. 2. §. 5. & communiter Canonistæ apud Julium Clarū lib. 4. §. *feudum*, quæst. 98. Octavus casus, in causâ reconventionis, ita communiter Doctores, quibus subscribunt Farinacius de inquisit. quæst. 8. Decianus tract. crimin. lib. 4. cap. 9. lib. 3. consil. 396 Ambrosinus cap. 20. Clavis Regia supra Reginaldus lib. 9. numer. 352. Graffius lib. 4. decis. cap. 28. num. 2. & 4. Ratio est, quia si in omnibus Clericus conveniat laicum coram judice laico, poterit laicus cōveniens reconvenire Clericum in materiâ civili coram eodem judice, dum existimat se aliquam actionem habere contra Clericum in causâ civili, ex cap. 1. & 2. *de mutuis petitionibus*, & cap. *accusatores*, vers. *cujus in agendo*. Secunda ratio, necesse est hanc actionem laico convento concedere, ut jus suum contra Clericum tueri possit, nè lites multiplicentur. Quod si Clericus velit desistere ab actione contra laicum inchoatâ: tamen adhuc laicus poterit prosequi litem contra Clericum, ita Bonacina supra num. 5. Ratio est, quia jus prosequendæ litis, per reconventionem acquisivit. Nihilominùs sicut Clericus non potest laicum in causâ criminali convenire, ita neq; Clericus potest à laico in causa criminali reconveniri, ita Doctores, præcipuè Bonacina supra, & probatur ex cap. *negando*, 2. num. 2. Casus nonus, quando Clericus est incorrigibilis potest à judice Ecclesiastico tradi brachio sæculari, ita contra Navarrum cap. 27. num. 79. Panormitanum, & alios, Suarez de censuris disp. 22. sect. 1. Bonacina supra num. 6. Coninck disp. 14. dubio 15. & alii apud Farinacium quæst. 8. Ambrosinum num. 37. &c. Casus decimus, Clerici joculatores, histriones, & scurræ, seu qui mimum agunt, si per annum illam artem exerceant, vel si tempore & tertiò moniti nō resipuerint, ipso jure privantur privilegio Clericorum, possuntque tradi judici sæculari, ita Suarez loco citato num. 15. Decianus lib. 4. cap. 9. numer. 80. Reginaldus lib. 19. num. 70. Molina tract. 3, disp. 46. numer. 20. Coninck num. 162. Farinacius de inquisit. criminal. quæst. 8. num. 97. Ambrosinus cap. 28. num. 24. & 25. & alii ab eo citati. Probatur ex cap. *unico*, de vitâ & honestate Clericorum in 6. Ambrosinus tamen cum Joanne Monacho & aliis putat cap. citatum *unico*, procedere tantùm de Clerico existente in ordinibus minoribus, non autē in majoribus, qui prius degradari debet, sed Farinacius num. 97. Decianus num. 86. Bonacina supra notant præfatum caput absolutè loqui, & ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus. Item notat Bonacina ejusmodi Clericum posse privilegium recuperare per dispensationem Episcopi, postquam hanc artem deseruit, & pœnituit exercuisse. Undecimus Casus, Clericus conjugatus qui per se ipsum caupōnis vel macellarii officium exercet, si ter monitus non desistat, vel si præmissâ monitione non desistat, sed idē officium resumat privatur privilegio clericali, potestque ab Episcopo tradi judici sæculari. Quod si Clericus non conjugatus deferens habitum & tonsuram illud officium exerceat, non amittit privilegium Clerici quoad personam, sed dumtaxat quoad res suas. Ita Ambrosinus, Decianus, Farinacius, Julius Clarus, locis citatis. Coninck num. 161. Bonacina supra. Casus duodecimus, crimen assasinii amittit privilegium Cleri, potest ejusmodi criminis reus tradi ab Episcopo judici laico, ita Ambrosinus cap. 17. num. 5. Farinacius de inquisit. quæst. 8. num. 82. Ratio est, quia cap. 1. de homicidio in 6. fertur pœnâ excommunicationis, depositione à dignitate, ordine, officio, & beneficio ipso facto contra eos, qui aliquem necari faciunt per assasinos, vel eos recipiunt, aut occultant, vel defendunt, licet mors non fuerit secuta. Limitat tamen hunc casum Bonacina supra, assasinii

reum non subjici potestati sæculari, nisi post sententiam criminis declaratoriam. Ratio est, quia depositio requirit aliquam actionem. At reus non tenetur ante declarationem pœnam subire, quæ ad sui executionem requirit actionem hominis. Secunda ratio, quamdiu retinet beneficium gaudet privilegio fori, ut innuit Cōcilium Tridentinum session. 23. cap. 6. sed retinet officium & beneficium, saltem donec declaretur reus assasinii, cùm non teneatur sponte se abdicare beneficio, igitur gaudet privilegiodonec declaretur reus assasinii, ita Clarus lib. 3. sentent. quæst. 36. Farinacius de inquisit. quæst. 8. Ambrosinus cap. 25. & alii. Decimus tertius casus Clericum in primâ tonsurâ, vel minoribus ordinibus initiatum posse ab Episcopo judici laico committi, si ille careat beneficio Ecclesiastico, Clericali habitu, tonsurâ, vel non serviat ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ, vel Seminario Clericorum, vel in aliquâ Scholâ, aut Universitate, & sic versetur quasi in viâ ad majores ordines suscipiendos, ita Bonacina supra numer. 9. Cui favet Concilium Tridentin. sess. 23. cap. 6. ubi præfatus Bonacina suddit, quod si alicubi receptum sit, ut Clericus primâ tonsurâ initiatus non puniatur à laicâ potestate, vel capiatur, licet de licentiâ Episcopi non degat in Seminario, vel in aliquâ Scholâ, hanc consuetudinem legitimè receptam, & præscriptam esse servandam. Ratio prima est, quia vergit in favorem libertatis Ecclesiasticæ. Secunda, quia hæc exemptio potuit legitimo tempore præscribi contra laicos. Tertia, quia non videtur illi derogatum per Concilium Trident. cùm ibi nulla sit mentio ejusmodi consuetudinis: ut autem inserviens Ecclesiæ alicui, deferens habitum & tonsuram gaudeat privilegio Cleri, non debet habere mandatum Episcopi implicitum sed expressum (inquiunt Menochius de præsumpt. lib. 6. quæst. 76. num. 76. numer. 41. Bonacina de judicio publico disput. 10. quæst. 11. puncto 1. §. 4. & tractat. de matrimonio, quæst. 2. puncto 8. num. 11.

V. Cæterùm quod Judex Laicus possit esse arbiter in causis Clericorū, si in ipsum simul, & una cum Clerico cōpromittatur. Concludunt pract. c. 34. n. 1. vers. *est etiã*, Cotta in memorabili verbo *cōpromissum*, in 2. Rebuff. de privil. Schol. privil. 108. & alii apud Barbosam de offic. & potest. Episc. part 3. alleg. 108. num. 8. Ratio est, quia licet sint arbitri, ratione arbitrii nullam jurisdictionem consequuntur, eo quod partes à quibus eliguntur, nequeant eos efficere veros judices, l. *privatorum consensus*, 3. C. *de jurisdict. omn. judic.* sed tantùm illis conferunt notitiam, quæ videtur tractum ministerialem, & non judicialem cōferre, & ideò ex hoc respectu illis obtemperatur, non ratione jurisdictionis, vel potestatis, sed dumtaxat metu pœnæ appositæ in compromisso, l. 1. ff. *de recept. arbitris*, & l. *ait Prætor*, 5. ff *de re judicatâ*. Quod à fortiori laici possint in Episcopalē jurisdictionem consentire, & illam in prophanis controversiis prorogare docet Socinus in cap. *significasti*, de foro competent. num. 45. in princip. vers. *sed quæro*, Barbosa supra num. 10. & probatur ex l. *si quis ex consensu*, 8. & in l. Episcopal. C. *de Episc. aud.* Ubi expressè habetur posse jurisdictionem Episcopi à laicis prorogari, & sententiam illius esse validam, nec illius executionem appellatione suspendi, quæ suspensio si negetur ratione prorogationis, tamen negari non debet speciali jure dignitatis Episcopalis.

VI. Et meritò ut hoc caput concludam tanta & honorifica est dignitas Sacerdotalis, ut Ludovicus Burghesius in repetit. l. *si se subjiciant*, ff. *de judic.* numer. 173. doceat primum & præcipuum regnorum & potestatum vinculum esse religionem. Justus Lipsius polit. lib. 1. cap. 3. & alii docent Religionem esse præcipuum regnorum & potestatum vinculū. Hinc semper apud universas nationes Sacerdotes & sacrorum ministri potestatē judicandi habuerunt. De Ægyptiis testatur Ælianus lib. 14. cap. 34. Quod apud Romanos Pontifices non tantùm judicarent de rebus ad religionem, sed etiã ad rempublicam spectantibus narrant

Dionysius

Dionysius Halicarnas. lib. 2. & Cicero in orat. pro domo suâ. Et cùm cœpit Romanus Status, quod jus sacrorum esset penes Reges scribit Dionysius Halicarn. lib. 2. De Hebræis hæc vaticinatur Ezechiel cap. 44. vers. 24. *Cùm fuerit controversia stabunt in judiciis meis, & judicabunt leges meas, & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, &c.* Et lib. 2. Paralip. cap. 19. vers. 8. *In Ierusalem constituit Iosaphat Levitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitantibus ejus, præcepitq; eis dicens, sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem & cognationem ubicunque quæstio est de legi, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite eis ut non peccent in Dominum, & nè veniat ira super vos, & super fratres vestros, sic ergò agentes non peccabitis.* Ibi notat Dionysius non omnes promiscuè Levitas & Sacerdotes fuisse constitutos ad judicandum, sed majores & aptiores. *Aptiores (inquit) ex familiis Levitarum, ac Sacerdotum, ac maiores elegit ad tantum officium, ut judicium verum & justum, & id quod Deo complacitum est, & qua causa sit rationabilis ac divina judicarent, &c.* Ulpianus l. 1. ff. *de censibus*, narrat quod in suo natali solo apud Tyrum Phœniciæ urbem judicium Sacerdotum adeò erat plausibile, ut post regem judicarent. Idem scribit Justinus in epitome Trogi. libro 1. Idem Justinus in ejusdem epitome lib. 18. notat Romanos Judices sacerdotalem sagum induisse. Idem asserit Suetonius in Vespasiano. Nec quisquam objicere debet, indecorum esse ac indecens, ut Sacerdotes maximè Episcopi judicent inter sæculares, & sæcularia negotia revolvant, ut docet Apostolus 1. Corinth. cap. 6. vers. 1. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt! Etsi in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia.* Cornelius *per sæcularia* intelligit negotia, quæ ad communem hominum usum spectant, quasi Apostolus diceret: *Digni & apti sumus judicare, si nimirum hoc judicium ad nos deferatur à partibus litigantibus, aut si huic judicio præficiamur ab Ecclesia, vel à Republica. Nam si Angelos judicare valemus, quidni & sæcularia. Angeli enim tantùm sæcularibus præstant quantùm cælum terra præcellit.* Quod hæc judicialis potestas in personas & res sæculares non sit incongrua dignitati Apostolicæ & Episcopali, ipse Christus satis patenter innuit, quandoquidem illam pollicetur in commutationem & mercedem contempti mundi. *Ecce (inquit) nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* Syriacus. *Quid nobis futurum est?* Arabicus. *Quid propè est, ut sit nobis?* Vatablus. *Quid ergò obveniet nobis?* S. Hieronymus. *Quid igitur dabis nobis præmii?* Noster Sylveira tomo 4. lib. 6. cap. 33. quæst. 9. *Quid nobis erit præmii aut mercedis?* Audiamus Christi promissionem v. 8. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione cũ sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Syriacus *Amẽ dico vobis, quod vos, qui venistis post me in sæculo novo, cùm sedebit Filius hominis super thronum gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, & judicabitis duodecim tribus Israel.* Noster Sylveira in expositione. *Vos qui secuti estis me in paupertate renunciantes omnia, quæ sunt hujus sæculi & ut indivisi comites & cooperatores Evangelicæ prædicationis mihi adhæsistis, &c. In communi omnium futura resurrectione, id die judicii, hac enim erit veluti quædam renovatio, ac regeneratio corporis, ac totius hominis, &c. Cùm sedebit Christus omnium Judex ad judicandum totum orbem, &c. Sedebitis & vos, nunc humiles & abjecti, &c. Non confusè omnes in uno sedili, sed magnifico ordine in vestris singuli thronis, &c. Christus loquens duodecim Apostolis, in eis etiam ad omnes sectatores habet sermonem, qui renunciantes mundum, Christum sequuntur, multùm laborantes in conversione ac salute animarum, &c.*

Dionys. — 2. Par. 19. v. 2. & seq. — 1. Corin. 6. v. 1. — Matt. c. 19 v. 27 — vers. 28. — Cornel. — Sylveira.

Et maximè Episcopi zelosi Apostolorum successores. *Iudicantes tanquam Principes orbis, ac Iudices delegati à Christo omnium supremo judice, &c. Duodecim tribus Israel, ideſt totum populum Israel.* Seu (inquiunt Augustinus & Tostatus) omnes gentes. *Nam* (inquit Sylveira) *cùm populus Israel, cui Messias erat promissus, expulsus est à suâ hæreditate ob illius delicta, tunc illius loco ingressa sunt gentes credentes, ac veluti in duodecim tribus transpositæ, & insertæ, ac quasi earum civitate ac iure donatæ sunt. Sic in duodecim portis civitatis sanctis Ierusalem erunt nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Illi arridens Sanctus Bernardus sermone de sancto Benedicto. *Per duodecim sedes Apostolorum omnium universitas iudicantium, & duodecim tribus Israel universitas eorum qui judicandi sunt ostenditur.* Et infra specialiter differens de Episcopis qui sunt in statu perfectionis acquisitæ. *Hæc est* (inquit) *perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoque salvandis præeminere auctoritate iudiciariæ potestatis.* Huic explicationi favet Sapiens cap. 5. vers. 8. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Et accinit Vates Regius Psalm. 44. vers. 18. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.* Titelmannus ita elucidat, loco *Patrum illorum primorum atque Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob, tibi ô Sponse amabilis nascentur filii eorum sancti Apostoli, atque horum etiam loco successores illorum viri Apostolici. Hos tu ô Sponse nobilissime Principes constitues populorum per universum orbem terrarum. Mittes enim in virtute tuâ & in comitatu, atque operatione Spiritus tui sancti in omnes fines orbis terræ, ut populos eruant de potestate Principis tenebrarum, & ad tua veritatis regnum adducant, quos tu velut tuo loco constitues, facies q; esse præfectos, & principes Ecclesiarum atque omnium populorum, quos tibi intra eas congrebabunt.* Idem in annotationibus. *Sicut in locum Patriarcharum successerunt Apostoli, quos cõstituit Deus Principes super omnem terram, ita & in horum locum succedere facit Deus usque in sæculi consummationem viros Apostolicos, per quos Ecclesia ornatus promovebitur, & in suo decore conservabitur usque dum ipsa transferatur in locum quietis sempiternæ.* Quandoquidem Episcopi ac viri Apostolici succedant Apostolis in præfecturâ & Principatu usque ad Christi adventum & sæculi consummationẽ, sequitur etiam judiciariam potestatem illis non denegandam, quam ipsimet Imperatores in suis constitutionibus agnoverunt, ut fusè probat Josephus Stephanus tractatu de potestate coactivâ Romani Pontificis cap. 12. num. 4. Hinc Cardinalis epist. manu scriptâ ad Clementem VIII. Papam, cujus meminit Mendoza in lib. 1. Regum cap. 7. vers. 17. laudat antiqua sæcula, in quibus ex sæcularibus Magistratibus Episcopi assũmebantur, ut Sanctus Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Greg. Nectarius, non ob rationem quam adducit, sed quia potestas judiciaria cũ Episcopali dignitate cõjuncta est. Perperam igitur judiciaria potestas Episcopis denegatur, maximè si laicâ litigantes in illum consentiant & omnes causæ etiã civiles & criminales olim à Sacerdotibus cognoscerentur, ut præter dicta videre est apud Petrũ à Monte tract. de Monarchiâ quæst. 4. num. 6. & maximè in Deuteronomio cap. 17. vers. 8. & 9. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies q; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæres q; ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, &c. Sequeris q; sententiam eorum, &c.* Idem refert Josephus libr. 2. contra Apionem. *Sacerdotes* (inquit) *inspectores omnium, iudices controversiarum, & punitores damnatorum cõstituti sunt à Moyse.* Philo lib. 3. de vitâ Mosis, narrat Moysem ex consilio Sacerdotum de more ei assidentium morti adjudicasse hominem colligentem ligna in Sabbatho, cujus meminit Numer. cap. 15. vers. 35. Ubi Tostatus scribit summum Pontificẽ vocari

S. Bernardus.

Psal 44. vers. 18.

iudicem

judicem, quia ipse solus in consilio auditâ aliorum mente solebat proferre sententiam mortis. Et patet in Caiphâ qui in Concilio pronunciavit sententiam mortis in Christum Joannis cap. 11. vers. 50. *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* S. Hieronymus in cap. 7. Matthæi. *Oportet unum hominem mori pro omnibus.* S. Chrysostomus homil. 64. in Joannem. *Quod illi dubitabant & deliberandum proposuerant, hic impudenter & apertâ fronte temerariè decrevit.* Scilicet ut judex. Actor. cap. 23. vers. 2. Apostolus Paulus jussu Ananiæ Pontificis percutitur. *Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus,* Quasi impium & blasphemum ignominiosè & obturari jubet. Uti olim multorum Martyrum ora ob dicendi & increpandi libertatem jussa sunt verberari & obturari, quod sua dicta & edicta, suosque Deos spernerent, teste Josepho libr. 20. vers. 8. Ananias Pontifex Jacobum fratrem Domini mortis reum in concilio pronunciavit. Ex Actis S. Matthiæ mei Patroni, alius Pontifex in concilio S. Apostolum Matthiam velut blasphemum damnavit morte. Tali munere fungebantur Sacerdotes apud Æthiopes teste Strabone lib. 17. apud Persas teste Eusebio in Chronicis, & Agathia lib. 2. apud Athenienses, & Areopagitas teste Josepho libr. 14. antiq. cap. 19. Apud Gallos & Druides teste Cæsare lib. 6. de bello Gallico. Quare concludo cum Socrate apud Xenophontem lib. 4. de dictis Socratis, quod ab omnibus gentibus observatum est. Id à Deo sancitum esse asserendum est, ac divino instinctu concessum ab omnibus recipiendum est. Dices si Sacerdotibus Levitici generis potestas judiciaria competebat, cur in Deuteronomio citato dicitur divisum. *Ad sacerdotes Levitici generis & ad judicem.* His enim verbis significare videtur Deus, ut in rebus sacris sacerdotes consulantur, in civilibus judices sæculares. Respondet Cornelius verba præfata non divisim, sed simpliciter & absolutè accipienda esse, ita ut Deus velit recurri ad sacerdotes in omnibus causis dubiis, quæ ex lege divinâ debent decidi. Legis enim interpretatio spectabat ad sacerdotes, & præcipuè ad Pontificem, ut patet ex sequentibus. *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint ea, juxta legem ejus.* Ex quibus sequitur (inquit Vatablus) per judicem intelligi Pontificem. Vel (ut vult Tostatus) ejus Vicarium. Ut (explicant Oleaster, Cajetanus, Lyranus & alii) judicem sæcularem, qui sententiæ Pontificis & Sacerdotum stare debebat, eratque tantùm approbator & executor. Tali judiciariâ potestate inter Prophetas polluerunt Samuel, S. Pater Elias. Tales Judices sæculares adjunxit sacerdotibus Rex Josaphat lib. 2. Paralip. cap. 19. vers. 8, (inquit Cornelius in cap. 17. Deuteron.

Joan. 11. vers. 50.

S. Chrysostomus

Act. c. 23 vers. 2.

CAPUT XI.

De cognitione causarum ab Episcopis in primâ instantiâ habendâ.

QUamvis Moyses in lege scriptâ omnium causarum notitiam immediatè habere posset, tamen consilio Jethro Exodi cap. 19. vers. 13. & ordinatione Dei Numerorum cap. 11. vers. 16. & 24. & lib. 2. Paralip. cap. 19. vers. 4. Regnante Josaphat in Judâ tempore S. Prophetæ Eliæ quædam subalterna tribunalia instituta sunt, quæ in primâ instantiâ causarum, ac difficultatum notitiam haberent, quæ subordinatio observata videtur à Patre nostro Eliâ. Cùm enim filii Prophetarum haberent collegia in Carmelo, in Bethel, & in Galgalis ab Elia instituta, ut notant Joannes 44. Patriarcha Jerosolymitanus lib. de instit. Monach. cap. 22. Cornelius in cap. 2. vers. 3. lib. 4. Regum. Salianus ad annum mundi 3139. Ante Christum 914. & alii, quorum omnium supremum regimen habebat S. Elias, & post eum S. Eliseus. Ex eodem Joanne

1.

Hierosol. cap. 24. Non est dubium, quin singulis collegiis, seu conventibus aliqui superiores immediatè præessent, qui in primâ instantiâ defectus judicarent & corrigerent, à quibus appellatio & recursus formabatur, ad sanctissimos illos Prophetas (qui ultimatè & terminativè judicabant) quæ consuetudo & praxis semper observata est, & nunc observatur in nostro ordine, ut patet ex nostris modernis constitutionibus novissimè approbatis ab Urbano VIII. & Innocentio X. summis Pontificibus, parte 4 cap. 3. ubi permittitur recursus à Priore locali ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, vel ad Romanũ Pontificem in Ecclesia Dei judicem, omnium Prælatorum Prælatum.

II. Sic quamvis summus Pontifex Romanus omnes causas Ecclesiasticas cognoscere & judicare possit ex cap. *cuncta*, cap. *nunc verò*, quæst. 3. tamen omnes causæ spectantes ad forum Ecclesiasticum judicari & terminari debent in primâ instantiâ infra biennium coram Episcopo, seu Ordinario loci, ita Aloysius Riccius in collect. decis. part. 4 collect 1353. Marius Antoninus variar. lib. 1. resolut. 15. Piacesius in praxi novâ Episc. part. 2. cap. 4. Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiast. part. 2. cap. 1. Zerola in praxi part. 1. verbo *instantia*, §. 4. Vivianus in praxi jurispatronatus part. 2. lib. 7. cap. 3. Barbosa part. 3. alleg. 81 num. 2. Monaldus consil. decis. 94. Fuschus de visitat. lib. 1. cap. 32. Joannes Solorzanus de jure Indiarum tomo 2. de gubernio Judic. lib. 3. cap. 9. Probatur ex Concilio Tridentino sessione 14. de reformatione cap. 20. statuente. *Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omninò solum infra biennium à die motæ litis terminentur.* Idem ordinat sessione 25. cap. 10. Undè hodie Nuncii, Legati de Latere, aliique superiores specificam majorem potestatem non habentes ad se non avocant causas in tribunali Episcoporum, vel aliorum judicum inferiorum motas, nisi ad ipsorum forũ devolvantur. Ita decisum refert Barbosa supra, Aloysius Riccius in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis. 296. part. 4. Idem Barbosa supra num. 3. & Aloysius Riccius in praxi aurea resol. 126. & Neapol. decis. 271. & decis. 273. part. 4. addunt auditorem Cameræ, vel quemvis alium judicem Curiæ Romanæ non posse cognoscere de iis in prima instantia, nec decernere monitoria ad extrahendas partes à suis domiciliis. Præcipua causa cur Concilium Tridentinum hoc decretum ediderit, est nè partes extra suas Provincias & Diœceses tot sumptibus & incommoditatibus degere & litigare cõgerentur. Ita Stephanus Gratianus discept. forens. tomo 5. cap. 837. Barbosa supra num. 3. Joannes Maria Navarr. in practicis novi juris Pontificii de causis primæ instantiæ concl. 1. aliàs 54. Aloysius Riccius in praxi aurea resol. 126. Flor. de Mena variar. lib. 1. quæst. 12. num. 8. Dum cognitionem causarum spectantium ad forum Ecclesiasticum Concilium Tridentinum tribuit Ordinariis locorum in prima instantia, intendit illud decretum dumtaxat intelligi de Episcopis & Prælatis exemptis Episcopalem jurisdictionem habentibus, non verò de Prælatis inferioribus, qui subsunt Episcopo, ita Rota apud Farinacium post tom. 1. consil. decis. 100. Fr. Emmanuel quæst. regul. tomo 1. quæst. 36. art. 4. Flaminius de resign. lib. 3. quæst. 11. num. 19. & 22. Barbosa supra num. 4. Per Ordinarium intelligendum esse Vicarium Episcopi existimant Guitier. tract. de Matrim. cap. 66. num. 14. Sanchez de matrimon. lib. 3. disput. 29. num. 5, & 17. Barbosa supra num. 5. Sede vacante cum Capitulũ succedat Episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ potest cognoscere de causis in prima instantia, ita Aloysius Riccius in praxi aurea resolut. 130. & in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis. 273. Id colligitur ex Concilio Tridentino loco citato.

III. Si intra biennium causa non sit terminata ex parte iudicis nolentis, vel non curantis intra biennium ex-

pe-

pedire causam, & sic causa & defectus indeterminationis ab eó procedat, cõceditur advocatoria. Non autem si per illum non stetit, quominus causa terminaretur intra præfatum tempus, verbi gratiâ, si occurrerit gravitas vel qualitas causæ, vel partium cavillatio, id decisum fuisse per sacram Congregationem testantur, Aloysius in praxi aurea resol. 334. & in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis. 153. Joannes Baptista Marchesanus de commiss part. 2. §. 4. Franciscus Leo in thesauro fori Eccles part. 1. cap. 1. Barbosa supra num. 9. Ut constet de culpâ judicis debet sæpè requiri, & de hoc instari à superiori judice, ita Barbosa citatus. Probatur ex decis. *pedem*, dè communi attestans 12. numer. 6. Idem censet Grammaticus voto 31. num. 13. & alii apud Aloysium Riccium in praxi aureâ resol. 334. & in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis. 120. part, 4. Notat Marchesanus de commiss. part. 1. cap. 6. num. 127. & seq. & disputat, an requiratur interpellatio unica vel plures, ut dicatur stare per eum quominus expediat causam. Nam in Concilio Tridentino cavetur quod causæ debeant terminari ab Ordinario locorum intrà biennũ, si secus, possint devolvi ad alios superiores, quibus licitum erit partes audire. Ut autem dicatur non stetisse, duæ saltem requisitiones necessariæ sunt, & de talibus constare debet, ita Marchesanus supra numer. 130. Barbosa loco citato. Quod ad terminationem causarum biennium non currat, nisi dum Ordinarius negligit expedire causas, & sufficiat una requisitio, quâ judex semel requisitus recusat expedire. Idem resolvit Barbosa cum Marchesano.

V. Quæres si prædecessor ordinarius habens causam fuit requisitus (ut dictum est) & non expedivit, supervenit successor in officio, priusquam Sedes Apostolica, vel alius superior accedatur pro causæ expeditione, & res integra adhuc stat. An ista, vel istæ requisitiones factæ prædecessori sufficiant, ut causa possit avocari & devolvi, seu appellari à successore ad Sedem Apostolicam vel ad alium superiorem. Respondent breviter Marchesanus & Barbosa supra negativè: sed debet iterùm urgeri successor, & coram eo acta produci, pars adversa citari, & judex seu ordinarius requiri ut causam expediat, Marchesanus supra num. 135. addit in ambabus signaturis resolutum fuisse, quod biennium à Concilio Tridentino præscriptum ad expeditionem causarum intelligi, modò causa agitata fuerit, & iudex sæpius pro expeditione requisitus fuerit, & expeditionẽ neglexerit, vel noluerit causã terminare, ideòq; quando similes commissiones appellationis & avocatoriæ respectivè porriguntur, debet constare de iteratâ requisitione ut causa expediretur, ac de subsequente negligentiâ Ordinarii, alioqui non erit locus biennio à Concilio ordinato.

Præfata regula intelligi debet in VI. causis, quæ juxta canonicas sanctiones sunt judicandæ à Sede Apostolicâ, vel quas Sedes Apostolica expressè arbitrio suo, supplicatione signatâ propriâ manu ad se advocavit, ita Aloysius Riccius in decis. curiæ Archiepis. Neapol. decis. 273. part. 4. num. 6. Barbosa supra numer. 10. Franciscus Leo citat. cap. 1. num. 73. Marchesanus in praxi commiss. 6. numer. 32. Piacesius in praxi nova Episcop. part. 2. cap. 20. vers. *ab his excipiatur*, Barbosa supra numer. 10. Probatur ex Concilio Tridentino sessione 24. cap. 20. *Ab his excipiantur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam, vel quas ex urgenti, rationabiliq; causâ judicaverit summus Pontifex per speciale rescriptum signatura Sanctitatis suæ manu propriâ subscribendum committere aut evocare.* Excipitur primò Curia Romana, ubi absque instantiâ nunquam extinguitur, nisi per sententiam, ita Barbosa citatus numer. 11. post Zerolam in praxi Episc. part. 1. verbo *instantia*, vers. *sexto*. Excipitur secundò possessio capta per Breve Apostolicum, cujus executionem aliqui impedire cõtendunt, tunc causa potest in primâ instantiâ agitari in Curiâ Romanâ, ita Barbosa supra numer. 12. cum Francisco Leone supra cap. 1. num. 74.

qui

qui citat decisionem Sacræ Congregationis in unâ Vlixbonensi. Ratio est, quia Auditor Cameræ est judex competens causarum similium. Excipiuntur tertiò, conservatores regularium, ut notant Aloysius Riccius in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis. 273. Aldrete in allegat. pro omnimoda regali exceptione part. 1. cap. 7. Barbosa supra num. 13. Ratio fundatur in eo, quod Sacra Congregatio regularium censuerit dictum cap. 20. Concilii Tridentini non spectare ad Regulares, nec minuere aut abolere conservatorias regularium, nec quoad primam instantiam ipsorum introducere aliquid novi. Et signanter quod non sint sublatæ conservatoriæ regularium per textum in præsenti, quamvis causæ sint graves, & requirant plenariam cognitionem, censuit Sacra Congregatio in unâ Mediolanensi, quam refert & sequitur Rota 12. Decembris 1614. in Osten. jurisd. coram Ubaldo Sen. Quibus subscribit Barbosa num. 13.

VII. Nonobstante opinione Marii Antonini variar. resol. lib. 1. resol. 15. Navarri consil. 1. sub titulo *de officio delegati*, in antiq. & cõsil. 3. num. 1. & 2. eodem tit. in novis, Sayri sub eodem tit. consil. 1. Notat tamen Eraſmus à Chokier de jurisdictione ordinarii in exemptos tomo 2. part. 1. §. 13. num. 5. quod apud alios vix reperitur. *Itaque* (inquit) *licet exempti immediatè subjecti sint summo Pontifici, cap. auctoritatè de privilegiis in 6. Chopinus de sacra politica lib. 2. tit. 4. numer. 6. ac legato ejus à latere cap. si Abbatem de elect. in 6. Glossa materies in pract. sanction. tit. de causis, verbo subjectio, non tamen poterunt in prima instantia evocari ad Curiam Romanam: & ita pactis inter Romanum Pontificem, Reges Franciæ, Hispaniæ, Belgiiq. Principes testatum reliquit Chopinus de titulo 4. num. 8. Proinde si contingat eos evocari, habbunt jus revocandi domum ad Patres Provinciales, sivè judices, quos ex privilegio sortiuntur, quippe quod Ecclesiastica causa alibi quàm in patriis litigatorum finibus à Pontifice ratione privilegiorum committi non soleant, ut Guiciardinus in sua historia refert, si autem quippiam contra hanc libertatem fiat, licebit eis quorum interierit querula libello supplicare Pontifici, imò etiam officium conservatoris privilegiorum implorare, Chopinus dicto loco. Estque id à dispositione Concilii non alienum sess. 24. cap. 20.* Hæc Chokier.

Chokier.

VIII. Barbosa supra num. 14. scribit limitandum esse ratione contractus celebrati, & etiam delicti commissi. Ratio est, quia Concilium non sustulit modos legitimos, quibus ex juris dispositione aliquis sortitur forum, Franciscus supra cap. 1. num. 75. testatur ita decisum. Quod etiam ratione contractus, vigore obligationis cameralis, si quis obligetur in Romana Curia, undecumque veniat, & sit oriundus sortitur forum Curiæ Romanæ, in quâ celebravit contractum, tenet Carlavallus de judic. & foro compet. lib. 1. tit. 1. disp. 1. quæst. 8. numer. 1083. Galesius in tract. ad formam obligat. Cameral. ad 3. part. obligat. quæst. 2. num. 2. & 3. Barbosa supra numer. 15. Hanc resolutionem firmat Carlavallus citatus etiam in Clerico, qui contrahendo vel delinquendo etiam absque consensu sui superioris, sortitur judicium judicis loci ubi initus est contractus, ita Sigismundus Saccias de sentent. & de re judic. gloss. 7. sect limit. 1. & seq. Vincentius Carocius decis. 52. Marius Cutellus in codice legum Sicularum ad legem Petri 11. not. 7. Ratio est, quia tacitè ejus jurisdictionem prorogat. Plura Barbosa citatus num. 15. & 16.

IX. Causæ possessionis beneficiorum reservatorum sedi Apostolicæ possunt cognosci immediatè ab Auditore Cameræ, seu alio delegato Apostolico, ita Barbosa supra num. 17. Franciscus Leo supta cap. 1. num. 76. & 77. Testatur sæpè id definitum à sacrâ Congregatione Cardinalium, Piacesius in novâ praxi Episc. part. 2. cap. 4. numer. 3. scribit esse praxim quotidianam signaturæ servatam & declaratã à Gregorio XIII. super executione litterarum in forma Brevis ad expetendam possessionem in Constitutione quæ incipit, *Ad Romani Pontificis providentiam*, datum Romæ 10. Julii

1574.

1574. Gonzales ad regulam 8. Cancel. gloss. 52. ait id procedere in beneficiis ratione appositionis manus, additq; ita esse decisum.

X. Menochius de arbitr. lib. 1. quæst. 22. num. 6. post Socinum, Jasonem, & alios, dicit Concilium Tridentinum cap. 20. citato non intelligi de executionibus, sed dumtaxat de litibus & causis ordinariis, & quæ exigunt altiorem indaginem. Ratio est, quia in his datur instantia, non autem in executione Bullarum Apostolicarum, quæ magis est extrajudicialis, quàm judicialis. In judicialibus autem non datur instantia. Quod si cõtra executionem gratiæ Apostolicæ aliqua exceptio allegetur, quæ exigat altiorem indaginem, & efficiat gratiã nullam vel subreptitiam, vel obreptitiam, vel bullam falsam, vel quid simile, tunc datur instantia, nec Ordinarius in primâ instantiâ jurisdictione potest privari. Ut patet primò, ex cap. 20. Concilii Tridentini & citatâ Constitutione Gregorii XIII. statuente ut executor in primâ instantiâ possit procedere omissâ formâ gratiæ. Nam in gratia semper ponitur vel subintelligitur clausula, *si preces veritate nitantur*, vel aliæ æquivalentes, ut docet Barbosa in remiss. de dictionibus & clausulis, clausula 97. numer. 2. subdens intelligi non retardatâ executione, nisi probaretur ex contextu litterarum Apostolicarum quod exceptio vel gratia esset omissa in forma *dignum*, quæ esset justificanda ante executionem. Quare si narratio non est inventa vera, vel omittitur aliquid ex necessariis commissio executoris cessat, nec gratiam exequi potest. Ratio est, quia alioqui declarabitur vim inferre, ac causam in prima instantia debere remitti Ordinario, & ab eo terminandam, quia cessat prorsus vis executiva. Aloysius Riccius in praxi aurea resol. 369. animadvertit, quod si ex verbis gratiæ teneatur executor assumere partes judicis, vel gratia sit signata manu Pontificis, talis executor potest cognoscere causam in prima instantia ad effectum executionis, nec tenetur eam remittere Ordinario. Ratio est, quia ex appositione manus Apostolicæ censetur cautè avocata, ex textu cap. *ut nostrum*, de appellat. ubi Abbas, Franciscus, & alii.

IX. Frequentissima est materia de primis instantiis, quæ competunt Ordinariis, quarum jus introductum fuit in favorem Ordinariorum, & partium, nè traherentur extra suas Civitates & Territoria. Undè ut renuncietur huic favori debent ambo consentire, ita Stephanus Gratianus discept. forens. tomo 5. cap. 837. num. 6. & seq. Ludovicus à Seraniâ de jurisdict. adjunct. quæst. 7. Gancal. Suar. de Paz. in pract. tomo 2. prælud. ultim, Barbosa part. 3. alleg. 81. num. 3. Narbona l. 59. gloss. 1. tit. 4. lib. 2. novæ recopil. Salgado tract. de supplic. ad Sanctissimum à litteris & bullis Apostolicis, sivè de retentione bullarum Apostolicarum part. 2. cap. 3. §. unic. Hic refert ita fuisse decisum à Sacrâ Congregatione. Ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. de reformatione edidit hoc decretum tam in favorem jurisdictionis ordinariæ, quàm partium. Et ideò quod in favorem plurium emanavit, non tollitur renunciatione unius. Idem Salgado num. 11. refert Sacram Congregationem censuisse, quod de consensu partium, accedente consensu ordinarii liceret Nuncio Sedis Apostolicæ cognoscere de causis in primâ instantiâ. Quod si causa sit inter Episcopum & alium non poterit parte reluctante ad solius Episcopi instantiam in Curiâ cognosci coram alio: sed committenda est causa viciniori, additque ex Gratiano, quod si Episcopus sit collitigans, quamvis causa inter eum & collitigãtem committi & cognosci debeat in partibus, tamen stante suspicione viciniori committitur.

XII. Præfata ordinatio Concilii Tridentini Ordinario locorum in primâ instantiâ conferentis notitiam causarum ad forum Ecclesiasticum spectantium tantùm intelligitur de Episcopis & exemptis Episcopalem jurisdictionem habentibus, non autem de inferioribus Prælatis, qui Episcopis subjiciuntur, ita Flaminius Parisius

de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 11. Rota apud Farinacium in praxi criminali post 1. tomum consil. decis. quæst. 100. Emmanuel quæst. regul. tomo 1. quæst. 36. art. 4. Barbosa proximè citatus num. 4. Multò minus potest applicari præfatis inferioribus, qui non tantùm subsunt Episcopo, sed etiam carent subditis & territorio nec habent in quos exerceant jurisdictionem. Nam Concilium loquitur de ordinario habente districtum, seu jurisdictionem loco circumscriptam, ut patet ex verbis Concilii sess. 24. cap. 20 *Coram Ordinariis locorum.* Quam explicationem & distinctionem approbavit Sacra Congregatio Concilii, quam refert Narbona supra l. 59. glossa 1. num. 70. his verbis. *An caput 20. tribuens privativè Ordinariis locorum in primâ instantiâ cognitionem omnium causarum ad forum Ecclesiasticum pertinentium, de Episcopis tantùm intelligatur, an de exemptis Episcopalem jurisdictionem habentibus, an verò etiam de Prælatis inferioribus qui subsunt Episcopo, veluti de Archipresbytero, vel plebano Ecclesiæ Collegiatæ: ita ut istis inferioribus, qui etiam in eorum plebe ordinarii dici possunt. Hujusmodi cognitio privativè ad Episcopum etiam in primâ instantiâ pertineat? Congregatio censuit non intelligi de istis: qui etsi habeant jurisdictionem ordinariam in personas de collegio, cap. cum ad Ecclesiarum, ubi Glossa & Abbas num. 5. de officio Ordinarii locorum, cùm nullus circa Episcopum habeat jurisdictionem in Diœcesi, &c.* Ubi per verbum Ordinarii accipit omnes habentes ordinariâ jurisdictionem, non autem Prælatos carentes illâ jurisdictione, ut statuit Rota apud Farinacium decis. 100. addens ideò juxta decretum Concilii Tridentini spectare ad Abbatem non inferiorem Episcopo, fruentem juribus Episcopalibus. Saytus in floribus decis. tit. de toro competente decis. 2. Navarrus consil. 2. tit. de privilegiis, in nov. Barbosa supra num. 5. Abbates non exemptos & alios, quibus aliàs competebat cognoscere, vel ex præscriptâ consuetudine, vel aliquo privilegio Clericorum suæ Ecclesiæ, vel cumulatè cum Ordinario, vel privativè etiam hodie frui, nonobstante dispositione Concilii Tridentini cap. 20. Ratio est, quia Concilium loquitur generaliter de jurisdictione ordinaria, sed jurisdictiones Abbatum justo jure & titulo etiam censentur Ordinariæ. Arridet declaratio Sacræ Congregationis apud Narbonam l. 50. gloss. 1. num. 66. his verbis. *An Episcopus vicinior possit cognoscere de causis criminalibus & matrimonialibus subditorum Abbatis nullius Diœcesis, cui ex privilegio ante Concilium facultas de illis cognoscendi competebat? Congregatio censuit non posse Episcopum cognoscere hujusmodi causas, in locis hujus Abbatis, quia non sunt de ejus Diœcesi, ideò relinqui istas Abbati, si ex suis privilegiis competunt, quam decisionem Sanctissimus approbavit. Postea cum de eodem dubitatum esset, fuit data eadem decisio, sed amplius additum, dummodò tales Abbates habeant in suos subditos omnem jurisdictionem.* S Cong. S Cong Trident.

XIII. Prima instantia Ordinarils locorũ non competit, sed cessat si adsit legitima & probata causa recusandi judicem ordinarium; ita Stephanus Gratianus discept. forensium tomo 5. cap. 837. num. 15. Piacesius part. 2. cap. 4. Narbona l. 59. glossa 1. Salgado supra part. 2. cap. 5. §. 1. Idem Salgado cum Narbona l. 59. glossa 1. addit hunc stylum observari in Curia Romana ut committatur Ordinario viciniori, ne pars litigans cogatur extra patriam suam litigare cum tanto dispendio. Deindè Concilium in cap. citato non sustulit legitimos modos, quibus forum alienum sortiatur ex juris dispositione, ut censet Barbosa supra num. 10 post Novarium in singul. juris canon. concl. 54. Narbona supra l. 59. gloss. 1. Franciscum Leonem in thesauro fori Ecclesiast. part. 2. cap. 1. Salgado de protectione regia part. 2. cap. 17. num. 7. & de supplicatione ad Sanctissimum part. 2. cap. 5. num. 9.

XIV. Ex dictis etiam colligitur, quod ubi elapsum fuerit biennium numerandum à die motæ litis, & intra illud non fuerint terminatæ causæ coram Ordinariis, liberum erit partibus vel alteri illarum superiores judices aliàs

aliàs competentes convenite, qui causam assumant in eo statu quo fuerint, & statim curent expediri, ita Narbona l. 58. gloss. 1. numer. 71. & seq. & num. 86. Barbosa supr. numer. 12. Salgado loco citato part. 2. cap. 6. num. 2. Probatur ex Concilio Tridentino sessione 24. de reformatione cap. 20. his verbis. *Atque omninò saltem infra biennium à die motæ litis terminentur, alioquin post id liberum erit partibus, vel alteri illarum, iudices superiores aliàs tamen competentes adire, qui causam in eo statu quo fuerint assumant, & quamprimum terminari curent.* Aloysius Riccius part. 4. decis. 273. num. 6. Barbosa jam citatus post Narbonam & Salgado, censent præfatam dispositionem Concilii extendi ad causas de nullitate professionis, quæ si infra biennium non terminentur ab Ordinario & superiori Regulari, decretum Concilii tunc esse exequendum. Notat tamen Barbosa ut tunc detur avocatoria debet dari, vel apparere culpa aut defectus ex parte judicis nolentis, vel non curantis. Huic annotationi arridet Salgado de potestate regiâ part. 2. cap. 17. Francis. Leo supra cap. 1. Marchesanus de commiss. part. 2. §. 4. Aloysius Riccius in praxi aureâ resol. 334. & part. 4. decis. 153. testanturque id decisum fuisse per Sacram Congregationem. Ut autem constet de culpa judicis, debet sæpè requiri, & coram judice superiore urgeri, ita Narbona supra l. 59. gloss. 1. Grammaticus voto 31. Aloysius Riccius resol. 134. numer. 1. & part. 4. decis. 120. & alii ab eo citati. Existimat Barbosa supra num 13. post Zerolam in praxi Episc. part. 1. verbo *instantia*, vers. *sexto*, id non esse intelligendum de Curia Romana, in quâ lis sine instantia non extinguitur nisi per sententiam. Censet etiam Narbona l. 59. gloss. 1. non intelligi etiam de causis judicandis apud Sedem Apostolicam id patet primò ex Concilio Tridentino statuente, *Ab his excipiuntur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ, &c.* Secundò ex Glossa in cap. *quod translatione*, de officio de legati, & Gloss. ult. in cap. *ut debitis*, de appellat. & num. 190. Inter eas recenset causas exemptorum, exceptis tamen casibus illis, in quibus Ordinarii habent à Concilio Tridentino jurisdictionem in exemptos. Eodem decreto cap. 20. nonobstante possunt generaliter cognosci apud sedē Apostolicam omnes causæ, quæ ex dispositione Sacrorum Canonum poterant.

Concilii Trident.

Porrò inter causas, quæ apud Sedem Apostolicam juxta sanctiones legitimas agitandæ sunt. Prima est, super beneficiis reservatis agitatur, ita Narbona supra l. 59. gloss. 1. Gonzales ad regul. 8. cancell. gloss. 52. Barbosa supra num. 15. Ratio est quia cum non comprehendantur sub decreto cap. 20. sess. 24. possunt cognosci in prima instantia in Curia Romana. Secunda causa est quæ agitur super professione horum beneficiorum reservatorum Sedi Apostolicæ, ita Salgado part. 2. cap. 10. num. 10. Quæ causa potest immediatè cognosci ab Auditore Cameræ, seu alio Apostolico delegato. Probatur primò, ex declaratione Gregorii XIII. super executione litterarum Apostolicarum in forma brevis ad expetendam possessionem constitut. quæ incipit, *Ad Romani Pontificis providentiam*, data Romæ anno 1574. die 19. Julii apud Piacesium in praxi Episc. cap. 4. num. 3. Secundò, ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, inter alias Franciscus Leo cap. 1. numer. 76 & 77. præcipuè 74. meminit unius Ulixbonensis, quod quando per Breve Apostolicum capitur possessio beneficii, & illa possessio ab aliquibus impeditur, tunc causa potest in instantia agitari in Curia Romana, ratio est, quia auditor Cameræ est judex competens similium causarum. Tertiò patet ex praxi quotidiana signaturæ, quæ id observat. Præterea cunctæ beneficiales causæ in quibus sunt expeditæ litteræ sub plumbo, tractaturque de earum intellectu, vel nullitate, per signaturam justitiæ, quamvis essemus in prima instantia committuntur in Curia Romana, ita Nicolaus Garcias de beneficiis part. 6. cap. 3. Barbosa supra Narbona l. 69.

glos. 1. Ratiõ est quia de vigore, & intellectu Apostolicarum litterarum judicium pertinet ad Auditores Sacrę Rotæ non autem ad alios judices inferiores.

XVI. Quod si allegetur aliqua exceptio contra executionem gratiæ Apostolicæ, quæ indigeat altiori indagine, quæ reddat gratiam nullam, vel subreptitiam, aut obreptitiam, seu bullam falsam, tunc datur instantia prima coram Ordinario, nec potest ab eo auferri jurisdictio, ita Nicolaus Garcias de beneficiis part. 1. cap. 5. Barbosa in praxi exigendi pensiones quæst. 7. & de officio & potest. Episc. part. 3. alleg. 81. num. 17. Aloysius Riccius resolut. 339. Flores de Mena variar. lib. 1. quæst. 12. & seq. Probatur ex dicto cap. 20. session. 24. Et tunc quamvis executor Ordinario, ad quem prima instantia exceptiones remittere debeat, ut plenariè cognoscat, nihilominus propter hoc non tenetur remissa causa, quæ pendebat coram eo in executione supersedere, nec Ordinarius potest ei inhibere, vel impedire aliquo modo potestatem, quam habet exequendi, ita Barbosa in praxi, &c. numer. 11. & de officio & potest. Episc. loco citato, Salgado de potestate Regiâ part. 3. cap. 5. Nicolaus Garcias part. 1. cap. 5. Nisi probetur nullitas opposita ex actis ipsis & bullarum compositione, altiorem indaginem non exigeret, ita Barbosa quæst. 7. num. 5. & alleg. 81. Gabriel Pereira cap. *manus regia*, tom. 1. cap. 9. num. 16. notatq; Barbosa judices sæpè falli in praxi. Quod si ex verbis gratiæ executor teneretur partes judicis assumere, vel gratia signata esset manu summi Pontificis, ejusmodi executor non tenetur eam Ordinario remittere, sed potest cognoscere in primâ instantiâ ad effectum executionis, ita cum Aloysio Riccio in praxi aureâ resol. 339. Barbosa suprą. Probatur ex cap. *ut nostrum*, de appellation. ubi Abbas, Franciscus, & alii. Ratio est, quia ex appositione manus Apostolicæ censetur cautè avocata. Vide plura apud Barbosam eâdem allegatione 81. numer. 81. & sequent.

Vicarius Generalis Episcopi in præsenti materiâ appellatione Ordinarii intelligitur, ita Narbona, 59. glos. 1. num. 50. & seq. Flaminius de resignat. lib. 3, quæst. 11. numer. 22. Salgado supr. cap. 4. num. 27. Barbosa alleg. 81. num. 6, Confirmatique potest ex iis quæ Gutierez tractat. de matrimonio cap. 66. num. 14. Sanchez de matrimonio lib. 3. disput. 29. num. 5. & 17. docent Capitulum etiam Cathedrale sede vacãte gaudere privilegio cognoscendi causas in primâ instantiâ, ita Barbosa jam citatus num. 7, Novarius in singul. juris canonic. conclus. 34. Aloysius Riccius in praxi aureâ resol. 130. & in decis. Curiæ Archiepisc Neapol. decis, 273. Narbona l. 59. glos. 1. Salgado supra cap. 4. XVII.

Dispositio Concilii Tridentini sessione 24. cap. 20. etiam in causis fidei ita Barbosa supr. alleg. 81. numer. 8. Pozza istas instantias & alios recursus fusè probat. Differunt tamen causæ in materiâ hæresis ab aliis, quod cùm hæresis non sit quid momentaneum, sed successivum hæreticus plecti potest, ubi reperitur, nec remissio datur ad locum delicti. Ita Ludovicus à Paramo de origine sanctæ Inquisitionis lib. 3. quæst. 4. Decianus tract. crimin. lib. 5, cap. 21. & 32. Petrus Duenas reg. 378. in 7. limit. Henricus Arnoldus de agnosc. assertion. Catholic. & Hæretic. quæst. 25. Socinus regul. 87 fallent. 1. Umbertus Locatus verbo *inquisitor*, Jacobus Simmanchas de Catholicis institutionib. tit. 2. de absentibus, num. 15, Flaminius Chartarius de execution. senten. capto biennio cap. 1. D. Barbosa in l. *heres absent. §. proinde*, ff. de judic. in art. *de foro delicti*. Petrus Augustinus Morlo in emporio juris Civilis part. 1, tit. 3. quæst. 20. vers. *sextus casus*, Farinacius in praxi criminali part. 1. quæst. 7. & de hæresi quæst. 197. §. 1. Barbosa de officio & potest. Episc. part, 3. alleg. 81. numer. 9. Martinus Delrio disquis. magic. lib. 5. sect. 2. vers. *septimo requiritur*, Si tamen reus fugerit, vel jam in loco delicti causa fit contra eum incœpta, & crimen exterius delatum per citationem & alias circumstantias XVIII.

stantias, quæ inducunt præventionem ex parte petentis remissionem, tunc remitti debet, ut censet Pozza tract. de primis instantiis cap. 8. versic. *secunda limitatio*, ubi sic loquitur. *Est consuetudo in viridi observantiæ, nè remittatur ab inquisitione Hispaniæ reus aliquis, etiam ad inquisitionem Lusitanam, quæ habet eundem secularem Principem & Dominum, nisi vel reus fugerit, postea quam citatus fuerit judicialiter, vel capta fuerit persona, vel fuerit falsus testis & accusator in judicio quod actualiter fiat contra innocentes in eâ Provincia, à quâ fugiens discesserit, &c.* Et cap. 11. probat doctrinam hujusmodi de remissione non faciendâ, quando rei in fidei non fugiunt post capturam, vel citationem juridicam. Et sic explicandus Covarruvias pract. cap. 11. num. 12. ut patet ex ejus verbis *per opus exterius*, item his, *crimen publicæ hæresis gravatæ commiserit*, Concilium igitur cap. 20. citato non abstulit modos legitimos, quibus ex juris dispositione aliquis sortitur forum alienum, ut patet ex dictis supra, & aliis pluribus, pro quibus consule Novarium supra concluſ. 54, num. 11. Barbosam de officio & potest. Episc. alleg. 81. num. 17. & seq. Franciscum Leonem in thesauro fori Eccles. part. 2. cap. 1. Narbonam supra l. 59. gloss. 1. Salgado de potest. regiâ part. 1. cap. 17, & de supplic. ad Sanctissimum part. 2. cap. 5.

Pozza.

XIX. Concluſio generalis hujus primi Tractatus est, quod Episcopus habet fundatam intentionem de jure communi super Ecclesiarum omnium jurisdictione, seu jurisdictionem exercendi quoad omnes suæ Diœcesis Ecclesias, ita Seraphinus decis. 1104. num. 1. & decis. 1228. num. 1. Ludovicus Postius in tract. mandati de manutenendo observ. 45, num. 6. Rota decis. 325. numer. 1. part. 1. recent. aliàs in posthumis Farinacii, Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 127. Probatur ex cap. *omnes Basilicæ*, 16. quæst. 7. cap. *conquerente*, de officio Ordinarii, & aliis apud Postium, addit Rota decis. 501. num. 1. part. 2. recent. etiam quoad omnia intra fines Diœcesis existentia, quamvis sint nullius Diœcesis. Quod etiam habeat assistentiam juris communis in exercitio jurisdictionis spiritualis, quoad cunctas suæ Diœcesis personas, tenent Postius citatus obser. 19. num. 17. Barbosa supra num. 24. Caputaq. decis. 306. lib. 1, & decis. 203. lib. 3. Rota decis. 713. num. 1. part. 4. diverſ. & decis. 171. & 491. numer. 1. part. 1. recent. Probatur ex citato cap. *conquerentes*, de officio Ordinarii. cap. *cum Episcopus*, eodem tit. lib. 6. Quamvis personæ illæ asserant se inservire Capellæ exemptæ ab Episcopi jurisdictione, ita Barbosa num. 25. Rotâ decis. 726. num. 2. verſ. *& quatenus*, part. 1. diversorum, & decis. 313. num. 2, part. 2. recent. Ratio est, quia Episcopus impediendus non est in suæ jurisdictionis exercitio ergà personas & loca suæ Diœcesis, etiam sub privilegio suæ exemptionis prætextu, nisi eo habito, & acuratè examinato. Undè Rota apud Marchesanum de commiss. part. 1. num. 957. & Statilium Pacificum de Salviano interdicto decis. 4. num. 6. Beltraminus ad Gregor. decis. 312. numer. 4, Seraphinus decis. 595. Episcopum manutenendum donec disputetur de privilegio & exemptione, favet cap. *cum personæ*, de privileg. lib. 6.

XX. Quando constiterit de privilegio & exemptione, Episcopus adhuc manutenendus est respectu exempti Monasterii, quoad ea quæ respiciunt clausuram Monasterii, Sacramentorum administrationem, ministrorum amovibilium admissionem, & ordinum collationem, ita Postius supra observ. 45. Rota apud Marchesanum commiss. part. 1. pag. 958. Et consequenter in correctione eorum, quæ concernunt curam animarum, &c. ita Marchesanus, Postius, Seraphinus apud Barbosam sup. num. 26. Habet idem Episcopus juris communis assistentiam, in eoque fundatam intentionem in causarum omnium cognitione, ita Barbosa supr. numer. 28. Rota decis. 306. num. 1. apud Postium post præfatum suum tractatum. Probatur ex cap. *cum personæ*, Vide Doctores ibi de privilegiis in 6. quam potestatem, & jus, Rota decis. 383. num. 2. part. 2.

recent. extendit ad causas civiles, & mixtas, eadem Rota decis. 383. numer. 2. part. 2. recent. Et in cognitione causarum criminalium, Rota apud Marchesanum de commiss. part. 1. & decis. 197. & 306. & apud Postium & inter recent. decis. 447. part. 1. decis. 610. part. 1. Caputaq. decis. 203. part. 3. glossa verbo *per capitulum*, in cap. *irrefragabilis*, §. *excessus*, de officio Ordinarii, eadem Rota apud Postium decis. 610. part. 2. & apud Barbosam num. 29. statuit Episcopum non tantùm de jure communi, sed etiam ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 20. in fine habere fundatam intentionem in cognitione causarum criminalium intra limites suæ Diœcesis, donec de contraria immemorabili discutiatur in suâ possessione esse manutenendum.

XXI. Quod in cognitione causarum criminalium & matrimonialium Episcopus habeat fundatam intentionem intra limites suæ Diœcesis, hanc resolutionem tenent Rota decis. 273. & 382. & 610. num. 2. part. 2. recent. Seraphinus decis. 595. Barbosa supra num. 29. Quod causarum matrimonialium & criminalium cognitio spectet ad Episcopum donec per alium prætendentem probetur nullam esse, sed contraria immemorabilis. Ita in sacra Congregatione Concilii *in nullius*, sivè *conversana*, die 20. Augusti 1627. Imò in Theatinâ Abbatiæ sancti Joannis in Venere 11. Septembris 1621. resolutum fuit Episcopi esse cognoscere causas matrimoniales & criminales etiam in exemptis Abbatiis, donec constiterit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam transierit prætatam Abbatiam, ac loca illi subjecta, seu ab eâ dependentia esse nullius Diœcesis.

XXII. Quod si Prælati, seu Episcopi sint negligentes in expeditione eorum, quæ spectant ad jurisdictionem contentiosam, Archiepiscopus in primâ instantiâ non habet jurisdictionem cujuscumque prætextu negligentiæ circa causas pertinentes ad subditos Episcoporum Suffraganeorum, ita Covarruvias pract. cap. 9. num. 2, & seq. Sanchez de matrimonio libr. 3. disp. 28. num. 3. Henriquez in summa lib. 11. de matrimonio cap. 3. §. 4. Petrus Antonius Spinellus in specnlo testam. gloss. 13. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 3. alleg. 136. num. 6. Probatur ex cap. *Nullus primas*, 9. quæst. 3. cap. 1. de officio delegati, cap. *Pastoralis*, de officio Ordinarii, cap. 1. eodem titulo lib. 6. cap. 1. de supplemen. negligent. Prælat. eodem lib. cap. *Romana*, §. *cum verò* de appellat, eodem lib. Undè præfati Doctores & alii inferunt nullum esse edictum statutum, sententiam, sed aliud quodcumque præceptum Archiepiscopi concedentis, vel præcipientis, ut subditi Suffraganeorum Episcoporum accedant ad suam Curiam inconsulto Episcopo pro audiendis & terminandis suis causis in primâ instantiâ. Probatur ex regulâ *ea, quæ fiunt*, de regul. juris lib. 6. text. in cap. *etsi Clerici*, de judic. & in cap. *quod autem*, de pœnit. Ratio est, quia respectu illarum causarum Archiepiscopus nullam habet potestatem. Confirmatur ex Suare de legibus lib. 1. cap. 8. & aliis, & cap. de supplem. negligent. Prælat. lib. 6. Ubi habetur quod lex sivè statutum intentatum esse nullum, quæ promulgantur à non habente sufficientem potestatē. Quarè non potest impedire Archiepiscopus nè Episcopi Suffraganei jurisdictione suâ utantur, & cognoscant in primâ instantiâ causas spectantes ad suos subditos, licet ob excommunicationem in se latam impediatur uti jurisdictione Episcopali, ita Sylvester in summa verb. *Archiepiscopus*, num. 3. Barbosa sup. part. 3. alleg. 126. num. 8. Petrus Gregorius Syntagmat. juris part. 2. cap. 9. lib. 17. Hostiensis in summa de officio Ordinarii, §. *quod pertinet*, numer. 7. Decius in cap. *sollicitudinem*, num. 5. de appellat. Probatur primò de supplenda negligentia Prælat. lib. 6. ubi Joannes Andræas in cap. *Pastoralis*, sub num. 21. de offic. Ordin. Panormitanus num. 10. Felinus numer. 5. Arianus num. 3. Antonius Butrius num. 16. Ratio est quia devolutio potestatis de uno ad alterum nequit induci

induci, nisi in casibus a jure expressis, ex cap. *significavit*, de officio Ordin. cap. *quantò*, eodem tit. cap. *ex tenore*, cap. *ex transmissa*, cap. *licet*, 10. de foro compet. Clement. 1. vers. *non igitur*, de celebrat. missarum, cap. *excommunicamus*, §. *volumus*, de hæret. Nec de uno ad alium ad eam inducendam argui potest, quamvis ratio videretur eadem in utroque, nisi verba casus expressi convenerint, ita ut alium comprehendant ex regulâ *ea, quæ à jure exorbitant*, de regul. juris lib. 6. Atqui casus, in quo Episcopus Suffraganeus excommunicatus fuerit, aut aliter suspensus non est expressus quoad hunc effectum, ita cap. 1. de supplend. neglig. Prælat. lib. 6. *cùm non inveniuntur à jure concessum.*

XXIII. Jurisdictio contentiosa Episcopi excommunicati non tantùm devolvitur ad Archiepiscopum pro suis culpis: sed nec etiam pro illius negligentiâ, ita Doctores in cap. 1. de supplem. Abbas in cap. *si quis contrà*, numer. 4. de foro compet. & in cap. *Pastoralis*, num. 10. de officio Ordinar. ubi constituit eandem regulam in quolibet judice negligente, Felinus ibidem num 6. & in cap. *quoniam* eodem tit. Gregorius Lopez de Tobar. 11. tit. 5. part. 1. gloss. 6 Quo ad causas jam cœptas coram judice negligente, asserit Andræas Gail lib. 1. observat. 28. numer. 1. & 3. Barbosa part. 3. allegat. 36. numer. 9. ait esse communem, et atque multos Auctores. Ratio est, quia devolutio potestatis vel devolutionis alicui competentis non est inducenda ex ejus negligentiâ, nisi in casibus à jure expressis, ut patet ex cap. 1. de suppend. neglig. Prælat. sed nullibi in jure concessum est, ut per viam regulæ jurisdictio Episcopi ex ejus negligentiâ ad Episcopum devolvatur, igitur, &c. Quidquid contra teneant Petrus Ancharanus in cap. 1. sub numer. 1. Dominicus sub num. 3. Monachus sub num. 1. & 2. Francus sub numer. 3. Hostiensis in summa titul. de officio Ordinarii, §. *quod pertinet*, sub num. 7. Azorius institut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 10. vers. *quæres*, horum probationibus respondet Barbosa supra num. 11. 12. & 13. Ex his patet posse appellari ad Archiepiscopum ob negligentiam Episcopi Suffraganei, & consequenter causam ad eum posse devolvi ob negligentiam, sicut per gravamen læsæ justitiæ, l. 1. ff. de appellat. Sanchez de matrimonio lib. 3. disput. 28. Petrus Gregorius de appellat. lib. 4. cap. 2. vers. *ad Episcopos*; Seraphinus numer. 83. Sigismundus Scaccias de appellat. quæst. 8. num. 86. & seq. Sebastianus Cæsar in relect de Ecclesiast. hierarch. disput. 5. §. 2. numer. 20. vers. *primus*, Quaranta verb. *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 18. Marcus Antonius Genuensis in praxi Archiepisc. Neapol. cap. 70. num. 7. Probatur ex cap. *Pastoralis*, de officio ordin. cap. *dilectus*, cap. *cùm causam*, cap. *sollicitudinem*, de appell. cap. 1. de foro compet. in 6. cap. *Romana*, de appellat. apud Covarruviam practic. cap. 9. num. 2. & alios. In quibus Archiepiscopus possit Suffraganeum Episcopum suspendere, interdicere, & excommunicare eorum Vicarios Generales. Vide Barbosam part. 1. tit. 4. num. 11. 18. 19. 23. 24. 25. 26. 27. Eorum causas civiles cognoscere numer. 28. & 33. &c.

CAPUT XII.

An à judicio Episcoporum in materiâ fidei et Ecclesiastica appellare liceat ad Principem temporalem.

I. Joannes Wicleff Anglus in opere suo epistolari sermone 27. apud nostrum Thomam Waldensem etiam Anglum tomo 1. doctrinalis fidei lib. 2. art. 3. cap 79. docuit licere his verbis. *Cùm Papa expleat multos casus, in quibus excommunicatus debet excommunicationem pro suo perpetuo tolerare, & ibi secundùm legem, in regnum nostrum inluxerat, debent post 40. dies pro tali excommunicatione detrudi in carcerem, manifestè sequitur, quod Rex & Regnum nostrum facti sunt*

Wicleff

in casu tortores pauperum, quia faciunt sicut debent. Mota est autem propter salvationem regni, & extinctionem nequitiæ Anti-Christi quædam Evangelica medicina, quod liceat quicunque collegio regni ab excõmunicatione talis cujuscunque Sacerdotis regis nostri ad regem & eius, &c. Idẽ asserunt moderni Angli. Hunc errorem reprobat Waldensis, primò authoritate Summorum Pontificum, nam Alexander Papa qui sedet post Sanctum Petrum anno Christi 121. cap. 2. decreti in fine ait. *Pejus malum esse non existimo, quam Christianos suis invidere sacerdotibus: Novit enim Dominus, qui sunt ejus. Non potest autem humano condemnari examine, quem suo Deus reservavit judicio, si omnia namque in hoc sæculo vindicata essent, locum divina judicia non haberent.* Idest si omnia facta & decreta sanctorum Præsulum discutienda, & examinanda forent in humanis & sæcularibus tribunalibus, divina Sacerdotum judicia nihili essent, nec ullum locum haberent, & reductio, seu revisio sententiæ Episcopalis, ad sæculare & regium tribunal, similis esset retractioni decreti regii coram Præside alicujus Oppidi.

Alexander 1.

II. S. Bonif

Sanctus Bonifacius I. epistol. 2. ad Episcopos Galliæ scribit. *Valentina nos civitatis Clerici adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum, teste totâ Provinciâ, asserunt cõmisisse, delegatâ toties cognitione illum constituta semper fugisse judicia, nec confisum conscientia festinasse, ut si esset innocens examinatis omnibus purgaretur.* Subdit. *Nullus dubitat, quin ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur, qui est innocens, quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.* Et infra. *Cum hoc etiam eius accusatores asserunt, de quorum intentionibus & moribus sit securum. Maximum tantò magis damnanda committere, quantò tardius speravit se constituto judicio præsentari, quem Manichæorum involutum caligine arguunt turpi secta olim ita ne eum posset abluere animum sordidasse improbatione objecta rei gesta Synodalia proferentes. & commissis involutum flagitiis nullum cum sanitatis habuisse respectum, quem furore suo, & insaniâ temeritate ad sacularium quoque judicium subditum quæstioni, quod in vili quoque personâ turpissimum est, objiciunt pervenisse. Sic (inquit Waldensis) practicus Wicleff, nè coram Christi ministris, qui pravitatem ejus intelligunt, judicetur, Regem aut Judicem eius postulat cum Maximo Ecclesiæ refugâ, & illuc ritè appellandum dixit ab Ecclesia, sed bene dicit Bonifacius, quod confitetur se reum de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. Sic & Lucanus in Cæsare dixit arma ferenti omnia dat, qui iustè id negat. Sed in hac fuga eorum, nè ad Christi stabulum veniant, ubi sanentur.*

Wal &

S. Gregorius Papa epistola quæ incipit, *Dum scriptis nostris*, lib. 5. registri epist. 25. ad eundem, ideò non permisit Maximum arreptorem Ecclesiæ Salomitanæ expectare Cæsareum tribunal, quia sciebat eum non immiscere se negotiis Sacerdotalibus. *Quod verè inditas serenissimos Dominos, ut illis debeat esse cognitio præcepisse, nos quidem nullus eorum de hac re alius, nisi, ut ad nos venire debeas insinuationes accepimus. Sed etsi forsitan pro reipublicæ suæ utilitate, quæ divina ipsâ largitate concessa est multa cogitantibus, & in diversis sollicitudinibus occupatis suggestum & eorum est iussio per abreptionem elicita, postquam & nobis, & omnibus notum est piissimos Dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, & in causis sacerdotalibus immiscere, instanter exequimur quod & illorum juvat animam, atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendiq; judicii respectus impellit.* Quibus verbis sanctus Pontifex innuit se non deferre Cæsareæ sententiæ, cum tamen causa plana quodam modo de invasione Ecclesiæ Episcopalis potuit laicio citò patere. Subjicit Waldensis. *Quid tunc dicimus in materia hæresis, ubi alta cognoscere de veritatis, & rimandi secreti divini expectatur industria. Ubi jam est quod spiritualis dijudicat omnia, cùm ipsi huic obsistunt, quibus dixit Apostolus Galat. cap. 3. Sic stulti*

II. S. Gr

Walden.

estis

estis, & cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini, post spiritualem iudicem carnalem expectantes interpretem. Idem S. Gregorius ad Hermannum Episcopum Metensem dist. 96. can. 9. *Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum & Principum omnium fidelium Patres, & Magistros censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit, non solùm in terra, sed etiam in cælo se ligari posse & solvi.* Quasi diceret omnes fideles existimant regnum spirituale Ecclesiasticum esse nobilius ac præstantius regno quocumque temporali: Episcopos & Sacerdotes esse Patres, esse Magistros, imò esse judices ipsorum, qui tantâ potestate judiciariâ pollent, ut possint ligare & solvere non solùm in terrâ, sed etiam in cœlo: & tamen Reges, Magnates, & Magistratus ad tantam insaniam, arrogantiam & miseriam devenerunt, ut conentur Episcopos, Sacerdotes, &c. suæ judiciariæ potestati subjicere, & ab eorum sententiâ, ad suum tribunal provocandum esse.

III. S. Gelasius. S. Gelasius Papa electus anno 492. ad Anastasium Imperatorem dist. 96. canone 10. ostendit potestatem Ecclesiasticam ideò præferendam esse laicæ, quia Prælati pro Regibus reddituri sunt rationem in die judicii. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus tantò gravius est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem.* Infra concludit Episcopos, & Sacerdotes facto subiici potestati laicæ, sed non jure. *Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.*

IV. Ioannes. Joannes Papa in Cathedrâ Petri sedens distinct. 96. canone 11. hæc pronunciat. *Si Imperator Catholicus, filius est, non Præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit discere ei convenit, non docere.* Paulò post. *Ad Sacerdotes enim Deus voluit quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas (si fideles sunt) Ecclesiæ suæ potestatibus voluit esse subjectas.* Quod loquatur de subiectione etiam quoad potestatem judiciariam declarat infra. *Imperatores Christiani subdere executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus non præferre.* Quisquis Imperator, Rex, Princeps, Magistratus Catholicus est, filius est Ecclesiæ, non prælul, debet se subjicere sententiæ Ecclesiasticæ, non verò se illi præferre.

V. Marcellus. Idem censet Marcellus Papa ad eandem sedem Apostolicam promotus anno 309. distinct. 11. quæst. 2. canon. 5. *Clericum cujuscumque ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem iudicem trahere, nec laico quemquam Clericum liceat accusare.* Quia scilicet Clerici spectant ad forum & tribunal Ecclesiasticum, nō autem politicum seu civile. Quamvis Jus Canonicum plures adhuc Canones nobis subministret, tamen unicum Innocentium III. proferemus qui in decretalibus de majoritate & obedientiâ ait can. 6. *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab illo accipiunt temporalia. sed Pontifex in spiritualibus excellit, qua tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori.* Infra. *Nosse debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cæli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesia fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas justitiæ dignitates instituit, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, ideſt spiritualibus, major est, quæ verò carnalibus minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Innoc. 3. Quemadmodum igitur sol non subjicitur, nec dependet à lunâ, ita nec Ecclesiasticus Prælatus vel Magistratus quoad potestatem spiritualem & judiciariam à Regiâ vel Magistrali potestate dependet, vel ei subalternatur.

VI. Probatur secundò auctoritate Patrum, S. Ignatius discipulus S. Joannis

Evangelistæ epist. ad Philadelphienses, ita Principes affatur. S. Ignat. *Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis Clerus simul cum omni populo & militibus atque Principibus, sed & Cæsar obediat Episcopo, Episcopi autem Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas per omnia servetur.* Quibus verbis innuit nullū Ecclesiasticum ad Reges & Imperatores provocari posse, vel eorum sententiæ subjici, sed ad Præsulem Ecclesiasticum.

VII. S. Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes refert Hosium Episcopum Cordubensem in Concilio Nicæno his verbis Imperatorem Constantinum affatum esse. Hosius. *Desine quæso, Imperator, &c.* Vide supra cap. 3. numer. 3. Si quæ sunt Ecclesiæ Præsulibus Ecclesiasticis commissa, rectè sequitur non posse à sententiarum Ecclesiasticarum judicio provocari ad tribunal laicum cujuscumque sit auctoritatis. Hosium secutus est sanctus Athanasius citatâ Epistolâ vocans Constantium Imperatorem Antichristum, apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam, quæ ex membris humanis, & animo ferino composita est. Eundem comparat regibus Achab Eliç, Antiocho Judęorū, Herodi Christi & Innocentium Infantium persecutoribus, asserens esse malorum omnium voraginem & gurgitem, caput omnis impietatis, incitamentum hæreticorum, radicem acerbitatis, propugnatorem ac defensorem blasphemiæ, eversorem religionis, &c. Denique subdit esse inauditum quod Reges & Imperatores negotiis & causis ad Ecclesiam spectantibus sese immisceant, & inter cætera hæc scribit. *Quando à condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* Gregor. Nazian. *aut quando unquam hoc pro indicio agnitum est? plurima antea Synodi fuere, multa judicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se Ecclesiasticis rebus curiosum præstitit.* Nihil clarius. Sanctus Gregorius Nazianzenus relatus à Gratiano dist. 10. canone 7. hæc verba ad Imperatores dirigit. *Libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris.* Pondera hæc, *atque istis tribunalibus.* Subdit non igitur provocare licet à tribunalibus Ecclesiasticis, ad sæcularia, quandoquidem hæc istis subdantur.

VIII. Accedit S. Ambrosius tomo 3. lib. 5. epistolarum epist. 32. ubi Valentinianum Augustum ita arguit. *Dalmatius Tribunus & Notarius (ut allegavit) clementiæ tuæ convenit me, postulans ut* S. Ambr. *& ipse iudices legirem, sicut elegisset Auxentius, nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati: sed & id addidit, quod in consistorio esset futura certatio arbitro iudicio pietatis tuæ. Respondeo (inquit) ut arbitror cōpetenter nec quisquam contumaciem iudicare me decet, cum hoc asseram quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermone responderit, sed etiam legibus suis sanxit in fidei causa, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec muneri impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt, hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare, quoniam etiamsi aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille qui te Patri esse similem desiderat, an qui vult esse dissimilem? nisi fortè vilis quibusdā tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis sententia comprobata est.* Notat Waldensis quod sanctus Ambrosius affirmat esse *conveniens. Quod si morum Sacerdotalium esset examinanda causa, ad Episcopale non regale debuit pertinere judicium.* Idem Præsul Mediolanensis citatâ epistolâ Valentiniano Imperatori respondit. *Quando audivisti clementissime Pater in causâ fidei laicos de Episcopo iudicasse? ita ergò quadam adulatione corrumpimur, ut sacerdotalis iuris simus immemores? Et quod Deus donavit mihi hoc ipse aliis putem esse credendum? Si dicendus est Episcopus à laico*

quid

quid sequetur? Laicus ergò disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico, aut certè si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui non abnuat in causa fidei? In causa autem fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare. Ex quibus verbis hæc subiicit Waldensis supra. *Ecce planè responsum est viam tuam de appellando ab Episcoporum sententiis ad judicium Regis esse viam non bonam, quam ambulant ipsi qui spiritus sequuntur erroris, aut quid acturus est judex terrenus? qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit super omnes est. Ipse ergò judex terrenus purgaturus, & dijudicaturus est causam utrum justa est an injusta, ipse probabit sententiam Sacerdotis, si justa firmabit eam, cassabit injustam, docendus erit Episcopus à laico disputante Quis nisi subversor omnis ordinis talem traderet politiam? quis hæc de sacra Scriptura, de fide, de ministris passim violandis audire non horret? quæ sine derisione de vilibus artificiis hominum sentiri non licet? quid de artificum peritia, ut lasomorum, fabrorum, cultorum terræ, imò vel sartorum, vel sutorum subtilitatibus, nisi cõsultis eorum maioribus, & longâ morâ in ipsa arte magistris probatis potest credibilem ferre sententiam? sed in fide orthodoxa & Christi sacerdotibus passim sibi singuli vindicant magistratum.*

Waldens.

IX. Idem sed brevius contendit Leontius Episcopus Tripolitanus ad Constantium Imperatorem teste Suidâ, non licere iis qui præfecturam rerum politicarum habent causas Pontificias, Episcopales, & alias Ecclesiasticas ad se trahere & judicare. *Miror quomodo ad alia vocatus, aliis rebus te immiscens. Militaribus enim & politicis rebus præfectus in his, quæ ad solos Episcopos pertinent præesse vis.* Severus Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ in fine scribit sanctum Martinum Episcopũ. Turonensem in faciem dixisse Maximo Imperatori. *Novum esse & inauditum nefas quod causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret.*

Leontius

X. Eidem veritati suffragantur ipsimet Imperatores, cùm (inquit Optatus Mileyitanus lib. 1. contra Parmenianum) Constantinus Magnus videret Donatistas non contentos judicio Episcoporum, causam Ecclesiæ ad suum tribunal deferre exclamavit. *O rapida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet appellationem interposuerunt.* Et S. Augustinus epist. 165. *Constantinus* (inquit) *non est ausus de causa Episcopi judicare.* Et quædam tribunalia sæcularia illam potestatem sibi arrogare, imò & competere contendunt. Eadem fuit sententia Imperatoris Valentiniani Senioris, qui cùm importunè rogaretur, ut permitteret celebrari Concilium, in quo de quibusdam negotiis Ecclesiasticis decerneretur, respondit. *Mihi qui unus è numero laicorum sum non licet ejusmodi negotiis me interponere; Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, ubicumq; ipsis liberum fuerit, cõveniant.* Ita Baronius tom. 4. Annalium anno 364. post Ruffinum lib. 1. cap. 2. Nicephorum lib. 11. cap. 39. Sozomenum lib. 6. cap. 7. Theodosius Junior eodem sensu & affectu dixit Synodo Ephesinæ. *Candidianum Comitem ad hanc sacram vestram Synodum abire jussimus, sed eâ lege & condissione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incedunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est cum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.* Cum tempore Adriani Papæ octava Synodus seu Concilium Constantinopolitanum celebraretur in causa Photii Patriarchæ, Basilius Imperator in oratione quam habuit, dixit. *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolutè versamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hac enim investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves. Non nostrum, qui pasci debemus* Per illa verba *nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere.* Igitur

Optatus Milevit.

S Augustinus.

Concilii Ephesin.

Octava Synodus

multò minùs illas judicare, & à sententiâ judicum Ecclesiasticorum ad laicos judices provocare.

X I. Lex Civilis. Idem etiam statuitur in lege Civili Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius ita loquuntur. *Continuâ lege sancimus, ut nullus Episcopus vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad judicia sivè ordinariorum, sivè extraordinariorum judicum pertrahatur? habent enim ii suos judices apud sanctam Sedem Apostolicam, nec quicquam his publicis est commune cum legibus.* Et Justinianus in Authentic. constitut. 123. *Si Ecclesiasticum negotium nullam communionem habentio civiles Magistratus cum ea disceptatione: sed religiosissimi Episcopi secundùm sacros Canones finem imponite.* Justinianus. Idest, politici & sæculares Principes non adsint, multò minus præsideant negotiis & disceptationibus Ecclesiasticis. Quare? quia in eâ re vult servari sacros Canones, quibus cautum est, ut Episcopi judicent lites & controversias ad Ecclesiam spectantes, nō verò Principes.

XII. Clemēs. Ad hos recursus præcavendos, seu appellationes ad tribunalia sæcularia coercendas Clemens VIII. hanc constitutionē edidit pro nostro ordine & omnibus nobiscum cōmunicationem habentibus, hoc tenore. *Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea quæ per regulares personas contra eorum regularia instituta temerè attentarint, quantùm nobis ex alto conceditur opportunis remediis compescamus & amoveamus, proindè quia nuper dilecto filio Magistro Henrico Silvio Priore Generali Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo non sine animi nostri molestia referente accepimus, quod nonnulla dicti Ordinis etiam utriusque sexus regulares personæ Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, ut in eorum malefactis & inobedientia se diutius foveant ab iis, quæ per Prælatos ejusdem Ordinis, & Priores, Provinciales, & alios Superiores ab ipso Priore Generali pro tempore deputatos acta sunt & decreta ad tribunalia sæcularia appellare, & ad ea fugere consueverunt, in non modicam jurisdictionis ipsorum superiorum læsionem & regularis instituti alterationem ac scandalum plurimorum. Nos præmissis obviare volentes, universis & singulis dicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus Apostolicâ auctoritate tenore præsentium præcipimus & mandamus, eisque, ub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, à quâ, non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolvi possint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ab inhabilitate ad illa, & alia quæcumque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ quàm passivà eo ipso incurrendis pœnis districtius inhibemus, nè ad ipsa sæcularia tribunalia quovis prætextu, ac quæsito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea quoquo modo adire audeant vel præsumant. Sed si se à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seu Protectorem, aut Vice-Protectorem in Romanâ Curiâ, vel ad nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesia judicem (sicut antiquitus consueverunt) recursus habeant, undè illis brevi manu iustitia ministrabitur. Volentes & ita declarantes, quod nedum dicti ordinis regulares personæ contra scientes. Verùm etiam eorum quomodolibet directè vel indirectè fautores, vel consultores eadem pœnas eo ipso incurrant, decernentes irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scientes vel ignorantes contigerit attentari. Nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 20. Septembris 1604. Pontificatus nostri anno 13.*

CAPUT XIII.

Diluuntur Argumenta contraria.

I. WIcleff sermone 28. operis epistolaris objicit, quod Apostolus diu post suam conversionem etiam in causa fidei pro defensione sui corporis, & utilitate

litate Ecclesiæ non appellavit ad Petrum supremum Ecclesiæ verticem, licet fuerit ipse propinquior nec ad summos Præsules veteris legis, sed ad Romanum Imperatorem quamvis infidelem, Actorum cap. 25. vers. 11.
Act. c. 25 vers. 11. vers. 12. *Tunc Festus cum Cœcilio locutus respondit, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.* Respondet primò Augustinus epist. 50. appellasse ad Cæsarem, quia non suæ vitæ, sed Ecclesiæ consulebat. Secundò, quia accusabatur à Judæis ut seditiosus, & Cæsareæ dominationis perturbator. Sicut olim S. Elias
3. Reg. 18. v. 17. Propheta lib. 3. Reg. cap. 18. v. 17. dicebatur à rege Achab turbasse Israel. *Tu nè es qui conturbatus Israel?* Dio-
Dionys. nysius. *Totum regnum decem tribuum inquietas, quasi dicat cum sis hostis boni communis, qui sterilitatem procurasti, dignus es morte.* Cui Propheta intre-
vers. 18 pidè respondit objiciens in faciem Achab eum esse causam siccitatis à se inductæ, vers. 18. *Non ego turbavi Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalam.* Dionysius. *Non ego turbavi turbatione injustâ, vel aliquam eis irrogando injuriam, quamvis procurarim eis justam punitionem, sed tu & consanguinei, sive domestici tui, qui per idololatriam meruistis pœnas istas, &c.* Sic Paulus simili animi libertate ac generositate coram eo comparere, & ab eo judicari voluit (inquit Sanctus Chrysostomus) quem accusabatur læsisse.

II. Tertiò, qui cap. 3. ejusdem libri Actorum vers. 11. acceperat, se Ro-
Act. c. 23 mæ annunciaturum Evangelium.
vers. 11. *Assistens ei Dominus, ait confans esto, sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Hujus ergò itineris & legationis occasionē commodam captat appellandi ad Cæsarem, sciens Deum id velle, & Deo curæ & cordi esse hujus appellationis successum. Quartò, appellat Cæsarem, ut hac appellatione Cæsarem seu Neronem demereretur, sibiq; & Christianis conciliaret. Vel certè si ab eo damnaretur Romæ, ut in orbis theatro Martyrii laureâ donaretur. Quintò appellat Cæsarem, quia continuâ experientiâ didicerat se nusquā nec unquam in Judæâ tutum fore, nec insidias nec manus Judæorum evasurum. Sextò, ad Judæorum laqueos vitandos. Nam (inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus in sententiis) *Sapiens vitat omnia gravia ac periculosa, aquè ac nauclerus tempestates.* Et epist. ad Bosporium. *Demens est qui bis ad eundem lapidem impingit.* Demosthenes Philipp. 1. *Rerum occasiones tarditatem nostram & ignaviam non expectant.* Thucydides lib. 1. *Insidias anticipare potius, quàm insidiantibus contra insidiari oportet, & Seneca sapiens nunquam potentium iras provocat, immò declinat non aliter quam in navigando procellam.* S. Greg. Nazian.

III. At non minùs placet nostri Waldensis responsio cap. 81. dicentis, primò, magna diversitatis ratio, quanta est causæ S. Pauli, à Wicleff sacrilego hæretico. Nam ratio tua sic procedit, ut quia sic defendendus eras, Sanctus Paulus Magister & Patronus Ecclesiæ, idcircò sic omnis hæreticus tuendus, capitalis hostis fidei orthodoxæ. Qualiter istūd probas Wiclef. inquit? quia S. Paulus in Concilio Apostolorum verus fuit Doctor per Ecclesiam approbatus. Wicleff in planâ Christi scholâ per concordem sententiam sanctorum Præsulum Doctorum & Clericorum orbis hæreticus ter damnatus. Tertiò, sed dicis appellavit ad Cæsarem Paulus: verum est, sed à Cæsaris judice deputato. Quartò, non (inquit) tantùm, sed etiam à sacerdotibus. Potest esse: sed à sacerdotibus veteris legis, non Christi, Ecclesiæ. Sed proba mihi, quod unquam à sacerdotibus Christi quis appellavit ad Cæsarem, quamvis pseudo sustinuit, qui ultra omnia mala ejus dolores ejus augebant etiam, dum teneretur in vinculis: ita ut callidè augerent prædicationem fidei per se & suos, ut magis grassaretur in eum ira Neronis, probatque auctoritate Chrysostomi tomo 3. lib. 4. de laud. Pauli. *Post medium cum hunc ipsum beatum Paulum Romæ quidam persequerentur cupientes Neronem illum impugnatorem Pauli in ejus odium commovere, mirâ quadam arte laudis susceperunt, & illi Evangelicæ prædicationis officiū,* S. Chrysostomus

ut magis scilicet fidei sermone fervente, discipulorum crescente numero in immensum agnosceret furor tyranni, & fera adhuc majora colligeret incrementa veritatis. Et hoc ipse ad Philippenses Paulus scribebat: scire autem vos volo fratres, quoniam quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut plures ex fratribus confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem per invidiam & contentionem, quidam etiam per bonam voluntatem Christi prædicantes, quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincerè existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quibus verbis Chrysostomi subdit Waldensis. Quod mira nocendi facultas, ut Christum prædicantes tyrannum accenderent contra Paulum: nec sic tantùm, sed calumniam Judæorum assumpserant, quod Apostolus contra jura Cæsaris prædicat, & Christum Regem annunciat. Adjicitque ejusdem Chrysostomi verba. *Contra veritatis partem non solùm malitia obloquentium inimicorum: verùm etiam ignorantia dimicavit, regē autem aiebant, prædicavit Christum, non enim noverat eius cæleste regnum terribile, illud & absque termino glorioſum, & quasi tyrannidem novam inferentibus per calumniam repugnabant.* Waldensis notat. Ecce regnum Christi decepti impugnabant pseudoclerici intelligentes regnum Christi temporale cùm non haberet regnum nisi æternum, contra instantiam Armacani, quam facit de intentionibus Judæorum accusantium Christum Regem, sed super omnia mala mundi infestabant Paulum, malaque intulerunt, id confirmat ejusdem sancti Chrysostomi verbis ibidem. *Veruntamen undique invidiæ succenso à domibus, ab urbibus, ab agris, à solitudine, à terrâ, à mari, à gentibus, à principibus, à regibus, à regum ministris, cùm omnes se ad crudelitatem mutuò cohortarentur, & omnibus feris immanius, sæviusq; consurgerent. Beatus Paulus cum sin tantos ignes insiliens, atque in medio talium consistens luporum, quamquam omnium ictus exciperet, non modò tamen obrutus ipse non est, sed typos in omnem partem transtulit veritatis. Et hæc, & alia quoque prælia non minus sæva memorabo, ut illud quod adversùm pseudo apostolos gerebatur, quodque eum super omnia alia torquebat domesticorum dolus, ruina nutantium. Multi enim ex fidelium numero abibant, sed & contra ista prævaluit.* Ex quibus Waldensis colligit objectionem Wicleffi nullam esse. Ecce super omnia Judæorum accusantium, aut acta Festi judicis præcinctis vinculis, aut regibus torturam augebant Apostoli Pauli pseudo-clericorum, & pseudo-apostolorum fraudes domesticæ, & inventiones dolosæ. Et quoniam quidam eorum Sacerdotes erant, & Episcopi: quia Apostoli, quamvis pseudo: tamen ab istis non appellavit Paulus ad Cæsarē quia quamvis hæretici, tamen fuerunt Christiani. Undè ergò credidisti fundasse appellationes hæreticas à sententiis Ecclesiæ Præsulum? fefellit te malitia, fundasti tātùm appellationes licitas à clero aut sacerdotio infideli. Super sententiis autem Episcoporum fidelium (quod abundanter dico) quamvis hæreticorum judex laicus docere non valet, docente supra Ambrosio, inauditum in causa fidei laicos de Episcopis judicasse. Quartò, ut tamen ad punctum hujus veritatis accedam, non ignoro quod frequenter terreni reges in causis fidei cognoverint, & dijudicarint, sed urgente ad hoc concursu partis hæreticæ, quæ semper solet, quantùm potest fugere tribunal Ecclesiæ, ut ibi inveniant patronos suæ perfidiæ, quos possent (quia insci sunt) facilè excœcare. Orthodoxi etiam fuerunt coacti accedere ob Ecclesiæ impotentiam, ut fidelis sententia prevaleat, in tantùm enim invalescebat secta hæreticorum. Quando ergò in Ecclesia duo ista concurrunt; scilicet extrema necessitas, & non ulterius differenda, & desperata facultas pastoris ordinarii ad succurrendum, quærendus est extraordinarius pater priusquam fabrica Christi Domini dissolvatur.

IV. Argumentum secundum propo-nunt Hæretici ex S. Augustino tomo 2. referente Donatistas appellasse Cæsarem Constantium contra Cæcilianum

lianum Catholicum & Episcopos orthodoxos illuc conveniſſe ob ſtrictã neceſſitatem. *Si geſta* (inquit epiſt. 85. ad Glorium, Eleuſium, & Fœlicem Grammaticum) *proconſularia diſplicent, Eccleſiaſticis credite, omnia vobis ordine recitata ſunt. An fortè non debuit Romana Eccleſia Melchiades Epiſcopus cum collegis tranſmarinis Epiſcopis illud ſibi uſurpare judicium, quod ab Afris ſeptuaginta, ubi Primatus Trigiſitanus præſedit, fuerat terminatum, quod nec ipſe uſurpavit? Rogatus quippè Imperator judices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent, & de tota illa cauſa quod iuſtum videretur ſtatuerent. Hæc probamus, & Donatiſtarum precibus, & verbis ipſius Imperatoris.* Reſpondet Waldenſis, Hæreticos, qui Imperatorem appellabant, contempſiſſe edictum Imperiale, cùm diſcerneret contra eos, ut ipſe Sanctus Auguſtinus circa finem innuit. *Judicium Epiſcoporum ad Imperatorem appellatur. Judex eligitur Imperator, judicans contemnitur Imperator, quæ tunc acta ſunt, legiſtis, quæ nunc agantur, videris.* Ideſt (inquit Waldenſis) Donatiſtæ ad Imperatorem currebant, ut ipſe in cauſa fidei judicaret. Imperator rogatus judices quoſdam deputavit Epiſcopos, quia cauſa erat Eccleſiæ. Deputavit enim ad audiendam cauſam Melchiadis Papæ cum Collegis ſuis Romæ, qui cum diſcerneret pro Cæciliano Catholico, Hæretici Donatiſtæ iterùm appellant Conſtantinum Cæſarem, quo iterùm rectè judicante contra eos, ſicut Melchiades fecit, provocarunt ab edicto Imperatoris. Quæritque Auguſtinus cujus ſit culpa? non viri Catholici, qui non petiit Imperatorem in judicem rectiſſimè judicantem, ſed Hæretici Donatiſtæ, qui Imperatorem provocarunt in judicem, cujus tamen edictum ſpernunt. Audiamus eundem Auguſtinum in 2. parte Epiſtolæ. *Ad quem poſtea provocaverunt, & tamen judicio ejus acquieſcere noluerunt. Itaq; ſi culpandus eſt, quem judex terrenus abſolvit, cùm ipſe ſibi hoc non popoſcit, quantò magis culpandi ſunt, qui terrenum regem ſuæ cauſæ judicem eſſe voluerunt? ſi autem criminis non eſt provocare ad Imperatorem, non eſt criminis audiri ab Imperatore, ergò nec ab illo, cui cauſam delegavit Imperator.* Quibus verbis, oportunè ſubjicit Waldenſis. Videant jam terreni Principes quâ mentis conſtantiâ hæretici eos appellent, & ſciant firmiter, quod æquali facilitate ſua ſpernent judicia, ſi (ut debent) judicent contra eos, quâ etiam Epiſcoporum contempſerunt edicta. Non enim ad eos appellant, ut rectum ſumant judicium, ſed ut ſubterfugium quærant, aut eos ex aliquâ parte corrumpant. Ideò Auguſtinus hic non purgavit eos qui cauſam Eccleſiæ ad Imperatoris ſententiam compulerant, ſed accuſavit eos ibi, qui liberi facti liberè receſſerant. *Si culpandus eſt* (inquit) *quem terrenus judex abſolvit, quantò magis, qui terrenum regem ſuæ cauſæ judicem eſſe voluerunt.* Ex quo concludit, quod cauſa Eccleſiæ, præcipuè in materiâ fidei nequeat devolvi ad regem, ſeu principatum terrenum.

S. Auguſtinus.

Argumentum tertium ſuggerit V.
Sigibertus ad annum 420. *Bonifacius Romanæ Eccleſiæ præſidet contra hunc Bonifacium ordinato Eulalio, & pro ipſo Bonifacio diſſidente Eccleſiâ juſſu Honorii urbe egrediuntur, & ſic reprobato Eulalio juſſu Auguſti, Bonifacius, quia prior ordinatus fuerat Sedi Apoſtolicæ reſtituitur.* Idem ſcribit de Symmacho per Theodoricum regem inducto, reprobato Laurentio ſub anno Domini 492. *Symmachus Romanæ Eccleſiæ 49. præſidet ordinato contra eum per contentionem Laurentio, quæ res grave diſſidium Eccleſiæ diu uſque ad ipſa protraxit homicidia, donec tandem hanc altercationem compreſſit Theodorici Regis, quamvis Ariani, potentia hoc æquitatis judicio obtinente, ut Symmachus Papa eſſet, quia prior ordinatus fuerat, ejúſq; pars maxima faveret.* Reſpondet Waldenſis quod è contrariò poſſet Papa dicere, quod Conſtantino quodã Græcorum rege per Adrianum Papam ejecto conſtitutus eſt Carolus. Innocentius III. Othonem IV. depoſuit. Zacharias Papa Childericum Regem Francorum tanquam inſufficientem deſtituit, & Pipinum patrem Caroli ſublimavit.

Sigibert.

Innocentius

Innocentius IV. administrationem regni Portugaliæ Comiti Balovensi vivente Rege commisit. Utraque enim potestas debet alteri vicissim succurrere, non quidem ut utens potestate, sed fraternitatis accessu, quemadmodum Sapiens ait Proverb. cap. 8. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Ecclesiasticus cap. 8. *Fratres in adjutorium tribulationis, & super eos misericordia liberabit.* Et ita alterutrum uterque. Cæterum quod Constantinus non fuerit ausus Donatistarum suscipere querelas, audi sanctum Augustinum epistolâ ad Glorium, &c. *Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & faliaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui à Roma sederant ipse judicaret, sed alios (ut dixi) dedit Episcopos, à quibus tamen illi ad illum rursum Imperatorem provocare maluerunt. Quâ in re quemadmodum illos detestetur, audistis, atque utinam saltem ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem imposuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de ista causa post eos judicaret à sanctis Antistitibus postea veniam petiturus est, dum tamen illa quid ulterius dicere non haberent, si ejus sententia non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic & illi aliquando cederent veritati.* S. Aug. Idem epist. sequenti ad Donatistas scribit. *Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, &c.* Idem habet epistolâ 118. ad Januarium Episcopum Donatistarum, epistolâ 48. ad Vincentium. Subdit Waldensis. Non frustra ergò hic interposuit Augustinus, quod Imperator veniâ petiturus Antistites judicaret. Et hoc magnâ, importunâ & impudenti appellatione Donatistarum, qui jam post primam Episcoporum sententiam contra eos ad secundam, post secundam ad tertiam Imperatoris. Postque illam definitioni Regis, ad quem importunissimè appellabant cedere noluerunt, quia eis crederent Domini terreni, aut omninò appellantibus pro eis hæreticis contra Deum & Canonicas veritates dijudicent, aut procul dubiò falso adjecto colore ab eorum etiam censura recedant.

VI. Non hoc tantùm Donatistarum exemplum nos admonet, sed Arius ipse omnium hæreticorum Princeps idem jam egerat, appellans ad Imperatorem Constantinum in causâ fidei contra Athanasium, quibus cùm judex Probus auctoritate legativâ daretur, auditis jam per triduum partibus tandem sentiens Arius se omni necessitate convictum Athanasio cœpit objicere, quod judicem magicâ arte fecerit insanum, ut patet ex lib. 3. altercationum Athanasii. Judex autem Probus visâ versutâ calliditate Hæretici, & mente obstinatâ contra veritatem interlocutionis verba submisit. *Imperatorum, &c. Arius* S. Athan. *suam ignaviam in quibuslibet modis obtegere cupiens ad Principis visus est conferre sententiam.*

VII. Cæterum etsi Cæsares & Reges non sint Ecclesiæ Domini & Judices, illam tamen tueri ac defendere debent. Illam tutelam ac defensionem pollicitus est Carolus Magnus apud Sigonium lib. 4. de Regno Italiæ. *Si Ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimur, eorumq; studiis libenter obsequimur, id nobis ad augustalis excellentiæ culmen proficere credimus.* Sigonius. Idest, non arrogo mihi primatum & dominium Ecclesiæ, sed ministerium. Undè idem Carolus à Leone III. Papâ coronâ Imperii accipiens, usus est hac jusjurandi formulâ, ut refert Sigonius. *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & Beato Petro Apostolo me protectorem ac defensorem fore hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in omnibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero, posteroq;.* Simili juramento se olim obstrinxerunt Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, Hungariæ nominatim etiam se præstituros Prælatis Ecclesiæ debitam reverentiam ac submissionem. Neque id ipsorum majestati derogat, imò potius ipsis perhonorificum est, ut optimè sanctus Ambrosius epist. 32. insinuat Valentiniano Juniori his verbis. *Quid est honorificentius, quàm ut Imperator dicatur filius Ecclesiæ. Imperator enim bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est.* Neque scilicet ut Dominus, neque

ut

ut Judex, ut rectè Theodoricus Rex Italiæ Joanni Romano Pontifici insinuat. *Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.*

VIII. Ex quibus sequitur illicitum esse recursum & appellationem Clericorum ad Principes & Magistratus laicos, ac præcipuè Religiosorum, ut patet ex Clementinâ citatâ, Sixto IV. & Constitutionibus nostri Ordinis part. 4. cap. 3. numer. 6. Secundò, ex jure communi cap. *ad nostram*, de appellationibus, & cap. *reprehensibilis*, eodem tit. in fine, ibid. *Ne religiosi cùm pro aliquo excessu fuerint corrigendi contra rigorem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant.* Tertiò, ex privilegiis aliis Religionibus à Sede Apostolicâ concessis à Julio II. pro Fratribus & Sororibus Ordinis Prædicatorum apud Cassarubium in compendio privilegiorum mendicantium, verbo *appellare*, à Sixto IV. & Clemente VIII. pro Augustinianis in bullâ *Quoniam nostri*, anno 1604. à Bonifacio VIII. pro Franciscanis & specialiter pro Observantibus, à Gregorio XIII. qui anno 1575. motu proprio interdixit sub pœnâ excommunicationis summo Pontifici reservata, & aliis pœnis appellationem ad tribunalia sæcularia, & pro Servitis anno 1593. in bullâ quæ etiam incipit *Quoniam nostri*. Sed statuerunt ut ejusmodi recursus, seu via appellationis fiat in casu raro & gravi in quo evidenter cõstaret eos notabiliter gravari à suis superioribus in famâ, honore, & reputatione, tunc licita est appellatio à Priore seu Guardiano ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Congregationem, vel Sanctissimum Papam: immò licet appellare ad sedem Apostolicam quando à superioribus non speratur, remedium contra injuriam illatam, cap. *ad Romanam*, cl. 1. & 2. quæst. 6. cap. *si duobus*, cap. *dilecti filii*, cl. 3. de appellat. ubi statuitur licitum esse appellare ad Sedem Apostolicam. Ratio est, quia (inquiunt Sotus lib. 8. de justit. quæst. 5. artic. 1. Scotra de invaliditate profess. dubio 25. & 26. Peirinis tomo 3. privileg. Minimorũ cap. 4. num. 14. Bordonus resol. 32. numer. 26. noster Lezana tomo 4. quæst. regul. verb. *recursus regularium ad sedem Apostolicam*, numer. 2. post Navarrum, Rodriguez & alios. Quia Roman. Pontifex est principalis, universalis & immediatus Superior Regularium, uno verbo est immediatus illorum Prior, Rector, Guardianus, Provincialis & Generalis.

IX. Et in casu prædicti gravaminis seu gravis injuriæ illatæ, si Religiosus appellet ad Prælatum superiorem, vel Apostolicam sedem, & inferior Prælatus nolit dare licentiam ad eos accedendi, potest id præstare absque illâ. Nec obstat decretum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. dicens. *Non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere etiam prætextu cuiusvis superioris accedendi, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint.* Non enim intelligitur pro isto casu, inquiunt Navarrus comment. 4. de regularibus num. 64. Sayrus in clavi regiâ lib. 12. cap. 18. numer. 10. Noster Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *recursus*, num. 3. sed de Religiosis à suo superiore, seu contra jus gravatis, ut post Barbosam, Azorium, Bordonum, Sanchez, Rodriguez, tenet Lezana num. 3. citato, similiter hic casus excluditur à Constitutionibus Sixti V. Clementis VIII Urbani VIII. quam refert Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 10. vers. 16. & à declaratione Sacræ Congregationis relatâ num. 15. ubi prohibetur accessus Regularium ad S. Urbem absque facultate Generalis, vel Protectoris sub pœnâ privationis vocis activæ & passivæ. Loquitur enim de accessu absque gravamine, vel alio motivo, quàm se liberandi à gravamine, inquiunt Bordonus resolut. 32. num. 28. Peirinis tomo 3. privileg. Minim. cap. 4. num. 15 Lezana supra addit, idem dicendum esse de Religionum statutis, si quæ sint, quia nequeunt adversari juri communi, cap. *quod super his*, de major. & obed. cap. *institutionis* 25. quæst. 2. Peirinis supra num. 15. Ratio Generalis est, quia licentia formalis & expressa non

Concilii Trident.

non est necessaria in iis, quæ aliàs sunt concessa, cujusmodi est præfatus recursus, præsertim cum in eo includatur licentia tacita ad talem accessum, ita Lezana supra post Bordonum & alios: quod maximè verum est, si ejusmodi facultas petita fuerit. Ratio est, quia facultas rationabiliter postulata censetur obtenta, quàmvis sit negata, præcipuè quando non est opus, ut obtineatur arg. cap. *licet*, de regul. Saltem non incurritur pœna privationis vocis activæ & passivæ, quæ dumtaxat incurritur à præsumentibus, ita Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 10. num. 73. & tomo 4. verbo *recursus*, vers. 3. Peirinis supr. num. 17.

X. Quod si Religiosus injustè & verò gravatus possit æquè benè consulere suæ famæ recurrendo, vel appellando ad suos superiores, vel Sedem Apostolicam, per litteras, Nuncios, vel Procuratores, Lezana existimat incursurum pœnam dictam. Ratio est, quia intentum Sedis Apostolicæ, Concilii, & aliorum Statutorum esse videtur ad impediendam inutilem vagationem Religiosorum, qualis est in præfato casu. Graviter verò peccaret Prælatus si subdito postulanti licentiam eundi Romam, qui per alios non posset prosequi appellationem. Prima ratio petitur ex dictis. Secunda, quia in tali casu licentia est jure debita subdito, immò (inquit Lezana num. 4.) videretur incurrere excommunicationem bullæ Cœnæ, numer. 36. tamen Sanchez lib. 6. in decal. cap. 8. dubio 2. numer. 23. & 24. & Lezana num. 5. addunt, quod si subditus velit recurrere ad Sedem Apostolicam absque causâ legitimæ appellationis, vel simili superior licentiam negans rectè faciet. Idem Lezana num. 6. cum Alterio, Thesauro colligit ex c. a. unic. de cleric. peregr. Glossa ibidem & aliis juribus, quod seclusis aliis circumstantiis venientes ad Curiam Sedis Apostolicæ, in eâ manentes & redeuntes cum suis rebus, censentur esse sub protectione sedis Apostolicæ.

XI. Ex quibus sequitur Ecclesiasticos tam sæculares, quàm regulares in casu gravaminis debere recurrere ad superiores suos majores, seu Sedem Apostolicam, non verò ad tribunalia sæcularia. An autem possit licitè vel illicitè recusari judex ordinarius, quid sit recusatio, quis effectus illius, quomodò regulanda sit secundùm jus canonicum, an recusatio facienda sit in scriptis, quando apponi debeat, quod recusatio fieri nequeat in visitatione generali superiorum regularium, vide Lezanã tomo 4. quæst. reg. verbo *recusatio*, n. 1. 2 3. 4. 5. 6. Cui arridet Portellus in resol. part. 1. casu 22. n. 3. Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 73. num. 38. Marcus Antoninus Genuensis in praxi Archiep. cap. 21. Piatecius & alii asserentes Episcopum seu alium Visitatorem non posse recusari, nec consequenter Visitatores regulares, qui sunt quasi Episcopi in hoc, & de æquipollentibus idem est judicium, l. final. ff. mandat. & cap. *si quando*, de rescript. cap. *dudum*, de elect. 2. Limitat tamen non posse recusari si solâ inquisitione velit visitare, posse tamen recusari, si velit procedere viâ inquisitionis specialis vel denunciationis quia (inquit Barbosa supra post Portellum, Peirinis, Armendariz, & alios) tunc poterit esse suspicio evidens gravaminis.

XII. Quando causa suspicionis ad recusandum non est clara, sed dubia, possunt (inquiunt Peirinis supra num. 4. & Lezana tomo 3. verbo *judex & judicium regularium*, num. 13.) debentq; assignari arbitri etiam alterius religionis. Primo quia nullo jure habetur oppositum. Secundò id colligitur ex cap. *Pastoralis*, de officio iudicis ordinarii. Immò ex eodem Lezanâ tomo 4. verbo *recusatio*, num. 8. Pasqualigo in decis. moral. decis. 350. & seq. possunt assignari etiam sæculares probi, & bonæ famæ, modò absit scandalum, & constitutiones Religionum non contradicant. An si sint plures visitatores simul, unus possit esse judex arbiter in causâ recusationis alterius, discutit Pasqualigus jam citatus.

CAPUT

CAPUT XIV.

An Ecclesiastici parere renuentes Brevi Apostolico concedenti Episcopo aliquod privilegium contra ordinationem S. Concilii Tridentini possint compelli etiam per censuras.

I. CAsus est, Præsul Ecclesiæ Metropolitanæ N. & Ecclesiarum Cathedralium N. N. habet in suis Diœcesibus numerosissimũ Clerum, multaque collegia sæcularium, & regularium cum maximâ Monasteriorum, Civitatum, terrarumque quantitate, ab illis insuper hæreses multæ extirpandæ, Clerus reformandus, aliisque necessitatibus succurrendum, pro quorum fœlici regimine, gubernio, & prospero successu multarum Ecclesiarum, & personarum operâ indiget, ut ritè & debitè vacare possit tam spiritualibus quàm temporalibus. His maturè ponderatis Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. & Clemens X. Romani Pontifices per Breve Apostolicum præfato Præsuli indulserunt; ut ex suis Cathedralibus octo Canonicorũ, & ex quibusvis Collegiatis duorum operâ uti possit, non solùm in usum regiminis spiritualis, sed etiam in quâcumque functione, seu munere, quod ipsum concernit, sivè ut Præsulem suarum Ecclesiarum, sivè ut Principem in temporalibus, cum clausulâ, quod ipsi Canonici, quamdiu in ministerio suo occupati fuerint, possint abesse à suis Ecclesiis & residentiis, & nihilominus percipere omnes fructus, proventus, jura, & obventiones, etiam distributiones quascumque ordinarias & extraordinarias quomodolibet nuncupatas, in quibusvis rebus consistentes, non minus quàm illi, qui quotidie Choro, ac nocturnis, diurnisque horis intersunt. Quæritur an Capitula dictarum Ecclesiarum, ex quibus Præsul octo, vel duos respectivè Canonicos ad suum ministerium ob præfata motiva assumit, possint ac debeant licitè indulto Apostolico reluctari, dictisque Canonicis inservientibus distributiones quotidianas ordinarias, & extraordinarias, &c. impunè denegare, eo quod Concilium Tridentinum sessione 24. de reformatione cap. 12. oppositum statuisse videatur his verbis. *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, percipiant reliqui quævis collusione, aut retributione exclusâ his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus, &c.* Concilii Trident.

II. Respondeo non debere, nec posse denegare intuitu præfati decreti Apostolici, & sanctionis Synodalis, cùm Sedes Apostolica possit dispensare in omni jure tam universali, quàm particulari, seu legibus, sivè latæ sint à Romanis Pontificibus, sivè à Conciliis, ita communiter Juristæ & Theologi, Covarruvias in 4. decret. part. 2. cap. 6. num. 3. Cardinalis à Turrecremata in summâ cap. 54. & seq. Lælius Zechus de mutatione legum cap. 8. num. 10. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 3. Becanus tract. 3. de lege humanâ quæst. 13. Arriaga disput. 29. de potestate dispensandi, Amicus disp. 6. de dispensatione legis humanæ, Bonacina tract. de disputationibus disp. 1. quæst. 2. puncto 1. num. 7. & alii. Probatur primò ex glossâ *ubi periculum*, de elect. in 6. Joanne Andreâ, & aliis, item ex cap. *significasti*, à me citatis tom. 3. hujus operis tract. 3. cap. 3. num. 16. Secundò, ex praxi, nam Romæ Canonici S. Petri, S. Joannis Lateranensis, Sanctæ Mariæ Majoris, &c. inservientes Sedi Apostolicæ gaudent omnibus distributionibus, juribus, &c. quibus alii, qui omnibus officiis interfunt: immò secundùm probabilem nonnullorum Doctorum mentem, qui inserviunt Legatis Sedis Apostolicæ. Ratio est, quia Princeps tum Ecclesiasticus tum

sæcularis potest dispensare in legibus suorum prædecessorum; quia habet parem cum illis potestatem. Potest igitur dispensare in lege latâ à Bonifacio *VIII.* & in sanctione edictâ ab Episcopis in Tridentinâ Synodo. At lex lata de distributionibus largiendis iis dumtaxat, qui intersunt horis & officiis tam diurnis quàm nocturnis ratis est. Imò Pontificem Romanum posse dispensare in Canonibus Apostolicis, verbi gratia de jejunio, Quadragesimâ, observatione Dominicæ, non ordinatione bigamorum, &c. quos Apostoli, tanquam Episcopi & Pastores Ecclesiarum potestate à Christo acceptâ condiderunt, sustinent Clavis Regia lib. 3. cap. 15. num. 6. Durandus in 4 dist. 27. part. 4. num. 9 Azorius tomo 1. instit. moral. lib. 5. cap. 15. quæst. 4. Suarez lib. 6. cap. 4. num. 5. & cap. 14. num. 2. Bonacina dispens. disp. 1, quæst. 2. part. 1, n. 8. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22, num. 3. & alii. Ratio est quia Apostoli sic sunt Pastores & Præfecti Ecclesiarum, à Christo Domino delecti & creati: & hac ratione canones ab illis edicti possunt à Pontifice Romano revocari, vel dispensari. Confirmatur quia (inquit Bonacina disp. 1. quæst. 2. punct. 1, num. 8. de dispens.) Romanus Pontifex est legitimus superior Ecclesiæ, & non est inferior Apostolis, neque Petro, cui successit. At verò in Canonibus, quos Apostoli à Christo auctore acceptos, quasi ministri Ecclesiæ promulgarunt ac tradiderunt, verbi gratiâ, de baptisandis parvulis, confirmandis baptisatis, de vinculo indissolubili consummati matrimonii, invocatione sanctorum Beatorum, de suffragiis pro defunctis, de Virginate Deiparæ, de Symbolo Apostolorum, &c. Sedes Apostolica nequit dispensare, quia illos ediderunt Apostoli, ut viva sancti Spiritus instrumenta, & quidquid hac ratione tradiderunt, censetur traditio, vel constitutio divina.

II. Propositam responsionem specialiter & ex professo probat Bonacina de distributionibus disput. 2. quæst. 3. puncto 4. num. 1. hoc modo. Primò, quia ex privilegio, seu permissione Concilii Tridentini possunt Canonici, aliique Beneficiarii Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ tribus mensibus ab eâdem Ecclesiâ abesse absque jacturâ fructuum, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, inquit idem Concilium. Ergò possunt etiam ex privilegio abesse, & distributiones percipere, cùm par ratio videatur. Secundò, quia Summus Pontifex potest dispensare in iis, quæ jure humano præscripta sunt, ut constat ex iis, quæ tradidit ipse Bonacina de dispensationibus in tractatu de legibus, sed distributiones jure humano inductæ, & præscriptæ sunt, igitur Summus Pontifex potest dispensare circa distributiones, & consequenter potest alicui privilegium concedere, ut absens distributiones consequatur, subditque esse communem Doctorum opinionem, nec hujusmodi privilegium sublatum esse in Tridentina Synodo sessione 24. cap 12. Ut in simili idem Bonacina probavit de residentiæ obligatione in tractatu de beneficio cum Lessio, Garcia, & aliis. Quibus addit declarationem Sacræ Congregationis apud Garciam part. 3. cap. 2. numer. 260. ubi etiam alios Doctores refert.

V. Et certè, si Sacra Congregatio Concilii Tridentini die 13. Septembris anno 1595. censuit Canonicos absentes pro utilitate Ecclesiæ suæ quotidianas distributiones non amittere, cui subscribunt Farinacius, Nicolaus Garcias, Armendatiz, Chopinus, Antonius Fabricius, Aloysius Riccius, Stephanus, Sayrus, Seraphinus, Ugolinus, Bartholomæus à Sancto Fausto apud Barbosam lib. de Canonicis & dignitatibus cap. 24. numer. 19. Cur non idem concludendum erit de iis, qui inserviunt Episcopo pro utilitate temporali & spirituali suæ dignitatis, officii, &c. Cùm sit præcipua pars suæ Ecclesiæ, & eorum ministerium magis ad Ecclesiæ

decorem

decorem & sanctimoniam fovendam & propagandam conferat.

IV. Imò si Barbosa de beneficiorum obligationibus disp. 2. part. 5. §. 3. n. 5. existimat, quod Canónico absenti ad tuenda jura sui beneficii, distributiones quotidianæ non sunt denegandæ. Ratio est, quia ex Navarro consil. 14. *de Clericis non residentibus*, Beneficium appellatur Ecclesia. A fortiori id concludendum est de eo, qui inservit Episcopo, qui est forma gregis, 1. Petri cap. 5. vers. 2. & vigilat non tantùm bono temporali, sed etiam spirituali suæ Ecclesiæ conservando, salutique suarum ovium incumbit.

VII. Apud omnes indubitatum est Sacram Congregationem Concilii Tridentini fuisse à Sede Apostolicâ institutam à paucis annis, & esse inferiorem illâ. At nonobstante dispositione præfati Concilii quâ statuitur, ut *Distributiones, qui Statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis collusione, seu remissione exclusâ careant, &c.* Tamen præfata Congregatio Concilii statuit, *Ut sessione confectis, si aliàs residere soliti sint distributiones debentur ac infirmis, etiam ex propriâ culpâ & peccato cum præcedenti occasione.* Rationem affert. *Nimius enim rigor esset, nec superior hujusmodi rigidam inquisitionem facere debet addendo afflictionem afflictis, quandoquidem multæ essent annexæ causæ, etiam non turpes. Debentur quoque detentis in carcere, non tamen ob propriam causam.* Sic quamvis eadem Congregatio eodem anno die 2. Junii censuerit, *Duos ex Canonicis, qui inserviente Episcopo à Chori servitio absunt, lucrari quidem fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas.* Intelligit; nisi speciali indulto Apostolico superveniente, Summus Pontifex præfatas distributiones quotidianas illis erogandas statuat. At quatuor Pontifices Romani consequentes ordinarunt, ut octo Canonicis Cathedralis, & duobus Collegiatarum Ecclesiarum Præsulis sui obsequio mancipati ob motiva justa, & causas rationabiles lucrentur distributiones quotidianas tam ordinarias, quàm extraordinarias, &c. Igitur à Capitulis denegandæ non sunt.

Concilii Trident.

3 Cong. Trident.

VIII. Quod si dispensatio justa in lege prærequirat justam causam ex Divo Thomâ 2. 2. quæst. 97. artic. 4. Soto lib. 10. de justitia, quæst. 7. artic. 3. Cajetano, & aliis Thomistis communiter, quos referunt Suarez de legibus cap. 18. num. 4. Salas disp. 2. de legibus art. 5. Sanchez lib. 8. disput. 18. num. 1. Arriaga tract. de legibus disp. 30. sect. 1. Amicus disp 6. de dispensatione legis humanæ sect. 6, Becanus tract. 3. quæst. 13. ut patet ex jure cap. *necessarias*, cap. *pro remedio*, & maximè ex Concilio Tridentino sessione 24. de reformatione cap. 5. & sess. 25. cap. 18. & ratione, quia non decet ut unus aliquis sine causa eximatur à lege, quâ omnes constringuntur. Vel (ut noster Lezana in prima secundæ tract. 6. disp. 12. quæst. 13) vera dispensatio requirit causam rationabilem. Tum quia potestas superiorum est illis à Deo concessa *in ædificationem, non in destructionem*, juxta Apostolum 2. Corinth. cap. 10. tum quia id statuitur l. 4. in princip. ff. *de damno infe.* l. relegat. ff. *de pœnis*, cap. *quod pro remedio*, cap. *necessaria*, 1. quæst. 7. Undè dispensatio concessa absque causâ, potius dissipatio, quàm dispensatio meritò censenda est. Nemo dubitat, quin zelus animarum, extirpatio hæresum, Cleri reformatio, &c. in præfato Indulto expressæ sint causæ justæ & rationabiles, ac summoperè conferant ad Ecclesiæ sanctimoniam fovendam & propagandam.

IX. Cæterùm quantùm obligetur Capitulum præfatis Canonicis ab Episcopo sic assumptis ad suum ministerium vigore Indulti Apostolici subministrare distributiones quotidianas ordinarias & extraordinarias, patet ex his clausulis, *In virtute sanctæ obedientiæ*, quæ majorem vim habent quàm hæc, *districtè injungimus*, vel *præcipimus*, & tamen inducunt peccatum mortale, cùm non cadant super materiam

tiam levem, sed gravem, ex Clement. 1. de offic. judic. ordin. verbo *injunximus*, adjunctâ glossâ marginali ex Naldo in summa verbo *clausula*, §. *districtè*.

X. Undè qui ejusmodi mandato, ac indulto Apostolico parere nolunt, ac in eâ inobedientiâ cõtumaciter perseverant, possunt per censuras compelli, ac iis affici, ita Filliucius cap 5. quæst. 8. numer. 185. Avila 2 part. cap. 3. disput. 1. num. 10. Henriquez lib. 13. cap. 17. Sayrus lib. 1. cap. 9. num. 25. Ugolinus tab. 1. cap 9. §. 5. Suarez disput. 4. sect. 5. numer. 5. Coninck num. 73. & 78. Sotus in 4. distinct. 22. quæst. art. 2. Bonacina de natura & conditionibus censuræ disput. 1. quæst. 1. puncto 3. numer. 19. Layman lib. 2. tract. 1. part. 2. cap. 1. num. 5.

XI. Adde quod Canonici Choro assistentes, & ex consuetudine officium per se ipsos in Choro non recitant, sed per mansionarios propriè muneri suo non satisfaciunt, ideòque Canonicis inservientibus Episcopo distributiones in eo su proposito non debent denegare. Ratio est, quia etiam secundùm opinionem Beiæ part. 1. casu 55. Gratis lib. 2. decis. cap. 52. Rodriguez part. 1. cap. 145. Monetæ de distributionibus part. 2. quæst. 2. Si non cantent, sed in Ecclesia tantùm existant, non ferunt onera Chori, nec propriè satisfaciunt ordinationi Tridentinæ Synodi, quæ loquens de onere Canonicorum, aliorumque Beneficiariorum Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, ait [sess. 24. cap. 12. *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant, &c. Omnes verò divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, &c. Atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei Nomen reverenter, distinctè, devotèq; laudare.* Secundò, quia Pius V. in Constitutione quæ incipit, *Ex primo Lateranedsi Concilio*, ait, *Si aliquis Christo [addio eius non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructus &] [distributiones] fortè aliter assignatas solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucri feciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem grave peccatum intelligat se admisisse.* Quibus verbis Pontifex reprobare videtur quamlibet consuetudinem contrariam, imò non tantùm concludit talem consuetudinem esse irrationabilem, sed illam supponit tanquam irrationabilem, & iniquam, & nullâ consuetudine induci posse, ut id, quod est iniquum & tanquam tale declaratur à lege licitum fiat & honestum juxta ea quæ tradit Suarez lib. 7. de legibus cap. 7. Tertiò patet ex Sacrâ Congregatione apud Monetam loco citato, & Paulum Comitolum, quæ declaravit Canonicos muneri suo non satisfacere nisi psallant in Choro. Quartò, ex cap. *finali*, de rescriptis, *datur beneficium propter officium.* Sed officium Canonici est ut recitet in Choro, Igitur tenetur recitare in Choro, & consequenter nequit acquirere distributiones in Choro, nisi in Choro recitet & intersit, nam jus naturæ dictat, ut datum ob causam quis non lucrifaciat causâ non secutâ. Quintò, accedit hæc ratio, dantur distributiones Canonicis, ut inserviant Choro, at qui non cantant non inserviunt, & consequenter faciunt contra proprium officium, peccantque contra justitiam. Nec sufficit, ut Choro assistant, quia assistentia non intenditur per se, sed per ordinem ad psallendum in Choro, sicut non cõducitur operarius ut assistat vineæ, sed ut in eâ operam suam impendat, nec Parochus simpliciter constituitur ut resideat in Parochiâ, sed ut ibi sua munera obeat, in administratione Sacramentorum, &c. quæ concernunt officium ipsius. Deindè potest consuetudo induci ut omnes intersint Choro & nullus quidquam recitet. Denique hæc opinio est favorabilis cultui divino, igitur est sustinenda. Quia ratio summa est quæ militat pro religione,

Concilio Trident. XII

Pius 5.

l. *sunt personæ*, ff. *de relig. & sumpt. fund.* Quamvis opposita sententia probabilior videatur Bonacinæ, & aliis, ob præscriptam consuetudinem, quæ permisit mansionarios conduci, qui loco Canonicorum cantare debeant. Quia tamen isti mansionarii seu Capellani conducuntur ex bonis Ecclesiasticis Canonicorum assignatis, distributiones non videntur denegandæ inservientibus Episcopo, cùm ex communibus fructibus Canonicorum (ut supponitur) satisfiat dictis mansionariis, & præfati Canonici Episcopo deserviant ob motivum pium, ideoque Sedes Apostolica distributiones illis erogari præcipiat.

FINIS TRACTATUS PRIMI.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS DE EFFECTIBUS POTESTATIS IVDICIALIS EPISCOPI.

CAPUT I.

In Judice Ecclesiastico benignitas sit severitatis comes.

I. ETSI de hoc Argumento fusè diserverimus, tamen nonnulla hic adiicienda sunt. Dum S. Propheta Elias zelo ferventi incensus ac exæstuãs pœnas dumtaxat sontibus irrogare vellet, modò flammis consumens, modò gladium in eorum cervices vibrans, modò populo universo necessaria vitæ subtrahens, Deus impiam Jezabelem in ipsum debaccari, ac à facie & furore hujus sævissimæ mulieris Prophetam fugere permittit, quem mœrore confectum, ac metu mortis percussum Deus sic affatur lib. 3. Regum cap. 19. vers. 9. *Quid hic agis Elia?* Dionysius. *Non ex ignorantiâ quærit, sed ut juxta responsum Elia congruenter prosequatur verbum suum ad ipsum.* Seu potius (inquit S. Chrysostomus homil. de Eliâ, & Petro Deus dicere videtur, *Cur tu aufugisti? ubi est tua in loquendo libertas?* Et quidem cùm Elias Deo interroganti respondisset, vers. 10. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam.* Dionysius. *Fervente habui affectionem, indignationem, & iram contra idololatriam ex Dei amore, cujus cultum & reverentiam opto affectu ardenti, quia à sæculo amicitia, quod Deus cum populo Israel iniit, & ab observantia Decalogi, quem cum protestatione dedit per Moysen filiis Israel recesserunt, &c. & derelictus sum ego solus.* Quidam apud eundem, *in cultu veri Dei.* Vel *Relictus sum solus de numero Prophetarum, aliis à Jezabel interfectis, &c.* Alii *dicunt quod ait se solum relictum, quoniam respectivè loquendo paucissimi erant superstites persecutionis Jezabelis, juxta quem modum Christus in psalmo 68. testatur: Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit.* S. Gregorius apud Glossam innuere videtur, quod Elias ex quadam velut elatione dixit se solum esse relictum, sic enim ait. *Qui humilis etiam occulta Dei noverat elatus & manifesta neglexit. Unde elicitur quod humilitatis radio se ipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat.* At (inquit S. Chrysostomus)

3. Reg. 19. v. 9.
Dionys.
S. Chrysostomus
vers. 11.
Dionys.
Gregor.

motivum

motivum fugæ Elianæ non fuit ullum ex præfatis, sed metus humanus nè in manus Jezabelis incideret. *Quid ad hæc (inquit) Deus? statim illum redarguens: Non propterea, inquit, fugisti Elia. Non enim tu solus es Baal non adorans, subiungit autem illum redarguens,* vers. 18. *Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Idem Chrysostomus, *Redarguit eum, quod non eam ob causam fugisset, sed propter mulieris timorem.* Cur respondet Deus Eliam fugisse potius quia mulierem formidabat, quàm quia relictus erat solus? ut propriæ infirmitatis memor aliorum misereretur, & illis compateretur, erga eos clementior foret. Hanc rationem mihi suggerit Theodoretus explicans hæc verba Canticorum cap. 3. vers. 1. *In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea.* Subdit. *Elias quoque cum Iezabel minas admodum formidaret in solitudinem aufugit, quærens adjutorem. At sapiens piorum magister & remunerator apparet ei, & tanquàm ignarus fugæ causam exquirit, non illudens, sed docens eum cur ipsum fugere permisisset, monensq; eum cùm homo esset, & humanis affectionibus tangeretur, ut humanitatem & clementiam coleret.*

S. Chrysostomus

vers. 18.

S. Chrys.

Cant. c. 3 vers. 1. Theodoretus.

II. Undè quando lib. 4. Regum cap. 2. vers. 9. ait Eliseus Patri suo spirituali iursum rapiendo. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Per duplicem spiritum, postulat spiritum inter severitatem & mansuetudinem, inter justitiam & lenitatem. Quasi diceret: opto tui spiritus hæredem fieri, nolo tamen esse per omnia severus, ac ad vindictam proclivis, sed habere spititum admixtum ac perfusum clementiâ & lenitate. Opto ergo non simplicem spiritum justitiæ, sed divisum in severitatem & lenitatem, in justitiam & clementiam. Cui postulationi applaudere & congratulari licet cum sancto Ambrosio serm. 87. de S. Propheta Eliseo. *O hæreditas pretiosa, in quâ plus hæredi relinquitur, quàm habetur: plus consequitur qui accipit, quàm possideret, qui largitur! Igitur Elias cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit.* Simplicem habebat Elias spiritum sanctitatis, ob zelum & justitiam quâ præditus erat. Duplicem verò Eliseus, qui justitiæ & clementiæ gratiâ pollebat. Sanctus Ambrosius magis explicat suam mentem. *De Elisei autem meritis quid dicamus, cujus hæc prima laus est, quod patrem voluit gratiâ superare, dum dari sibi amplius postulat, quàm scit apud eum esse qui possidet? avarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo. Dum enim à Patre plus exigit quàm habebat, facit eum meritis suis plus præstare, quàm peterat.* Duplicem hunc spiritum ex zelo & lenitate compositum probat his verbat. *Nam cum idem Eliseus post ascensum Magistri venisset Jericho, & rogaretur à civibus ut in eadem consisteret civitate, dixerunt* vers. 19. *Commoratio oppidi bona est, sed aquæ malæ & steriles sunt. Tunc præcepit sibi dari vas fictile, & recondito in eo sale veniens ad exitus aquarum projecit in aquas, dicens. Hæc dicit Dominus sanavi aquas istas; non erit ex eis moriens, neque sterilis.* Quibus verbis significat justitiæ amaritudinem fuisse sale conditam ac temperatam, ac Eliseum impedivisse nè universa mortis & sterilitatis supplicio plecterentur. Id innuere videtur Josephus lib. 5. de bello Judaico cap. 4. *Lagenam fictilem sali plenam in profluentem aquam misit juxta ripam. Deindè ad cælum dexteram extendens, fontiq; immergens, blanda libamina ipsum fontem precabatur, ut fluenta leniret ac dulciores aquarum venas aperiret, Deum verò ut fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat.* Quod ab aquis acrimoniam abstulerit, & per aquas intelligantur populi, patet ex libro 4. Regum cap. 6. vers. 23. Cùm Rex Syriæ robur sui exercitus misisset, ut locum ubi commorabatur Eliseus obsideret, ipse à Deo primò impetravit, ut tantam cœcitatem in hostes immitteret, ut nescientes quò pergerent, in medium forum urbis Samaritanæ & hostium incederent & cum sic quasi in retibus inclusos Rex Samariæ vellet delere, Prophetæ impedivit, & infligendum illis supplicium hoc sale temperavit, dum loquens Regi Samariæ, ait vers. 22. *Non percuties, neque enim cæ-*

4. Reg. c. 2. v. 9.

Josephus

vers. 19.

4. Reg. c. 6. v. 23

pisti eos gladio & arcu tuo ut percutias; sed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad Dominum suum. Vers. 23. *Appositaq; est eis magna ciborum præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos.* Sanctus Chrysostomus homiliâ de Eliseo & Syrorum insidiis detectis tomo 1. de Syris hæc inter cætera pronunciat. *Mirantur & stupent sibi pro interitu cibum, convivium pro pœnâ parari.* Et infra. *Fit tunc Propheta sanctissimus gloriosus in suis, gloriosior in alienis. Exhibet suis signa virtutum, & alienis exhibet causas gloriarum, Docet prior inimicos foveri, docuit primus debere hostibus parci, docuit adversariis pro pœnâ epulas exhiberi.*

vers. 23

S. Chrysostomus

III. In hoc imitatus est Deum, cui Vates Regius Psalm. 44. vers. 6. canit. *Virga directionis virga regni tui* Apostolus ad Hebræos cap. 1. vers. 8. vertit. *Virga æquitatis virga regni tui.* Meritò directionem vocat æquitatẽ, & temperantiam appellat justitiam, alludens ad illud Ciceronis libr. de senectute. *Novi moderationem animi tui & æquitatem.* Et pro Cecinna. *Ex æquo & bono, non ex callido versutoq; jure judicare oportet.* Agellius præfatum Davidis oraculum ita interpretatur. *Virgam æquitatis appellat censuram, atque severitatem æquitate & clementiâ temperatam.* Idem Cantor psalmo 61. vers. 12. *Semel locutus est Deus duo hæc audivi.* Si Deus unum loquitur quomodò audis duo? si semel verbum profert, quomodò bis audis? habesnè fortè aures concameratas, in quibus echo multipliciter resultet? vel imitaris nè forsan modernam hominum indolem qui nunquam fideliter, sincerèque referunt, sed pleraque verbis auditis addunt. Quare igitur Psaltes duo se audivisse testatur, cùm Deus unum dumtaxat protulerit? Respondet. *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Cùm Deus in homines judicium exercet semel loquitur, at Psaltes duo audit, quia divinum judicium, seu punitio ex justitiâ & misericordiâ coalescit, nec scit irasci, quin misericordiæ recordetur, dum plectit misereatur, felli pœnæ aliquid mellis & benignitatis admiscet. *Potum* (inquit idem Cantor psal. 75. vers. 6. *Dabis nobis lacrymas in mensurâ*, Hebræus. *Dedisti nobis lacrymas in volâ seu palmâ manus.* Genebrardus. *Potum lacrymarum, potum lacrymabilem & acerbum.* Quantum? in mensura, idest, punitio divina habet adjunctam misericordiam, dum castigat, dum lacrymas excutit, suavitatem illis infundit juxta oraculum Abacuc cap. 3, vers. 2. *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Paginus ex Hebræo. *In irâ misericordiæ recordaberis.* Idest justitia habet sibi comitem individuam & annexam misericordiam. Undè devotissimus Idiota lib. 2. de verâ patientiâ Deum ita affatur. *Cùm sentio te iratum, tunc maximè confido te esse propitium, quia cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Et Sanctius. *Optimè verò misericordiam cum indignatione conjungit, in Deo nunquam misericordia ab indignatione separatur.* Et psalm. 59. vers. 3. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis.* Dum fastidio è in nos iratus es, & quasi nos repulisti misertus es nobis. S. Augustinus ib *Iratus es, & misertus es nobis. Non misereris, nisi irascaris.* Si quas pœnas infligis, eas misericordia temperas ac mitigas. Idem innuere videtur psalm. 134. vers. 7. *Fulgura in pluviam fecit.* Idest, divina supplicia non undique ignea sunt, quia illis pluviæ consolationis infunduntur, non ut ignis magis conflagret, sed ut irroretur & non ita ardeat. Undè meritò exclamare possumus cum Berengosio sermon. 1. de Martyr. apud Lorinum, *O ira misericors & salubris indignatio, per quam fructuosa sit omnis infructuosa conversatio! O ira misericors, qua sic irascitur ut subveniat, sic minatur ut parcat, sic aufert ut restituat, sic tradit ut eripiat, sic destruit ut muniat, sic abjicit ut recipiat. O quam salubris indignatio, qua sic avertit ut respiciat, sic claudit ut aperiat, sic exigit ut dimittat, sic dejicit ut erigat, sic perdit ut requirat, sic amittit ut custodiat.* Breviter Paulinus epist. 10. & 26. *Tanta est summi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex misericordia sit, &c. Ea ipsa Dei ira misericordia est.*

Psal 44. v. 6.

Heb. c. 1. v. 18.

Cicero.

Agellius.

Abacuc. c. 3. v. 2

Idiota.

Sanctius

Psal. 134. vers. 7.

Berengosius.

Quod

IV. Quod Christum benignitas & clementia deceat, ipsos dæmones non latuit. Cùm enim Christus apud Gerasenos dæmonia ejecta è corporibus in porcos ingredi permitteret, exclamaverunt Mathæi cap. 8. vers. 29. *Quid nobis & tibi Jesu Fili Dei?* Te Regem regum, & Dominum dominantium in pœnis infligendis lenitas & moderatio decet, non autem omnimoda severitas. Cùm sis via, veritas & vita, seu auctor vitæ nullum cum mortuis commercium habes. Opportunè sanctus Petrus Chrysologus serm. 16. *Habitator cæli quid tibi cum sepulchris? Odor Paradisi quid tibi cum fœtore? Quos de cælo dejecisti? quos de Paradiso exclusisti? quibus nunc tollis urbes, regiones habitabiles negas permitte inhabitare, nos, vel sepulchra, & si nos persecutione tantâ digni sumus, tu non es dignus injuriâ.* Sed te clamantibus, persequentibus piâ misericordiâ indulges, leniter illos plectens: ita ut justitia non sola incedat, sed misericordiam sibi comitem adhibeat.

Mat. 8. v. 29.

S. Petrus Chrysol.

V. Hanc individuam societatem utriusque Christus manifestat in transfiguratione suâ Matthæi cap. 17. vers. 3. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Vatablus. *Et ecce conspecti sunt illis Moyses & Elias cum eo colloquentes* Marci cap. 9. ver. 3. *Et apparuit illis Elias cum Moyse, & erant loquentes cum Jesu.* Lucæ cap. 9. vers. 30. *Et ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyses & Elias.* Ut innuat Christus suo tribunali justitiam & clementiam assistere. Congruè Arnoldus Abbas tractatu de ultimis septem verbis Domini, rationem reddens cur pectori sacerdotali *doctrina & veritas* inscriptę essent, ait. *Oportet quippè, ut omnia, quæ agit moderatrix ratio sic disponat, & sic suis locis aptet misericordiam & judicium, ut cùm judicat, severitas non excludat clementiam, & cùm miseretur justitiam pietas non relinquat.* Idem inurt sanctus Chrysostomus homil. 75. in Matthæum. *Producit illos propter hoc, ut eos, qui maximè populares fuerint, imitarentur, & animi robur atque constantiam sequeretur, fierentq; mites, ut Moysis, zelotes ut Elias.* Moysem enim mitissimum fuisse testatur sacer Textus Numerorum cap. 12. vers. 3. Sanctum Eliam fuisse severum ac rigidum in plectendis peccatoribus patet lib. 3. Regum cap. 17. 18. & 19. &c. Ex hac apparitione Deus ostendere voluit, seu instruere Principes præcipuè Ecclesiasticos, ut non sint nimiùm benigni, sed etiam rigidi, ut dum justitiam exercent, benignitatis meminerint, ita ut illis omnibus dicat, *Virga directionis, virga regni tui*, psalm. 44. vers. 6. Seu ut Apostolus Hebræor. cap. 1. vers. 8. *Virga æquitatis, virga regni tui.* Agellius in epist. *Virgam æquitatis appellat censuram atque severitatem æquitate & clementiâ temperatam.* Undè Petro dicenti Matthæi cap. 17. vers. 4. *Domine si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Arias. *Pulchrum hic nos esse, si vis faciamus hic tria umbracula.* Lucæ cap. 9. vers. 33. *Præceptor bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, unum Moysi, & unum Eliæ.* Subdit S. Lucas. *Nesciens quid diceret.* Marci cap. 9. vers. 5. *Non enim sciebat quid diceret.* Lucæ vers. 33. citato. *Nesciens quid diceret.* Cur subjiciunt sacri Evangelistæ Petrum tanto honore prosequentem Christum, Moysem, & Eliã, nescisse quid diceret? quia volebat à Christo Moysem & Eliam separare, imò Eliam à Moyse segregare, seu justitiam à clementiâ divellere, nolebat Moysem & Eliam cohabitare, volebat duas istas amicas & contubernales virtutes seorsim manere. *Error* (inquit S. Paschasius in Matthæũ) *in causa est, quod tria se repromittit facere tabernacula: Unum scilicet, ac si privatim Jesu, alterum Moysi, & aliud Eliæ, quasi non eos caperet unum tabernaculum, nec in uno simul consistere possent.* Quasi diceret: Esto verum illud vulgatum.

Non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur
Majestas & amor.

Tamen hoc ab omnibus receptum est,

Optimè coveniunt, & in una sede morantur,
Justitia & pietas.

Quod etiam ipsi Ethnici animadverterunt

Mat. 17 vers. 3.

Arnoldus Abbas.

S. Chrys.

S. Paschasius.

terunt Strobæus sermone 147. docet
Strobeus ex Diogene Pythagorico. *Comites atque contubernales justitiæ æquitatem atque clementiam, sivè ad ignoscendum propensionem: quarum ista præscriptam pœnæ duritiam emolliat, hæc delinquentibus veniam aliquatenus indulgeat.* Tantâ diligentiâ Augustus Cæsar jus dicebat, ut justitiam clementiâ ac inclinatione ad parcendum temperaret, ut testatur Suetonius his verbis in
Sueton. Augusto cap. 33. *Dixit autem jus, non diligentiâ modò summâ, sed & lenitate siquidem manifestè parricidii reum, nè culeo insueretur, quod nonnisi confessi afficiuntur hac pœnâ, ita fertur interrogasse. Certè patrem non occidisti?* Ad quam interrogationem quidam non ita probus Auctor facit vim in modò & in ratione loquendi, quasi si ad severitatem Cæsar propensus fuisset, voluisseteque involvere, non hoc tenore, sed isto interpellasset. *Parricidium quod tibi objicitur, perpetrasti.* Sed absit, hoc modo utitur, *Certè Patrem non occidisti.* Hâc benignâ interrogatione subministrat reo salutare responsum, ut in suâ negatione persistat improbans quorundam judicum morem, quorum animus carnifex, ad supplicia infligenda, & cruorem humanum effundendum semper anhelat, turbatus vultus, sermo severus, oculi corruscantes instar fulguris, interrogationes captiosæ, denique in eos sententias ferunt ultra demeritum. Similes Pharisæis, quorum severitatem Christus improbat Matthæi cap. 23. vers. 4. *Alligant onera gravia,*
Mat. 23 vers. 4. *& importabilia imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Syriacus. *Ipsi verò nec suo quidem digito volunt ea tangere.* Sanctus Petrus Chrysologus. *Suo minimo digito nolunt ea movere.* Quibus verbis innuit Principes tam Ecclesiasticos, quàm laicos debere pœnas & supplicia digitatim metiri, nè vel latum unguem excedant: proindèque si potest plecti, secundus digitus applicandus non est.
Seneca. Egregiè ac opportunè Seneca lib. 1. de clementiâ cap. 2. *Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat, nec promiscuam habere ac vulgarem clementiã oportet, nec abscissam: nec tam omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli. Modum tenere debemus, sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet.* Egregium sanè documentum ab omnibus Principibus & judicibus præsertim Ecclesiasticis observervandum, de quo vide quæ diximus tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 1.

VI. Hanc cum severitate justitiæ clementiam conjungendam esse innuit *Luc. 10. vers. 34.* Christus egregiâ parabolâ Samaritani, qui ad vulnerũ curationem vinum & oleum adhibuit Lucæ cap. 10. v. 34. *Appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, &c.* Syriacus. *Accessit, & obligavit vulnera eius infuditq; in ea vinum & oleum.* Vinum fervidi zeli, oleum mansuetudinis symbolum est, significatque vulneribus spiritualibus curandis & corrigendis adhibendam esse severitatem cum lenitate. *Si quidem (* inquit Titus Titus Bostrensis *) vulnus grave & morbus quodam modo insanabilis non ferebat illud purum, scilicet vinum, hoc est excedentem illam astrictionem & acrimoniam.* Ideoque adhibendum fuit quoddam temperamentum ut probat sanctus Gregorius supra tractatu 1. cap. 6.

VII. Hanc clementiam in extremo judicio non defuturam ostendit Christus dicens Joannis cap. 5. vers. 22. *Joan. 5. vers. 22.* *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.* Quomodò Pater neminem judicat, sed filio omne judicium contulit? Nonne opera Trinitatis ad extra sunt indivisa? Respondet S. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 13. & tract. 21. in Joannem hæc verba significanda esse de Christo ut homine, ut patet ex vers. 23. *Potestatem dedit ei judicium* *vers. 27.* *facere, quia filius hominis est.* Idem censent S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 140. S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 15. S. Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33. Arnobius in psal. 71. Suarez tomo 2. ad 3. part. quæst. 59. art. 1. & 2. in comment. Toletus annot. 19. Hujus judiciariæ potestatis filio collatæ rationem affert Sanctus

Bernardus

S. Bernardus. Bernardus sermone 73. in Canticâ. *Ipse Pater Deus dedit filio suo iudicii potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè Pater misericordiarum vult per hominem homines judicari, quo in tantâ trepidatione & perturbatione malorum electis fiduciam præstet similitudo naturæ.* Cur addit, *non quia suus, sed quia filius hominis est?* Ut innuat quod tunc in inflictione pœnarum rigor justitiæ clementiâ temperabitur. Noluit Deus judicium exerceri per judicem, qui esset alienæ naturæ, sed per eum qui foret noster cognatus, ac ejusdem nobiscum naturæ, & carnis & sanguinis particeps. ut innuat hominum delicta ita à judice esse plectenda, ut humanæ fragilitati terrenæque naturæ aliquid indulgendum esse. Nonnè si judicem aliquem nobis eligendi daretur optio nobis consanguineum optaremus, id patet lib. 2. Regum cap. 5. 2. Reg. 5. v. 2 verſ. 2, ubi omnes Tribus convenerunt ad David in Hebron postulantes judicem eum qui suæ cognationis foret. *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus.* Cajetanus. *Ex eodem Patre geniti.* Chaldæus. *Ecce nos cognati tui sumus.* Lyranus. *Quia omnes tribus descenderant de Iacob.* Dionysius. *Sumus propinqui tui secundùm carnem, quia ex semine Abrahæ, Isaac, & Iacob sicut & tu.* Hoc dicunt quasi motivum potissimum ad eligendum, & ut significent quantam in eo fiduciam habebant, & quomodò nihil ab eo siniſtrum fore metuerent, cùm ex eâdē prosapiâ essent oriundi. Sic Deus statuit ut pro tribunali sederet judicaturus vivos & mortuos non aliquis naturæ extraneæ, sed Filius humanâ naturâ indutus, ut severitati clementiā conjungeret, nobisque magis compateretur. *In hoc* (inquit S. Hilarius canone 21. in Matthæum) *bonitatis* S. Hilar. *Dominicæ argumentum reperimus. Nam ubi afferre voluit procurata per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit. Nunc verò ubi in contumacibus formam severitatis constituebat damno arboris indicavit.* Quasi diceret: Vis scire Matthæi cap. 21. verſ. 19. cur ficulneam infructuosam arescecit, cùm tamen Actor. cap. 10. verſ. 38. *Pertransivit benefaciendo & sanando omnes?* Quia ficulnea erat alterius naturæ, ideò tam severam in eam sententiam protulit. Scire vis cur Luciferum & sequaces æternâ damnatione punivit statim post peccatum rebellionis perpetratum? hominum verò protoparenti tam breve & moderatum supplicium imposuit? quia alienæ naturæ erant Angeli, homo verò ejusdem cum Verbo Incarnando. S. Bernardus declamat. 4. id colligit ex verbis Domini Genesis cap. 3. verſ. 19. *In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es.* Particula *donec* moderatam pœnam ac moderatum supplicium certis limitibus coarctatum denotat. De Angelorum damnatione quomodò loquitur Christus? Vocatnè temporalem? minimè, Matthæi cap. 25. verſ. 19. *In ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* S. Bernardus, *Illius* (inquit) *iniquitas inventa est ad odium suum, habeat carcerem, ubi nulla redemptio, unde nemini liceat respirare. Mihi sanè & labore tolerabilior carcer & tempore brevior assignatur. Vbi cùm iratus fuerit Dominus misericordiæ recordetur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Denique tempus mihi constituit, mihi dicit, donec illi parat æternam. In sudore* (inquit) *vultus tui comedes panem tuum, donec in terram de quâ sumptus es revertaris. Pessimus ille Angelus de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus, propterea non habet donec, sed ei ignis paratur æternus.* Homini verò levis pœna infligitur, quia Christi frater est, eandem cum eo sortitus est naturam, & ideò magis illi indulgetur quàm Angelo. S. Bernardus.

VIII. Id dum vitam mortalem ageret Christus proprio exemplo anticipavit, Cùm enim deprehendissēt quosdam in templo sedentes, Joannis cap. 2. verſ. 14. Syriacus. *Et Trapezitas sedentes.* Græcus. *Acrollybistas, seu eos, qui permutando pecuniam quæstum faciunt, seu permutatores pecuniarum,* Vatablus. *Et mensarios sedentes.* Verſu 15. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo, &c.* Syriacus. *Fecitq; sibi flagellum è funi,* verſ. 14.

ac omnes ejecit è templo, &c. Arias *Flagellum quasi ex funiculis.* S. Cyrillus lib. 1. cap. 28. *Faciens flagellum ex funiculis, &c.* S. Ambrosius in cap. 19. Lucæ. *Fecit flagellum de restibus.* Sanctus Augustinus tract. 10. *Cùm fecisset flagellum de resticulis.* Cur non dicit fecisse flagellum ex virgis, spinis, vel catenis ferreis, sed lineis funiculis? Ut ostendat discrimen inter Christũ, seu judices Ecclesiasticos, & Principes
S. Ambr. sæculares. S. Ambrosius lib. 5. epistol. 32. *Pius Dominus flagellis exturbat sacrilegos nequaquam prosequitur ferro.* Non imitatur Roboam, qui lib. 3. Regum cap. 12. vers. 14. po-
l. 3. Reg. 12. v. 14 stulantibus, ut aliquid de rigore vectigalium remitteret, respondit. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Vatablus. *Cædã vos flagris aculeatis.* Dionysius. *Multò acrius regam & corrigam vos, quam Pater meus.* Nam (inquit Lyranus) *Scorpio est genus flagelli durissimi habens in fine chordularum, seu catenarum nodulos plumbeos seu ferreos: & ideò notatur scorpio, quia grævitèr pungit, quia sicut scorpio pungit caudâ, eam super caput reflectendo, sic extremitas hujus flagelli, in quo est plumbum vel ferrum percutiendo reflectitur ab anternis percutientis super corpus percussi.* Ecce quomodò impius Roboam, ut in deliciis ac opulentiâ vitam duceret suos subditos loris seu flagellis plumbatis vult excipere, Christus verò Rex à Deo constitutus non flagris, sed flagellis, non ferreis seu plumbatis, sed lineis, seu lenitate corripit, hoc exemplo docens Prælatos ut delinquentibus non omninò indulgeant, sed corrigant in spiritu lenitatis.

IX. Alterum Christi judicium ab eo-
Ioan c. 8 dem Joanne producitur cap. 8. cùm
vers. 3. Scribæ & Pharisæi omnem lapidem moverent, ut eum accusandi, & interficiendi occasionem haberent, vers. 3. *Adducunt mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in*
vers 4. *medio.* Vers. 4. *Et dixerunt ei, Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Euthymius. *Hanc invenimus actu adulterium perpetrantem.* Vatablus. *Deprehensa est in ipso facinore adulterium committens.* Cajetanus & Pagninus. *Deprehensa est in ipso facto cùm adulteraretur.* Arias. *Hanc invenimus in ipso facto adulterantem.* D. Thomas notat, quod ex tribus culpam exaggerant, ut Christum provocent ad severè cum eâ agendum. Primò ex culpæ novitate. Undè dicunt *modò*, quandò enim culpa est antiqua, judex non tantùm movetur, quia fortè correctio præcessit. Secundò addunt *deprehensa*, ita ut nequeat se excusare: nam mulieribus excusatio familiaris est, ut patet in Evâ, quæ culpam suam in serpentem refundit. Tertiò culpæ gravitatem proponunt *in adulterio*, quod est crimen irremissibile. Christus judicis munus non detrectans, ut accusatores, causam, diem pro judicis more in scriptis exciperet, sæpius inclinat se, & digito in terrâ *vers. 6.* scribit, vers. 6. *Jesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terrâ.* Primò suâ inclinatione significat summum jus, seu summam severitatem tantisper inflectendam, clementiâ mitigandam ac emolliendam. Sanctus Antonius de Paduâ Sabbatho post tertiam Dominicam Quadragesimæ. *Sententianda res est cum benignitate & pietate, ut homo iudicando sit inclinatus ad misericordiam, & non erectus ad justitiam.* S. Antoni de Padua Et Albertus Magnus. *Inclinans se à rigiditate inflexibilis iustitiæ.* Idest hoc corporis gestu & habitu docet summum jus, summam severitatem tantisper inflectendam, ac lenitate mitigandam, emolliendamque esse, undè sæpius se inclinat. Opportunè Seneca ad Neronem. *Hæc est in maximâ potestate, verissima animi temperantia, non cupiditate aliquâ, non temeritate incendi, non priorum Principum* (scilicet Caligulæ, Claudi) *exemplis corrumpi, quantùm in cives suos liceat, experiendo tentare, sed hebetare aciem Imperii.* Seneca. Particulis *hebetare aciem.* Significat gladium potestatis non esse acuendum, seu elimandum, ut penetrabilius transfigat, sed hebetandum & obtundendum, ut rigor ferri mitigetur ac minuatur. Eandem clementiam persuadet Apostolus Timotheo, quem Episcopum Ephesi constituerat 1. epist. cap. 1. *1. Tim.* vers. 1. *Timotheo dilecto filio in fide,* *c. 1. v. 1.*

gratia,

gratia, misericordia, & pax à Deo Patre & Christo Jesu Domino nostro. Et 2. epist. cap. 1. vers. 1. *Timotheo charissimo filio sit gratia, misericordia, pax à Deo Patre.* Miratur S. Chrysostomus cur alias epistolas ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, &c. non auspicatur hoc modo, nec in limine cõmendat misericordiam. *Nusquam* (inquit hic, & post illum Theophilactus) *in aliis epistolis posuit Apostolus misericordiam, nisi in hac tantùm, idq; facit ex magno, paternoq; affectu, majora filio exoptans, tanquam metuens ei, atque eius nomine tremens; cui & de stomachi ratione præcipiebat, sed simul quod maiore misericordia præceptores indigeant.* Particula *præceptores* significat Superiores, Præsules, Principes debere justitiæ misericordiam immiscere. Rupertus in cap. 1. Apocal. notat Apostolum commendare misericordiam Timotheo, quia hic in objurgando & castigando delicta erat nimis severus. Solent Prælati juvenes, inexperti fervore indolis abripi, voluntque illicò cuncta reformare, ac ad rigidam disciplinam reducere, in quo processu multos, maximè seniores offendunt, qui tàm severam auctoritatẽ non ferunt. *Paulus in Timotheo Episcopos omnes informabat, cuius officii summum & necessarium decus est misericordia. Et ille* (scilicet Timotheus) *ut fertur zeli erat serventioris, idcircò rectè & opportunè viscera misericordiæ, illi* (ut haberet) *præoptat.* Addit Sacer Textus *digito*, S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto ait per digitum illum intelligi Spiritum sanctum. *Hoc digito mysticè etiam Dominus Jesus inclinato capite scribebat in terra, cùm à Iudæis adultera esset oblata.* Ut scilicet justitiæ ac sapientiæ, seu Christo, cui hæc attributa propriè & signatè conveniunt benignitas & clementia admiscerentur. Et secundùm D. Ambrosium non exerceretur justitia absque misericordia, nec misericordia sine justitia. At quorsum Dominus scribebat? respondet S. Augustinus tract. 33. in Joannem. *Quid vobis aliud significat Dominus, cum digito scribit in terra? Digito lex scripta est. Nunc jam Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat.* Hoc facto ostendit discrimen inter legem veterem & novam. Tunc scripsit quidem tabulas digito, sed in lapide, at nunc in terrâ. Tunc (inquiunt Hugo Cardinalis, S. Thomas, S. Bonaventura, Dionysius,) scripsit Decalogum in tabulis lapideis ob duritiem populi, qui ideò severè plectebatur. Ut Hebræis cap. 10. v. 28. Apostolus innuit. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur.* Ideft, qui transgressus fuerit legem Moysis, &c. Nunc verò Christus in terra scribit, ut denotet mollitiem legis novæ, ac suavitatem legis Evangelicæ; quam decet Prælatos, & observare tenentur.

2. ep. c. 1 vers. 1.

S. Chrysostomus

Hebr 10 vers. 28

Rupert.

S. Ambr.

S. Aug.

Vel non in lapide, sed in terra scripsit Christus, ut ostendat Synagogam multis suppliciis afflictam cùm iter ageret per desertum, non se emendasse, sed in præteritam idololatriam & alia flagitia prolapsam iterum fuisse, at Ecclesiæ alumnos benignè correptos resipuisse. Pulchrè Sanctus Petrus Chrysologus sermone 115. *Cùm vir tantus* (scilicet Deus) *visam iustâ indignatione despiceret, & eam procul à sua societate propelleret, atque toto execraretur judicio gravitatis, illa nec despecta erubuit, nec contempta se correxit, nec resipuit sic repulsa, sed tota præceps ad idolorum lupanaria convolavit. Hinc est fratres, quod in Evangelio à Scribis & Doctoribus legis apud Dominum illa accusaretur adultera, avertit faciem suam Dominus, & declinavit in terram, nè crimen cerneret, quod puniret, maluit in pulverem scribere veniam, quàm dare in carne sententiam.* Ut suâ benignitate & misericordiâ, eam ad pœnitentiam reduceret. XI.

S. Petrus Chrysol.

Vel Scribis accusantibus mulierem adulteram Jesus inclinat se in terram, deorsum scribens in terra, ut ostendat suam benignitatem, & quantùm ab infligenda pœna abhorreat; ista corporis inflexio, ista faciei occultatio, & ad terram conversio, innuit se venisse ad spirandam indulgentiam: erigit autem cùm est absolvenda, & dimittenda. *Vide* (inquit sanctus Ambrosius epist. 52.) *divina mysteria & clementiam Christi, cùm accu-* XII.

satur

latur mulier caput Christus inclinat, elevat ubi deficit accusator: ita nullum damnari, vult absolvi omnes. Cùm mulier accusatur caput inclinat, ut lutum videns, & contemplans luteam fragilitatem, eliciat actum clementiæ & affectum pietatis erga miseram mulierem.

XII. Vel denique ideò auditâ accusatione scripsit digito in terrâ, ut significet rem seriò & altè examinandam esse à judice priusquam sententiam ferat. Ita Glossa ibi, & S. Antonius de Padua Sabbatho ante 4. Dominicam Quadragesimæ, quibus favet S. Cyrillus Alexandrinus libr. 5. in Joannem cap. 16. *Digito* (inquit) *scribebat in terra, quo nobis ostendat, quod antequam judicium feramus de proximo, ad veritatis investigationem condescendere, & animum inclinare debemus, & discretionis digito singula ad rem præsentem attinentia prius discutere, alioquin rectè judicare non possumus, si prætermissâ indagine veritatis, & examine diligenti proximum in publico judicio aut absolvimus, aut damnamus.* Instruit judices præcipuè Ecclesiasticos, ut antequam ferant judicium singula discretionis digito ponderēt ac mensurent, deindè attentè perspectâ veritate sententiam pronuncient. Id ab Ezechiele Propheta observari voluit Deus, cap. 8. vers. 8. *Fili hominis fode parietem.* Vates subjungit. *Cùm fodissem parietē apparuit ostium unum.* Vers. 9. *Et dixit ad me ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Vers. 10. *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio & universa idola domus Israel depicta erant in pariete.* Sanctus Gregorius 2. part. Pastoralis cap. 10. *Per Ezechielem* (inquit) *Prapositorum ordo signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est per parietem fodere nisi acutis inquisitionibus duritiā cordis aperire? quem cùm fodisset, apparuit ostium, quia cum cordis duritia, vel studiosis pereunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur quasi quadam janua ostenditur, ex qua omnia in eo, qui corripitur cogitationum interiora videantur. Undè & benè illic sequitur, ingredere & vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Quasi ingreditur, ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdā signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cūcta ei, quæ illicitè cogitantur appareāt. Vade & subdit, & Et ingressus vidi, & ecce similitudo reptilium & animalium abominatio. In reptilibus cogitationes omninò terrenæ signantur. In animalibus verò, jam quidem aliquantulum à terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia autem magnâ parte corporis à terrâ suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando & si jam justa si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus, honoribusq; deserviunt, & per semetipsa quidem quæ à terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese, &c. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deindè ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur, quia nimirùm uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua aperta iniquitatis ostenditur & tunc demum omne malum, quod intus latet, aperitur.*

XIII. Judices non debere judicare ex solis delationibus non seriò examinatis & probatis patet libr. 3. Regum cap. 22. vers. 10. impia Jezabel manpat optimatibus & judicibus Jezrahel sedere. *Sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimoniū dicant. Benedixit Deum & Regem, & lapidate, sicq; moriatur.* S. Athanasius apologiâ ad Constantium Imperatorem, meritò invehitur tùm in calumniatores, tùm in judices, illumque processum improbat, & sententiam nullo jure prolatam crudeliter in re tam gravi ostendit. *Nonnulla* (inquit S. Gregorius supra.) *sunt leniter arguenda nam cum non malitia, sed solâ ignorantiâ, vel infirmitate delinquitur, procul dubio necesse est, ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergò debet unusquisque colligere, qualiter aliena hunc*

oporteat

l. 3 Reg. 21. 9. 10.

Ezech. 8 vers. 8.

vers. 9.

vers. 10.

Gregor.

S. Greg.

oporteat imbecillitati misereri, nè contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem fervensius rapiatur, oblitus sui esse videatur.

XIV. Cùm autem rei imbecillitati misereri debeat judex hanc rationem affert Apostolus ad Galatas cap. 1. v. 1. *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis instruite, hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, nè & tu tenteris.* Sanctus Gregorius citatus. *Cùm displicet ex alienâ infirmitate, quod conspicis, pensa quod es, ut increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat, timet.* Fusius S. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 20. *Piè, cautèq; invigilandum est, cùm aliquem reprehendere, vel objurgare nos necessitas coegerit, ut cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse & habere potuisse. Si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehensionem, aut objurgationem, non odium, sed misericordia præcedat, ut sive ad correctionem eius, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit (nam incertus est exitus.) Nos tamen de simplicitate oculi nostri securi sumus, si autem cogitantes nosmetipsos in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus, sed congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus.*

Galat. 1. vers. 1.

S. Greg.

S. Augustinus.

XV. Aliam rationem suggerit Philo lib. de judice, dicens. *Judicium rem Dei esse, judicem verò ministrum & procuratorem. Procuratori autem non permittitur largiri de eo quod Dei est, à quo ut optimo accepit hoc depositum verũ optimum.* Quasi diceret, nonnulli sunt, qui à legum severitate nè latum unguem deflectere vel discedere volũt, ideòque nullâ moderatione utuntur, non considerantes quod Psalm. 101. vers. 8. canitur, *Misericors & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors.*

Philo.

Ps. 101. vers. 8.

XVI. S. Chrysostomus in cap. 2. vers. 27 epist. ad Philippenses scribit judicem esse debere instar citharædi, qui neque nervos nimis intendit, ut non abrumpat, neque ultra modum remittit, nè harmoniæ concentum solvat. *Sicut citharœdus neque nervum intendit, ut non abrumpat, neque remittit ultra modum, nè harmoniæ concentum ledat, sic & Deus agit, nec in remissione continuâ, neque in longâ tribulatione nostram constituit animam secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit nos continuâ potiri remissione, nè segniores fiamus, nec rursum in continuâ tribulatione sinit esse, nè concidamus, nec desperemus. Nec semper hyems, nec semper æstas, nec semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, neque semper dies, sic nec semper erit tribulatio.* Judex etiam non debet nimis indulgere, nec nimis sævire, sed pœnam indulgentiâ temperare, non verò totam culpam remittere. *Nam* (inquit S. Gregorius supra) *nonnulla sunt vehementer increpanda, ut cùm culpa ab auctore non cognoscitur quanti sit ponderis ab increpantis presentiatur.* Maximè verò si eum obstinatum & insordescentem in peccato deprehendat, nè idem illi contingat, quod Heli lib. 1. Regum cap. 3. vers. 13. & seq. Undè Ecclesia in hujusmodi delinquentes censuris animadvertere solet.

S. Chrys.

Hanc acrem correptionem Prælatis aliquando licitam esse & utilem docuit Christus exemplo Matthæi cap. 16. vers. 23. Petro dissuadere cogitanti cruentam ac infamem passionem. *Christus conversus dixit Petro, Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* S. Petrus Damianus lib. 7. epist. 11. *Salvator noster, qui tanquam mitis agnus apparuit, mox ut Petro cæli terræq; iura commisit, protinus cum dura redargutione corripit, vade post me Satana.* Cur sic illum corripit respondet. *Quia in hac mortalitate rectè non vivitur, si blandis ac mollibus asperitas non miscetur. Nam ubi penitus disciplina postponitur necesse est, ut prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio relaxetur.* Quasi diceret statim ac Christus beatum illum prædicavit, vers. 17. *Beatus es Simon, &c.* Pollicitus est Petro primatum Ecclesiæ vers. 18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

XVII. Mat. 16 vers. 23.

S. Petrus Damian.

vers. 17.

vers. 18.

cleſiam meam, &c. verſ. 19. *Et tibi dabo claves regni cælorum, &c.* Illum poſtea graviter corripit, ut inſtruat Eccleſiæ Præſules ac Paſtores, ut blanditiis correctiones, favoribus rigores immiſceant, nec errores, flagitia, & ſcandala diſſimulent, ſi enim ſilentio, diſſimilatione, puſillanimitate ſuâ ita ſubditis indulgeant, in deteriora prolabentur, filiiſque ſimilia perpetrandi anſam præbebunt. *Inordinata* (inquit idem Cardinalis) *pietas principis quid eſt aliud quàm confuſio plebis. Nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur, ſubjecti quoque velut effrænes equi per abrupta rapiuntur.* Et hoc ſenſu explicat illud Apoſtoli ad Romanos cap. 13. verſ. 4. *Non enim ſine cauſa gladium portat, Dei miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit.* Quomodò Eccleſia gladium geſtare dicitur, cùm non amet ſanguinem? quis eſt iſte gladius? eſt cenſura Eccleſiaſtica, Hoc gladio S. Parentē Eliam armatum iri prædixit Oraculum Hieroſolymitanum apud S. Epiphanium lib. de vitis Prophetarum. *Profectus eſt itaque in Ieruſalem genitor, viſaq; ad Sacerdotes retulit. Reſpondit autem illi Crematiſmus, hoc eſt oraculū, ſivè reſponſor. Cave manifeſtum facias. Erit quippe lumen filii hujus domicilium, ſermoq; eius demonſtratio ac ſententia, & iudicabit Iſrael tùm in igne, tùm in romphæa.* Nam cùm nullius ferè generis, nominis & auctoritatis eſſet, vidēs divinam legem ab univerſo ferè populo violatam, ad arma proſiliit, zelo Dei incenſus, juxta illud Apoſtoli Hebræor. cap. 4. verſ. 12. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.* Tantæ virtutis eſt, ut infinita hominum millia, imò univerſam ferè orbis farinam fermentet, & in unum Eccleſiæ corpus uniat, & quod ferè in pulverem redactum eſt per peccatum, pſal 72. verſ. 22. *Ad nihilum redactus ſum & neſcivi.* Solus in ſolidum corpus conſtringat: ſolus enim comparet in Carmelo contra 450. Prophetas Baal, & 400. Prophetas Lucorum coram Rege Achab ac univerſo populo Iſrael, eoſque confundit, ſolus ut ipſe aſſerit lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 22. cap. 19 verſ. 10 & 14. Solus in fine mundi erit, cum Enoch & præliabitur contra Antichriſtum & ſequaces ejus, Apoc. cap. 11. verſ. 5. eoſque ſuperabit *Ecce* (inquit Dominus Malachiæ cap. 4. verſ. 5.) *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, &c.* De eodem S. Chryſoſtomus tomo 6. homil. in ſanctos Petrum & Eliam, hæc affatur. *Age in medium proferamus Prophetam illum Eliam terreſtrem Angelum, & cæleſtē hominem, qui humi quidē ambulabat, & ea quæ in cælis ſunt gubernabat. Erat triū cubitorum ſtatura homo, & per ſublimem aeris regionem perambulabat, et uſque ad ipſa cæli faſtigia veſtigia protendebat. Ille (inquam) cuſtos, cuius lingua aquarum fuit theſaurus, & clavis cælorum; ille idiota & Philoſophus, pauper & dives. Pauper quod nihil poſſideret. Dives quod cæleſtes nubes linguâ ſuâ detineret.* Illi arridens Siracides Eccleſiaſtici cap 48. verſ. 3. ait, *Verbo Domini continuit cælum.* Vatablus. *Inhibuit cælum.* Complutēnſis. *Suſtinuit cælum.* S. Chryſoſtomus tomo 1. ſermon. 2. de Elia. *Clavis cæli ſit ſermo Eliæ ſanctiſſimi, iubet enim & clauditur, orat poſtmodum & aperitur.* Ecce quomodò pauper & idiota univerſam elementorum & cœlorum molem gladio & imperio ſuæ linguæ veri Dei cultui ſubjecit. Corporis quidem quātitate exiguus erat, ſed animi magnitudine & potentiâ tantus erat, ut homines in pulverem & quaſi ad nihilum redactos per peccatum in unum Chriſti & Eccleſiæ corpus coagularit inſtar fermenti. Nam ſi fermentum (ut notat S. Ambroſius ſermone 5.) prius convertitur & commutatur, ut maſſam fermentet, & elevet. Ita Elias prius perſecutionibus oppreſſus fuit, quam populum Dei fermentaret, ac in maſſam Eccleſiæ aggregaret, ut ipſe innuit lib. 3. Reg, cap. 19. verſ. 14. ubi poſtquam dixit Domino. *Quærunt animam meam ut auferant eam.* Baalitæ & alii veſtræ fidei & religionis hoſtes non contenti aras veſtras deſtruere, Prophetas Synagogæ propugnatores occidere, me adhuc ſuperſtitem perſequuntur, ubique ex-

verſ. 14. — S. Petrus Damian. — Rom. 13 verſ. 4. — S. Epiph. — Heb. 4. verſ. 12. — Pſal. 72. verſ. 22. — 3. Reg. 18 v. 22. Cap. 19. verſ. 10. — verſ. 1. — Malach. c. 4. v. 5. — S. Chryſ. — Eccli. 48 verſ. 3. — S. Chryſoſtomus — 3. Reg. 19. v. 14.

cubias & insidias ponunt, ut me comprehensum tandem ultimo supplicio afficiant, sicque cuncta Synagoga & vera religio pereat. Videamus jam quomodò istud fermentum intumescat, quomodò fermentet & elevetur.

vers. 15. & 16. Vers. 15. & 16. *Vade* (inquit Deus) *& revertere in viam tuam per desertum in Damascum, cùmq; perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, & Iehu filium Namsi unges regem super Israel, Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula unges Prophetam pro te.* Vers. 17. *Et erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu interficiet eum Eliseus.* Suum gladium vibravit Elias in Joram impium, qui successit pio Josaphat, ad quem secundùm Lyranum, Serarium, Sanchez, Bellarminum, Cornelium, Salianum post Hebræos in Sederolam cap. 17. nono anno post raptum scripsit, eum graviter increpans lib. 2. Paralip. cap. 21. quod à Deo & Religione Patris sui desciverit, quod fratres interfecerit, minatusq; est triplicem plagam scilicet publicam bonorum ipsius Regis & populi expilationem, regni jacturam, filiorum rapinam per Philistæos, Æthiopes, & Arabes. Deindè prædixit gravem morbum, diuturnamque duorum annorum tabem, ita ut viscera egerat, in fœlicemque animam in doloribus & fœtoribus exhalet, tandem quod honore regiæ sepulturæ carebit.

2. Par. c. 21. v. 2

XVIII. Eodem gladio percussit Baalitas lib. 3. Reg. cap. 18. vers. 40. dicens *Apprehendite Prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* Quo per Prophetas Baal intelliguntur Hæresiarchæ, Schismatici, &c. quod Ecclesiastico gladio Præsules delere & exterminare debeant. Lyranus. *Per hoc, quod Elias Prophetas Baal occidit, significatur quod Prædicator veritatis debet tales falsos Prædicatores & Doctores percutere gladio Verbi Divini, & denunciare occidendos per sententiam Dei.* Eodem gladio usus est contra Achab & Jezabel ob vitam & vineam Nabuthe ereptam cap. 21. & contra Ochoziam ob recursum ad Beelzebub lib. 4. Regum cap. 1. Eundem quoque sumpsit Eliseus ejus discipulus & successor, nam lib. 4. Regum cap. 3. vers. 9. *Perrexerunt Rex Israel, & Rex Inda, & Rex Edom, &c.* vers. 24. *Et percusserunt Moab.* vers. 25. *Et civitates destruxerant, &c.* Reges illi Prælatos designant, qui hæreticos, schismaticos, & infideles gladio spirituali cædunt.

3. Reg. 18. v. 40.

l. 4. Reg. c. 3. v. 9.

Hugo Victorinus lib. 7. cap. 22. *Reges bellantes rectores sunt fidelium, qui per Trinitatis fidem contra mundi principem & populum eius Philosophos, Schismaticos, Hæreticos, atque omnes iniquos armis spiritualibus confligunt.* Idem habet Angelomus. Vers. 29. idem S. Prophetа. *Percutietis* (inquit) *omnem civitatem munitam, & omnem urbem electã, & universum lignum succidetis, cunctosq; fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Quæ sunt illæ civitates munitæ, urbes electæ, ligna fructifera quæ succidi debent, qui sunt fontes aquarum, qui obturare debent, & agri qui lapidibus obruendi? Angelomus Monachus Gallus Ordinis S. Benedicti, qui floruit tempore Lotharii Imperatoris, scribens in cap. 3. lib. 4. Regum de Moab hæc ait, *Moab, qui de incesto natus est, & interpretatur de patre, benè illis convenit, ad quos Dominus dixit Ioannis cap. 8. vers. 6. De diabolo estis, & vultis facere voluntatẽ patris vestri. Hi ergò qui adversantur Ecclesiæ, partim minis, partim persecutionibus, partim dolo ac falsis fictionibus, sed per Christi virtutem, qui caput est populi Christiani superantur atque effugantur, &c.* Infra. *Civitates munitas & urbes electas possumus sæcularem prudentiã intelligere, in quam maximè Philosophi & hæretici confidunt. Hi ergò per Prædicatorem sancti Evangelii subvertuntur. Vndè dicit Apostolus 2. Corinth. cap. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Dei ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiã Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* Quid per succidenda ligna intelligat, innuit, *Non illa ligna*

Hugo Victorin.

vers. 19.

Agelom.

quæ faciunt fructum bonum, sed quæ mortiferum generant pastum, quæ raduitus securi examinis succisa pabulum fient ignis æterni. Quid per fontes aquarũ obturatos accipiendum sit, sic explicat. *Cùm hæresiarchæ simul cum suis sequacibus per Catholicos Doctores damnantur.* Obturationem verò cumulo lapidum faciendam ait esse omnium damnationem per censuras Ecclesiasticas. *Cùm venustas locutionis hæretica atque Philosophica anathematis pondere obruitur.*

XIX. Hujus anathematis per potestatem Ecclesiasticam emittendi mentionem facit lacer Textus eodem lib. 4. Regum cap. 13. Joas Rex Israel invisit S. Prophetam Eliseum morti proximum & flens coram eo dicebat versu 14. *Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga ejus.* Vers. 15. *Et ait ei Eliseus, affer arcum & sagittas.* Vers. 16. *Dixitque ad Regem Israel, pone manum tuam super arcum, &c.* Angelomus in illud caput scribit sagittas illas & arcum esse arma spiritualia quibus Ecclesiæ Præsules se munire debent. *Quid est, quod Propheta Regi Israel jubes arcum & sagittam afferre, nisi quod Redemptor noster rectoribus Ecclesiæ armis spiritualibus se indui, & contra hostem antiquum præcipit præliari? Arcum & sagittam sic explicat* Arcus nonnunquam in sacro eloquio pro ipso sacro eloquio poni solet, quod ex utroque testamento, velut ex cornu & chorda constat. *Per vetus quippe testamentum figuratur cornu propter duritiam. Per novum, quod incarnato Domino figuratum est signatur chorda: & dum chorda trahitur, cornu curvatur. Quia cùm novum testamentum discutitur à duritiâ litteræ vetus inclinatur, & ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigore eius duritia non tenetur. Sagitta enim sunt hæc ipsa verba, quæ Doctores proferunt. Vnde & etiam benè de sanctis Doctoribus per Prophetam gentilitatem ingredientibus dicitur Isaiæ cap. 7. Cum sagittis acutis & arcu ingredientur illuc.* Sed malim dicere per arcum intelligendã esse severitatem in peccatores, infideles, hæreticos, & schismaticos, quibus Prælati Ecclesiæ agere debent per chordam quæ arcum inclinat ac inflectit benignitatem, quæ à severitate separari non debet. Quid nomine sagittarum intendit? Angelomus. *Nos ergo cùm Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus, cùm verba doctrinæ damus, sagittas emittimus.* Seu potius dum verba Scripturæ per Ecclesiam explicata, ejusdem hostibus objicimus iisq; pertinaciter contradicunt, tum demum sagittas censurarũ in eos vibramus & confodimus. Quod sanctus Propheta dixit vers. 17. *Aperi fenestram orientalem, &c. jace sagittam.* Rabanus Sic (inquit Rabanus apud Glossam) *Redemptor noster Rectoribus Ecclesiæ armis spiritualibus se indui & contra hostẽ antiquum præcipit præliari. Arcus sacrum est eloquium.* Quæ sunt illa arma? Sunt censuræ. Tribus vicibus terra seu carnalis & contumax homo percuti debet, idest tribus monitionibus ad resipiscentiam inducendus. Prius suppositis manibus Elisei ad manus Regis. Lyranus. *Ad ostendendum quod meritis ipsius daretur regi signum victoriæ.* Nam (inquit Apostolus Roman. cap. 9. vers. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Joannis cap. 15. vers. 5. *Sine me* (inquit Christus) *nihil potestis facere.* Propheta ait. *Jace sagittam, & jecit. Et ait Eliseus, Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam.* Quid per emissionem sagittæ intelligit? Lyranus. *Intelligitur misericordia proveniens ex justitia misericordiâ temperata. Ideò subditur sagitta salutis Domini, quia talis sententia conformatur divinæ voluntati, & sagitta salutis contra Syriam, quæ interpretatur excelsa, quia talis sententia reprimit extollentiam superborum.*

Angelomus. *vers. 17.* Rabanus. Lyranus. *Rom. 9 vers. 16.* Lyranus.

Quo fine Vates Regius ab hostibus oppressus canit psalmo 7. vers. 7. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Genebrardus. *Sublimem & excelsum te ostende, potentiam declara in finibus, regionibus, & quasi transitibus inimicorum meorum eos scilicet mihi subigendo, sternendo, & in terram dejiciendo, in finibus, dum transeunt in nos.* Quorsum id postulet, subdit vers. 10. *Consumetur nequitia peccatorum.* Genebrardus. *Peribit iniquitas impiorum.* S. Chrysostomus

XX. *Psal. 7. vers. 7.* Genebr.

quomodò

S. Chrysostomus quomodò quærit? *Ut peccatum de medio tollatur. Non ut fumat pœnam de inimicis.* Cur Elias, Apostoli Prælati, sagittas igneas eiaculantur in impios? ut ferientes eos ignem amoris excitet, ut idem Psaltes vers. 14. declarat. *Sagittas suas ardentibus effecit.* S. Augustinus. *Tanquã sagitta mittuntur Apostoli, qui divina præconia jaculantur, sagitta ardentibus operatus est, ideſt qui percussi divino amore flagrarent. Quâ enim aliâ sagittâ percussa est, quæ dicit vulnerata charitate ego sum. Cantic. cap. 2. vers. 5. cap. 5. cap. 8. Et Græca habet sagittas suas ardentibus operatus sum. Latina, ardentes, sivè ipsa sagitta ardeans, sivè ardere faciant. Et infra sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis, ideſt quibus percussus, atque inflammatus tanto amore ardent regni cœlorum, & omnium resistentium, & à proposito revocare volentium linguas contemnas & persecutiones derideas, dicens quis me separabit à charitate Christi.* Talibus sagittis usus est Elias, ut populum ab idololatriâ ad verum Dei cultum revocaret. Siracides cap. 48. vers. 1. Ecclesiastici. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Cornelius. *Deus excitavit Eliam, qui zelo Dei, veræ religionis in corde ardebat, quasi igne: ideòque verbum oris ipsius ex corde igneo promanans, erat quasi fax ardens, & incendēs auditores.* Talis fuit Eliseus, Joannes Baptista, virique Apostolici, præcipuè Paulus, ut ipse insinuat 1. Corint. cap. 5. vers. 5. *Iam judicavi, &c. Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu-Christi.* Idem Cornelius. *Ut anima & mens hac pœnâ resipiscens, & renovata salva fiat in die judicii. Hinc patet finem excommunicationis eò ferri debere, ut pudorem & afflictionem excommunicato injiciat, quò humilietur.*

Psal. 48. v. 1. Cornel.

1. Cor. 5. vers. 5.

XXI. Lib. 3. cap. 19 vers. 17. divinum oraculum prædicit Eliæ, quod: *Quicumque fugerit gladium Hazael occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladiũ Iehu interficiet eum Eliseus.* Quid intelligit per gladium Hazael & Jehu? Respondet Lorichius. *Duo gladii prophanus & spiritualis?* Prophanus cõpus, spiritualis animam infectatur, prophanus Reipublicæ perturbatores, spiritualis Ecclesiæ scilicet *ad puniendum idololatriam, & hæresim*, prophanus plectit morte, ac societate humanâ nunquam rediturum privat, spiritualis è fidelium cœtu, sacramentorum participatione privat ut rei resipiscant, & illis iterùm potiantur, seu Prælatus mortificat per censuram, ut vivificet per pœnitentiam. Unde postquam Elias dixit Achabo lib. 3. Regum cap. 21. vers. 19. *Occidisti insuper & possedisti.* Dionysius. *Possidere vis vineam Naboth, sicque de scelere tuo reportare vis commodum, & pro illâ tam enormi injuriâ, non solùm non satisfacis, sed & lucrum consequeris, & auges offensam, cum tamen nulli debeat sua impietas suffragari.* Cur ita illum corripit Elias? respondet Lorichius ad intentum. *Optimates tyrannidem exercentes magno beneficio prosequi non poterit Ecclesiastes, quàm cùm tyrannidem eorum etiam acriter castigat.* Vers. 17. *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio, carnem suam, jejunavit, & dormivit in cilicio, & ambulavit demisso capite.* Lyranus. *In signum pœnitentiæ & humilitatis.* Dionysius. *Non ex furore secundum quod in fine precedentis capituli legitur venisse in Samariam furibundus, sed ex timore, atque in signum humiliationis & pœnitentiæ.* Lorichius. *Verus Propheta (ut ait Athanasius) est homines occidens ut vivificentur, confundunt Prophetæ in carnis interitum, ut spiritus salvus servetur in die Domini.* Et in cap. 20. *Nihil hæresi Deo magis adversum, non ergò parcendum est illis, verbo potissimum spiritus sunt ab Episcopis prosternendi.* Cur? *Ut* (inquit S. Chrysostomus) *peccatum de medio tollatur.* Per Christum, Eliam, viros Apostolicos, imò ipsum Euphratem Ethnicum Philosophum & Oratorem, de quo Plinius lib. 1. epist. 10. *Insectatur vitia non homines, nec castigat errantes, sed emendat.* Ideſt, in flagitia non capita [illegible] invehitur, non exulcerat [illegible] sed à flagi[illegible] revocare [illegible] on Cr[illegible]exte[illegible] vi[illegible] ac[illegible]

l. 3. Reg. 21. v. 19. Dionys.

Lorich.

vers. 17.

Lyranus

Dionys.

Lorich.

S. Chrys.

ejus suâ caudâ involvisset, ita sagittam in eum direxit, ut illæso filio illum perimeret. Manlius.

Manlius. *Vicet natura periclum*
Ars erat esse Patrem, somnoq; & morte levavit.

Sic Prælati monstrum peccati & hæresis configant & conficiant, at peccatorem non interficiant, sed procurent ut in æternum beatè vivat, aliquo tempore Ecclesiam interdicunt, ut ad meliorem frugem redeuntes, recipiantur in æterna tabernacula. Interim sic censurâ affectos non deserant, sed aliquos pios, benignos, ac doctos viros ad eos mittant, ut peccati gravitatem, & censuræ culpam declarent. Id Deus in ipsis mundi incunabulis exemplo docuit, cùm enim Protoparentes legem sibi impositam violassent, Deus mulierem variis pœnis ac ærumnis addixit. Deindè conversus ad Adamum hoc dixisse videtur, Omnia tibi subjeci Genesis cap. 1. Gen. 1. vers. 28. vers. 8. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus quæ moventur super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Ex tot plantis & arboribus frugiferis unius dumtaxat fructum intactum esse volui. Cap. 2. vers. 16. *Ex omni ligno Paradisi comede.* Vers. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas, in quacumque enim die comedes ex eo morte morieris.* Cornelius. *Minatur hic Deus Adæ inobedienti mortem, non tantùm corporis & temporalem, sed & animæ spiritualem & æternam in gehenna; eamque certam & ineffabilem. Hoc enim significat hæc geminatio, morte morieris, idest certissimè morieris.* Cùm reliquarum arborum copia tibi concessa esset unius fructum intactum relinquere poteras, sed quoniam pluris fecisti blanditias mulieris quàm jussionem Creatoris, prævaluit in te amor uxoris amori Dei, maluisti Dominum Deum offendere, quàm sociam contristare. Cap. 3. vers. 17. *Maledicta terra in opere tuo. Quia* (inquiunt Tostatus, Procopius, Peirerius, Cornelius) *tibi eam laboranti & sudanti pauca dabit fructus, imò sæpè tribulos & spinas.* Subdit. *In laboribus comedes ex ea.* Idest laborans & colens eam magnis molestiis, ærumnis & doloribus comedes germina & fructus ejus. Vers. 18. *Comedes herbam terræ.* Non delicias, sed (inquiunt Hebræi) vulgares & viles herbas. Denique vers. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Septuaginta. *Terra es, & in terram redibis.* Tandem vers. 21. *Fecit Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Oleaster in moralibus annotationibus ait. *Docet locus iste Prælatos non solùm castigare subditos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere. Nam etsi peccator castigandus sit, homo tamen ferendus est.* Quasi diceret Prælati dum aliquem judicant, & censurâ aliquâ subditos castigant, imitari debent supremum omnium Dominum & Judicem. Nam postquam eorum flagitia severiore sententiâ percusserunt, objurgationis acrimonia in violationem legis terminetur, sæviat verò transgressores benigna charitatis compassio, instar Domini, qui acriter correptos humaniter vestivit, nè frigerent. *Et induit eos.* Dum percutiunt percusso amoris & compassionis signa exhibeant. Audiant Isaiam cap. 55. vers. 1. *Venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac.* Non ait emite vinum tantùm, sed vinum & lac, seu vinum lacte temperatum, ut vinum minus mordeat. S. Bernardus serm. 2. de resurrectione Domini. *Evæ à Domino moderatam correptionem, quia omninò magnum quoddam bonum, & datum optimum est, & quod habent pauci. Videas multos sincerâ licet intentione leniter dicere, quod graviter audiatur, volat irrevocabile verbum, & quod sanare debuerat, quia mordacius fortè videtur exasperat et exulcerat magis.* Censura lata cum severitate & zelo, & nullâ lenitate temperata potius turbat, quàm emendet, potius exasperat, quàm prosit, potius exulcerat quàm sanet & vivificet.

Cap. 2. vers. 16.

Cap. 3. v. vers. 17.

v. 18.

vers. 19.

vers. 21. Oleaster

Isaiæ 55 v. 1.

S. Bernardus.

CAPUT

CAPUT II.

Potestatis Episcopalis judicialis una pœna est degradatio.

1. QUamvis varias pœnas possit Episcopus judicialiter imponere, aliquas tantùm attingemus, maximè degradationem, quæ videtur præfigurata in lepra Giezi, hic ob acceptam pecuniam, &c. à Naaman intuitu sanitatis restitutæ à S. Prophetâ Eliseo, ex sententiâ S. Elisei deinceps factus est ab hominum cõmunione extorris, lib. 4. Regum cap. 5. vers. 27. *Sed* 4 Reg. c. 5. v. 27 *& lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum, & egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Et deinceps cum Eliseo versatus non est, sed vitare debuit humanum consortium juxta legem Dei, Levit. cap. 13. vers. 46. *Omni tempore, quo leprosus est, & immundus solus habitabit extra castra.* Ideſt extra urbes Judææ, scilicet si sit pauper. Si enim erat persona valdè eminens, verbi gratiâ, Rex habitabat in domo liberâ, ut patet in Oziâ lib. 4. Regum cap. 15. vers. 5. cujus domus fuit omninò separata à populo, ut habetur libr. 2. Paralip. cap. 26. vers. 21. Undè perindè erat ac si habitasset extra castra. Eliseus igitur legis studiosissimus Giezi à se dimisit, undè Tostatus quæst. 10. notat quod cum cap. 8. Giezi dicitur collocutus cum Rege Joram, eique narravit miracula S. Elisei, id videtur contigisse priusquam esset lepra percussus, censetque cum Serrario, Saliano & aliis hic esse historologiâ, & lepram Giezi, & consequenter adventum Naamani ad Eliseum esse posteriores, ac contigisse anno ultimo regni Joram, paulò post occisi à Jehu. Quod si quis Sacræ Scripturæ ordinem retinere velit, debet concludere Giezi pœnitentiam egisse, sicque Deum & Eliseum placavisse, lepram si non ab omnibus posteris, saltem à se repulisse (inquit Serarius) & sic mundatum locutum fuisse cum Rege Joram. Etenim Cornelius in cap. 13. Levit. ait Deum olim voluisse leprosos extra castra degere. Primò nè alios inficerent. Secundò, ut in hâc separatione & solitudine ab omnibus destituti pœniterent & ad Deum recurrentes, dicerent. *Tibi derelictus est pauper, orphano eris adjutor.* Et hinc factum esse existimat, ut etiamsi divites forent, tamen mendicatò viverent, ejusmodi separatio Giezi & leprosorum ab hominum societate est typus pœnæ degradatorum ab Ecclesiâ, quod ut melius percipiatur, quædam à nobis præmittenda sunt.

In primis dico depositionem (prout à suspensione distinguitur) esse perpetuam remotionem ab ordinibus vel ministerio altaris, ita Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 110. num. 1. & alii. Hæc depositio, seu degradatio, vel est verbalis, vel actualis, inquiunt Fernandez in examine Theologiæ moralis part. 2. cap. 14. §. 1, Rodericus a Conha tract. de Confessariis sollicitantibus mulieres in confessione quæst. 24. Belletus disquis. cleric. part. 1. tit. *de Clericorum personali*, §. 10. num. 1. Moneta de distrib. quotid. quæst. 17. num. 1. Alterius de censuris tomo 2. disput. 2. cap. 1. Farinacius in praxi criminali quæst. 8, num. 72. Carolus de Graffis de effectibus. effectu 2. num. 814. & alii apud Cenedo ad decretal. collect. 65, num. 3, Barbosam jam citatum. verbalis fit cum verbis profertur sententia in Clericum, & privatur Ordinibus, & à ministerio altaris removetur, adeò ut nequeat exercere officiũ Clericale, & hæc degradatio appellatur propriè & simpliciter depositio, cap. *Sacerdos*, 81. cap. *qualiter & quando*, de accus. cap. 2, de pœn. lib. 6. Farinacius supra quæst. 8. Henriquez in summa lib. 13. cap. 15 §. 3. Moneta supra quæst. 17. & alii apud Barbosam citatum num. 2. & per hanc depositionem privilegium fori & Canonis non amittitur, ita Navarrus in manuali cap. 72. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 4. Bonacina de censuris disp. 4. puncto unico numer. 3. Menochius de arbitr. casu 425. num. 5. & 6. & alii apud Barbosam supra num. 3. quæ in absentem ferri II.

potest. Actualis (inquit Bonacina jam citatus) fit cum majori solemnitate, scilicet adstantibus Abbatibus infulatis, idest habentibus jus mitræ & baculi, aut astantibus aliis in dignitate constitutis, & præsente illo, qui degradari debet, cap. *novimus*, de verb. signif. Ritus autem hujus degradationis actualis, fit cum hac solemnitate; degradandus induitur vestibus sui ordinis, vasa sacra spectantia ad illum à quo degradandus est defert in conspectu Episcopi, qui eum gradatim exuit & privat, capillis tonditur, cum prolatione verborum, terrorem incutientium. Illa autem abrasio capillorum fit præcipuè in illis locis capitis; & manuum ubi in collatione ordinum facta est unctio. Uno verbo præsente judice sęculari detrahuntur omnia signa, quæ illi data sunt in susceptione Ordinum. Tandem exuitur habitu clericali, & sicut miles exauctoratur, traduntur; judici sæculari, ut illum in suum forum & jurisdictionē suscipiat, ut habetur cap. *felix*, 5. quæst. 17. cap. *non potest*, de re judic. cap. *cùm non ab homine*, de judic. cap. *degradatio*, de pœnis, lib. 6. De hujus degradationis actualis ritu accipe quædam verba Concilii Tridentini sessione 13. cap. 4. *Per seipsum ad actualem, atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorū Episcoporum præsentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate aut Diœcesi reperiri, aut commodè interesse possunt alioquin aliis personis in Ecclesiasticâ dignitate constitutis, quæ ætate graves, & juris scientiâ commendabiles existant.* De eâdem degradatione scribunt Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst 123. art 3. Henriquez in summa lib. 13. cap. 55. §. 1. & 3. Moneta de distributionib. quotid. quæst 17 Carolus de Grassis supra effect. 2. Bellettus supra §. 10. Marta de jurisdict. part. 1. cap. 51. & parte 4. casu 131. num. 6. Menochius supra casu 415. Joannes Aloysius Leo in l. *Officialis*; Scaccias de judic. part. 1 cap. 11. numer. 55. & 73, Antonius Burgas tract. de regularit tit. de sentent. depos. num. 7. Petrus Andræas Gambara de officio legati lib. 2. num. 196. Bonacina supra num. 2. Hic inter verbalem & actualem degradationem hoc affert discrimen. Primò, quod actualis non gaudet privilegio fori & canonis, cap. *degradatio*, de pœnis in 6. Depositus verò verbaliter gaudeat privilegio canonis. Undè qui illum percutit incurrit excommunicationē, non tamen si præfectus triremium, illum percutiat ex officio, sicut solet percutere reliquos remiges. Ratio 1.ª est, quia fungitur suo munere. 2.ª quia Clericus ad triremes damnatus censetur damnatus ad pœnas & onera consequentia. Quod si percutiat ob alias causas, eandem excōmunicationem incurrit, quam alii percutientes injustè clericum verbaliter depositum. Clericus depositus verbaliter ita gaudet privilegio fori, ut nequeat cogi vel puniri à judice sæculari, nisi post depositionem verbalem sit factus incorrigibilis, ut docent Summistæ de excommunicatione ob manus violentas, maximè Navarrus cap. 27. Sayrus lib. 5. cap. 20. Avila part. 4. dubio unic. Filliucius tract. 18. cap. 8. quæst. 2. num. 103. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 4. Suarez disp. 20. sect. 2. Dicitur autem incorrigibilis, qui perseverat in prioribus criminibus.

Differt etiam degradatio à suspensione, quod suspensus non privatur spe consequendi id, à quo est suspensus, sicut privatur degradatus & depositus. Undè realiter vel verbaliter depositus & degradatus, à nemine in pristinum statum restitui potest nisi à Pontifice cap. 1, & 2. dist. 50. & l. in fin. ff. *de quæstionibus*, Filliucius, Molina, Bonacina, & communiter Doctores. Ratio est quia inferiores summo Pontifice nequeunt dispensare in jure communi. Sed depositio ex iuris dispositione solet inducere privationem officii & beneficii absque spe illius consequendi. Differt autem ab excommunicatione & irregularitate, quod irregularitas & excōmunicatio III.

non

non privat beneficio acquisito sicut privat depositio & degradatio, ut docent Suarez disput. 16. sect. 1. & 2. Filliucius supra numer. 195. & seq. Deindè (inquit Lezana tomo 5. verbo *degradatio*, num. 2.) differt degradatio propriè dicta, seu actualis à censuris, quod hæ sint pœnæ medicinales, quæ possunt auferri positâ resipiscentiâ delinquentis, at degradatio est purè pœna vindicativa, & vinculum indissolubile carens spe remissionis.

IV. Clericus realiter degradatus consecrat validè, si adhibeat debitam materiam, formam & intentionem, ita Sayrus lib. 5. cap. 2. Lazarius verbo *degradatio*, Toletus libr. 1. cap. 50. Bonacina supra num. 5, Covarruvias, lib. 1. variar. cap. 10. Decianus, tract. criminali part. 3. lib. 4. cap. 9. Navarrus commun. de regularibus, numer. 36. Barbosa supra. Cenedo ad decretal. collect. 64. num. 4. & pract. ac canon. quæst. lib. 1. quæst. 30. Carolus de Graffiis effectu 1. Alterius disp. 2. art. 2. vers. *secundo*, Alexander de Nevo in cap. 1. num. 17. *qui Clerici*, Ratio est quia per degradationē non perdit characterem Ordinis, & consequenter validè consecrat. Bonacina jam citatus docet teneri etiam ad onera Ordinis, ut ad lectionem horarum. Ratio est, quia non eximitur ab onere per suam culpam. Idem subdit posse cum aliis recitare officium, modò non sit excommunicatus, nec dicat *Dominus vobiscum*. Item non potest validè contrahere matrimonium, quia adhuc retinet ordinem & votum castitatis.

V. Depositio vel degradatio spectat ad proprium Episcopum, ita Concilium Tridentinum supra, Coninck disp. 16. num. 6. Filliucius supra numer. 192. & 206. Avila disp. 5. dubio 1. Henriquez cap 43. Suarez supra sect. 1. num. 19. Bonacina supra numer. 8. Undè secundùm Concilium Tridentinum supra, Sayrum cap. 20. & cap. 22. Suarem Tolerum, Molinam, Valentiam supra, nostrum Lezanam tomo 3. quæst. regul. verbo *degradatio*, Filliucium num. 204. Bonacinam supra, & alios. Prælati regulares carent jure communi facultate degradandi suos subditos degradatione actuali seu reali. Ratio est quia jus commune designat ad id munus solum Episcopum, cap. *degradatio*, de pœnis, vel saltem ejus Vicarium ex Tridentin. Concil. session. 13. cap. 4. Ratio est, quia sicut admitti ad Ordines, seu ordinare spectat ad Episcopum, sic & deturbare ab illis, eo modo, quo fieri potest talis deturbatio. Quod Prælati nequeant ex privilegio patet, quia P. Lezana negat se tale privilegium vidisse. Nec allegari etiā potest consuetudo, de quâ etiam nihil audivit. Cui favet Sayrus de censuris lib. cap. Barbosa supra num. 25. Sylvester verbo *degradatio*, 1. Undè si aliquis Religiosus perpetret aliquod crimen dignum degradatione, Episcopus vocari debet. Et hoc modo explicari debet Joannes de Ligniaco in cap. *Nec in agro* cap. *de statu monach.* Abbas in cap. *cum contingat*, Chokier de jurisdictione Ordinarii in exemptos part. 2. quæst. 45. num. 98. Barbosa supra num. 31. ubi hæc scribit: cognoscit Episcopus contra exemptos in omnibus criminibus actualem seu solemnem degradationem postulantibus. Quoad verbalem degradationem Alderete de Religiosa disciplina lib. 2. cap. 3. numer. 24. & 25. noster Lezana supra existimant posse fieri à Prælatis Regularibus casu quo Religiosus non esset tradendus foro & brachio sæculari, vel constaret esse injustè condemnatum. Nequeunt Prælati Regulares subditum Religiosum degradatum restituere in pristinum statum, seu cum illo dispensare in hac pœna, ita Sylvester supra num. 11. Bonacina num. 4. Lezana etiam num. 4. Ratio est, quia est ex natura sua dispensabilis à solo Papâ. Secunda ratio, quia nulla extant privilegia virquorum Prælati regulares habeant facultatem dispensandi cum suis subditis in quibuscumque pœnis, de quibus agit P. Lezana tomo 1, cap. 10. num 35. & cap. 18. cap. 46. ob eandē rationem. Tertia, quia ex cap. ultim. de offic. vicarii in 6. in generali concessione non veniunt illa, quæ non esset quis verisimiliter concessurus in

specie. Non est autem credendum hoc privilegium, quod est de re gravissimâ, & rarò contingente à Pontifice concedi, nisi illud exprimatur, Suarez tomo 4. de religione tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 13. & tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 49. Verbâ quæ in degradatione actuali proferre potest Episcopus, possunt ex oppositio esse ejusdem tenoris, quæ in collatione Ordinum sunt prolata. Ut in ablatione planetæ *Auferimus tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali privamus.* In ablatione insignis ultimi quod in collatione Ordinum fuit primum, hæc verba, vel similia pronuncier. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus sancti, ac nostrâ tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio clericali.* Ita cap 2. de pœnis in 6. ex constit. Bonifacii VIII. Notat Barbosa post Alterium tomo 2. disp. 2. cap. 7. vers. *quæruntur Doctores.* Episcopum electum & confirmatum ante consecrationem non posse actualiter Clericum degradare. Ratio est, quia talis degradatio videtur esse quidam actus ordinis dependens ab ipsâ consecratione, & sic intellige verba *de talibus*, in cap. *transmissum*, de elect. Potest tamen Episcopus non consecratus deponere verbaliter, ita Auctores citati. Ratio est, quia verbalis depositio etiam respectivè nihil est aliud, quam quædam sententia, & ita est tantùm actus jurisdictionis, non ordinis. Cùm Clerici Diaconi & Subdiaconi sint insigniti charactere clericali in casibus, qui merentur degradationem est necessaria degradatio, ita Abbas in cap. *clericus*, de vita & honest. cleric. & in cap. 1. *si quis presbyter*, in 1. notab. de clericorum excommun. Bernat. in d. cap. 143. numer. 3. Cernantes ad l. 5. Tauri num. 17. Carolus de Graffis effectu 1. num. 839, Barbosa supra num. 8, contra Covarruviam pract. cap, 32, numer 3. vers. *hic equidem*, Guilelmum in cap. *Rainutius*, verbo *uxorem nomine*, Adelasiam decis. 2. num. 440. Cassaneum in consuet. Burg. rub. 1. §. 5. vers. *Archidiac.* num. 66. Aveadano in exequen. mandatis cap. 22. num. 33. Suarez de Paz in praxi tomo 2. prælud. 2. num. 8.

Crimina, quæ verbalem degradationem merentur, hæc recensentur à Feliciano de Vega de adulteris, n. 27. Moneta de distrib. quotid. quæst. 17. num. 6, Henriquez in summa lib. 13. cap. 55. §. 5. Petrus Gregorius syntagm. juris lib. 34. num. 4. Barbosa supra num. 10. Emmanuel Sa verbo *dispositio* 2. Bonacina sup. n. 6. & alii, apud ipsum adulterium, cōcubinatus perseverans post monitionē, simonia notoria, perjurium, stuprum, incæstus, furtum, homicidium, licet patratum sit solo consilio, delictum quo quis permittit suâ culpâ suum parochianū decedere absque Baptismo, & alia, maxima & atrocia crimina quæ inferunt irregularitatem. VI.

Scelera, ob quæ potest Episcopus realiter degradare sint enormia. Primum crimen est hæresis cap., *ad abolendam*, cap. *excommunicamus omnes*, l. 2. de hæreticis, Marius Alterius supra disp. 2. cap. 6. vers. *quod si*, Carolus de Graffis effectu 1. Bonacina supr. puncto unico, Belletus sup. §. 20. vers. *secundo.* Secundum crimen falsum in litteris Apostolicis perpetratū cap. *ad falsariorum*, de crimine falsi, Glossa verbo *postmodum*, in cap. *cum non ab humano*, de jud. Zerola in praxi Episc. part. 1. verbo *falsarii*, Farinacius in praxi criminali part. 6. tit. *de falsis*, quæst. 151 num. 1. Menochius de arbitr casu 306. Bobadilla in suâ politica lib. 2. cap. 17. Covarruvias variar. lib. 2. cap. 20. Julius Clarus supra quæst. 36. Bartholomæus Humada l. 60, num. 1. tit. 6. part. 1. Perez l. 21. in glossa *falsa*, titul. 19. lib. 8. ord. Carolus supra num. 846. Belletus supra §. 10. vers. *primus*, Alderete de disciplinâ religiosâ tuendâ lib. 2. cap. 17. Barbosa supra num. 10. Bonacina loco citato. Tertium crimen conspirationis contra proprium Episcopum, cap. *si quis sacerd.* 11. quæst. 1. Decianus in cap. *etsi clerici*, num. 243. Carolus de Graffis supra num. 836. Marius Alterius cap. 6. vers. *quod si in fine*, Belletus num 6. vers. *tertius*, Barbosa quoad crimen conspirationis in VII.

personam

personam Episcopi, Farinacius supra quæst. 8. Clarus supra quæst. 36. Belletus §. 10. vers. *tertius*, Socinus regul. 15. limit. 3. Asserunt requiri incorrigibilitatem, & fundantur in cap. *Cum non ab homine*, Addunt Abbas in cap. *at si clerici*, de judic. Rom. consil. 36. Ancharanus num. 10. in cap. *at si clerici*, & ibi Alciatus numer. 22. & in cap. *cum non ab homine*, Albertinus in cap. 1. de hæresi, lib. 6. quæst. 11. & 13. Menchaca de succes. creat. §. 2. Ob crimen læsæ Majestatis Clericum fieri actualiter degradandum. Ratio est, quia etsi non sit in lege expressum, tamen ob sceleris gravitatē asserunt brachio & curiæ sæculari esse tradendum ab Episcopo, licet non proponatur incorrigibilis. Sed contrarium sustinent Gigas Barbatia consil. 22. dubio 1. lib. 3. Curte consil. 154. num. 1. Rol. consil. 4. lib. 1. Bossi in pract. crimin. tit. de foro compet. num. 137. & tit. de crimine læsæ majestatis, numer. 86. Clarus in §. final. quæst. 36. §. *læsæ majestatis crimen*, numer. Salzedo in praxi cap. 124. aiunt hanc sententiam esse communem, & sequendam attento jure. Propter crimen assassinii, Barbosa supra negat clericum mereri degradationem actualem, si attendas jura, Nec cap. 1. de homicid. lib. 6. hoc dicit, sed tantùm asserit primò depositionem ipso jure à lege esse impositam, quæ depositio ejusmodi verbis, vel similibus à lege cōstituta est, non est degradatio actualis, sed irregularitas. Vel dicendum secundò illā pœnam esse impositam respectu sæcularium. Vel tertiò respondendum crimen læsæ majestatis gravius esse quàm crimen assassinii, l. *quisquis*, C. *ad l. Iuliam majest.* Et tamen pro illo regulariter non imponitur depositio in ordine ad actualem degradationem, ut clericus tradatur ab Episcopo curiæ sæculari. Vide plura apud Barbosam supra. De crimine etiam nonnulli dubitant, de quo consulendi sunt Carolus de Grassis effectu 1. numer. 838. Farinacius quæst. 8. num. 76. Belletus §. 10. numer. 6. vers. *quartus*, Borgas. tit. *de sententiâ depositionis*, num. 16. & alii. Concluuit Barbosa cum alis Doctoribus, quod consultum esset, si per novam constitutionem exprimerentur aliqua enormia Clericorum scelera, quæ merentur actualem degradationem, ac curiæ sæculari traderentur, ut saltem metu pœnæ malorum insolentia temperaretur.

Sayrus cap. 22. num. 28. Avila part. 4. dubio unico & alii existimant ab Episcopo debere provideri, ut degradatus alatur de fructibus sui beneficii, sed Covarruvias 3. variar. cap. 13. num. 8. Bonacina supra num. 7. & alii negant. Primò, quia id videtur usu receptum. Secundò quia quod degradatus beneficio & fructibus beneficii privetur debet sibi imputare. VIII.

Aliquas declarationes reperio, quibus significatur quinam possint ab Episcopo tradi brachio sæculari. Pius V. apud Navarrum in manual. cap. 27. num. 249. constituit pœnam degradationis & traditionis curiæ sæculari nefario crimini contra naturam, seu sodomitico, maximè si sint frequentes actus, seu usus sit continuus, & semen intra vas effundatur. Bonacina de matrim. quæst. 4. puncto 11. num. 2. Homobonus part. 2. cap. 4. sect. 2. Lactantius Finellus de casibus reservatis casu 9. num. 6. Chapeavillus eodem tract. cap. 25. quæst. Barbosa de officio & potestate Episcopi part. 2. alleg. 44. numer. 24. Quod requiratur frequens usus colligit Barbosa jam citatus num. 25. ex l. *item lex Iulia*, instit. *de publicis judiciis*, item l. *Iulia de adulteriis quæ non solùm tentatores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent.* Per verbum *exercere* esse intelligendū frequentem usum & solitum docent omnes, ita ut bis vel ter perpetratum talem pœnam non mereatur, ita Majolus lib. 5. cap. 43. num. 3. Navarrus in manuali cap. 27. num. 249. vers. *tertio*, Sayrus de censuris lib. 7. cap. 12. Avila eodem tract. part. 3. disp. 4. dubio 7. Diana moral. resol. part. 1. tract. 17. resol. 63. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 2. alleg. 44. num. 25. Novarius in lucernâ regul. verbo *sodomia*, Homobonus de casibus reservatis part. 2. cap. 4. sect. 5. IX.

quæ faciunt fructum bonum, sed quæ mortiferum generant pastum, quæ radicitus secuti examinis succisa pabulum fient ignis æterni. Quid per fontes aquarũ obturatos accipiendum sit, sic explicat. *Cùm hæresiarcha simul cum suis sequacibus per Catholicos Doctores damnantur.* Obturationem verò cumulo lapidum faciendam ait esse omnium damnationem per censuras Ecclesiasticas. *Cùm venustas locutionis hæretica atque Philosophica anathematis pondere obruitur.*

XIX. Hujus anathematis per potestatem
l. 4. *Reg.* 13. *v.* 14. Ecclesiasticam emittendi mentionem facit lacer Textus eodem lib. 4. Regum cap. 13. Joas Rex Israel invisit S. Prophetam Eliseum morti proximum & flens coram eo dicebat versu 14. *Pater mi, Pater mi currus Israel*
vers. 15. *& auriga eius.* Vers. 15. *Et ait ei Eliseus, affer arcum & sagittas.* Vers. 16.
vers. 16. *Dixitque ad Regem Israel, pone manum tuam super arcum, &c.* Angelomus in illud caput scribit sagittas illas & arcum esse arma spiritualia quibus Ecclesiæ Præsules se munire debent.
Angelomus. *Quid est, quod Propheta Regi Israel iubet arcum & sagittam afferre, nisi quod Redemptor noster rectoribus Ecclesiæ armis spiritualibus se indui, & contra hostem antiquum præcipit præliari? Arcum & sagittam sic explicat. Arcus nonnunquam in sacro eloquio pro ipso sacro eloquio poni solet, quod ex utroque testamento, velut ex cornu & chorda constat. Per vetus quippe testamentum figuratur cornu propter duritiam. Per novum, quod incarnato Domino figuratum est signatur chorda: & dum chorda trahitur, cornu curvatur. Quia cùm novum testamentum discutitur à duritiâ litteræ vetus inclinatur, & ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigore eius duritia non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba, quæ Doctores proferunt. Undè etiam benè ac sanctis Doctoribus per Prophetam gentilitatem ingredientibus dicitur Isaiæ cap. 7. Cum sagittis acutis & arcu ingrediuntur illuc.* Sed malim dicere per arcum intelligendã esse severitatem in peccatores, infideles, hæreticos, & schismaticos, quibus Prælati Ecclesiæ agere debent per chordam quæ arcum inclinat ac inflectit benignitatem, quæ à severitate separari non debet. Quid nomine sagittarum intendit? Angelomus. *Nos ergo cùm Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus, cùm verba doctrinæ damus, sagittas emittimus.* Seu potius dum verba Scripturiæ per Ecclesiam explicata, ejusdem hostibus objicimus iisq; pertinaciter contradicunt, tum demum sagittas censurarũ in eos vibramus & confodimus. Quod sanctus Propheta dixit vers. 17. *Aperi fenestram orientalem, &c. jace sagittam.* *vers.* 17. Rabanus Sic (inquit Rabanus apud Glossam) *Redemptor noster Rectoribus Ecclesiæ armis spiritualibus se indui & contra hostẽ antiquum præcipit præliari. Arcus sacrum est eloquium.* Quæ sunt illa arma? Sunt censuræ. Tribus vicibus terra seu carnalis & contumax homo percuti debet, idest tribus monitionibus ad resipiscentiam inducendus. Prius suppositis manibus Eliseï ad manus Regis. Lyranus. *Ad ostendendum quod meritis ipsius daretur regi signum victoriæ.* Nam (inquit Apostolus Roman. cap. 9. vers. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Joannis cap. 15. vers. 5. *Sine me* (inquit Christus) *nihil potestis facere.* Prophera ait. *Jace sagittam, & jecit. Et ait Eliseus, Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam.* Quid per emissionem sagittæ intelligit? Lyranus. *Intelligitur misericordia proceaens ex justitia misericordiâ temperata. Ideò subditur sagitta salutis Domini, quia talis sententia conformatur divinæ voluntati, & sagitta salutis contra Syriam, quæ interpretatur excelsa, quia talis sententia reprimit extollentiam superborum.* Lyranus. *Rom.* 9 *vers.* 16.

Quo fine Vates Regius ab hostibus XX.
Psal. 7. *vers.* 7. Genebr. oppressus canit psalmo 7. vers. 7. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Genebrardus. *Sublimem & excelsum te ostende, potentiam declara in finibus, regionibus, & quasi transitibus inimicorum meorum eos scilicet mihi subigendo, sternendo, & in terram dejiciendo, in finibus, dum transeunt in nos.* Quorsum id postulet, subdit vers. 10. *Consumetur nequitia peccatorum.* Genebrardus. *Peribit iniquitas impiorum.* S. Chrysostomus

quomodò

S. Chrysostomus quomodò quærit? *Vt peccatum de medio tollatur. Non ut fumat pœnam de inimico*. Cur Elias, Apostoli Prælati, sagittas igneas ejaculantur in impios? ut feriendo eos ignem amoris excitet, ut idem Psaltes vers. 14 declarat. *Sagittas tuas ardentibus effecit.* S. Augustinus. *Tanquã sagitta mittuntur Apostoli, qui divina præconia jaculantur, sagitta ardentibus operatus est, ideſt qui percussi divino amore flagrarent. Quid enim aliâ sagittâ percussa est, quæ dicit vulnerata charitate ego sum. Cantic cap. 3. vers 5. cap. 5. cap. 8. Et Græca habet sagittas suas ardentibus operatus sum. Latina, ardentes, sivè ipsa sagitta ardeans, sivè ardere faciant. Et infra sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis, ideſt quibus percussus, atque inflammatus tanto amore ardent regni cælorum, & omnium resistentium, & à proposito revocare volentium linguas contemnas & persecutiones derideas, dicens quis me separabit à charitate Christi.* Talibus sagittis usus est Elias, ut populum ab idololatriâ ad verum Dei cultum revocaret. Siracides cap. 48. vers. 1. Ecclesiastici. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi fascula ardebat.* Cornelius. *Deus excitavit Eliam, qui zelo Dei, vera religionis in corde ardebat, quasi igne: ideòque verbum oris ipsius ex corde igneo promanans, erat quasi fax ardens, & incendẽs auditores.* Talis fuit Enseus, Joannes Baptista, virique Apostolici, præcipuè Paulus, ut ipse insinuat 1. Corint. cap. 5. vers. 5. *Iam judicavi, &c. Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu-Christi.* Idem Cornelius. *Vt anima & mens hac pœnâ resipiscens, & renovata salva fiat in die judicii. Hinc patet finem excommunicationis eò ferri debere, ut pudorem & afflictionem excommunicato injiciat, quò humilietur.*

Psal. 48. v. 1. Cornel.

1. Cor. 5. vers. 5.

XXI. Lib. 3. cap. 19 vers. 17. divinum oraculum prædicit Eliæ, quod: *Quicumque fugerit gladium Hazael occides eum Iehu, & quicumque fugerit gladiũ Iehu interficiet eum Eliseus* Quid intelligit per gladium Hazael & Jehu? Respondet Lorichius. *Duo gladii prophanus & spiritualis*? Prophanus corpus, spiritualis animam infectatur, prophanus Reipublicæ perturbatores, spiritualis Ecclesiæ scilicet *ad puniendum idololatriam, & hæresim*, prophanus plectit morte, ac societate humanâ nunquam rediturum privat, spiritualis è fidelium cœtu, sacramentorum participatione privat ut resipiscant, & illis iterùm potiantur, seu Prælatus mortificat per censuram, ut vivificet per pœnitentiam. Unde postquam Elias dixit Achabo lib. 3. Regum cap. 21. vers. 19. *Occidisti insuper & possedisti.* Dionysius. *Possidere vis vineam Naboth, sicque de scelere tuo reportare vis commodum, & pro illâ tam enormi injuriâ, non solùm non satisfacis, sed & lucrum consequeris, & auges offensam, cum tamen nulli debeat tua impietas suffragari.* Cur ita illum corripit Elias? respondet Lorichius ad intentum. *Optimates tyrannidem exercentes magno beneficio prosequi non poterit Ecclesiastes, quàm cùm tyrannidem eorum strenuè acriter castigat.* Vers. 17, *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitq; & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Lyranus. *In signum pœnitentiæ & humilitatis.* Dionysius. *Non ex furore secundum quod in fine præcedentis capituli legitur venisse in Samariam furibundus, sed ex timore, atque in signum humiliationis & pœnitentiæ.* Lorichius. *Verus Propheta* (ut ait Athanasius) *est homines occidens ut vivificentur, confundunt Prophetæ in carnis interitum, ut spiritus salvus servetur in die Domini.* Et in cap. 20. *Nihil hæresi Deo magis adversum, non ergò parcendum est illis, verbo potissimum spiritus sunt ab Episcopis prosternendi.* Cur? *Vt* (inquit S. Chrysostomus) *peccatum de medio tollatur.* Per Christum Eliam, viros Apostolicos, imò ipsum Euphratem Ethnicum Philosophum & Oratorem, de quo Plinius lib. 1. epist. 10. *Insectatur vitia non homines, nec castigat errantes, sed emendat.* Ideſt, in flagitia non capita hominum invehitur, non exulcerat flagitiosos, sed à flagitiis revocare contendit.

3. Reg. 19. v. 17

l. 3. Reg. 21. v. 19. Dionys.

Lorich.

vers. 17.

Lyranus

Dionys.

Lorich.

S. Chrys.

Alcon Cretensis tantâ dexteritate sagittas vibrabat, ut cùm draco filium XXII.

ejus suâ caudâ involvisset, ita sagittam in eum direxit, ut illæso filio illum perimeret. Manlius.

Manlius. *Vicet natura periclum*
Ars erat esse Patrem, somnoq; & morte levavit.

Sic Prælati monstrum peccati & hæresis configant & conficiant, at peccatorem non interficiant, sed procurent ut in æternum beatè vivat, aliquo tempore Ecclesiam interdicunt, ut ad meliorem frugem redeuntes, recipiantur in æterna tabernacula. Interim sic censurâ affectos non deserant, sed aliquos pios, benignos, ac doctos viros ad eos mittant, ut peccati gravitatem, & censuræ culpam declarent. Id Deus in ipsis mundi incunabulis exemplo docuit, cùm enim Proroparentes legem sibi impositam violassent, Deus mulierem variis pœnis ac ærumnis addixit. Deindè conversus ad Adamum hoc dixisse videtur, Omnia tibi subjeci Genesis cap. 1. Gen. c. 1. vers. 28. vers. 28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus quæ moventur super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Ex tot plantis & arboribus frugiferis unius dumtaxat fructum intactum esse volui. Cap. 2. vers. 16. *Ex omni ligno Paradisi comede.* Cap. 2. vers. 16. Vers. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas, in quacumque enim die comedes ex eo morte morieris.* Cornelius. *Minatur hic Deus Adæ inobedienti mortem, non tantùm corporis & temporalem, sed & animæ spiritualem & æternam in gehenna; eamque certam & ineffabilem. Hoc enim significat hæc geminatio, morte morieris, idest certissimè morieris.* Cùm reliquarum arborum copia tibi concessa esset unius fructum intactum relinquere poteras, sed quoniam pluris fecisti blanditias mulieris quàm jussionem Creatoris, prævaluit in te amor uxoris amori Dei, maluisti Dominum Deum offendere, quàm sociam contristare. Cap. 3. vers. 17. *Maledicta terra in opere tuo. Quia* (inquiunt Tostatus, Procopius, Peirerius, Cornelius) Cap. 3. vers. 17. *tibi eam laboranti & sudanti pautos dabit fructus, imò sæpè tribulos & spinas.* Subdit. *In laboribus comedes ex eâ.* Idest laborans & colens eam magnis molestiis, ærumnis & doloribus comedes germina & fructus ejus. Vers. 18. *Comedes herbam terræ.* Non delicias, sed (inquiunt Hebræi) vulgares & viles herbas. Denique vers. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Septuaginta. *Terra es, & in terram redibis.* Tandem vers. 21. *Fecit Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Oleaster in moralibus annotationibus ait. *Docet locus iste Prælatos non solùm castigare subditos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere. Nam etsi peccator castigandus sit, homo tamen serendus est.* Quasi diceret Prælati dum aliquem judicant, & censurâ aliquâ subditos castigant, imitari debent supremum omnium Dominum & Judicem. Nam postquam eorum flagitia severiore sententiâ percusserunt, objurgationis acrimonia in violationem legis terminetur, sæviat verò transgressores benigna charitatis compassio, instar Domini, qui acriter correptos humaniter vestivit, nè frigerent. *Et induit eos.* Dum percutiunt percussio amoris & compassionis signa exhibeant. Audiant Isaiam cap. 55. vers. 1. *Venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac.* Non ait emite vinum tantùm, sed vinum & lac, seu vinum lacte temperatum, ut vinum minus mordeat. S. Bernardus serm. 2. de resurrectione Domini. *Evæ à Domino moderatam correptionem, quia omninò magnum quoddam bonum, & datum optimum est, & quod habent pauci. Videas multos sincerâ licet intentione leniter dicere, quod graviter audiatur, volat irrevocabile verbum, & quod sanare debuerat, quia mordacius fortè videtur exasperat et exulcerat magis.* Censura lata cum severitate & zelo, & nullâ lenitate temperata potius turbat, quàm emendet, potius exasperat, quàm profit, potius exulcerat quàm sanet & vivificet.

v. 18. vers. 19. vers. 21. Oleaster Isaiæ 55 v. 1. S. Bernardus.

CAPUT

CAPUT II.

Potestatis Episcopalis judicialis una pœna est degradatio.

I. QUamvis varias pœnas possit Episcopus judicialiter imponere, aliquas tantùm attingemus, maximè degradationem, quæ videtur præfigurata in leprâ Giezi, hic ob acceptam pecuniam, &c. à Naaman intuitu sanitatis restituræ à S. Prophetâ Eliseo, ex sententiâ S. Eliséi deinceps factus est ab hominum cõmunione extorris, lib. 4. Regum cap. 5. vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum, & egressus est ab eo leprosus quasi nix.* 4 Reg. c5. v. 27 Et deinceps cum Eliseo versatus non est, sed vitare debuit humanum consortium juxta legem Dei, Levit. cap. 13. vers. 46. *Omni tempore, quo leprosus est, & immundus solus habitabit extra castra.* Idest extra urbes Judææ, scilicet si sit pauper. Si enim erat persona valdè eminens, verbi gratiâ, Rex habitabat in domo liberâ, ut patet in Oziâ lib. 4. Regum cap. 15. vers. 5. cujus domus fuit omninò separata à populo, ut habetur libr. 2. Paralip. cap. 26. vers. 21. Undè perindè erat ac si habitasset extra castra. Eliseus igitur legis studiosissimus Giezi à se dimisit, undè Tostatus quæst. 10. notat quod cum cap. 8. Giezi dicitur collocutus cum Rege Joram, eique narravit miracula S. Eliséi, id videtur contigisse priusquam esset leprâ percussus, censetque cum Serrario, Saliano & aliis hic esse historologiâ, & lepram Giezi, & consequenter adventum Naamani ad Eliseum esse posteriores, ac contigisse anno ultimo regni Joram, paulò post occisi à Jehu. Quod si quis Sacræ Scripturæ ordinem retinere velit, debet concludere Giezi pœnitentiam egisse, sicque Deum & Eliseum placavisse, lepram si non ab omnibus posteris, saltem à se repulisse (inquit Serarius) & sic mundatum locutum fuisse cum Rege Joram. Etenim Corneljus in cap. 13. Levit. ait Deum olim voluisse leprosos extra castra degere. Primò nè alios inficerent. Secundò, ut in hâc separatione & solitudine ab omnibus destituti pœniterent & ad Deum recurrentes, dicerent. *Tibi derelictus est pauper, orphano eris adjutor.* Et hinc factum esse existimat, ut etiamsi divites forent, tamen mendicatò viverent, ejusmodi separatio Giezi & leprosorum ab hominum societate est typus pœnæ degradatorum ab Ecclesiâ, quod ut melius percipiatur, quædam à nobis præmittenda sunt.

II. In primis dico depositionem (prout à suspensione distinguitur) esse perpetuam remotionem ab ordinibus vel ministerio altaris, ita Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 110. num. 1. & alii. Hæc depositio, seu degradatio, vel est verbalis, vel actualis, inquiunt Fernandez in examine Theologiæ moralis part. 2. cap. 14. §. 1, Rodericus a Conha tract. de Confessariis sollicitantibus mulieres in confessione quæst. 24. Belletus disquis. cleric. part. 1. tit. *de Clericorum personali*, §. 10. num. 1. Moneta de distrib. quotid. quæst. 17. num. 1. Alterius de censuris tomo 2. disput. 2. cap. 1. Farinacius in praxi criminali quæst. 8, num. 72. Carolus de Graffis de effectibus. effectu 2. num. 814. & alii apud Cenedo ad decretal. collect. 65, num. 3, Barbosam jam citatum. verbalis fit cum verbis profertur sententia in Clericum, & privatur Ordinibus, & à ministerio altaris removetur, adeò ut nequeat exercere officiũ Clericale, & hæc degradatio appellatur propriè & simpliciter depositio, cap. *Sacerdos*, 81. cap. *qualiter & quando*, de accus. cap. 2, de pœn. lib. 6. Farinacius supra quæst. 8. Henriquez in summa lib. 13. cap. 15 §. 3. Moneta supra quæst. 17. & alii apud Barbosam citatum num. 2. & per hanc depositionem privilegium fori & Canonis non amittitur, ita Navarrus in manuali cap. 72. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 4. Bonacina de censuris disp. 4. puncto unico numer. 3. Menochius de arbitr. casu 425. num. 5. & 6. & alii apud Barbosam supra num. 3. quæ in absentem ferri

potest. Actualis (inquit Bonacina jam citatus) fit cum majori solemnitate, scilicet adstantibus Abbatibus infulatis, idest habentibus jus mitræ & baculi, aut astantibus aliis in dignitate constitutis, & præsente illo, qui degradari debet, cap. *novimus*, de verb. signif. Ritus autem hujus degradationis actualis, fit cum hac solemnitate; degradandus induitur vestibus sui ordinis, vasa sacra spectantia ad illum à quo degradandus est defert in conspectu Episcopi, qui eum gradatim exuit & privat, capillis tonditur, cum prolatione verborum, terrorem incutientium. Illa autem abrasio capillorum fit præcipuè in illis locis capitis; & manuum ubi in collatione ordinum facta est unctio. Uno verbo præsente judice sęculari detrahuntur omnia signa, quæ illi data sunt in susceptione Ordinum. Tandem exuitur habitu clericali, & sicut miles exauctoratur, traditurq; judici sæculari, ut illum in suum forum & jurisdictionē suscipiat, ut habetur cap. *felix*, 5. quæst. 17. cap. *non potest*, de re judic. cap. *cùm non ab homine*, de judic. cap. *degradatio*, de pœnis, lib. 6. De hujus degradationis actualis ritu accipe quædam verba Concili Tridentini sessione 13. cap. 4. *Per seipsum ad actualem, atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorū Episcoporum præsentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate aut Diœcesi reperiri, aut commodè interesse possunt alioquin aliis personis in Ecclesiasticâ dignitate constitutis, quæ ætate graves, & juris scientiâ commendabiles existant.* De eâdem degradatione scribunt Franciscus Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst 123. art 3. Henriquez in summa lib. 13. cap. 55. §. 1. & 3. Moneta de distributionib. quotid. quæst. 17 Carolus de Graffis supra effect. 2. Bellerus supra §. 10. Marta de jurisdict. part. 1. cap. 51. & parte 4. casu 131. num. 6. Menochius supra casu 415. Joannes Aloysius Leo in l. *Officialis*; Scaccias de judic. part. 1 cap. 11. numer. 55. & 73, Antonius Burgas tract. de regularit tit. de sentent. depos. num. 7. Petrus Andræas Gambara de officio legati lib. 2. num. 196. Bonacina supra num. 2. Hic inter verbalem & actualem degradationem hoc affert discrimen. Primò, quod actualis non gaudet privilegio fori & canonis, cap. *degradatio*, de pœnis in 6. Depositus verò verbaliter gaudeat privilegio canonis. Undè qui illum percutit incurrit excommunicationē, non tamen si præfectus triremium, illum percutiat ex officio, sicut solet percutere reliquos remiges. Ratio 1.ª est, quia fungitur suo munere. 2.ª quia Clericus ad triremes damnatus censetur damnatus ad pœnas & onera consequentia. Quod si percutiat ob alias causas, eandem excōmunicationem incurrit, quam alii percutientes injustè clericum verbaliter depositum. Clericus depositus verbaliter ita gaudet privilegio fori, ut nequeat cogi vel puniri à judice sæculari, nisi post depositionem verbalem sit factus incorrigibilis, ut docent Summistæ de excommunicatione ob manus violentas, maximè Navarrus cap. 27. Sayrus lib. 5. cap. 20. Avila part. 4. dubio unic. Filliucius tract. 18. cap. 8. quæst. 2. num. 103. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 4. Suarez disp. 20. sect. 2. Dicitur autem incorrigibilis, qui perseverat in prioribus criminibus.

III. Differt etiam degradatio à suspensione, quod suspensus non privatur spe consequēndi id, à quo est suspensus, sicut privatur degradatus & depositus. Undè realiter vel verbaliter depositus & degradatus, à nemine in pristinum statum restitui potest nisi à Pontifice cap. 1, & 2. dist. 50. & l. in fin. ff. *de quæstionibus*, Filliucius, Molina, Bonacina, & communiter Doctores. Ratio est quia inferiores summo Pontifice nequeunt dispensare in jure communi. Sed depositio ex iuris dispositione solet inducere privationem officii & beneficii absque spe illius consequendi. Differt autem ab excommunicatione & irregularitate, quod irregularitas & excōmunicatio

non

non privat beneficio acquisito sicut privat depositio & degradatio, ut docent Suarez disput. 16. sect. 1. & 2. Filliucius supra numer. 195. & seq. Deindè (inquit Lezana tomo 5. verbo *degradatio*, num. 2.) differt degradatio propriè dicta, seu actualis à censuris, quod hæ sint pœnæ medicinales, quæ possunt auferri positâ resipiscentiâ delinquentis, at degradatio est purè pœna vindicativa, & vinculum indissolubile carens spe remissionis.

IV. Clericus realiter degradatus consecrat validè, si adhibeat debitam materiam, formam & intentionem, ita Sayrus lib. 5. cap. 2. Lazarius verbo *degradatio*, Toletus libr. 1. cap. 50. Bonacina supra num. 5, Covarruvias, lib. 1. variar. cap. 10. Decianus, tract. criminali part. 3, lib. 4. cap. 9. Navarrus commun. de regularibus, numer. 36. Barbosa, supra. Cenedo ad decretal. collect. 64. num. 4. & pract. ac canon. quæst. lib. 1. quæst. 30. Carolus de Graffiis effectu 1. Alterius disp. 2. art. 2. vers. *secundo*, Alexander de Nevo in cap. 1. num. 17. *qui Clerici*, Ratio est quia per degradationē non perdit characterem Ordinis, & consequenter validè consecrat. Bonacina jam citatus docet teneri etiam ad onera Ordinis, ut ad lectionem horarum. Ratio est, quia non eximitur ab onere per suam culpam. Idem subdit posse cum aliis recitare officium, modò non sit excommunicatus, nec dicat *Dominus vobiscum*. Item non potest validè contrahere matrimonium, quia adhuc retinet ordinem & votum castitatis.

V. Depositio vel degradatio spectat ad proprium Episcopum, ita Concilium Tridentinum supra, Coninck disp. 16. num. 6. Filliucius supra numer. 192. & 206. Avila disp. 5. dubio 1. Henriquez cap. 43. Suarez supra sect. 1. num. 19. Bonacina supra numer. 8. Undè secundùm Concilium Tridentinum supra, Sayrum cap. 20. & cap. 22. Suarem Toletum, Molinam, Valentiam supra, nostrum Lezanam tomo 3. quæst. regul. verbo *degradatio*, Filliucium num. 204. Bonacinam supra, & alios. Prælati regulares carent jure communi facultate degradandi suos subditos degradatione actuali seu reali. Ratio est quia jus commune designat ad id munus solum Episcopum, cap. *degradatio*, de pœnis, vel saltem ejus Vicarium ex Tridentin. Concil. session. 13. cap. 4. Ratio est, quia sicut admitti ad Ordines, seu ordinare spectat ad Episcopum, sic & deturbare ab illis, eo modo, quo fieri potest talis deturbatio. Quod Prælati nequeant ex privilegio patet, quia P. Lezana negat se talē privilegium vidisse. Nec allegari etiā potest consuetudo, de quâ etiam nihil audivit. Cui favet Sayrus de censuris lib. cap. Barbosa supra num. 25. Sylvester verbo *degradatio*, 1. Undè si aliquis Religiosus perpetret aliquod crimen dignum degradatione, Episcopus vocari debet. Et hoc modo explicari debet Joannes de Ligniaco in cap. *Nec in agro* cap. *de statu monach.* Abbas in cap. *cum contingat*, Chokier de jurisdictione Ordinarii in exemptos part. 2. quæst. 45. num. 98. Barbosa supra num. 31. ubi hæc scribit; cognoscit Episcopus contra exemptos in omnibus criminibus actualem seu solemnem degradationem postulantibus. Quoad verbalem degradationem Alderete de Religiosa disciplina lib. 2, cap. 3. numer. 24. & 25. nostet Lezana supra existimant posse fieri à Prælatis Regularibus casu quo Religiosus non esset tradendus foro & brachio sæculari, vel constaret esse injustè condemnatum. Nequeunt Prælati Regulares subditum Religiosum degradatum restituere in pristinum statum, seu cum illo dispensare in hac pœna, ita Sylvester supra num. 11. Bonacina num. 4. Lezana etiam num. 4. Ratio est, quia est ex natura sua dispensabilis à solo Papâ. Secunda ratio, quia nulla extant privilegia vi quorum Prælati regulares habeant facultatem dispensandi cum suis subditis in quibuscumque pœnis, de quibus agit P. Lezana tomo 1, cap. 10. num 35. & cap. 18. cap. 46. ob eandē rationem. Tertia, quia ex cap. ultim. de offic. vicarii in 6. in generali concessione non veniunt illa, quæ non esset quis verisimiliter concessurus in

specie. Non est autem credendum hoc privilegium, quod est de re gravissimâ, & rarò contingente à Pontifice concedi, nisi illud exprimatur, Suarez tomo 4. de religione tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 13. & tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 49. Verba quæ in degradatione actuali proferre potest Episcopus, possunt ex oppositio esse ejusdem tenoris, quæ in collatione Ordinum sunt prolata. Ut in ablatione planetæ *Auferimus tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali privamus.* In ablatione insignis ultimi quod in collatione Ordinum fuit primum, hæc verba, vel similia pronunciet. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus sancti, ac nostrâ tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio clericali.* Ita cap. 2. de pœnis in 6. ex constit. Bonifacii VIII. Notat Barbosa post Alterium tomo 2. disp. 2. cap. 7. vers. *quarunt Doctores.* Episcopum electum & confirmatum ante consecrationem non posse actualiter Clericum degradare. Ratio est, quia talis degradatio videtur esse quidam actus ordinis dependens ab ipsâ consecratione, & sic intellige verba *de talibus*, in cap. *transmissum*, de elect. Potest tamen Episcopus non consecratus deponere verbaliter, ita Auctores citati. Ratio est, quia verbalis depositio etiam respectivè nihil est aliud, quam quædam sententia, & ita est tantùm actus jurisdictionis, non ordinis. Cùm Clerici Diaconi & Subdiaconi sint insigniti charactere clericali in casibus, qui merentur degradationem est necessaria degradatio, ita Abbas in cap. *clericus*, de vita & honest. cleric. & in cap. 1. *si quis presbyter*, in 1. notab. de clericorum excommun. Bernar. in d. cap. 143. numer. 3. Cernantes ad l. 5. Tauri num. 17. Carolus de Graffis effectu 1. num. 839, Barbosa supra num. 8, contra Covarruviam pract. cap. 32. numer. 3. vers. *hic equidem*, Guilelmum in cap. *Rainutius*, verbo *uxorem nomine*, Adelasiam decis. 2. num. 440. Cassaneum in consuet. Burg. rub. 1. §. 5. vers. *Archidiac.* num. 66. Avendano in exequen. mandatis cap. 22. num. 33. Suarez de Paz in praxi tomo 2. prælud. 2. num. 8.

VI. Crimina, quæ verbalem degradationem merentur, hæc recensentur à Feliciano de Vega de adulteris, n. 27. Moneta de distrib. quotid. quæst. 17. num. 6, Henriquez in summa lib. 13. cap. 55. §. 5. Petrus Gregorius syntagm. juris lib. 34. num. 4. Barbosa supra num. 10. Emmanuel Sa verbo *dispositio* 2. Bonacina sup. n. 6. & alii, apud ipsum adulterium, cõcubinatus perseverans post monitionẽ, simonia notoria, perjurium, stuprum, incæstus, furtum, homicidium, licet patratum sit solo consilio, delictum quo quis permittit suâ culpâ suum parochianũ decedere absque Baptismo, & alia, maxima & atrocia crimina quæ inferunt irregularitatem.

VII. Scelera, ob quæ potest Episcopus realiter degradare sint enormia. Primum crimen est hæresis cap., *ad abolendam*, cap. *excommunicamus omnes*, l. 2. de hæreticis, Marius Alterius supra disp. 2. cap. 6. vers. *quod si*, Carolus de Graffis effectu 1. Bonacina supr. puncto unico, Belletus sup. §. 20. vers. *secundo.* Secundum crimen falsum in litteris Apostolicis perpetratũ cap. *ad falsariorum*, de crimine falsi, Glossa verbo *postmodum*, in cap. *cum non ab humano*, de jud. Zerola in praxi Episc. part. 1. verbo *falsarii*, Farinacius in praxi criminali part. 6. tit. *de falsis*, quæst. 151 num. 1. Menochius de arbitr. casu 306. Bobadilla in suâ politica lib. 2. cap. 17. Covarruvias variar. lib. 2. cap. 20. Julius Clarus supra quæst. 36. Bartholomæus Humada l. 60. num. 1. tit. 6. part. 1. Perez l. 21. in glossa *falsa*, titul. 19. lib. 8. ord. Carolus supra num. 846. Belletus supra §. 10. vers. *primus*, Alderete de disciplinâ religiosâ tuendâ lib. 2. cap. 17. Barbosa supra num. 10. Bonacina loco citato. Tertium crimen conspirationis contra proprium Episcopum, cap. *si quis sacerd.* 11. quæst. 1. Decianus in cap. *etsi clerici*, num. 243. Carolus de Graffis supra num. 836. Marius Alterius cap. 6. vers. *quod si in fine.* Belletus num. 6. vers. *tertius*, Barbosa quoad crimen conspirationis in personam

personam Episcopi, Farinacius supra quæst. 8. Clarus supra quæst. 36. Belletus §. 10. vers. *tertius*, Socinus regul. 15. limit. 3. Asserunt requiri incorrigibilitatem, & fundantur in cap. *Cum non ab homine*, Addunt Abbas in cap. *at si clerici*, de judic. Rom. consil. 36. Ancharanus num. 10. in cap. *at si clerici*, & ibi Alciatus numer. 22. & in cap. *cum non ab homine*, Albertinus in cap. 1. de hæresi, lib. 6. quæst. 11. & 13. Menchaca de succeff. creat. §. 2. Ob crimen læsæ Majestatis Clericum fieri actualiter degradandum. Ratio est, quia etsi non sit in lege expressum, tamen ob sceleris gravitatē asserunt brachio & curiæ sæculari esse tradendum ab Episcopo, licet non proponatur incorrigibilis. Sed contrarium sustinent Gigas Barbatia consil. 22. dubio 1. lib. 3. Curte consil. 154. num. 1. Rol. consil. 4. lib. 1. Bossi in pract. crimin. tit. de foro compet. num. 137. & tit. de crimine læsæ majestatis, numer. 86. Clarus in §. final. quæst. 36. §. *læsæ majestatis crimen*, numer. Salzedo in praxi cap. 124. aiunt hanc sententiam esse communem, & sequendam attento jure. Propter crimen assassinii, Barbosa supra negat clericum mereri degradationem actualem, si attendas jura, Nec cap. 1. de homicid. lib. 6. hoc dicit, sed tantùm asserit primò depositionem ipso jure à lege esse impositam, quæ depositio ejusmodi verbis, vel similibus à lege cōstituta est, non est degradatio actualis, sed irregularitas. Vel dicendum secundò illā pœnam esse impositam respectu sæcularium. Vel tertiò respondendum crimen læsæ majestatis gravius esse quàm crimen assassinii, l. *quisquis*, C. *ad l. Juliam majest.* Et tamen pro illo regulariter non imponitur depositio in ordine ad actualem degradationem, ut clericus tradatur ab Episcopo curiæ sæculari. Vide plura apud Barbosam supra. De crimine etiam nonnulli dubitant, de quo consulendi sunt Carolus de Grassis effectu 1. numer. 838. Farinacius quæst. 8. num. 76. Belletus §. 10. numer. 6. vers. *quartus*, Borgal. tit. *de sententiâ depositionis*, num. 16. & alii. Concluuit Barbosa cum alis Doctoribus, quod consultum esset, si per novam constitutionem exprimerentur aliqua enormia Clericorum scelera, quæ merentur actualem degradationem, ac curiæ sæculari traderentur, ut saltem metu pœnæ malorum insolentia temperaretur.

VIII. Sayrus cap. 22. num. 28. Avila part. 4. dubio unico & alii existimant ab Episcopo debere provideri, ut degradatus alatur de fructibus sui beneficii, sed Covarruvias 3. variar. cap. 13. num. 8. Bonacina supra num. 7. & alii negant. Primò, quia id videtur usu receptum. Secundò quia quod degradatus beneficio & fructibus beneficii privetur debet sibi imputare.

IX. Aliquas declarationes reperio, quibus significatur quinam possint ab Episcopo tradi brachio sæculari. Pius V. apud Navarrum in manual. cap. 27. num. 249. constituit pœnam degradationis & traditionis curiæ sæculari nefario crimini contra naturam, seu sodomitico, maximè si sint frequentes actus, seu usus sit continuus, & semen intra vas effundatur. Bonacina de matrim. quæst. 4. puncto 11. num. 2. Homobonus part. 2. cap. 4. sect. 2. Lactantius Finellus de casibus reservatis casu 9. num. 6. Chapeavillus eodem tract. cap. 25. quæst. Barbosa de officio & potestate Episcopi part. 2. alleg. 44. numer. 24. Quod requiratur frequens usus colligit Barbosa jam citatus num. 25. ex l. *item lex Iulia*, instit. *de publicis judiciis*, item l. *Iulia de adulteriis quæ non solùm tentatores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent.* Per verbum *exercere* esse intelligendū frequentem usum & solitum docent omnes, ita ut bis vel ter perpetratum talem pœnam non mereatur, ita Majolus lib. 5. cap. 43. num. 3. Navarrus in manuali cap. 27. num. 249. vers. *tertio*, Sayrus de censuris lib. 7. cap. 12. Avila eodem tract. part. 3. disp. 4. dubio 7. Diana moral. resol. part. 1. tract. 17. resol. 63. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 2. alleg. 44. num. 25. Novarius in lucernâ regul. verbo *sodomia*, Homobonus de casibus reservatis part. 2. cap. 4. sect. 5.

casu 5. Bellochius eodem tract. part. 1. quæst. 1. Azorius instit. part. 3. lib. 3. cap. 19. quæst. 2. Emmanuel de Valle de incant. Suarez tomo 5. disp. 31. sect. 4. Campanile in diveri. juris canon. rub. 11. cap. 22. Nicolaus Garcias de benef. part. 11. cap. 10. Marta de jurisdict. part. 2. quæst. 16. Lotterius de re benef. lib. 3. quæst. 31 Marchinus tract. de Sacramento Ordinis tract. 1. part. 8. cap. 4. Petrus Ledesma in summa part. 2. tract. 27. cap. 15. concl. 4. Franciscus Leo in thesauro for. Eccles. part. 3. cap. 4. Marius Alterius de censuris titul. 2. disp. 15. cap. 3. vers. *sed dubitari*, Marcus Antonius Genuensis in praxi Archiepiscop. cap. 67. Henriquez in summa lib. 13. cap. 36. in comm. l. n. & lib. 14. cap. 6. in commun. l. f. Franciscus Emmanuel in summa part. 1, cap. 209, & tomo quæst. regul. quæst. 30, art. 19. noster Lezana in summa quæst. regul. tomo 1. cap. 5. numer. 11. & 12. ubi constitutionem Sanctissimi Pontificis Pii V. editæ 1568. tomo 2. Bullar. num. 72. *Omnes & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares & regulares cujuscumque gradus & dignitatis-, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis canonis auctoritate privamus, ita quod per judicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos legitimis reperitur sanctionibus devolutũ.* Ubi notat particulam *exercentes*, significare actum per aliquas vices continuatum.

X. Quaranta in summa bullar. verbo *abortus* num. 6. Chapeavillus tract. de casibus reservatis part. 2. cap. 9. quæst. 1. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 3. alleg 110. numer. 20. asserunt posse Ecclesiasticum ab Episcopo tradi Curiæ sæculari ob abortum animatum.

XI. Si Confessarii sollicitent mulieres in confessione, si delicti gravitas exigat Curiæ sæculari puniendi tradi possunt ex constitutione Gregorii XV. editâ anno 1622. die 30. Augusti, quæ incipit. *Universi*, ubi præcipit & mandat, *ut omnes hæreticæ pravitatis inquisitores, & locorum ordinarii, omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani in suis quisque Diœcesibus & territoriis privativè quo ad omnes alios perpetuò judices delegati inquirere, & procedere possint, contra quoscumque etiam quomodolibet exemptos, & sedi Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, Congregationum regulares cujuscumque dignitatis aut præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui in personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, hujusmodi etiam ipsâ confessione non secutâ, sivè extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire sollicitare, vel provocare teneraverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones sivè tractatus habuerint. Qui quidem hæreticæ pravitatis inquisitores & locorum Ordinarii, contra quos in aliquo ex hujusmodi nefandis excessibus culpabiles reperierint, pro criminum qualitate & circumstantiis, suspensionem ab executione Ordinis, privatione beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & passivæ, si regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam perpetuos, absque ullâ spe gratiæ, aliasq; pœnas, eos quoque ex pro delicti gravitate graviores pœnas meruerint, debitâ præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant.* Vide Lauretum de Franchis tract. de controvers. inter regul. & Episcopos quæst. 5. num. 6. Laurentium de Peirinis tomo 2. privileg. Minim constit. 4. Gregor. XV. §. 6. Bonacinam variar. tract. disp. 6. puncto 3. Sanctarellum tract. de hæresi cap. 44. Barbosam de off. & potest. Episc. allegat. 105. ubi notant Episcopos vi præfatæ Bullæ posse cognoscere de hoc crimine, & delinquentes tradere Curiæ sæculari.

Si

XII. Si quis celebret, vel confessionem sacramentalem excipiat non initiatus Ordine Præsbyteratus potest à judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiasticâ misericordiâ indignus abjici à foro Ecclesiastico, & degradari ab ordinibus Ecclesiasticis (si quos habuerit) statimque tradi Curiæ sæculari, ut per ejus judices debitis pœnis afficiatur, ita Joannes Baptista Scortia in bul. pontif. epist. 162. theorem. 403. Sanctarellus de hæresi cap. 42. dubio unico art. 1. num. 5. Emmanuel de Moura de incant. opusc. 1. sect. 2. cap. 3. numer. 9. Homobonus in consultis parte 1. resp. 150. vol. 1. Sousa in opusc. de sollicit. tract. 1. cap. 9. Alderete de religios. disciplin. tuendâ lib. 2. cap. 10. Diana part. 4. resol. moral. tract. 7. resolut. 12. de iis qui Sacrum celebrant, resol. 11. de laicis seu Ecclesiasticis non sacerdotibus, qui excipiunt confessiones. Quibus favet Constit. Clementis VIII. data Romæ 1. Decembris 1601. apud Quarantam in summa bullar. verbo *Ordo*, in bullâ quæ incipit. *Et si aliàs fœlicis recordationis Paulus Papa IV. prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad sanctum Præsbyteratus Ordinem minimè promoti sint, sacerdotis tamen auctoritatem sibi assumentes temerè, Missarum celebrationem usurpare, & sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decrevit hujusmodi delinquentes à sanctæ Inquisitionis Iudicibus tradi debere Curiæ sæculari debitâ animadversione puniendos, &c.* Infra. *Ut gravissima scelera committentes post hac debito supplicio puniantur, motu proprio & ex certâ nostrâ scientiâ, ac maturâ deliberatione, deq. Apostolicæ potestatis plenitudine sanctæ Inquisitionis Iudicum conscientiæ consulere, & nè in futurum de pœna hisce deliquentibus imponenda dubitari possit, procedere volentes supra prædictorum Prædecessorum nostrûm vestigiis inhærentes, hac perpetuò valiturâ constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Præsbyteratus Ordinẽ repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse vel sacramentalem confessionem audivisse, à Iudicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordiâ indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur per judices sæculares debitis pœnis plectendus est, &c.* Quibus verbis innuit non tantùm judicibus sanctæ Inquisitionis, sed etiam locorum Ordinariis præfatos usurpatores onus degradandi incumbere.

§. 1.

De Censuris.

I. MUlctas pecuniarias ab Episcopo imponi posse patet ex cap. *in Archiepiscopatu*, cap. *statuimus*, 35. causâ 16. quæst. 1. cap. *dilectus*, 18. de officio ordin. At secundùm Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de reformat. locis piis applicari debere habetur eodem cap. 3. cap. *statuimus*, juxta Gloss. verbo *bannum*, & apud Felinum cap. *irrefragabili*, num. 5. Et hæc habent locum etiam erga laicos, si ob delictum ad forum Ecclesiasticum spectans judicari debeant, possunt non tantùm per censuras coerceri: sed etiam specialiter plecti à judice Ecclesiastico, ita Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. juxta gloss. verbo *bannum*, Felinus cap. *irrefragabili*, num. 5. de officio Ordinarii, & Zerola ait praxi 1. verbo *commissio*. Quin etiam ob crimina capi & incarcerari non tantùm propter hæresim, sed etiam ob alia, quæ sunt fori Ecclesiastici: cum Episcopus in eo merum exerceat imperium ad quod spectat jus capiendi, incarcerandi & puniendi facinorosos, ita cap. *contra*, 10. junctâ glossâ causa 26. parte 5. Domin. cap. *cum Episcopus*, 7. de officio ordinarii, Covarruvias in practic. quæst. cap. 10. art. 2. Clarus in practicis quæst. 38. num. 8. Marra de jurisdict. part. 1. cap. 50. numer. 8. contra Joannem Andræam & Anchoranum cap. 7. Ordinarium tamẽ remedium quo Episcopi & similes Prælati uti debent cõtra inobedientes

& contumaces, juraque Ecclesiastica spernentes est censura, præsertim excommunicationis, l. *imperium*, §. *de excõmunic.* Molina tract. 5. disp. 7. Imò si postulet necessitas manu armatâ jurisdictionem & jura sua tueri poterunt, cap. 1. de officio delegati, & in eum finem milites tenere cap. *dilecto* in 6. de sentent. excommun. Barbatia in cap. *significasti*, 7. Decius num. 7. de elect. Barbosa de offic. & potest. Episcopi alleg. 14. cap. 7. Quod si sua arma non sufficiant, tum implorare poterunt auxilium brachii sæcularis, cap. *quoniam*, 14. de offic. ordinarii, cap. unic. de statu Regul. num. 6. postulante necessitate. Quo casu si potestas laica irrationabiliter neget, etiã censuris potest compelli glosia citata cap. 1. verbo *publicum*, Innocentius Abbas num. 11. Barbosa & alii.

II. Ordinarius igitur judicialis potestatis Ecclesiasticæ effectus est censura, ut patet ex nominis etymologiâ, nam ex Layman lib. 1, tractat. 5. de censuris, disp. 1. part. 1. cap. 1. & ex nostris Corneio tomo 2, in 3. part. tract. 5. de censuris disp. 1. Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *censura Ecclesiastica*, num. 1. Censura venit à censore, quæ apud Romanos significabat sententiam censoris mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Quę censuræ vox translata est à Scriptoribus Ecclesiasticis, ad spiritualem pœnam denotandam, quam Ecclesiæ Prælati contumacibus infligunt. Undè a præfatis Auctoribus & Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. punct. 1. Suarez de censuris disp. 1. sect. 1. Sayro lib. 1. cap. 1, Avila part. 1, dub. 4. Definitur, *Pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate privans hominem baptisatum usu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem.* Dicitur *Spiritualis*, quia est pœna animæ. Dicitur *inflicta ab Ecclesiasticâ potestate*, ut denotetur causa efficiens censuræ, quia cùm censura sit pœna spiritualis & Ecclesiastica infligi nequit nisi à personâ Ecclesiasticâ habente potestatẽ illas inferendæ. Dicitur *privans hominem baptisatum*, quia subjectum censuræ debet esse homo baptisatus: cùm enim homo infidelis non sit subditus Ecclesiæ, sequitur ipsum non subjici censuris ab Ecclesiâ inflictis, quemadmodum homo baptisatus subjicitur, qui est Ecclesiæ subditus. Dicitur *usu aliquorum spiritualium* ad significandum discrimen pœnarum civilium, quæ tantùm consistunt in rebus temporalibus, ut in solutione pecuniæ, confiscationis bononorum, &c. At Ecclesia per censuras privat rebus spiritualibus, ut usu Sacramentorum, privatione suffragiorum, exercitio munerum Ecclesiasticorum, &c. Quod si privat usu rerum corporalium, hoc fit tantùm secundariò per ordinem ad spiritualia. Dicitur usu aliquorum, quia censura non privat omnibus bonis spiritualibus, sed dumtaxat aliquibus. Non enim tollit virtutes infusas, neque privat actibus virtutum, ita Suarez disput. 2. sect. 1. numer. 6. Bonacina supra num. 2. Filiucius tomo 1. tract. 11. cap. 1. quæst. 2. & cap. 7. quæst. 2. & alii communiter. Dicitur *ad salutem*, quia finis censuræ est salus animarum. Ecclesia enim per censuræ impositionem non intendit perniciem animæ, sed resipiscentiam à contumaciâ, & abstinentiam à peccatis, in quorum pœnam infligit censuras. Nam censura est pœna medicinalis cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. cap. *ex litteris*, de constit. Ideoque infligitur per modum vinculi facile solubilis, cùm primum reus recesserit à contumaciâ, ita Suarez loco citato lib. 1. cap. 1. Coninck tomo 2. disput. 13. dubio 1. Ugolinus tab. 2. cap. 25. Avila loco citato disp. 4. Sayrus supr. Bonacina supra, Layman cit. Undè non privat potestate spirituali, sivè non aufert jus radicale, sed tantùm ligat, seu impedit usum & exercitiũ. Undè differt ab irregularitate, depositione, & degradatione, quæ tollunt ipsam potestatem spiritualem simpliciter ab homine, quatenus id fieri potest, & absque spe ordinariæ recuperationis. Secundò, differt censura propriè dicta à degradatione, &c. quod illa debeat tolli per absolutionem rei emendati. Ratio est, quia per eam non tam intenditur punitio, seu vindicta peccati, quàm peccantis

emendatio

emendatio, undè censura quæ peccatori profutura non putatur non facilè infligenda est, nisi ob manifestum bonum publicum. Vide Covarruviam cap. *Alma Mater*, part. 1. numer. 12. Sed irregularitas, depositio, &c. debent auferri per dispensationem, seu relaxationem legis, vel sententiæ: quia simpliciter, & irrevocabiliter est lata. Præterea censura propriè dicta cùm sit medicina propriè decernitur ob peccatum merè præteritum, sed quod tractum successivum habet, in quo peccator adhuc contumaciter persistit, at degradatio, &c. ferri potest ob peccatum præteritum etiam emendatum. Ratio est, quia est pura pœna. Denique censura propriè dicta ipso jure interdum contrahitur ob delictum ante omnem declarationē Judicis: quod Ecclesia meritò statuit, quia est pœna medicinalis, & sæpè occulta, à quâ facilè obtinetur absolutio post emendationem. At degradatio, &c. non incurritur ante sententiam judicis. Ratio est, quia est pœna gravissima, quæ non statim auferatur, quamvis delinquens sit emendatus, ita Cajetanus verbo *pœna statutorum*, Avila part. 1. dubio 7, Sa verbo *pœna*, Layman supra. Censura duplex est, alia est à jure, scilicet, quæ lege, seu statuto lata est contra omnes subditos, qui aliquod crimen perpetrarūt. Alia est censura ab homine, quæ infligitur per sententiam judicis, vel præceptum decretum. Hæ censuræ præcipuè differunt quod censura lata per sententiam amittat vim suam post mortem, vel depositionem ferentis, ut nemo eam postea possit incurrere, licet si ante incurrerat, eâ maneat ligatus donec absolvatur. Undè si judex ferat sententiam in aliquem sub conditione (nisi intra mensem restituerit) & judex moriatur necdum mense elapso, censura non contrahitur. Ita Glossa cap. *à nobis*, 1, de sentent. excommun. Abbas cap. *cum adhoc*, num. 9. de clericis non resident. Ugolinus de censuris, tab. 1. cap. 2. §. 2. Layman sup. cap. Item censura in genere dividitur in eam, quæ est *lata sententia*, & eam, quæ est *sententia ferendæ*, ita Gregorius I. lib. 2. dialogor[illegible]p. 23. Censura latæ sententiæ est, quam reus ipso facto, vel criminis admissione incurrit absque judicis sententiâ. Undè in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellat. dicitur, quod excommunicatio latę sententię executionē secum trahat. Censura sententiæ ferendæ non ipso facto seu delicto infligi debet per judicis sententiam, sicut aliæ pœnæ. Pœna censuræ impositæ *ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, incurrenda, non tantùm obligat in foro exteriori, sed in interiori conscientiæ, ita ut ante omnem judicis sententiam teneatur violator legis ad illam obligantis subire. Patet primò ex communi praxi Ecclesiæ. Secundò, quia videtur id supponi à Concilio Tridentino sess. 24, cap. 6. concedeente facultatem absolvendi ab illâ, quando est occulta. Absque dubio supponit incurri, quamvis non sit deducta ad forum exterius. Ita Sotus 1. de justit. quæst. art. 6. Noster Lezana tomo 1. quæst regul. cap. 10. Quod si talis pœna non ponatur infligenda ipso facto, ut si in lege dicatur tantùm *sub pœnâ excommunicationis*, *sub pœnâ suspensionis*, *interdicti*. Vel si dicatur, *excommunicabitur*, *suspendetur*, *&c.* Non incurritur, nisi per judicem sit lata talis sententia, vel declaratio, ita Alphonsus à Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 1. noster Lezana jam citatus. Censura quæ est ab homine subdividitur in eam, quæ alicui infligitur nominatim ob contumaciam, & in eam quæ fertur per generalem sententiam. Verbi gratiâ, si quis tale flagitium perpetrarit, si rem ablatam non restituerit, excommunicatus esto. Aliquando censura per sententiam generalem fertur ex causâ generali & indeterminatâ, verbi gratiâ, qui furtum sacrilegum perpetrarit, excommunicatus esto. Aliquando talis censura fertur ex causâ seu facto particulari, verbi gratiâ, qui orto nuper incendio aliquid abstulit, & intra triduum non restituerit. Vel qui talem incendiarium, vel civitatis proditorem sciens non indicaverit, is excommunicatus esto. Hi censurandi modi in eo differunt, quod primus magis accedit ad

naturam

naturam statuti, & illâ sententiâ generali ex Ægidio & Layman non tantùm obligantur illi, qui tempore promulgationis subditi sunt, sed etiam qui postea subditi fiunt. Ratio est, quia ita generatim lata videntur spectare ad omnes quocumque tempore inhabitatores; & in eo tantùm differt à lege, sivè statuto propriè dicto, quod talis sententia, quamvis generatim lata pro delicto futuro, expirat per mortem latoris. At statutum, sivè lex permaneat donec revocetur, ita Abbas in cap. *irrefragabili*, §. *ceterum*, num. 12. de officio ordinarii, Layman supra cap. 2. num. 2. At censura lata per sententiam judicis modo posteriore magis accedit ad naturam præcepti, cujus eâ vis est, ut statim operetur, & afficiat personas, ad quas in præsentiarum fertur. Non verò transeat ad personas quæ postea subjicientur jurisdictioni, ita Abbas cap. *à nobis*, de sentent excommunic. num. 7. Ugolinus tab. 1. cap. 9. §. 2. Layman supra. Covarruvias cap. *Alma Mater*, part. 1. §. 10. Sylvester verbo *excommunicatio*, 2. Avila de censuris part. 2. cap. 3. disp. 2. dubio 3. Ægidius citatus concl. 5, Suarez disput. 5. de censuris cap. 5.

III. Omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus, seu Clericus in foro externo habens jurisdictionem jure ordinario potest ferre censuram in subditos sibi contumaces, ita D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 2. Richardus ibidem art. 2. quæst. 1. Paludanus quæst. 2. art. 2. & cap. *cùm ab Ecclesiarum*, de off. Ordinarii, Lezana tom. 3. quæst. regul verbo *censura*, numer. 2, Abbas in cap. *Sacerdos*, de off. ordin. num. 10.

IV. Censurarum causę sufficientes non solùm sunt summus Pontifex respectu omnium Christianorum, sed etiam Archiepiscopi, Episcopi, Patriarchæ, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, & alii superiores etiam immediati Religionum, ita ex nostris Cornelio in 3. part. tomo 2. tractat. 5. disput. 3. dubio 1. Lezana tomo 1. quæst. regul. cap 18. & tomo 3. verb. *censura Ecclesiastica*. Quod in Episcopis jure ordinario & divino resideat respectu proprii Episcopatus & Diœcesis, docent Bonacina disp. 1. de censuris quæst. 1. puncto 2. noster Cornelio jam citatus. Probatur ex Matth. cap. 18. vers. 18. *Quæcumque alligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælis.* Quibus verbis Christus confert solis Ecclesiæ Prælatis judicium & tribunal, cui obedire oportet, eisque communicat ligandi & solvendi potestatem tam internam in foro conscientiæ, quàm externam in foro externo per censuras, quæ posterior hic maximè convenit Christi scopo & proposito. Nam si pœnitens recurrit ad pastorem Ecclesiæ, ut ab eo à peccatis absolvatur, & sic emendetur & justificetur, sic impœnitens & contumax ab eodem censuris affici potest, ut notant S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hilarius, Glossa & alii. Undè in vitâ S. Ambrosii conscriptâ a Cardinale Baronio, fertur citatum locum ita fuisse intellectum à Theodosio Imperatore, qui ob cædem Thessalonicensium à Sancto Ambrosio expulsus templo ingemuit. *Servis* (inquit) *& mendicis ad templum patet accessus, mihi præclusus est. Scio enim Dominum dixisse quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo.* Quare supplex factus a S. Ambrosio, petiit absolutionem, quam obtinuit, & ab eo injunctâ explevit pœnitentiam. Concilium Basiliense citat orationē Henrici adversus 3, articulos Bohemorum ad illud Matth. cap. 18. *Quæcumq; alligaveritis, &c.* & notat ex S. Thomâ tres ligandi & solvendi potestates à Catholicis agnosci. Prima est auctoritatis soli Deo competens. Secunda excellentię soli Christo propria. Tertia, ministerialis solis clericis à Christo concessa. Sub hac generali potestate Apostolis collatâ comprehenditur specialis ferendi censuras, ac absolvendi à peccatis & à censuris. Cornelius ibi ostendit quomodò analogicè utraque potestas sit similis. Noster Cornelio supra num. 4. docet Episcoporum potestatem in ferendis censuris esse auctoritativam, & in ratione causæ principalis Ratio est, quia non est verosimile Christum Domi-

num

hum instituisse Rempublicam Ecclesiasticam cum minori potestate, & sufficientiâ quàm sit instituta Respublica civilis & temporalis, sed hæc habet auctoritativam potestatem. Et est quasi causa principalis ad condendas leges, & plectendos delinquentes, igitur etiam illa. Secunda aliquem habere potestatem principalem nihil aliud esse videtur, quam quod possit subditos legibus obligare, a quibus ipse sit exemptus, quantùm ad vim coercitivam. Sed summus Pontifex & Episcopi habent talem potestatem, possuntque omnes sub censuris obligare. Nec obstat quod Apostolus 1. Corinth. cap. 4, vers. 1. dicat, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum eius.* Græcus. *Vt œconomos.* Ad Colossenses cap 1. vers. 15. *Cùm factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos.* Quibus verbis asserit se habere dispensationem, seu seu œconomiam in domo Dei, quæ est Ecclesia, ad Titum cap. 1. vers. 7. *Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem.* Idest œconomum secundùm versionem Græcam. Quibus locis seipsum & reliquos Apostolos vocat Apostolus ministros, & dispensatores mysteriorum Dei, ex quibus sequi videtur potestatem quam habuerunt Apostoli & Episcopi eorum successores esse ministerialem. Respondet ad hæc Cornelio, primò, illa & similia loca esse intelligenda de ministris sacramentorum, quantùm ad forum pœnitentiale interius, quia est solius Dei esse causam principalem gratiæ & remissionis peccatorum. At respectu eorum, quæ ad forum exterius spectant, ut sunt censuræ, possunt homines, verbi gratiâ. Apostoli esse principales. Respondet secundò, & melius, quod si omnes Episcopi comparentur ad Christum, meritò vocantur ministri & dispensatores. Licet enim revera respectu plurium actionum haberent potestatem causæ principalis, cujusmodi est potestas ad prædicandum: quia tamen hæc subordinata est Christo, ut causæ primæ principaliori, a quo universa dependent, ideò respectu illius vocatur ministerialis & dispensativa. Et hoc sensu ad Romanos cap. 13. vers. 6. vocat eos, qui habent potestatem civilem & sæcularem Dei ministros. *Ministri enim Dei sunt.* Quod si dicas Papam & Episcopos tantùm habere potestatem ministerialem concedendi indulgentias & consequenter ad censuras ferendas, quia utraque potestas est jurisdictionis spiritualis quo ad forum exterius. Respondet noster Cornelio esse discrimen inter indulgentias & censuras. Quod quamvis absolutè loquendo indulgentiæ sint fori exterioris, tamen verè solvũt à pœnâ temporali debitâ in foro interno pœnitentiali, undè spectant quodammodo ad forum Dei, sicque quemadmodum Prælati quo ad remissionem culpæ, quæ causavit talem pœnam, tantùm habent potestatem ministerialem, cùm non producant gratiam, nec remittant culpam auctoritate propriâ, sed ut ministri Christi applicantes ejus merita per sacramenta, quæ ministrãt. Ita ministraliter dumtaxat concurrunt ad remittendam pœnam temporalem in foro Dei, seu interiori debitam pro tali culpâ. Sed potestas ferendi censuras, & absolvendi ab eis spectat ad forum extrinsecum, sicque optimè potest esse auctoritativa potestas, seu causa principalis. Esse fori exterioris patet, eo quod excommunicatus verbi gratiâ post contritionem suæ inobedientiæ, ratione cujus fuit excommunicatus, justificatur, & redit in amicitiam Dei, quamvis in foro exteriori, & apud homines sit excommunicatus, ut habetur cap. *à nobis*, 2. & cap. *cùm desideras*, de sent. excommunicationis. Ratio prima est, quia ille ligatus erat ab Ecclesiâ, debetque ab eâ absolvi, ut Christus insinuavit in resurrectione Lazari tradendo eum Apostolis solvendum. Joannis cap. 11. vers. 43. *Solvite & sinite abire.* S. Eligius homil. 11. in Cœnâ Domini. *Ecce illum jam viventem discipuli solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim Discipuli Lazarum solverent, favorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod nos debemus per pastoralem auctoritatem eos solvere,*

Ioan. 11 vers. 42. S. Eligius

quos agnoscimus auctorem nostrum per resuscitantem gratiam vivificare. Ratio prima est. Quia ex oppositio aliqua absurda sequerentur, primum, quod absolutio à censurâ quam Ecclesia solet facere, esset invalida, cùm præsupponat illum hominem jam absolutũ. Secundum, homines impii facilè illuderent censuras Ecclesiasticas, dicendo se esse contritos coram Deo, & fingendo signa pœnitentiæ, ut non censeantur excommunicati. Tertium quod Confessarius in sacramento pœnitentiæ posset sacramentaliter absolvere à peccatis pœnitentem, quem probabiliter judicat accedere contritum, nullâ præmissâ absolutione excommunicationis, quam prius incurrerat, quod est absurdum, & contra usum communem Ecclesiæ. Probatur sequela, quia si ille sic contritus accedens non est excommunicatus, non eget absolutione excõmunicationis, præsertim in illo foro sacramentali, in quo non agitur de præsumptione juris, sed de rei veritate. Quartum sequitur, quod in ordine ad forum sacramentale nulla sit absolutio ab excõmunicatione reservata, quod falsum est. Sequela probatur ex dictis, quia si excommunicatus excommunicatione reservatâ Papæ accedat contritus ad sacramentum Pœnitentiæ, jam non accedit excommunicatus, & ita non opus est ut remittatur ad Pontificem pro obtinendâ absolutione. Denique sequitur, quod si Sacerdos excommunicatus conteratur ante absolutionem, & sacramenta ministret non efficietur irregularis, quod nemo dicet. Patet sequela, quia quando ille ministrat sacramenta jam non est excommunicatus, si vera est contraria doctrina, & solus ille, qui excommunicatus celebrat efficitur irregularis.

V. Episcopus in ferendâ censurâ servare debet circumstantiam loci, seu proprii territorii, in proprios subditos, quando ad illam ferendam, opus est jurisdictione contentiosâ, ita Bonacina supra quæst. 1. disput. 1. puncto 11. Coninck disp. 13. dubio 5. & alii. Ratio est quia jurisdictio contentiosa nequit exerceri extra proprium territorium absque licentiâ Ordinarii, sicut neque potest exerceri in loco exempto, cap. *fin.* de constit. libr. 6. & cap. *luminoso*, 18. quæst. 2. Dixi quando ad illam opus est jurisdictione cõtentiosâ, quando enim non est opus ejusmodi jurisdictione ferri potest in alieno territorio, ita Ugolinus tab. 1. cap. 27. §. 1. Sayrus lib. 1. cap. 14. Navarrus in manuali cap. 27, Manuale Prælat. quæst. 3. art. 8. Paludanus dist. 19, quæst. 2. art. 3. Bonacina supra num. 3. Undè sequitur Episcopũ in proprios subditos non posse extra suam Diœcesim ferre censuram sedendo pro tribunali, & cum causæ cognitione, idem Sayrus sup. Bonacina, Avila part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 1. Reginaldus lib. 9. num. 155. Noster Cornelio supra dubio 2. Probatur primò ex cap. *Episcopum*, 9. quæst. 2. Clementina *quamvis*, de foro cõpetenti. Secundò hac ratione, ad censuram ferendam requiritur causæ cognitio, quæ sine tribunali haberi nequit, sed nemo potest in alieno territorio pro tribunali sedere, ut jurisdictionem contentiosam exerceat, cap. *novit*, de officiò delegati, l. 2. de offic. proconsulis, & l. *final.* de officio præsidis. quare Episcopus quantùm ad exercitium jurisdictionis contentiosæ, est veluti quidam privatus postquam suâ Diœcesi est egressus, nec censura ab eo ibi lata est tantùm illicita, sed etiã nulla & invalida, ut fusè ostẽdit glossa in citato cap. *novit*, de officio legati, verbo *terminos*. Et colligitur ex ipso textu 1. ubi Pontifex non aliter solvat censuram interdicti à legato contra Regem Franciæ latam, quam ex eo quod nondum fuerat terminis suæ legationis egressus. Si igitur esset extra illos, illa censura nulla fuisset. Tertiò probatur ratione allatâ à Bonifacio VIII. in cap. *ut animarum*, de constit. in 6, scilicet cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè, hoc est cùm sit dignus pœnâ, qui obedientiam exhibet judici extra proprium territorium sententiam ferenti Undè sic infero, non potest reus sine pœnâ obedire tali censuræ, igitur nec potest ad obtemperandum per talem censuram compelli, alioqui daretur

bellum

Bellum justum ex utraque parte. Quod si objicias posse Episcopum sacerdotem in alterâ Diœcesi existentem ligare & absolvere proprium subditum in foro interno pœnitentiali, igitur & poterit in foro externo judiciali. Respondeo negando sequi: quia forum internum est forum divinum, in quo causa immediatè agitur inter Deum & hominem, ubi sacerdos est dumtaxat instrumentum & minister, & Deus est causa principalis & judex. Certum autem est Deum esse universalem Dominum totius universi, sinè diœcesicon divisione. At forum exterius, est forum hominum, in quo agitur causa immediatè, & sic Episcopus, & quilibet alius Ecclesiasticus est veluti judex principalis, qui cum homo sit, & inferior Pontifici Romano debet habere territorium limitatum. Ab hac regula generali Navarrus in manuali cap. 27. num. 6. excipit duos casus, primus est quando Episcopus est expulsus à suâ Diœcesi: quia tunc potest optimè in locis vicinioribus jurisdictionem contentiosam exercere, ita Clementina *quamvis*, de foro competenti. Secundus, quando culpa est adeò manifesta, ut non requirat causæ cognitionem, ex cap. *cum sit*, §. *fiunt*, de appellat. & cap. *evidentia*. de accusationibus, & cap. *manifesta*, 1. quæst. 1. Ratio est, quia cùm causæ cognitio necessaria non sit cessat ratio prohibitionis, modò scilicet monitiones præmittat. Tertium casum adducit Glossa in cap. *litigantes* verbo *de consuetudine*, de officiis Ordinarii in 6. scilicet quando ipsæ partes & judex territorii, in quo existit, consentiunt; quia tunc sicut de consensu proprii judicis, potest quis judicare subditum alterius. ex cap. *nullus primos*, 9. quæst. 2. Melius poterit judicare proprium subditum territorii ex judicis consensu & voluntate. Dixi si partes etiam consentiant, quia nequeunt invitè trahi extra proprium territorium.

VI. Non potest Episcopus existens in proprio territorio ferre censuram in subditum existentem in alieno territorio pro crimine in alieno territorio perpetrato. Ita Covarruvias cap *Alma Mater*, part. 1. §. 10. num. 3. noster Cornelio supra num. 2. Ratio est, quia adhoc sunt distinctæ Diœceses, igitur sicut Episcopalis jurisdictio est limitata quo ad personas, ita etiam est limitata quo ad loca, nè extendatur extra territorium. Ex quo inferunt Cornelio jam citatus, Bonacina supra, puncto 11. Salas de legibus disput. 14. sect. 4. Episcopum non posse ferre censuras per statutū contra existentes in alieno territoriō, ita ut delinquens extra proprium Episcopatum vel territorium incurrat censuram latam per modum statuti. Probatur primò, ex cap. 2. de constitut. in 6. ubi dicitur statutum Episcopi excōmunicantis eos qui furtum fecerunt, non cōprehendere eum, qui furatus est extra territorium. Quare (inquit Bonacina) licet Episcopus intendat per statutum ligare sibi subditos existentes extrà proprium territorium, revera tamen non ligat. Quia ad ligandum, seu obligandum, non sufficit intentio, sed jurisdictio requiritur. At Episcopus non habet jurisdictionem ligandi per statutum suos subditos existentes in alieno territorio, modò de facto extra territorium existant, ut etiam notant Salas loco citato numer. 7. Coninck disp. 13. dubio 7. & alii. Inferunt secundò Suarez tomo 5. de censuris disp. 5, sect. 4. Sayrus lib. 1. Bonacina loco citato, Avila part. 2. cap. 3. disp. 2. dubio 2. Sylvester verbo *excommunicatio*, Angelus verbo *excommunicatio*. Coninck jam citatus; & alii. Clericum brevi tempore existentem, & non residentē extra Diœcesim posse à proprio Episcopo affici censurâ per statutum. Ratio est, licet enim ipse sit extra Diœcesim, ideò tamen potest affici censurâ, quia consummat actum non residendi in loco culpæ, ideò censetur peccare in suâ Diœcesi. Undè possunt Clerici vocati ad Synodum sub censurâ ligari, licet tempore Synodi sint extra Diœcesim. Ratio est, quia censetur delictum omissionis ibi committi, ubi actus præceptus erat exercendus, l. *qui non facit*, ff. de irregul. juris, & Auctores jam citati. Inferunt tertiò cum qui violat statuta proprii Episcopi in Mon-

steriis, & parochiis, & aliis locis exemptis existentibus in Diœcesi proprii Episcopi non incurrere censuram latam contra violantes statutum Episcopi. Noster Corneio supra, Reginaldus lib. 9. num. 154. Coninck num. 63. Filiucius tract. 11. art. 5. quæst. 9. Suarez de legibus lib. 3. cap. 32. numer. 9. Salas supra. sect. 6. Azorius part. 1. lib. 5. cap. 25. quæst. 4. Ugolinus num. 3. Ratio est, quia locus exemptus & locus, extra Diœcesim æquiparantur. Undè dicuntur esse in Diœcesi materialiter, non formaliter. Cùm non spectent ad illius Diœcesim quoad jurisdictionem; ut docent Paludanus in 4. distinct. 18. quæst. 4. Tabiena verb. *excommunicatio*, 4. numer. 4. & alii apud Salas sect. 6. & alii apud Bonacinam supra. Dices Episcopum esse verum Patrem illius, qui peccavit extra territorium, & consequenter habere veram jurisdictionē super illum, & consequenter posse illum censuris afficere. Confirmatur quia potest Episcopum absentem, & existentē in loco non subdito vocare. Si igitur punire potest illum ob inobedientiam, poterit censuris afficere, & cōpellere ut pareat. Respondeo proprium Episcopum esse verum pastorem illius subditi quoad judicium fori conscientiæ, non verò quantùm ad judicium fori exterioris. Nam quoad forum exterius ratione delicti factus est subditus alterius Episcopi, in cujus territorio deliquit. Quare neganda consequentia confirmationis, nisi aliundè subditus teneatur comparere ratione officii, aut causâ ingentis necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ. Inferunt etiam subditum, qui in alienâ Diœcesi peccavit, seu furtū commisit, si revertatur ad propriam, posse ibi conveniri ut restituat, & à proprio Episcopo censuris affici, & compelli (ut docet Sotus distinct. 22. quæst. 2. art. 1. & alii,) Ratio est, quia est subjectus proprii Episcopi ratione personæ, & propter tale delictum agitur in eius Diœcesi. Potest igitur Episcopus contra eum procedere per censuras, licet delictum fuerit perpetratum extra Diœcesim, modò causa non sit prçventa ab alio Episcopo, in cujus Diœcesi fuit perpetratum.

VII. Potest Episcopus ferre censuram in subditum existentē in alienâ Diœcesi, si crimen in propriâ Diœcesi perpetrarit, ita Sotus proximè citatus noster Corneio tomo 2. in 3. part. tract. 5. de censuris disp. 6. dubio 2. & alii communiter. Probatur primò ex praxi. 2. quia alioqui Ecclesiastica potestas Episcoporum facilè sperneretur, & posset quilibet se ab eorum potestate eximere, quantùm ad punitionem delictorum, seque immediatè subjicere Pontifici. Ille enim qui Leodii deliquit, & statim Namurcum confugit, nequit excommunicari ab Episcopo Namurcensi, cujus subditus non est, nec ab Episcopo Leodiensi ubi peccavit, quia est extra Diœcesim. Igitur nullo potest plecti censurâ Ecclesiasticâ pro tali delicto, sed à solo Pontifice Romano. Quod si dicas non posse Episcopum extra propriam Diœcesim plectere subditum aliquâ pœnâ corporali vel pecuniariâ. Nec consequenter pœnâ spirituali, verbi gratiâ censurâ. Confirmatur à simili. Rex Galliæ plectere nequit subditum existentem in Hispaniâ, quamvis commiserit delictum in Gallia. Igitur nec Episcopus Leodiensis potest censurâ afficere subditum extra propriam Diœcesim. Respondet Corneio negando consequentiam ob discrimen pœnæ corporalis & spiritualis. Nam corporalis non incurritur ipso facto post violatam legem, vel præceptum. Sed per sententiam condemnatoriam judicis, cujus executio fieri debet vi externa & corporali, quæ nequit exerceri in alienâ Diœcesi; nè perturbetur communis pax, & jurisdictionum ordo. At pœna spiritualis verbi gratia, censura, cùm incurratur ipso facto, & secum trahat executionem, ut habetur cap. *Pastoralis*, §. *verum*, de appellatione, non postulat vim externam, sed statim incurritur post transgressionem legis vel præcepti cui annexa est. Ideò possunt Episcopi in aliquibus casibus existentes extra propriam Diœcesim censuris afficere. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. Quia pœna quæ potest infligi à Rege Galliç

est

est corporalis, quæ verò ab Episcopo Leodiensi infligenda est spiritualis. Quod si secundò dicas contumaciam ob quam Titius plectitur per censuram perpetrari extra territorium, & consequenter non posse pro illâ puniri ex dictis supra. Respondet noster Corneio quod quamvis contumacia sit proxima materia hujus censuræ, tamen remota & principalis propter quam afficitur censurâ in præsenti casu fuit furtum perpetratum in propriâ Diœcesi, quod satis est.

VIII. Episcopus potest sivè per viam statuti, sivè sententiæ ferre censuram in subditum existentem extra propriam Diœcesim, ita Navarrus cap. 27. numer. 6. Sylvester verbo *excommunicatio*, num. 8. noster Corneio supra numer. 3. verbi gratiâ. Si Clericus existens Namurci habeat beneficium Leodii requirens residentiam personalem, certè incurrit sententiam latam ab Episcopo Leodiensi, si non veniat ad residentiam. Ratio est, quia ille Clericus fictione quadam juris censetur peccare in Diœcesi Leodiensi, in quâ tenetur residere. Nam quando aliquis tenetur quippiam facere & non facit, videtur factum, ubi id debebat facere, ut patet in l. *qui nõ non facit*, ff. *de regulis juris*. Ratio secunda est, eo quod ejusmodi non residentia incœpta est in propria Diœcesi, licet sit consummata in aliena, ut fusius infra dicemus. Nec obstat cap. *ut animarum* de constitut. in 6. ubi resolvitur subditum extra propriã Diœcesim existentem non incurrere censuram statuto sui Episcopi latam. Nam decisio hujus textus procedit, quando delinquens, & res Ecclesiastica circa quam deliquit, & ipsum delictum sunt omnimodè extra Diœcesim Episcopi qui fert censuram. Porrò si delictum inchoatum in proprio territorio, & consummatum in alieno sit Titius, non incurrit censuram statuti generalis sui Episcopi, ita Suarez supra disp. 5. sect. 4. & seq. Corneio loco citato. Quare si stuprum, verbi gratiâ, sit prohibitum in hac Diœcesi Leodiensi sub censurâ, & quis raperet virginem, & eam extra illam Diœcesim portaret, ibique eam violaret, non incurreret censuram, quamvis per oscula, tactus, & raptũ intra Diœcesim Leodiensem inchoaret stuprum. Ratio est quia hæc censura lata est absolutè contra stupratores, & non contra quomodocumque stuprum inchoantes, igitur quousque stuprum consummatum sit incurri non debet. At in hoc casu consummat stuprum extra territorium ubi non ligatur per statutum, igitur, &c. Confirmatur, quia si censura feratur contra homicidas in Ecclesiâ. Ille qui existens in Ecclesia sagittam emitteret, & illâ hominem existentem extra Ecclesiam interimeret, certè censuram illam non incurreret, quamvis homicidium fuerit inchoatum in Ecclesia. Igitur, &c. Nec dicas primò Titium committere delictum in utroque territorio, & consequenter posse in utroque puniri, cùm ob delictum fiat utriusque fori, juxta l. 1. C. *Ubi de crimine agi oportet, ibi commissa & inchoata sunt*. Respondet noster Corneio concesso toto argumento, quo ad alias pœnas non verò quo ad illam censuram. Eo quod hæc non est imposita in casu, de quo hic mentio est, pro delicto in genere, aut vagè sumpto, sed pro tali specie delicti, verbi gratiâ pro stupro, quod necdum existit, quousque sit consummatum in sua specie. Nec dicas secundò ex eo sequi duo absurda. Primum, quod qui alterum læthaliter vulneraverit in propriâ Diœcesi, ubi homicidium est prohibitum sub censura, non incurrat illam si vulneratus moriatur extra propriam Diœcesim, quod falsum est. Secundum absurdum est, quod Episcopus nequeat per statutum prohibere sub censura, nè verbi gratia, triticum deferatur extra Diœcesim, vel nè Sacerdos subditus celebret extra Diœcesim, seu in loco exempto: cum talia delicta nequeant consummari, nisi extra Diœcesim, ubi nequeunt incurrere ejusmodi censuram. Suarez citatus num. 10. & 11. Et noster Corneio negant duo illa absurda sequi. Nam quoad primum docent probabilius esse illum homicidam incurrere censuram in illo casu, licet enim homicidium sit consummatum extra

Diœcesim, quantùm ad mortem, qui est ultimus effectus: tamen tota exterior actio, à quâ procedit, scilicet læthale vulnus fuit causata intra territorium, ratione cujus potest dici homicidium fuisse consummatum intra territorium, quantùm ad totam actionem, ex quâ secuta est mors. Et patet ex eo, quod iste homicida nequeat conveniri pro homicidio in alia Diœcesi, ubi est secuta mors, quia in eo nullum perpetravit delictum. Ex quo sequitur debere accusari in proprio territorio ratione vulneris illati, & homicidii. Quoad secundum respondent delictum illud deferendi triticum extra propriam Diœcesim, quo ad actionem, quâ defertur consummari intra propriam Diœcesim, licet quoad terminum extrinsecum assumatur in aliena. Eadem est responsio de Sacerdote, cui Episcopus prohibuit sub censura celebrare extra propriam Diœcesim. Cùm enim hæc prohibitio sit suspensio quædam personalis imposita Sacerdoti intra propriam Diœcesim pro aliena Diœcesi, non incurritur de novo à Sacerdote quando existit in aliena Diœcesi, sed ipse Sacerdos secum illam defert, vel deferre censetur quando exivit è propria Diœcesi.

IX. Episcopus nequit validè citare subditum existentem extra Diœcesim pro delicto ibi jam perpetrato, sivè crimen sit perpetratum intra vel extra territorium. Ita Didacus Perez libro 3. Ordinamenti tit. 2. l. 1. quæst. 3. Cornejo supra post Bartolum l. 1. §. 1. ff. *de requirendis reis*, Probatur primo ex Clementina *Pastoralis*, de sentent. & re judic. vers. *& illud*, 2. Ratio est, quia citatio est actus judicialis, quem nemo exercere potest extra proprium territorium, quod verum est, sivè spectetur citatio, ut pronunciatur à judice in proprio territorio, sivè in alieno territorio intimatus ab apparitore. Ratio est, quia tam mandati pronunciatio, quàm ejus promulgatio & intimatio spectat ad actum judicialem. Quod etiam procedit in casu, quod territoria diversa sint duorum scilicet Vicariorũ ejusdem Episcopi, cùm illa duo territoria sint ejusdem Diœcesis. Sicut igitur in hoc casu nequit esse subditus ab Episcopo censurâ affici, ut dictum est, ita nec citari. Quod si objicias illum subditum posse excommunicari à proprio Episcopo, saltem pro crimine intra Diœcesim perpetrato. Igitur potest etiam à proprio Episcopo pro eodem delicto citari & & moneri judicialiter. Consequentia patet primò, quia non est major ratio ratio unius quàm alterius, igitur majus censurâ affici quàm citari. Secundò, quia invalida est censura, quæ absque prævia aliqua monitione & citatione juris fertur. Vel igitur nequit Episcopus subditum existentem extra propriam Diœcesim censuris plectere pro delicto perpetrato in propria Diœcesi. Si enim nequit citare ibi & movere. Vel si potest censurâ afficere, potest citare. Respondet Cornejo negando consequentiam ad cujus probationem ait discrimen esse inter censuram & citationem. Quod censura fertur absque strepitu judiciali & actu corporali intra aliam Diœcesim exercito, quia secum suum effectum advehit, ut supradictum est, non autem citatio judicialis. Quoad secundam probationem ait subditum qui fugit extra Diœcesim suam malitiosè, impedire fraudulenter nè citetur à proprio Episcopo in propria sua persona, & moveatur. Cùm autẽ fraus & dolus nemini patrocinentur, sufficit ut citetur subditus in propria domo, quam habet intra Diœcesim, vel in loco publico ejusdem Diœcesis, & in eo pronuncietur censura, ac promulgetur.

X. Quamvis pro peccatis præteritis extra Diœcesim perpetratis cum ordine ad futuram satisfactionem nequeat Episcopus validam censuram ferre in subditum etiam extra territorium existentem, tamen potest id facere pro futuris cavendis, verbi gratiâ, contra eos qui in posterùm furtum committent, si hæc censura sit lata per modum legis & statuti, nec incurritur à subdito peccante extra territorium. Probatur primò ex cap. 2. de constitut. in 6. Secundò, ratio est, quia lex & statutum respiciunt

territorium

territorium, & ita obligans dumtaxat eos, qui existunt intra Diœcesim. Quod si censura sit lata per modum sententiæ sivè particularis, sivè generalis, ligat proprios subditos etiam peccantes extra propriam Diœcesim. Ratio est, quia censura lata per modum sententiæ pro culpis futuris abstrahit à Diœcesi: & tantùm respicit ipsas personas subditorum. Igitur eas ligant, ubicumque existant. Nec diversitas territorii obstat cum nulla vis exterior sit necessaria, ut hæc censura incurratur. Quare si non directè ob bonum ipsius subditi, vel aliarum personarum præcipiat Episcopus sub censurâ alicui subdito particulari, vel omnibus generaliter, ut jejunent verbi gratiâ feriâ sextâ, vel abstineant ab exercitio alicujus operis, certè incurrent censuram, licet delinquant extra territorium. Et in hoc discrepant censura lata à jure, & ab homine, ut docet idem noster Corneio tract. citato disp. 2. dub. 5. differ. 5. Nec hoc contra dicit iis, quæ supra diximus num. 3. quia ibi locuti sumus de cēsurâ ferendâ pro culpâ jam commissâ. Hic verò sermo est de censura pro evitandis culpis futuris.

XII. Potest Episcopus censuram ferre in subditum alienum peccantem in propriâ Diœcesi Episcopi, & in eâ morantem, ita communiter Doctores. Probatur primò ex cap. *finali*, de foro compet. Secundò ex ratione delicti, aliquis forum sortitur, & fit subditus ejus, in cujus Diœcesi peccat in ordine ad punitionem talis delicti, quod si post peccatum aufugiat extra territorium, Episcopus nequit contra eum per censuras procedere, ita Sylvester verbo *excommunicatio*, 2. num. 2. Corneio supra. Ratio est, quia non est simpliciter illius subditus, nec existit intra terminos suæ jurisdictionis. Quod si dicas subditum ratione personæ posse plecti extra territorium pro delicto, quod commisit intra illud ex supra dictis. Et quod subjectus alterius ratione delicti fiat subditus Episcopi, in cujus Diœcesi deliquit, & consequenter possit ab eo plecti extra territorium. Respondet Corneio supra, esse discrimen inter subditum ob delictum præcisè, & subditum ratione personæ. Quò hoc est simpliciter & absolutè subditus, & sic ubicumque existat plecti potest per censuram pro delicto perpetrato intra Diœcesim. At subditus ob delictum, est dumtaxat subditus secundùm quid, & sic nisi ibi sit ubi perpetravit ratione cujus est subditus non potest plecti. Nihilominus ab hac regula generali, excipitur casus, in quo ille delinquens esset jam citatus ante discessum, quia posset per censuram plecti. Quod idē est, si post discessum citetur ad instantiam Episcopi in cujus ditione peccavit, citetur à proprio Episcopo.

Si censura lata sit instar legis & sta- XIII.
tuti, ligat non tantùm subditos, sed etiam non subditos peccantes intra propriam Diœcesim. Ratio est (inquit noster Corneio loco citato) quia lex & statutum eduntur in favorem Diœcesani, igitur obligant eos, qui quomodocumque commorantur intra propriam Diœcesim. Quare qui existit in alieno Episcopatu tenetur servare ejus leges sub censuris, quæ in eis continentur. Si tamen censura sit lata ab Episcopo per viam sententiæ generalis tantùm ligat subditos ratione personæ & domicilii, non verò eos qui non sunt subditi, licet exstant intra ejus Diœcesim, ita præfatus Corneio. Probatur primò ex cap. *à nobis*, 1. de sentent. excommunic. Quare, qui in alieno Episcopatu non revelaverit id quod sub excommunicatione Episcopus præceperit, præfatam censuram non incurrit. Nec qui in alieno Episcopatu furtum committit prohibitum sub censura, censuram incurrit. Ratio est, quia censura per modum sententiæ etiam generalis, directè fertur in personas secundùm se, præscindendo à territorio. Igitur ligat dumtaxat eas, quæ secundùm se sunt subditæ. At extraneus non est subditus ratione personæ, non igitur obligatur. Nec sufficit quod sit subditus ratione delicti, quia iste priusquam revelaret secretum illud, non erat subditus Episcopi, nec consequenter tenebatur ei obtemperare, nec illud silendo ullum peccatum perpetravit. Ratio est, quia actio, quæ ex se est indifferens

differens; & tantùm mala est, quia prohibita ab Episcopo, nequit imputari ad delictum, nisi illi qui talis Episcopi est subditus ante prohibitionem & obligatus ei obtemperare. Sed revelatio illius secreti est ejusmodi, igitur, &c. Quod si dicas, quod qui furatus est, ubi furtum erat prohibitum sub censurâ, tenebatur non furari ante violationem præcepti Episcopalis, furando commisit delictũ, igitur ratione illius fuit subditus, & consequenter incurrit sententiam latam ob ejusmodi delictum. Sed (inquit noster Cornelio) contra, quia licet tenebatur non furari, ista obligatio erat ratione divini præcepti, & naturalis secundæ tabulæ; non verò intuitu præcepti Ecclesiastici editi ab Episcopo: quia subjectio debet præsupponi ad talẽ obligationem, quam interius non habet, cùm leges superioris solos subditos obligent. Quare hoc peccatum non furandi perpetratum contra divinum præceptum ab extraneo, potest tantùm facere subditum Episcopi in ordine ad futurum judicium, & futuram censuram sub quâ præcipiatur extraneo, ut restituat & pœniteat præmissis monitionibus: non autem in ordine ad censurã præteritam, latam ab Episcopo per sententiam ipso facto incurrendam contra furantes. Quæ sententia per tale furtũm fuit ab extraneo violata, eo quod hæc censura cõprehendat dumtaxat eos, qui subditi erant ante ejusmodi furtum. Confirmatur, quia subjectio ad potestatem directivam est prior ratione, quam ad punitivam, quemadmodum ipsa potestas directiva est prior, igitur aliquis nequit fieri ratione delicti primò & per se subditus respectu potestatis directivæ ejusdem, quâ tale delictum prohibetur, sed dumtaxat respectu potestatis punitivæ, vel etiam directivæ, quæ supposito delicto cõmisso potest aliquid præcipere, in ordine ad directionem delinquentis. Consequentia patet, quia cùm obligatio servandi legem spectet ad vim directivam, nequit per se primò provenire ex ipsa actuali transgressione legis, sed necessariò præsupponenda est ad eam.

Eodem modo philosophandum est de illis, qui post talem censuram generalem latam acquirunt domicilium, & fiunt subditi illius Episcopi. Eo quod sententia referenda est ad tempus, quo pronunciatur, & in eo habet vires in eos dumtaxat, qui tunc temporis erant subditi. Notat idem Cornelio cum Sylvestro verbo *excommunicatio*, 2. num. 15. Subditos regularium ligari eorum censuris extra eorum Monasteria, aut Provinciam quomodocumque latæ sint. Quia (inquit Sylvester cum aliis) totus mundus est eis instar territorii. Ratio est quia Prælati regularium non habent territoria divisa sicut Episcopi, alioqui si Prælatus in monasterio præciperet sub censurâ, ut nullus Religiosus intraret domum mulieris suspectę, talis censura non ligaret subditum, qui illam legem violaret, quod absurdum est. Undè potest Prælatus regularis propriâ auctoritate capere subditum, qui fugit extra Monasteriũ vel Provinciam, etiam non invocato auxilio brachii Episcopalis, vel sæcularis, ita Navarrus lib. 5. consil. tit. *de sententia excommunicationis*, consil. 33. Præcipuè cum talis captura non tam fit viâ jurisdictionis, quàm dominii, & rei vendicationis: cùm Religiosus solemniter promiserit Prælato perpetuam obedientiam. Sic Glossa lib. 1. §. 1. verbo *vindicare*, ff. *de rei vendicatione*. Potest vir capere uxorem, & pater filium-familias. Concludit tandem Cornelio censuras latas ab Archiepiscopis comprehendere solùm proprios Diœcesanos. Ratio est, quia Archiepiscopus caret jurisdictione in Suffraganeos, nisi in certis casibus relatis à Sylvestro, verbo *Archiepiscopus*, quod verum est modò ejusmodi censuræ non sint latæ viâ Statuti editi in Concilio Provinciali Episcoporum.

§. 2.

Materia excommunicationis ferendæ ab Episcopo.

I. TRiplicem esse censuram scilicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum docent Innocentius III. cap. *quærenti*, de verb. significat. Suarez de censuris disp. 1. sect. 3. Avila part. 1. disp. 2. sect. 2. dub. 5. Vgolinus tab. 10. cap. 16. Filiucius tract. 11. cap. 2. quæst. 7. Henriquez lib. 13. cap. 2. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 1. num. 4, Coninck tomo 2. disput. 13. dubio 3. numer. 24, noster Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *censura Eccles.* num. 1. Quod si dicas cum Soto in 4. dist. 22. art. 1, degradationem ex dictis supra, item irregularitatem, depositionem, & cessationem à divinis esse etiam pœnas spirituales, quæ privant hominem baptisatum usu aliquorum spiritualium, & consequenter esse species censuræ. Respondet Bonacina degradationem & depositionem non esse censuras, quia censura ex suâ institutione tolli potest si delinquens resipiscat & emendetur. At depositio & degradatio non habent spem remissionis. Undè vocantur vincula indissolubilia. At censura est vinculum dissolubile (inquiunt Sayrus num. 1, Henriquez lib. 13. cap. 2. Bonacina citatus, Navarrus cap. 27, num. 163. Avila loco citato, Suarez disput. 1. sect. 3. noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *degradatio*, numer. 2.) Quod etiam irregularitas non sit propriè censura, Bonacina supra probat his rationibus. Prima, quia non omnis irregularitas ponitur in pœnam delicti, sed aliqua ponitur ob defectum absque delicto. Secunda, quia irregularitas non est principaliter instituta ad corrigendos fideles, sicut censura instituta est. Tertia, quia sequeretur irregularem administrantem ex officio Sacramenta incurrere novam irregularitatem. Irregularitas enim incurritur, quando quispiam censurâ affectus solemniter, vel ex officio in ordine ministrat. Sed falsum est irregularem administrantem Sacramenta ex officio incurrere novam irregularitatem, igitur etiam falsum est irregularitatem esse censuram. Quod cessatio à divinis nequeat dici censura ex eo constat. Primò, quia non est pœna privans hominem, &c. sed ex Suare disp. 39. sect. 1. num. 15. est simplex quædam prohibitio. Secundò, sequeretur, quod qui violat cessationem incurrat irregularitatem, quæ incurritur per violationem censuræ. Tertiò, quia censura fertur directè in pœnam delinquentis. At cessatio non magis respicit delinquentem, quàm innocentem, cùm tempore cessationis æqualiter officia cessent.

II. Undè non incongruè supra egimus de depositione & degradatione priusquam de censuris sermonem instituceremus. Hic igitur de excommunicatione, deindè de suspensione, & interdicto differemus, & consequenter aliquid de irregularitate & cessatione subjiciemus, ut concernunt potestatem Episcopalem. Ac primò excommunicatio alio nomine dicitur anathema. Vocatur excommunicatio, id est extra communionem: quia homo per excommunicationem separatur à communione fidelium, & à participatione Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, quæ per antomasiam appellatur communio. Vocatur Anathema ob majorem solemnitatem cum quâ ab Episcopo fertur. Cùm enim Episcopus profert Anathema, debent illi adesse duodecim Sacerdotes cum cereis, quos in fine projiciant ac pedibus proculcent. Venit autem anathema ab *ana* quod est sursum, & *thesis* quod est positio, alludēs ad morem veterum, qui capta in bello appendebant à cæteris sejuncta & separata. Sayrus lib. 1. cap. 3. Ugolinus tabul. 3. cap. 33. §. 1. vocant excommunicationem mortem, medicinam, mucronem Episcopi, virgam ferreā, nervum disciplinæ Ecclesiasticæ. Duplex est excommunicatio, major, quę simpliciter vocatur excommunicatio, undè quando absolutè excommuni-

catio fertur tantùm de hac intelligitur (inquit Bonacina disp. 2. quæst. 1. puncto 2. num. 2. & alii ibi) Minor seu secundùm quid excommunicationis majoris effectus sunt octo. Primus est privatio suffragiorum communium Ecclesiæ. Secundus, privatio participationis activæ & passivæ Sacramentorum. Tertius est privatio aliarum rerum sacrarum, ac sepulturæ. Quartus, privatio & inhabilitas ad beneficia. Quintus est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, vocis activæ & passivæ. Sextus est privatio communicationis civilis cum aliis fidelibus. Septimus est privatio forensis & judicialis communicationis. Octavus est annulatio impetrationis gratiarum.

III. Hæc excommunicatio videtur quoad materiam delineata in nostra historia lib. 4. Regum cap. 5. in Giezi. Nam si materia remota, seu subjectum excommunicationis est homo viator, ex Navarro cap. 34. num. 32. Covarruvia cap. *alma*, part. 1. numer. 8. Filiucio tractat. 11. cap. 5. quæst. 2. Bonacina disp. 1. de censuris, quæst. 1. puncto 4. num. 2. Reginaldo, Ugolino, Sayro, Suarez, Vasquez, & aliis. Primò, quia nullus habet jurisdictionem directâ in defunctum, sed dumtaxat in viatorem, ut patet ex verbis Christi Matth. cap. 18. vers. 18. *Quæcumque alligaveris super terram erunt ligata & in cælo, & quæcumq; solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* At ille qui non est viator, sed defunctus nõ censetur esse super terram, & consequenter nequit ligari censurâ. Secundò, quia anima separata est extra forum Ecclesiæ, & consequenter incapax censuræ, & effectus illius scilicet emendationis. At quando sanctus Propheta Elisæus punivit Giezi libr. 4. Regum cap. 5. vers. 23. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum.* Giezi erat viator.

Mat. 18. vers. 18

IV. Nec refert primò, quod Ecclesia publicum peccatorem defunctum possit privare sepulturâ & suffragiis, ut patet in sancto Gregorio, qui quendam Religiosum mortuum privavit suffragiis & sepulturâ, quia apud ipsum fuerat inventa pecunia. Ex illâ historiâ non sequitur defunctos posse excommunicari ab Ecclesiâ, vel Ecclesiam habere jurisdictionem directam in illos, sed dumtaxat indirectam, quatenus prohibet vivis ferre suffragia pro defunctis, & illos sepelire. Nec secundò refert, quod defunctus in excommunicatione possit absolvi post obitum. Non enim directè absolvitur, sed indirectè, quatenus concedit fidelibus facultatem dandi defuncto sepulturam & pro ipso suffragia ferendi. Si post mortem potest declarare ipsum excommunicatum, vel interdictum ob censuram cõtractam dum viveret. Sic (inquiunt Covarruvias relect. §. 11. numer. 18. Vasquez, Valentia, Filiucius, Suarez & alii) Inquisitores solent declarare aliquem defunctum fuisse hæreticũ & excommunicatum.

Hinc sequitur primò, eum non incurrere excommunicationem, qui mandavit Titio, ut Clericum interficeret, & eum occidit post mortem mandantis, ita Bonacina supra numer. 3. Secundò, sequitur defunctum qui crimen dum viveret, propter quod lata erat censura comminatoria post mortem non ligari, ita Sayrus lib. 1. cap. 8. numer. 11. Bonacina, Ugolinus, Coninck, & alii. Tertiò, sequitur Dæmonem non posse ligari censuris. Primò quia non est homo viator. Secundò quia non est capax effectus censuræ, scilicet resipiscentiæ, quia est obstinatus & pertinax, ita Navarrus cap. 47. numer. 13. Bonacina, Filiucius & alii. Quartò, sequitur bruta incapacia esse censuræ, primò quia non sunt homines viatores, secundò quia nequeunt peccare, quod præsupponitur censuræ, ita Filiucius, Reginaldus, Bonacina, Suarez, Navarrus. V.

Solus homo baptisatus est capax excommunicationis, ita Sylvester verbo *excommunicatio*, 1. Bonacina supra num. 4. Reginaldus, Ugolinus, Filiucius, Suarez, & Coninck ab eo citati. Probatur ex Apostolo 1. Corinth. cap. 5. vers. 12. *De iis qui foris sunt nihil ad nos, quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare.* Idest quasi VI. 1. Cor. 5. vers. 12.

diceret, quamvis tempore Elisei multi flagitia enormia perpetrarent, ob quæ lepra affici, & à cœtu fidelium, quasi excommunicati, removeri merentur, tamen Propheta solum Giezi plectit, quia fuerat circumcisus, & de numero fidelium erat. Cumque Eliseus esset legis Mosaicæ latæ Levitici cap. 13. & 14. studiosissimus, noluit eum ultra in suam societatem admittere, inquit Tostatus quæst. 10. Ex quibus patet Ecclesiam non habere etiam potestatem directam in non baptisatos, sed tantùm indirectam, quatenus potest præcipere baptisatis nè communicent cum non baptisatis juxta illud Apostoli 2. Corinth cap. 6. vers. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. quæ pars fidelis cum infideli.* Undè Ecclesia habet jurisdictionē in hæreticos ratione baptismi, quod solus inferior possit ligari censurâ excommunicationis, patet primò ex Giezi quem Propheta punivit, quia erat illi subditus, lib. 4. Regum cap. 4. vers. 25. ait ad *Giezi puerum suum*, & cap. 5. vers. 22. Giezi ait ad Naaman. *Dominus meus misit me ad te dicens modò venerunt ad me, &c.* Vers. 25. *Ingressus stetit coram Domino suo, & dixit Eliseus, undè venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quòquam.* Ratio est, quia facultas ferendi censuram spectat ad jurisdictionem coercitivam: at hæc exercetur dumtaxat in subditos. Undè summus Pontifex non potest excommunicari, quia caret superiore, nec ullius est inferior cap. *cuncta per mundum*, 9. quæst. 3. Ex quibus patet, primò, neminem posse censurâ afficere sibi æqualem auctoritate propriâ, ita Bonacina supra. Probatur primò ex cap. *innotuit*, de electione in 6. Secundò, hac ratione, æqualis non est inferior, nec par habet imperium in par. Sequitur secundò, ex commissione, seu potestate delegatâ acceptâ à superiore aliquem posse censurâ afficere æqualem. Ratio est quia per commissionem vel delegationem factus est illo superior. Undè Episcopus, imò Parochus, &c. potestate acceptâ à Sede Apostolicâ potest Episcopum vel Parochum excommunicare.

1. Cor. 6. vers. 14.

1. 4. Reg. 4 v. 15. Cap. 5. vers 22. vers. 25.

VII. Quoad materiam proximam certum est esse peccatum, & quidem proprium. Ita communiter Theologi & Juristæ. Ratio primæ partis est, quia censura, verbi gratiâ, excommunicatio, est pœna spiritualis quam Ecclesia infligit, sed pœna imponitur propter peccatum, igitur excommunicatio, aliaque censura præsupponit aliquod peccatum, nec sufficit sola Prælati auctoritas. Sustinent secundā partem Covarruvias cap. *Alma*, 1. part. §. 9. num. 1. Ugolinus, Sayrus, Filliucius, Reginaldus, Bonacina, Suarez. Et probatur ex cap. *si habes*, 24. quæst. 3. & aliis textibus, quos citant Doctores. Favet secundò historia tacti Elisei plectentis Giezi non ob peccatum alienum, sed proprium. Tertiò, quia excommunicatio est pœna gravissima, privatque maximis bonis & longè majoribus quàm suspensio vel interdictum.

VIII. Ut quis incurrat excommunicationem debet peccasse mortaliter, ita Navarrus cap. 27. num. 253. Filiucius tract. 11. Reginaldus, Sayrus, Bonacina supra, Coninck, Suarez, Sales, Rodriguez, & alii apud Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. num. 1. Patet primò ex lib. 4. Regum cap. 5. vers. 20. ubi videns Naaman quod oblata munera repudiasset S. Propheta Eliseus, ait: *Vivit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Quasi diceret (inquit Cornelius) *Juro per Deum, quod petam à Naaman aliquod antidotum, seu munus pro sanitate ei datâ à meo Magistro Eliseo.* Undè idem notat quinque peccata perpetrata fuisse à Giezi. *Peccavit graviter, primò, quod inscio & invito Eliseo hoc munus à Naaman petierit & acceperit. Secundò quod mentitus sit, id petens nomine Eliseï. Tertiò, quod Eliseo hanc notam cupiditatis inusserit, quæ multum ejus sanctitati & honori derogabat. Ipse enim respuens munera Naaman, ab eo habitus fuit, ut vir divinus, & propheta, & homo cœlestis: jam verò petens munera videri ei potuit homo egens, & cupidus, ut similis Pseudoprophetis, qui pro suis vaticiniis recipiebant munera, quare poterat Naaman deficere à fide, quam conceperat de Deo.*

1. 4. Reg. 5. v. 20

Cornel.

vero ex sanctitate & integritate Eliſei. Undè valdè veriſimile eſt Eliſeum effeciſſe, ut Naaman reſciret Giezi ſe inſcio munera hæc ab eo petiiſſe, ideoq; leprâ à ſe punitum, ut hac ratione integritas ſuâ in munerum contemptu Naamano conſtaret: itaque ille in opinione, quam de eo conceperat, ac verâ in Deum fidè confirmaretur. Quartò Giezi peccavit furto, quia Naaman munera hæc mittebat Eliſeo, pro quo ea Giezi petebat, Giezi autem illa in ſuos uſus convertere deſtinabat. Undè ea abſcondit, verſ. 24. nè quid Eliſeus de iis ſciret, quocirca Eliſeus mox illi exprobrat, verſ. 26 Acceptiſti argentum (inquit) ut emas olivета & vineas. Quintò, peccavit ſimoniâ mentali. Animum enim habuit ſimoniacum, petiit enim munera à Naaman intuitu ſanitatis miraculosè illi ab Eliſeo collatæ: quaſi hæc merces, & hoc pretium Eliſeo deberetur pro ſanitate. Undè ſanctus Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali cap. 4. ait ſimoniacos eſſe ſectatores Giezi, & Simonis Magi, ideoq; lepram ſimoniæ adhærere eorum non corporibus, ſed mentibus. Secundò, concluſioni favent cap. *nemo*, cap. *nullus ſacerdotum*, 11. quæſt. 3. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat. Concil. Meldenſ. quod citat Suardus ſect. 4. num. 4. Tertiò, nam pœna debet eſſe commenſurata culpæ cap. *fœlicis*, de pœnis in 6. *Index pœnam metietur ex culpâ.* At major excõmunicatiõ eſt graviſſima pœna, nam eſt nervus ac gladius ſpiritualis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut ait Tridentinum citato cap. 3. Igitur gravem ſivè mortalem pœnam exigit. Denique excommunicatio major privat multis commodis ſpiritualibus, igitur præſupponit grave peccatum.

IX. Ad cenſuram incurrendam non ſufficit peccatum mortale merè internum, ſeu quod ita latet in mente, ut aliter cognoſci nequeat niſi per revelationem: ſed debet eſſe externum, ita Sylveſter verbo *excommunicatio*, 7. quæſt. 2. Reginaldus lib. 9. num. 158. Sayrus, Filiucius, Ugolinus, Avila, Suarez, Coninck, Valentia, Sotus, Valquez, Sanchez apud Bonacinam ſupra num. 4. & alios q proximè citatos. Probatur primò ex lib. 4. Regum cap. 5. ubi Giezi plectitur ab Eliſeo; non propter peccatum internum quod dixit mentaliter, verſ. 20. *Pepercit Dominus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo, quæ attulit. Vivit Dominus quia curram poſt eum & accipiam ab eo aliquid.* Sed quia de facto illud munus publicè accepit etiam præſentibus ſervis Naaman, qui ipſum detulerant in terram Iſrael. Verſ. 23. *Et impoſuit duobus pueris ſuis qui & portaverunt coram eo.* Verſ. 24. *Cumq; veniſſet jam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, & dimiſit pueros & abierunt.* Quare hanc pœnam infligit Propheta, verſ. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi. &c.* Galfridus ſubdit. *Videntur autem per lepram manifeſta jam & quaſi foras erumpentia peccata ſignari. Inde erat quod leproſi ſpecialiter extra caſtra manebant. Nam de occultis temerè eſt judicare.* Ratio eſt, quia Eccleſia legem vel cenſuram fert de iis, de quibus poteſt judicare, at ſolos actus externos poteſt judicare directè, internos verò tantùm indirectè, ex cap. *erubeſcat*, & cap. *ſicut tuis*, de ſimonia. Solusque Deus ſcrutans corda & renes, judicat de merè internis & occultis. Undè Eccleſia tantùm indirectè præcipit actus internos, ut in divino officio attentionem quatenus præcipit orationem, quæ nequit ritè fieri ſine attentione. Sic Clementinâ 1. §. *veram de hæreticis*, excommunicantur Inquiſitorem, qui odio vel ſpe lucri plectunt aliquem innocentem, non enim illos punit ſeu excommunicat præcisè ob actum internum odii, ſed per ordinem externum punitionis, qui procedit ex actu interno odii. Ut docet Alphonſus à Caſtro lib. 2. de pœnali lege cap. ultimo Suarez diſput. 4. ſect. 2. num. 18. Valquez dubio 13. num. 4. & alii communiter tractatu de legibus notantes actum internum poſſe dupliciter ſpectari. Primò ſecundùm ſe & abſolutè. Secundò ut eſt unitus, ſeu informat actum exteriorem, vel omiſſionem actus externi. Verùm quidem eſt actum internum plecti non poſſe pœnâ cenſuræ, ſi ſpectetur ſecundùm ſe, quia non cadit ſub ſenſum, nec ſubjicitur judicio Eccleſiæ,

4. Reg. 5. v. 20.

verſ. 23.

verſ. 24.

verſ. 27.

Galfrid.

ſed

sed Dei, qui cor intuetur 1. Corinth. cap. 4. & lib. 1. Regum cap. 16. Si verò spectetur in ordine ad actum externum, vel omissionem, potest plecti: quia cadit aliquo modo sub sensum per actum externum, vel omissionem. Hac de causa excommunicantur, qui non recitant officium cum attentione, qui non confitentur cum dolore, qui omittunt jejunium ex contemptu, qui ex odio & avaritiâ inquirunt, &c. Sic enim non plectitur internus actus per se, sed per ordinem ad externum, quem informat, quod idem est ac plectere actum externum, quatenus à tali actu interno procedit. Ita Filiucius quæst 3. numer. 166. & quæst. 6. num. 178. Suarez, & alii apud Bonacinam tractatu de horis Canonicis. Nec refert quod potestas ferendi censuras sit merè spiritualis, tamen residet in hominibus, qui illam exercerè nequeunt, nisi circa ea, de quibus possunt ipsi judicare. Cùm ergò homines nequeant de peccatis purè internis judicare, nec de iis censuras ferre queunt. Ex quibus colligo illum qui malè sentit de fide, sed exterius nullum signum manifestativum suæ pravæ opinionis, seu hæresis emisit non subjacere excommunicationi latæ sententiæ, ita Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. & 3. post 3. concl. Bannez 2. 2. quæst. 11. art. 4. Cajetanus in summa verbo *hæresis*, noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *hæresis*, num. 2. Bonacina supr. num. 3. Suarez, Vasquez, Coninck, & alii. Id patet primò in Eliseo, qui non punivit Giezi ob voluntatem petendi à Naaman munera, sed ob petita. Secundò quia ex vulgari dicto Ecclesia non judicat de occultis.

X. Dices Ecclesiam sibi reservare peccata interiora, deindè Episcopus potest dispensare in voto mérè interno & mentali, igitur Ecclesia potestatem habet in actus internos, & consequenter potest censuras ferre ob peccata merè interna. Respondeo ad primum reservationem directè non cadere in peccata interna; sed potius consistere in hoc, quod Ecclesia non vult omnibus sacerdotibus dare facultatem absolvendi à peccatis. Undè ex hac parte argumentum nihil concludit. Ad secundum dico superiorem dispensare in voto, dum sibi manifestatur, consequenter ratione ejusmodi manifestationis votum, quod solâ mente conceptum erat fit sensibile, & ita superiori subjicitur, ut docet Bonacina supra post Suarez, Vasquez, & alios.

XI. Excommunicatio aliaque censura non infligitur pro peccato merè præterito, sed conjuncto cum inobedientiâ & contumaciâ, ita Filiucius cap. 6. quæst. 8. num 185. Sayrus lib. 1. cap. 9. numer. 25. Bonacina, Henriquez, Ugolinus, Suarez, Coninck, Avila, Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. contra Cajetanum 2. 2. quæst. 69. art. 2. & alios. Patet ex nostrâ historiâ, nam Eliseus non infligit pœnam lepræ ministro suo Giezi præcisè ob munera petita à Naamán, sed quia Propheta recusans illa tacitè prohibuerat ipsi, nè quidquam postularet vel acciperet. Secundò ipsum contumacem vidit, vers. 25. *Non ivit servus tuus quoquam*, nec resipiscentem, nec dispositum ad restitutionem faciendam. Si enim cum pœnitentem animadvertisset propheta illam pœnam non imposuisset. Secundò patet ex cap. *ex parte*, ubi duæ dumtaxat causæ afferuntur, ob quas excommunicationis, vel alterius censuræ sententia possit in aliquem ferri, scilicet quia monitus non abstinuit à peccato, seu parere noluit, vel satisfacere pro peccato renuit. Tertiò ex cap. 1. de sent. excommunic. in 6. ubi habetur quod excommunicatio, idem de aliis censuris, non sit pura pœnâ, seu vindicta; sed *pœna medicinalis disciplinam non eradicans, quare cautè provideat Ecclesiasticus Judex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod in bonum corrigentis, atque medentis est.* Ex quibus patet censuram non esse vindictam sed medicinam ad avertendum hominem à peccato. Quod etiam supponatur aliqua irresipiscentia & inobedientia, patet ex Christi verbis Matthæi cap. 18. vers. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* At qui commisit peccatum non censetur contumax, rebellis

l. 4. Reg. 5. v. 25.

Mat. 18 vers. 17.

& inobediens contra Ecclesiam, nisi monitus impœnitens persistat. Potest tamen pro delicto præterito imponi pœna aliqua, ut privatio officii, dignitatis, vel suscipiendæ Eucharistiæ pro aliquo tempore. Pœna autem hæc non est censura propriè dicta, quæ per se noceat animæ: cùm non feratur sub eâ ratione, ut afferat incommodum spirituale, sed per modum pœnæ vindicativæ. Et licet afferat animæ detrimentum, quatenus privat officiis divinis, hoc est per accidens, quia non fertur hac intentione, ut ferat tale detrimentum: sed sub intentione hac (inquiunt Filiucius, Avila, Suarez, Coninck, Toletus, Bonacina supra,) ut peccator ultimatè resipiscat. Quantùm ad censuras, quæ à jure, vel per sententiam generalem statuuntur ipso facto incurrendæ, ita ut opus non sit postea aliâ cõdemnatione judicis: clarum est eas non posse ferri pro culpis præteritis, vel emendatis, sed in hunc modum, *qui tale crimen admiserit*, vel *qui pro tali commisso crimine, intra mensem non satisfecerit excommunicatus est.*

XII. Si excommunicatio vel alia censura non sit sententia lata, sed ferenda verbi gratiâ, si tale delictum perpetrarit, excommunicetur, Abbas cap. *cum sit Romano*, num. 28. de appellat. Avila part. 2. cap. 5, disp. 1. dubio 5. Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 24. existimant, quod judex statim contra reum de crimine convictum possit procedere ad ferendam censuram absque aliâ monitione. At oppositum tenent Covarruvias l. C. Cajetanus verbo *præcepti transgressio*, §. *pœnas*, Suarez disp. 1. sect. 10, num. 16. Probatur ex textu cap. *reprehensibilis*, his verbis. *Nec Prælati, nisi canonicâ commonitione præmissâ suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat.* Particulæ, *ex genere*, idem sonant, *ac ipso facto ex se* inquit Glossa ibi. Cùm ergo exceptio in aliis firmet regulam, sequitur etiam ad omnem censuram, quæ non incurritur ipso facto, seu admissione, sed actualiter est infligenda à judice canonicam & quidem trinam monitionem necessariò præmittendam esse. Ratio est qui propter crimen merè præteritum vel emendatum, neque excommunicatio, neque aliâ censura propriè potest infligi. At si judex excommunicationem vel aliam censuram sententiæ ferendæ posset exequi contra reum nullâ præmissâ monitione, frequenter tunc contingeret censuram infligi ob delictum merè præteritum vel emendatum. Nam si reus citatus & delictum confessus velit ab eo desistere, & satisfacere Ecclesiæ, certum est non posse excommunicare, cùm tunc deberet potius absolvi. Si antea incurrisset excommunicationem juxta cap. *quâ fronte*, de appellat. Confirmatur ex eo quod censura hæc actualiter non feratur à lege, sed ab homine: Et ideò legis monitio sufficere non videatur, nisi etiam præcedat hominis monitio, saltem ordinariè, & nisi aliud cautæ gravitas, seu necessitas requirat.

XIII. Undè Suarez disput. 4. quæst. 10. numer. 21. rectè colligit delictum, quod caret tractu successivo, neque satisfaciendi obligationem parit, non posse prohiberi cum comminatione censuræ ferendæ, ut patet in blasphemiâ. Covarruvias l. C. num. 6. scribit hæc adeò vera esse ut etiam in notoriis excommunicationis sententia non sit ferenda, nisi præmissâ citatione, & canonicâ monitione. Nam cum censura feratur ob contumaciam, non potest apparere an reus sit contumax, nisi moneatur. Quod si censura ipsa contracta, à judice declaranda, vel determinanda sit, tunc si factum seu delictum sit ita notorium, ut constet clarè nullam defensionem vel excusationem à delinquente posse afferri, Abbas cap. *nostram de jure jurando*, Andræas Gail lib. 10, obser. 77. num. 9. Navarrus lib. 5. consil. 20. de hæreticis num. 5. Avila, Suarez, argum. cap. *de manifestâ*, 2. quæst. 1. cap. *evidentia*, de accusat. cap. *bona*, 1. de elect. docent posse intermitti à judice citationem. Addit Layman lib. 1. tract. 5, part. 1. cap. 5. numer. 7. quod qui cum ignorantiâ

rantiâ crassâ, seu supinâ agit contra id, quod sub comminatioñe censuræ est præceptum vel prohibitum non incurrit censuram. Probatur ex cap. 2. de constitut. in 6. *Vt animarum periculis obvietur sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa sit aut supina.* Ratio est, quia ut incurratur censura requiritur contumacia, & quidem virtualis contemptus in eo consistens quod aliquis monitione legis vel præcepti, cum comminatioñe tantæ pœnæ, seu censuræ parere renuit, sed qui ignorat ejusmodi Ecclesiasticæ legis vel præcepti comminatioñem, sivè censuram, is nequit censeri contumax vel contemptor clavium, l. *si ignorans*, 50. ff. *Locati. Non enim contempsit disciplinam qui ignoravit.* Undè infero quod citatus textus *ut animarum*, non condit aliquod novum jus positivum; sed id, quod ipsa natura & institutio censurarum postulat, declarat. Nam jura illa sunt instituta ad medendum & disciplinandum, non ad periculum animabus inferendum. Idem eodem modo concludendum est de censuris Apostolicis, licet cap. 2. citato fiat mentio dumtaxat Episcoporum. Vide plura apud citatos Auctores.

§. 3.

Effectus Excommunicationis.

I. PLurimi Excommunicationis effectus delineatos deprehendo in historiâ Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei lib. 3. & 4. Regum. Postquam enim Jeroboam vitulos aureos quasi idola erexisset in Dan & Bethel, quidam Propheta altari scissionem & excidium per Josiam intentat, quo oraculo audito, Rex Joroboam lib. 3. Regum jubet eum capi: At illicò capientis manus exaresc. 3. v. 7. rescit, quam illi veniam precanti Propheta restituit, quâ recuperatâ, vers. 7. *Locutus est autem Rex ad virum Dei: Veni mecum, ut prandeas, & dabo tibi* vers. 8. *munera.* Vers. 8. *Respondit q. Vir Dei ad Regem. Si dederis mihi mediam partem Domus tuæ non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto.* Vers. 9. *Sic enim mandatum est in sermone Domini præcipientis.* vers. 9. *Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam quâ veniisti, &c.* Cornelius ibi ait hanc esse figuram Ecclesiasticæ censuræ & excommunicationis, quâ Ecclesia vetat communicare cum excommunicatis, nec cum eis vesci, ut illi bonorum consortio excluſi confundantur & resipiscant. Cui arridet S. Cyprianus epist. 11. ad Pomponium. *Spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cùm domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesiâ possit. Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt, nec obtemperant consiliis salubribus, testatur divina Scriptura, quæ dicit, non diligit indisciplinatus castigantem se, qui autem oderit correptiones consumentur turpiter.* S. Cyprianus. Et Rupertus lib. 5. in lib. Regum cap. 6. explicans præfatam historiam ubi de hæticis excommunicatis. *Hæretici super altaria sua ascendunt, quia non Dei, sed suam gloriam quærunt, quia semetipsos prædicant non dominum Jesum Christum. Eorum quàm vitandum sit consortium subjectum statim indicat exemplũ. Virum Dei, qui venerat de Iuda in sermone Domini Ieroboam stante super altare, & exclamaverat contra altare leo invenit in via, & occidit. Sic enim illi mandatum fuerat in sermone Domini præcipientis, nè comedas panem, neque bibas aquam, nec revertaris per viam quâ veniſti: fefellit autem eum pseudopropheta, & reduxit secum, comedit q. panem in domo ejus, & bibit aquam, occidit ergò eum, ut prædictum est leo. Igitur consortium hæreticorum, qui vitulos mendacii fabricarunt, docemur vitare, & cum ejusmodi nec cibum sumere nè inveniat nos leo in via, nè veniat super nos similis hæreticorum vindicta.* Rupert. Historiam Giezi & ejus lepram degradationẽ denotare supra ostendimus. Non minus congruè excommunicationem per ejus lepram significari utramque conferenti satis patebit. Hoc unicum animadvertere licet, quod

quem-

quemadmodum secundùm Serarium Giezi post pœnitentiam peractam, Deumque ac Elisæum placatos à leprâ sanatus fuit, & tum 4 lib. 4. Regum cap. 8. cum rege Joram collocutus fuit, Elisæique miracula narravit. Vers. 4. *Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei dicens. Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Elisæus, &c.* Tertii & sexti effectus excommunicationis majoris figuras nobis subministrat S. Patris Eliæ historia. Toto tertio & quarto libro Regum non constat quod sanctus ille Propheta cum impiâ Jezabele ullam societatem habuerit, imò lib. 3. Regum cap. 19. fertur quod fugerit à facie ejus vers. 3. *Elias fugiens abiit quòcumque ferebat eum voluntas.* Et cap. 2. vers. 13. *De Iezabel locutus est Dominus, dicens, canes comedent Iezabel in agro Iezrael.* Et lib. 4. Regum cap. 9. vers. 10. *Iezabel comedent canes in agro Iezrael Nec erit qui sepeliat eam.* Vers. 33. *Præcipitate eam deorsum* (inquit Jehu) *& præcipitaverunt eam, aspersusq; est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. Cumq; introgressus esset, ut comederet, biberetq;, ait, ite & videte maledictam illam, & sepelite eam, quia filia regis est. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt eam nisi calvariã, & pedes, & summas manus, &c.* Vers. 36 *Et ait Iehu sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbytem, dicens: In agro Iezrael comèdent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrael, ita ut prætereuntes dicant; Hæccine est illa Iezabel.* Quasi diceret, Hæc nè illa uxor & mater Regũ? Hęc nè illa regina & dominatrix Israel? Hæc nè illa quæ omnibus Prophetis terrorem incussit? Hæccinè est illa, quæ regis animum ad nutum suum inflexit? Hæccinè illa, quæ pompaticè incedebat? Hæccine illa, quæ vers. 30. hodie *depinxit oculos suos stibio*, ut me alliceret, meamque amicitiam sibi conciliaret? Quam benè ejus interitus congruit nominis etymologiæ. Nam Jezabel secundùm Hebræos, Chaldæos, & Syros idem est quod *stercus*, vel secundùm Paganinum, idem est quod *sterquilinum*. Ecce quomodò ille decor Israel, illa orbis pulchritudo conversa est. Cur S. Pater Elias ita Jezabelem fugit, & cur corpus ejus ita à canibus laceratur, ac regiâ sepultura caret? Dicet quispiã S. Eliam fugisse, nè illecebris illaquearetur, vel nè trucidaretur, sed vix credi potest quod homo macer, intonsus, prolixâ barbâ & capillis, hispidâ veste, sivè pelle ovina amictus, & zonâ pelliceâ cinctus, uno verbo absque apparatu, Reginæ mulieris ac maritatę fucos & illecebras timuisset. Quoad corporis laniationem ait Sanctus Chrysostomus homiliâ 26. in epistolam ad Romanos, ideò potius cadaveri Jezabelis quàm Achabi contigisse, ac consequenter Jezabelem gravius punitam fuisse quàm Achabum, eò quod ipsa induxit Achabum, ut acciperet vineam Naboth, ejusque proles ultimo supplicio damnarentur. *Iezabel* (inquit) *majores pœnas dedit quam Achab vineæ raptor, ipsa quippè universum illud negotium texuerat, regiq; lapsus occasionem dederat.* Sed potius hic dicendum est ipsam Jezabelem Eliæ societate & colloquio catuisse, & quasi stercus fuisse procalcatam, à canibus laceratam, ac sepulturam Asmariam habuisse, quia excommunicata erat, seu quia idololatriam in regnùm Israel invexit, Prophetas Domini prosecuta, divinam legem & religionem delere contendit. Notat Rupertus Jezabelem eo impietatis & crudelitatis progressam esse, ut prima omnium mortalium Prophetas mactari jusserit. *Ipsa prima Prophetas Domini prosecuta est, & occidit. Ante illam nullus quippe dicitur prophetas occidisse.* S. Chrysostomus Suâ idololatriâ ejusmodi censuram divinam meruit. Accipe verba sancti Ambrosii lib. de Naboth cap. 11. *Iezabel ipsam comederunt canes, & volucres cæli, ut ostenderetur quod spiritualis nequitia fiat præda divitis sepulturæ.* Hinc Apoc. cap. 2. vers. 20. mulier quædam impia, hæretica, potens, quæ alios maximè Nicolaitas in suas pravas opiniones ac dogmata induxerat Jezabel nuncupatur. *Habeo* (inquit Deus Episcopo Thyatiræ) *adversus te multum, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam docere*

l. 4. Reg. c. 8. v. 4.

l. 3. Reg. 19. v. 3.

Cap. 2. vers. 25.

l. 4. Reg. 9. v. 10.

docere & seducere servos meos fornicari & manducare de idolothytis. Etsi variæ sint de hac muliere Interpretum sententiæ, tamen omnes in hoc conveniunt, quod hæc non tantùm ad corporalem, sed etiam ad spiritualem fornicationem alios allicuerit. Nam S. Epiphanius hæresi 51. scribit hanc Jezabelem fuisse mulierem Montani, scilicet Priscillam, Maximillam, & Quintillam cõtendentes quod Montanus esset Paracletus. Aretus existimat Jezabelem esse hæresum Nicolaitarum inventricẽ. Rupertus, Ticonius, Primasius, Haymo dicunt Jezabelem esse universos hæreticos effœminatos, libidinosos & crudeles in Ecclesiæ Romanæ alumnos, & fundantur in nomine Jezabel, idest fluxus sanguinis, qui Sanctos persequuntur, mactant, sicut olim Jezabel sanctum Eliam & Prophetas Domini. Alcazar per Jezabelem intelligit Synagogam, quæ capitali odio Apostolos, eorumque successores, omnesque Christianos insectabantur. Beda, Joannes de la Haye, Pererius, Cornelius, noster Sylveira putant esse certã mulierem, quæ fideles à verâ pietate, & religione in varios errores inflexit.

II. Porrò effectus ejusmodi excommunicationis majoris ita censuram illam concomitantur ut eos suspendere spectet ad sedem Apostolicam, ita Bonacina de censuris disput. 1, quæst. 1. puncto ultimo num. 3. Ratio prima est, quia censura instituta est jure humano, at Sedes Apostolica habet potestatem supra jus humanũ. Secunda, quia docet experientia aliquos effectus suspensos fuisse, cum sine extravagantem *ad evitanda*, non esset licitum participare cum excommunicato occulto. Quemadmodum hoc tempore licitum est. Igitur signum est quod sedes Apostolica possit suspendere effectus censurarum, & consequenter possit conferre Beneficium excommunicato, quamvis unus ex effectibus excommunicationis sit reddere collationem invalidam, ex dictis supra, Navarro cap. 27. num. 21. Garcia de beneficiis part. 7. cap. 13 ex nostris Cornejo de censuris disp. 6. §. 1. dubio 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *excommunicatio quoad regulares*, num. 24. & alii apud Dianam part. 5. de excommunic tract 9. resol. 99. Episcopi & alii Prælati ex privilegio, vel consuetudine permittente possunt suspendere effectus censurarum, ita Bonacina supra numer. 5. Non autem per se loquendo possunt. Ratio est quia nequeunt dispensare in jure communi. Igitur cùm collatio beneficii facta excõmunicato sit jure communi invalida sequitur collationem beneficii factam excommunicato ante absolutionem esse invalidam. Vide Filiucium tractat. 11. cap. 7. quæst. 10. num. 214. & seq. Suarem disp. 6. sect. 4. num. 7. & 9. Ugolinum tab. 1. cap. 20. §. 6

III. Episcopum posse censuris afficere suos subditos non est dubium. Hic tamen quasdam difficultates discutiemus. Primò Episcopum Diœcesanum posse excommunicare judices laicos, qui prætendunt cognoscere culpas suorum, ita Aloysius Riccius in praxi part. 5. resol. 473. numer. 2 Marcus Antoninus, Campanile in thesauro fori Eccles. Zerola in praxi Episcop. Madius tract. de sacr. ordinibus, Barbosa de officio & potest. Episc. part 3. alleg. 107. num. 1. Diana tomo 1. tract. de immunitate Ecclesiasticâ resol. 97.

IV. Stando & inhærendo juri Divino, & juri Canonico antiquo possunt Imperatores & Reges excommunicari ab Episcopis. Ita Avila de censuris part. 2. cap. 4. disp. unic. dubio 4. Bonacina de censuris disp. 1. puncto 4, num. 15. noster Corncio tomo 2. in 3. part. tract 5. de censuris gener. dubio 4 num. 3. Diana tract. de immunitate Ecclesiast. resol. 9. Layman & Barbosa apud eundem. Ratio est, quia potest Episcopus in suâ Diœcesi quidquid potest Pontifex in Ecclesiâ universali, exceptâ definitione rerum fidei, sed de jure Canonico antiquo potest excommunicari Rex & Imperator ab Episcopo, ut patet ex cap. *duo*, dist. 96. ubi sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis dicitur excommunicasse Theodosium Imperatorem. Non potest Episcopus de

jure novo & privilegio à summo Pontifice dato excommunicare reges & Imperatores, est contra Alterium de censuris tomo 1. disp. 10. lib. 3. cap. 5. Fagundez præcepto 2. lib. 1. cap. 3. num. 11. asserentes regulariter propter quandam reverentiam id ab Episcopis non posse excõmunicari, quamvis optimè quidem & justissimè excommunicarentur, si sceleris pondus & qualitas id exigeret. Ratio Bonacinæ est, quia habentes ejusmodi privilegium non censentur in hac re subditi Episcopo. Eandem rationem afferunt S. Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 5. Sylvester verbo *excommunicatio*, num. 10. quamvis de jure & privilegio exemptionis non constet.

V. Possunt Consiliarii Regii ab Episcopis excommunicari, ita Joannes, Dionysius Portocarrero, & multi alii ab ipso citati, quibus subscribit Diana supra contra Carolum de Graffis lib. 2. Regalium Franciæ jure 9. Joannem Ferrant de juribus Regni Franciæ, privileg. 6. Paponium de jure Franciæ lib. 1. tit. 4. arresto 9. asserentes privilegium regium extendi ad ejus Officiarios & Consiliarios. Ratio est, quia hoc privilegium est personale ob Imperatorum & Regum reverentiam. Huic assertioni subscribit Narbona in 3. part. recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 50. glossa 22. per totam. Igitur potest Episcopus excommunicare Præfectos Regios perturbantes eorum jurisdictionem, & volentes, verbi gratiâ, cognoscere causas Ecclesiasticas per viam violentiæ, ut dicitur, ita etiam Azorius part. 2. lib. 5. cap. 12. & 14. Layman in Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 4. num. 4. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. num. 30. Alterius tomo 1. disp. 15. lib. 3. cap. 3. Reginaldus tomo 1. lib. 9. Duardus, Filiucius, Joannes de Maderiaga, Sayrus, Malderus, Coriolanus ex commun. 14. Barbosa lib. 1. decret. tit. 2. cap. *Ecclesia S. Mariæ*, de constitut. num. 2. Contra Salgado, Cevallos, Pereira, & alios Jurisconsultos. Ratio fundatur in cap. *sacr.* de sentent. excommun. & cap. *ad reprimendum*, de officio ordin. Clericus coram Episcopo, Episcopus coram Archiepiscopo conveniri debet, & ex cap. *Antiqua*. de privilegiis, Archiepiscopus coram Primate, Primas autem coram Romano Pontifice, vel Legato Apostolico ad eam Provinciam misso. Potestque Prælatus ad quem fieri debet recursus, per censuras impedire nè judex incompetens, verbi gratiâ laicus falcem suam in messem alienâ immittat.

Quod si judex laicus, seu ejus mi- VI.
nister inveniat Ecclesiasticos transferentes pecuniam, triticum, equos, &c. contra legem, nequeunt ista auferre absque violatione libertatis, & periculo excommunicationis, ita Alterius de censuris, num. 3. disp. 16. lib. 5. cap. 5. Bartholomæus à sancto Fausto in speculo Confessariorum, disp. 33. quæst. 20. Valetus, Azorius part. 3. lib. 3. cap. 19. quæst. 23. Megala, contra Joannem de Hevia in Curiâ, Bobadilla. Ratio est, quia Clerici nequeunt comprehendi sub tali statuto, & ordinatione. Dices cum Bobadilla hoc statutum respicere bonum publicum tam laicorum, quàm Clericorum. Contra, licet (inquit Azorius) respiciat bonum commune laicorum & Clericorum: non tamen ex æquo respicit Clericos & laicos, & ideò Clerici sunt exempti, nec possunt sub tali statuto comprehendi. Dices secundò Clericos comprehendi sub statuto, nè gerantur arma sub pœnâ spoliationis. Respondet Diana part 1, tract. de immunitate Eccles. res. 15. illam sententiam non esse cõmuniter receptam. Respondeo tertiò esse disparem rationem inter utrumq; casum: nam in casu armorum probabiliter timetur damnum tertii, & perturbatio reipublicæ, & sic per modum defensionis, & non punitionis auferuntur à judice laico. At in casu tritici, &c. non est periculum damni innocentis, sed tantùm respicitur bonum commune, ad quod ex dictis nõ tenentur Clerici. Præterea ex Vasquez part. 2. tomo 2. disp. 167. cap. 4 Salas de legibus disp. 14. sect. 10. numer. 112. Clerici nequeunt à judicibus laicis plecti pœnâ per leges civiles constitutâ, etiam eorum statui non contrariâ. Ratio est, quia lex civilis

assignans

assignans pœnam ordinariam, Clericos ad eam obligare nequivit. Quia laici carent potestate saltem coercitivâ & punitivâ respectu Clericorum. Et quamvis Clerici teneantur vi directivâ obtemperare statutis Principum, tamen illis violatis nequeunt puniri à laico judice, nec ad pœnam ullam ex vi talium statutorum tenentur. Quod si judices laici pœnam urgeant, possunt auctoritate Episcopali prohiberi.

VII. Episcopi & Ecclesiastici non obtemperantes mandatis regiis nequeunt expelli è regno ob ejusmodi inobedientiam, ita multi Jurisconsulti & Theologi, Valenzuola in defens. monit. Paul. 5. part. 4. num. 101. Molina tomo 1. tract. 2. disp. 3. concl. Vasquez part. 2. tomo 2. disp. 167. cap. 4. Becanus in summa Theolog. part. 2. tract. 3. cap. 1. sect. 11. numer. 11. Diana part. 1. tract. de immunitate Eccles. resol. 17. Bonacina tract. de legibus disput. 1. quæst. 1. puncto 6. num. 29. Docentes Episcopos & alios Ecclesiasticos non teneri legibus civilibus ex vi coactivâ, sed vi directivâ; si tendant in bonum commune, & non repugnent Ecclesiasticæ libertati. Ratio prima est, quia nemo est directè subditus legibus illius, qui non habet jurisdictionē in ipsum, l. *finali*, ff. *de jurisdictione omnium judicum*. At Princeps laicus caret jurisdictione in Episcopos & Ecclesiasticos, cap. *decernimus*, de re judicatâ, & cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, de constitutionibus, & cap. *seculares*, de foro competenti. Ratio secunda, quia is potest plectere eum qui sibi est subditus, cùm jurisdictio absque coactione sit inutilis. l *finali*, ff. *de eo cui mandata est jurisdictio*. At Princeps sæcularis nequit plectere Ecclesiasticos, cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, cit. Igitur Ecclesiastici non subjiciuntur laicis Principibus, seu civilibus legibus, nec consequenter tenentur directè, & vi coactivâ obtemperare legibus civilibus. Undè Princeps sæcularis expellens Episcopum à suâ Diœcesi, & Consiliarii id consulentes non tantùm possunt denunciari excommunicati, sed de facto incurrunt excommunicationem undecimam Bullæ Cœnæ, ita Theologi & Canonistæ, Suarez de censuris, Megalia, Duardus, Scortia, Filiucius tomo 1. tract. 16. cap. 9. num. 247. Diana supra, Alterius, Sayrus, Coriolanus, Navarrus in manuali cap. 27. num. 67. Martha, & alii. Quibus subscribit Belletus in disquis. Clericor. part. 2. tit. 3. §. 2. qui addit §. 5. num. 3. non posse principem expellere Clericos si aliquam Ecclesiam obtinuerint à Papâ in ipsius dominio, nisi de licentiâ ipsius Papæ. Dices cum Olibano de jure fisci cap. 9. numer. 28. Cevallos tract. de cognit. per viam violentiæ, glossa 6. Cenedo, Bobadilla. Hoc esse verum, si Princeps expelleret Episcopum & Ecclesiasticos è suis dominiis per viam jurisdictionis contentiosæ & judicialis, sed Princeps id efficit per viam jurisdictionis œconomicæ & politicæ, sicut Paterfamilias potest expellere, & de facto expellit famulum Clericum inobedientem, seu qui familiam perturbat. Respondet Diana hanc distinctionem esse chimericam in casu nostro, & exemplum adductum non esse ad rem. Nam ipse Paterfamilias constituit famulum Clericum ut familiæ suæ inserviat, & ideò potest ad nutum suum illum expellere, non tantùm quando est inobediens, & domum perturbat, sed etiã dum est obediens, & pacificus, nec illi facit injuriam, cùm ejusmodi Clericus nō habeat jus commorandi in domo suâ. At Episcopi, Prælati, & Clerici constituuntur in regnis à Sede Apostolicâ, ad servitium & regimen præfatarum Ecclesiarum quod si in aliquâ re deliquerunt, nequeũt principes sęculares illos expellere, quia habent jus commorandi in eorum dominio, non tantùm ut cives, sed ut personæ constitutæ à sede Apostolicâ, ut inserviant & regant istas Ecclesias, ad quas spectat de omni jure plectere in aliquo delinquentes. Dices secundò, igitur Principes debent in suis dominiis relinquere Episcopos, Clericos &, seditiosos & perturbatores pacis & reipublicæ. Respondet Diana deberi à Principibus moneri Papam aliosque

eorum judices Ecclesiasticos. Quod si tanta esset necessitas & esset periculum in morâ, Molina tomo 1. tractat. 2. disp. 31. concl. 4. Salas de legibus tract. 14. disp. 14. sect. 9. & Tannerus 2. 2. disp. 4. quæst. 4. dubio 1. licet principi sæculari per modum justæ defensionis contra Episcopos & Clericos facere id quod recta ratio dictaverit necessarium ad impediendum damnum imminens reipublicæ. Quod etiam animadvertit Cevallos part. 2. quæst. 77. num. 9. Ugolinus in bullâ Cœnæ cap. 11 part. 2. vers. *aut eos*, §. 1. num. 3. docentes quod principes sæculares possunt absque periculo excommunicationis Episcopos expellere è regno, & suis Diœcesibus, si id faciant de licentiâ Pontificis, vel si timeatur grave scandalum & periculum Reipublicæ. Moraliter loquendo vix accidere potest. Idem de Clerico docent Bernardus Diaz. cap. 141. litt. B. Sallcdo in practicis. Idem etiam insinuat Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. & alii de Clericis. Ratio est, quia quando non imminet periculum in morâ, non habet locum modus justæ defensionis. Conditio enim necessaria ad justam defensionem est, ut efficiatur cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed non inculpatè Princeps se defendit Princeps, quando potest vel à Papâ, vel Prælato Ecclesiastico petere defensionem.

XLII. Episcopus vel alius Judex Ecclesiasticus potest præcipere sub pœnâ excommunicationis judici sæculari, ut supersedeat executionem contractus donec decidatur an sit usurarius, vel non, ita Corasius lib. 2. miscell. cap. 5. Guitierez de jur. conf. part 1. cap. 2. numer. 11. Alexander l. 4. §. *condemnatum*, num. 17. de re judicatâ, & alii contra Cevallos, Angelum, Imola, & Ripa ibidem. Rodericus Suarez in legibus post rem judicatam, vers. *circa judicem*, num. 15. 16. 17. §. *de re judicatâ* Barbatus. Probatur primò ex cap. *Iator*, qui filii sunt legitimi, & ideò pendente causâ natalium coram Ecclesiastico non potest judex sæcularis in causâ principali hæreditatis procedere, & consequenter si à judice Ecclesiastico inhibeatur nè sæcularis judex sub pœnâ excommunicationis ultra procedat super executionem quousque decidatur causa usuraria, tenetur obtemperare & supersedere in executione. Quia cùm hæc exceptio sit executioni præjudiciabilis, non debet judex laicus super ea amplius procedere: alioqui judicium Ecclesiasticum redderetur illusorium. Notat etiam Diana tract. 1. de immunitate Ecclesiast. resol. 18. cum Barbosa in collect. tomo 2. lib. 4. tit. 17, num. 4. & 5. & aliis apud ipsum, quod Judex Ecclesiasticus ad quem aliqua causa spiritualis remittitur potest exponere exceptionem illam, & præfigere terminum peremptorium intra quem probare teneatur. Non potest tamen è converso judex sæcularis, qui verbi gratiâ de causâ hæreditatis cognoscit, præfigere partibus intra terminũ quem causa incidens spiritualis termineretur coram Ecclesiastico, ad quem remittit. Ratio est, quia judici Ecclesiastico legem imponere nequit, quia est superior.

XLIII. Episcopus excommunicatus si non sit vitandus, vel si non sit legitima appellatio interposita potest excommunicare, ita Suarez disp. 2. sect. 4. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 2. Corneio sup. disp. 2. dub 4. Filiucius, & alii. Ratio est, quia non habet usum iurisdictionis impeditum. Undè infert Corneio Episcopum vel alium Prælatum publicè excommunicatum, aut notorium Clerici percussorem, vel hæreticum, vel schismaticum, aut ab officio vel jurisdictione suspensum validas censuras ferre non posse, quia habet jurisdictionem ligatam, & est privatus usu. Ita cap. *audivimus*, 24. quæst. cap. *exceptionem*, de exceptionibus in fine, & cap. *ad probandam*, de sentent. & re judic. Cui arridet S. Thoma in supplemento ad 3. part. quæst. 22. art. 3. Navarrus in manuali cap. 27. num 7. Covarruvias cap. *Alma Mater*, part. 1. §. 11. n. 4. Dixi *publicè excommunicatum vitandum, &c.* Quia (inquiunt) de excõmunicato occulto non satis constat apud omnes an censura ab eo lata sit valida, necnè. Deindè loquimur de

de excommunicatione majori. Quia ligatus tantùm minori excommunicatione validè potest etiã publicè censuras in suos subditos ferre, eo quod ea, quæ jurisdictionis sunt minor excommunicatio prohibere nequit, cap. *finali*, de Clerico excommunicato ministrante. Loquimur de suspenso a jurisdictione. Ratio est, quia si sit suspensus ab ordine poterit optimè exercere ea quæ sunt jurisdictionis, ut conferre beneficium, ferre censuras, ut patet ex cap. *transmissam* de electione. Ex quibus inferunt Soto in 4 dist. 22. quæst. 2. art. 1. Navarrus supra cap. 27. num. 7. Covarruvias, Suarez supra, Sayrus & alii ab eo citati, quos sequitur noster Corneio supra. Censuram latam ab Episcopo prælato, vel judice occultè excommunicato esse validam, licet ipse peccet in ferendo. Ratio est quia Ecclesia non censetur privare judicem usu jurisdictionis quo usque constet quod sit excommunicatus, & denuntiatus vitandus. Ratio est, quia sic evitantur multa inconvenientia, quæ ex oppositio sequerentur cõtra publicum Ecclesiæ bonum, verbi gratiâ, si detegeretur aliquem Episcopum, Prælatum, vel judicem Ecclesiasticum ordinarium per multos annos incidisse in hæresim, vel excommunicationem occultam, in eo casu omnia ejus acta revocanda essent non absque maximo incommodo publicæ utilitatis. Inferunt secundò Sayrus loco citato num. 35. Corneio supra valdè probabile esse validam excommunicationem latam ab Episcopo vel alio judice excommunicato publico, modò non sit denunciatus, vel publici Clerici percussor. Et in hoc excõmunicatio ab aliis impedimentis differt, quod hac solâ notoreitate censuram inferat. Excommunicatio autem præter notoreitatem exigit denunciationem. Probatur ex extravagante Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda scandala*. Quæ habet excommunicatum toleratum, in his quæ ab officio publico procedunt vitandum non esse ab iis, quibus excommunicatio nota est ante denunciationem, ex quâ constitutione colligitur Ecclesiæ permissu jurisdictionem manere apud Episcopum, vel judicem excommunicatum, quamdiu vitandum esse non fuerit pronunciatum, maximè cùm hoc non tam faveat Episcopo, seu judici Ecclesiastico, quàm bono publico. Infert tertio Corneio post Suarem loco citato, censuram etiam latam ab Episcopo vel judice communiter existimato validam esse. Ratio est, quamvis de facto non sit defectu veri tituli, vel aliâ causâ, sufficit modò talis defectus sit occultus. Ratio est, quia in eo casu Ecclesia supplet cum defectum ob bonum publicum, in quo eventu acquiritur jurisdictio. Undè non sunt audiendi Doctores apud Sayrum supra num. 33. asserentes excommunicationem latam ab eo qui publicè habetur pro non excommunicato, occultè tamen est excommunicatus, irritam esse & invalidam, eo quod excommunicatus sit privatus jurisdictione, & qui est extra Ecclesiam nõ potest ponere alium extra Ecclesiam, ut habetur cap. *audivimus*, 24. quæst. 1. Respondet enim noster Corneio textum præfati cap. *audivimus*, & alios qui in contrarium possent adduci, loqui de excõmunicatis publicis, ut patet eodem cap. *audivimus*, ubi sermo est de Episcopo manifesto hæretico à Pontifice etiam longissimè distante cognito, ut docet Innocentius cap. *si verè*, 1. numer. 3. de sentent. excommun. Et quamvis excommunicatus etiam occultus sit extra Ecclesiam, quoad passivam excommunicationem suffragiorum, si publicè non sit denunciatus, &c. non amittit jurisdictionem.

X. Episcopus vel alius judex Ecclesiasticus debet liberè ferre censuram. Ita Ugolinus tab. 1. cap. 2. §. 4. num. 2. Sayrus lib. 1. cap. 16. num. 9. & alii apud ipsos, quos sequitur Corneio contra Suarem disp. 2. glossa in cap. *nuper, de his quæ vi*, Abbatem cap. eodem tit. num. 17. & alios. Pri... Ratio est, quia actus nõ liber humanus non est, sicque homines ligare nequit, nec consequenter Episcopus seu judex Ecclesiasticus censuram ferre ex vi, & metu cadente in virum constantem nisi invalidè & nulliter, eoquod

ejusmodi metus maximè obstet plenè libertati. Secunda, absolutio eâdem vi & metu extorta est invalida & nulla; cap. *unico, de his quæ vi, metusque causâ fiunt.* Igitur nec censura, seu ligatio eadem vi imposita. Probatur consequentia primò, quia est æquale jus ligandi & solvendi, cap. *verbum*, de pœnitentiâ dist. 1. & habetur l. *qui condemnaret*, ff. *de re judicata*, & l. *nemo qui condemnaret*, ff. *de regulis juris.* Secundò cùm jura sint promptoria ad solvendum, quàm ligandum argumento l. *Arianus*, ff. *de actione & obligatione leges cum quidam*, ff. *de liberis, & posthumis*, cap. *cum in pœnis*, de regulis juris in 6. Si absolutio quæ favorabilis est ob metum & violentiam censetur jure irrita, à fortiori idem judicandum erit de censurâ ipsâ, quæ est odiosa. Quod si dicas ea quæ metu fiunt esse valida, nisi impediantur aliquo jure, cùm voluntas coacta, voluntas sit ex Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 1. & l. *si mulier*, §. *si metu*, ff. *quod metus.* Igitur cùm censura metu lata non sit jure aliquo impedita, & aliunde metus, quantumvis gravis non tollit voluntarium, & liberum, erit simpliciter valida. Confirmatur quia in præfato cap. *unico*, irritatur dumtaxat absolutio vi extorta, at impositio censuræ in illo textu vel alio non invalidatur. Igitur. Respondet Ugolinus in communi regulâ (quam plures ab eo relati approbant, & post eos noster Corneio) quod quando antiquo iure quædam facta sunt paria, id quod jure novo de uno ordinatur, debet ad alterum extendi. Undè cum jura ligandi & solvendi sint paria ex dictis & in præfato cap. *unico*, absolutio à censura collata per metum irritetur, idem asserendum est de impositione ipsius censuræ, præcipuè quod ubi lex aliquid in uno casu tanquam frequentiori statuit, idem censetur statuisse in alio simili minus frequente l. *unica* juncta glossa verbo *sponsam*, C. *de raptâ virgine*, & constat absolutionem à censurâ sæpius expostulari extorsionibus, & violentiis, quàm impositionem censuræ, undè patet solutio ad confirmationem. Si secundò urgeas cum Suare, qui fert censuram per metum, aut ligandi intentionem habet vel non, si habet non obstat metus, quominus censurâ ita lata habeat ius ligandi. Nam intentio vi aliquâ humanâ nequit extorqueri, si non habeat censura erit rita non ratione metus, sed defectu intentionis. Respondet Corneio illud non convincere, quia idem argumentum potest fieri de absolutione & tamen quamvis coactè absolvens habeat intentionem absolvendi à censuris, absolutio ex juris dispositione est invalida. Ex his infero primò cum Ugolino tabul. 1. cap. 2. §. 3. Corneio nostro supra invalidam esse censuram latam à judice dum est ebrius, vel insanus. Ratio est, quia cum ista impediant usum rationis, etiam impediûnt tunc temporis usum jurisdictionis. Nam actiones quæ non sunt humanæ nequeunt ligare homines. Infero secundò, censuram latam absque intentione ligandi non ligare. Ratio est quia actiones suam habent efficaciam ab intentione ligandi, cap. *cum voluntate*, de sent. excomm. Undè quoties Episcopus vel Prælatus præcipit aliquid sub censurâ ad rem dumtaxat exaggerandam, & metum inferendum, & non eâ intentione, ut à transgressoribus incurratur, tunc revera nõ incurritur, & dicitur censura comminatoria, quemadmodum quidam dicunt apud Dionysium in cap. 8. lib. 4. Regum, quod cum S. Eliseus prædixit lepram Naaman perpetuò adhæsuram Giezi, quantùm ad perpetuitatem fuit tantùm comminatio, & de rigore justitiæ, aut mysticos intellectus. Infero tertiò cum Corneio, quod quando Episcopus, vel Judex Ecclesiasticus generaliter excommunicat eos qui non revelant aliquod crimen, vel quippiam aliud agentes. Si aliquos intendat eximere, illi non ligantur censurâ. Denique infero excommunicationem latam ad instantiam partis non obligare ultra intentionem partis. Ita Corneio supra post Navarrum in manuali cap. 27. numer. 11. Probatur ex l. *invito*, ff. *de regulis juris.* l. 4. Reg. cap. 8.

IX. Episcopus validè ferre potest excommunicationem non in causâ propriâ

propriâ, in quâ ipse est actor, & personam judicis sustinet, sed in alienâ, ita S. Thomas in supplem. ad 3. part. quæst. 22. art. 4, Bonacina disput. 1. puncto 2. num. 4. Corneio & alii cõmuniter Probatur primò ex cap. *inter querelas*, 23. quæst. 4. Secundò ratione, nemo potest esse actor & judex cap. quæst. 4. Tertiò, quâ parte est actor debet esse subditus, quâ parte est judex debet esse superior. At nemo potest esse sibi subditus & superior, igitur nequit ferre censuram in propria causa, idest in materia communi inter partes, inter quas causa agitur. Undè Navarrus supra num. 6. infert, quod Episcopus excommunicans quemcumque furantem, si ipse furetur non incurrit excommunicationem. Potest tamen occasione censuræ à se latæ, aliam à jure, vel ab homine incurrere. Ut si communicet cum eo, quem ipse excommunicavit, excurret excommunicationem minorem. Si etiam celebret in Ecclesiâ à se interdictâ, fiet irregularis, ut docet Ugolinus loco citato §. 8. Excipiunt Panormitanus cap. *cum venissent*, de judiciis, & cap. 1. de offic. deleg. Suarez de censuris disp. 2. sect. 4. num. 7. Filiucius, Bonacina, cum defensionis, quo quis per modum defensionis censuram fert in eum, qui sibi violentiam infert, tunc enim licitum est uti suis armis ad propulsandam vim, & injuriam juxta illud *vim vi repellere licet*. Excipit secundò Corneio, si censuram ferens sit Concilium, Capitulum, Collegium, licet eam in seipsam ferre nequeat, poterit tamen in aliquam personam ejusdem, ut patet ex cap. *irrefragabili*, de officio & potest. ordinarii. Excipit tertiò idem Corneio cum Abbate in cap. *cum venissent*, num. 10. de judiciis, & cap. 1. de officio deleg. in 6 quando causa est ita publica, ut nequeat negari, nec indigeat aliquo examine.

Par in parem validè censuram ferre nequit, ita D. Thomas in supplem. ad 3. part. quæst. 22. art. 5. Navarrus supra num. 7. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Corneio supra & alii. Ratio est, quia censuræ sententia est actus jurisdictionis, sed par in parem nullam habet jurisdictionem, ex cap. *innotuit*, § *quamvis*, de electione. Undè si duo Vicarii ab eodem Archiepiscopo æquali auctoritate constituerentur quod fieri posse habetur in cap. *Romana*, & cap. *venerabilem*, de sentent. excommunic. in 6. Alter alterum excommunicare non posset, licet unus eorum crimen commisisset, ut docet Ugolinus supra §. 111. numer. 21. Nec obstat quod Papa, vel Episcopus possit sibi indulgentias cõferre, non sequitur posse se, vel parem excommunicare. Ratio disparitatis est, prima ex Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. Quod potestas jurisdictionis in largitione indulgentiarum exercetur sine ulla vi coactiva, undè nullum est inconveniens quod aliquis hoc modo habeat jurisdictionem in seipsum, sed exercetur excommunicatio per vim coactivam, quam nemo potest in seipsum habere. Secunda ratio & melior est, nostri Corneio, quod excommunicatio fertur ab Episcopo seu Prælato, ut à causa principali, eò quod ligare per censuras, & ab eis absolvere sit proprium munus Prælati Ecclesiastici, & cùm nemo queat esse Prælatus & judex sui ipsius, ut causa principalis, sequitur quod nemo possit seipsum excommunicare. At concessio indulgentiarum non fit à Prælato ut causa principali, sed ut instrumento & ministro Christi, qui est principalis dispensator indulgentiarum. Nullumque est inconveniens quod Papa vel Episcopus, ut quidam particularis homo sibiipsi ut ministro Christi subjiciatur, quia hoc nihil aliud est, quàm subjici Christo. Sic idem Papa ut est quidam particularis homo subjicitur sibi ipsi ut instrumentum Spiritus Sancti definit. veritates fidei: si quidem ejus definitio non minus obligat ipsum Papam ut assensum præbeat veritati definitæ quàm reliquos fideles. Ex quo infero superiorem, verbi gratiâ, Episcopum non posse excõmunicari ab inferiori, verbi gratiâ, à Canonico Ecclesiæ Cathedralis, ita noster Corneio sup. Probatur ex cap. *inferior*, de majoritate & obedientia. Nec Archiepiscopus potest ab Episcopo, nec Primas Patriarcha,

triarcha, Papa ab inferiore Prælato, quamvis quilibet illorum in propria præteasi excommunicantis Diœcesi, vel Ecclesiâ delinquat, si tamen quispiam Archiepiscopus delinqueret in Diœcesi Episcopi non Suffraganei, posset ab eo excommunicari. Ratio est, quia ratione delicti efficitur suæ jurisdictionis, Nam Archiepiscopus in alienâ Diœcesi, quæ non est in suâ Provinciâ, censendus est non ut Archiepiscopus, sed ut persona privata; eo quod in alieno territorio, l. 3. ff. *de officio Præsidis*, Præses censetur privatus.

§. 4.

De conditionibus Excommunicationis à Vicariis Episcopi & aliis ferendæ.

2. POtestate ordinariâ ferendi censuras gaudere Vicarium Papæ vel Episcopi scribit Bonacina sup. punct. 2, num. 5. atque esse cõmunem Doctorum mentem, & probat ex cap. *litet*, de officio vicarii. Capitulum eandem habere sede vacante, & ejus vicarium, docet ibidem. Ratio est, quia succedit in jurisdictionem Episcopi. Difficultas est quænam conditiones requirantur ut quis potestate ordinariâ, vel delegatâ possit excommunicare. Prima debet esse viator, seu vivens in hoc mundo, ita Filiucius tract. 11. cap. 2. quæst. 4. & 7. Reginaldus, Ugolinus, Bonacina, noster Cornelio supra dubio 3. num. 3. Ratio est, quia cùm censuræ sint arma Ecclesiæ militantis debent exerceri per ministros in câ militantes, undè Angeli beati vel damnati nequeunt ferre censuras. Hujus conditionis figuram suggerit nobis sacra parentis Eliæ historia lib. 2. Paralipomenon cap. 21. vers. 12. Fertur quod allatæ sunt Joram Regi filio pissimi Josaphat litteræ ab Eliâ Prophetâ in hoc tenore verborum. *Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui, quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, & in viis Asa Regis Juda: sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Judam, & habitatores Jerusalem imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti.* Ecce motiva conscribendi has litteras scilicet fornicatio spiritualis, seu idololatria, & defectio à fide & religione Patris sui Josaphat. Subjicit & declarat, quas pœnas ejusmodi flagitiis promeruit. Vers. 14. *Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, universâque substantiâ tuâ. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur viscera tua paulatim per singulos dies.* Præfatis verbis S. Parens Elias ob Dei contemptum, Religionis Patrum suorum defertionem, fratrum suorum necem quæ sunt excommunicationis majoris præcipua motiva, triplicem plagam minatur. Primò publicam bonorum tam ipsius Regis, quàm regni ac populi expilationem, necnon uxorum & filiorum ejus rapinam, quâ Philisthæi, Arabes, Æthiopes statim inferent, ut patet vers. 16. eusdem capitis. Secundò prænunciat gravem morbum, ac diuturnam duorum annorum tabem, ita ut viscera egerat, & sic in doloribus & fœtoribus infœlicem animam exhaler, vers. 18. Tertiò prædicit quod regiæ sepulturæ honore privabitur, ut habetur vers. 19. quæ sunt præcipua excommunicationis supplicia. In quo statu & loco erat Sanctus Propheta cùm tales litteræ allatæ sunt? Cornelius cap. 2. lib. 4. Regum existimat fuisse raptum ante finem regni Josaphat, & paulò post mortem Ochoziæ Regis Israel, quam ipse prædixerat cap. 1. lib. 4. Reg. Igitur Genebrardus, Torniellus & Salianus cum aliis scribunt Eliæ raptum contigisse sub anno 19. regni Josaphat, seu ab orbis creatione 1339. ante Christi nativitatem 914. Quoad locum in quem Sanctus Elias raptus delatus fuit; Dorotheus in synopsi cap. de vitâ Eliæ, 6. Hieronymus in cap. 9. Amos, Aleimus lib. 4. S. Ambrosius lib. 4. de paradiso cap. 3. Serarius existiment fuisse raptu in cœlum non aereum, sed æthereum, ibique vitâ quadam beatâ frui, licet S. Irænæus lib. 5. cap. 5. S. Justinus

Lt. Par. 21. v. 12

quæst. 85.

quæst. 85. S. Isidorus lib. de ortu & & obitu sanctorum cap. 5. D. Thomas 1. part. quæst. 102. art. 2. censeant S. Eliam raptum in cœlum, id-est aerem, indeque traductum in paradisum terrestrem, ubi degit cum Enoch. Et S. Augustinus lib. de gratiâ Christi cap. 2. & 3. S. Cyprianus de montibus Sion & Sina Theodoretus quæst. 45. in Genesim, S. Chrysostomus homil. 22. in epist. ad Hebræos, & ibi Theophilactus & OEcumenius asserant locum esse incertum residentiæ Elianę post raptum suum. Denique licet S. Gregorius homil. 29. in Evangelia, Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 33. doceant & affirment fuisse ductum in secretam quandam terræ regionem, tamen certum est, & fidei proximum illum necdum esse mortuum. Undè Tertullianus lib. de resurrectione artic. 58. vocat Sanctos Eliam & Enoch æternitatis candidatos. *Æternitatis* (inquit) *candidati ab omni vitio, ab omni damno, ab omni injuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* S. Irænus lib 5 cap. 5. ait eos *conspicantes immortalitatem*, ideſt accipientes auſpicium & adumbrationem æternitatis. Certum etiam est non gloriosa, sed mortalia corpora habere, mortique obnoxios. *Enoch* (inquit Tertullianus supra) *& Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi.* Et consequenter viatores. Esto non amplius mereantur, ut existimant Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 55. sect. 1. Vasquez part. 2. disp. 216. cap. 4. Peirinis lib. 7. in Genesim disp. de Enoch quæst. 5. contra Tostatum in lib. 4. Regum quæst 24. Viegas in cap. 11. Apocal. Maluenda lib. 9. de Antichristo, Henriquez lib. ult. de fine hominis cap. 23. & alios, Et sic sententiam quasi excommunicatoriam in Regem Joram pronunciare potuisse, sivè has litteras scripserit ante raptum suum, & dederit Elisęo vel alicui alteri, ut eas post raptum suum traderet Regi Joram, ut putat Emmanuel Sa. Sivè ut opinantur Hæbræi in Sederolam cap. 17. Lyranus, Bellarminus, Serarius, Salianus, Sanchez miserit illas ex Paradiso, vel loco in quo post raptum degit, sivè per Angelum formâ humanâ indutum, sivè per Elisęum, vel alium Prophetam, vel virum fidelem, ita ut apparuerit, & litteras à se scriptas ad Joram perferendas tradiderit eo modo, quo in Christi transfiguratione cum Moyse apparuit Petro, Jacobo & Joanni.

Tertullianus.

Secunda conditio est ut Episcopus seu causa infligens censuras polleat usu rationis, ita Suarez sect. 4. & 5. Filiucius supra num. 40. Bonacina citato puncto 2. num. 3. Ugolinus tab. 1. cap. 2. num. 2. Probatur ex cap. *scisciatus*, num. 11. & aliis locis apud auctores citatos. Quibus arridet Coninck tomo 2. disp. 3. dubio 3. num. 35. Et confirmatur ex historiâ Elianâ. Certum enim est ante raptum habuisse usum rationis, ut patet ex ratiocinatione SS. Eliæ & Elisei præcipuè ante raptum. S. Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 3. ait S. Eliam post raptum in perpetuâ Dei contemplatione versari. II.

Tertia conditio, ut causa efficiens excommunicationis sit baptisata, ita Filiucius supra cap. 2. quæst. 7. Henriquez lib. 13. cap. 23. num. 1. Ugolinus tabul. 1. cap. 2. §. 9. Bonacina supra. Ratio est quia infideles non est capax jurisdictionis Ecclesiasticę, sicut enim baptismus est janua Sacramentorũ, ita & jurisdictionis Ecclesiasticæ. Undè meritò dubitat Ugolinus Papam posse dare infideli facultatem ferendi censuras, licet Corneio affirmet dubio 3. num. 1. Quod delineatum video in S. Eliâ quem fidelẽ fuisse certissimum est, quandoquidẽ S. Joannes in ejus spiritu & virtute venerit, tam constanter pro fide decertaverit, in utero matris fuisse sanctificatum probabile sit, ut videre est apud Camartum Ordinis Minimorum Generalem lib. de gestis Eliæ cap. 3. sect. 16. Et probabilius fuisse repletum Spiritu sancto. Et secundùm sanctum Augustinum lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. per opera sua ante raptum suum edita adeptum esse medium quendam statum inter mortalis vitæ & fœlicis conditionem. *Neque enim* (inquit) *arbitrandum est Eliam vel sic esse jam sicut erunt sancti quando perfecta*

III.

operis die, denarium præcepturi sunt, vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex istâ vitâ nondum emigrarunt. Jam itaque aliquid melius habet quamvis nec dum habeat, quod ex hac vitâ rectè gestâ in finem habiturus sit.

IV. Quarta conditio, ut non sit laicus, ita sanctus Thomas in 4. distinct. 19. quæst. 1. art. 2. Sotus, Suarez, Filiucius, Reginaldus, Bonacina, noster Corncio supra dubio 3, num. 1. Probatur primò ex cap. *judicatum*, dist. 89. & cap. 1. §. 7. *maximus Episcopus*, dist. 96. & ex multis decretis. Secundò ratione, quia excommunicare, aut interdicere sunt actus Ordinis Clericalis, sed iste Ordo facit hominem capacem Ecclesiasticæ jurisdictionis, ut ex cap. *decernimus*, de judiciis, & cap. *Ecclesia*, de constitut. Tertiò, decens est, ut habens Ecclesiasticam potestatem sit Ecclesiasticus, ratione alicujus ordinis recepti, at laicus, seu carens primâ tonsurâ, non est clericalis seu Ecclesiastici ordinis, ex cap. *cùm contingit*, de ætate & qualitate ordinand. Et favet figura Eliana, scribit enim Camartus citatus sect. 20. sanctum Eliam fuisse ordinis levitici, atque adeò non incongruè censuris ac pœnis affecit Achabum, Jezabelem, Joramum, & populum, in eosque sententiam pronunciavit, ut scribit sanctus Chrysostomus tomo 1. sermon 2. de Elia. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & lucos despecto Domino coli à sacrilegis pervideret, cumq; Creatore despecto figmentis sese nemoribusq; omnis populus addixisset, zelo Dei commotus, Judæam terram siccitatis sententiâ & pluviarum sterilitate addixit.* Ex quibus sequitur mulieres non posse ferre censuras ut docet D. Thomas in 4. quæst. 1 art. 1. & dist. 19. quæstiuncula 3. ad 4. & dist. 25. quæst. 2. art. 1. ad 2. Bonacina supra Covarruvias cap. *Alma mater*, part 1. §. 11. num, 2. Victoria relect. 2. de potestate Ecclesiæ quæst. 2. num. 2, noster Corncio citatus. Ratio prima est, quia sunt incapaces Ordinis Clericalis & Ecclesiasticæ jurisdictionis, cap. *de Monialibus*, de sentent. excommun. cap. *dilecta*, de majori obligatione, cap. *nova*, de pœnit. & remiss. Ubi habetur claves Regni Cœlorum non fuisse collatas fœminis, nec Beatissimæ Virgini. Tertiò, cap. citato *de Monialibus*, Abbatissæ nequeunt sibi subditas absolvere à censuris, igitur nec eas ferre. Nec dicas primò Abbatissas habere jurisdictionem in subditas, cùm Moniales teneantur illis in conscientiâ obtemperare, igitur. Respondet Corncio Abbatissas non habere jurisdictionem spiritualem in subditas in foro interiori vel exteriori, nec posse ferre præcepta, quæ vim legis vel præcepti habeant, sicut potest Episcopus vel alius Prælatus Ecclesiasticus, tamè subditæ tenentur eis obtemperare. Primò, quia est unum ex præceptis regulæ suæ. Secundò, quia sicut filiæ tenentur obedire matri, & proles parentibus, quamvis parentes non habeant jurisdictionem spitirualem in filios. Secundò, respondet Bonacina supr. Abbatissas habere tantùm jus quorundâ actuum per ordinem ad correctionem & disciplinam domesticam subditorum, & consequenter non posse sub mortali præcipere id cujus transgressio non esset alioqui ex se peccatum mortale, nisi fortè aliquid præcipiat ex paternâ & domesticâ gubernatione, seu ex potestate œconomicâ, & quasi dominativâ. Nec secundò dicas, ex cap. *dilecti filii*, de arbitr. Innocentium III. approbare quandam consuetudinem Galliæ, ubi quædam Nobiles fœminæ habebant jurisdictionem in subditos. Respondet noster Corncio Pontificem ibi loqui de jurisdictione temporali, quâ juxta regulas juris civilis fœminæ carere debent, l. 2. ff. *de regulis juris*. Nec tertiò dicas ex cap. *dilecta*, de excessibus prælatorum, quod quædam Abbatissa vocatur caput ejusdem Congregationis Clericorum. Respondet Corncio vel illum textum esse intelligendum de capite dumtaxat in temporalibus, vel de jurisdictione spirituali quadam imperfectâ, quæ non possit ferre censuras. Et hoc non jure ordinario, sed speciali commissione, ut est potestas conferendi beneficia, & instituëdi Clericos in Ecclesiis spectantibus ad suum Monasterium, ut in nostris Germaniis

5 Chrysostomus

Germanicis & Belgicis, ubi quædam Canonissæ sic dictæ habent & accipiunt quosdam subsidiarios Canonicos & Clericos, quibus in suis Monasteriis quædam beneficia & officia cōferunt. Et hac potestate dant possessionem & titulum, non autem facultatem exercendi curam animarum, ligandi & solvendi, cùm nemo det quod non habet. Nec tertiò dicas ex cap. *dilecta*, de major. & obligat. quod Honorius III. præcipit observari quasdam suspensiones ab officio & beneficio, quibus quædam Abbatissa Clericos sibi subditos punierat. Respondent Corneio & Bonacina illam suspensionem non fuisse censuram, quæ contrarium facientibus censuram inducat, sed quandam prohibitionem, seu privationem quæ lato modo suspensio vocatur. Notant tamen Paludanus in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 1. Sotus dist. 20. quæst. 4. art. 4. Suarez disp. 2. sect. 3. num. 7. Filiucius, Bonacina, Reginaldus, Navarrus consil. 72. de sent. excommunic. Ugolinus & alii ab eo citati contra Avilam 1. part. dub. 6. Coninck disp. 13. dubio 4. num. 33. & alios, solius Sedis Apostolicæ authoritate absolutâ Mulierem posse ferre censuras. Ratio est, quia non est contra jus divinum & naturale. Potest igitur Papa dispensare ut mulier ferat censuras, licet de jure ordinario nequeat, cùm sit persona laica. A fortiori posse Papam cum laico dispensare. Ratio est, quia jure tantùm Pontificio cautum est, ut Ecclesiastica jurisdictio solis Clericis committatur, ut cap. *decernimus*, de judiciis. Quod verò Episcopi ejusmodi dispensationem præstare nequeant laico etiam Religioso, hanc rationem affert Corneio, quia juri communi subjecti sunt, argum. cap. 1. & cap. *final.* de constit.

V. Quamvis Clericus habeat quatuor minores, si tamen sit conjugatus nequit excommunicationem & alias censuras ferre, ita D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 2. Sotus, Covarruvias, Navarrus in summa cap. 27. numer. 5. Sylvester, Bonacina. Quod possit simplex Clericus, primò patet ex cap. *transmissum*, de elect. ubi Episcopus electus & confirmatus, licet sacris non initiatus potest excōmunicare. Quod autem Clericus conjugatus nequeat, patet ex cap. *sanè*, 1. de clerico conjugato iib. 6. in fine. Negat Bonacina Religiosum professum nondum initiatum primâ tonsurâ posse etiam excommunicare. Contra præfata quædam dubia occurrunt hæc solvenda.

VI. Quod Clericus non Sacerdos nequeat absolvere à censurâ, nec consequenter ligare, patet ex glossa in cap. 1. versic. *prater*, dist. 96. & cap. *canonica*, de sentent. excommunicat. Ubi Honorius III. videtur postulare hanc conditionem, ut Prior Hospitalis Jerosolymitani possit suos subditos absolvere à censura his verbis: *Qui sicut audivimus Presbyter esse debet*. Respondet noster Corneio absolutionem à censurâ posse duobus modis concedi. Primò in foro interiori pœnitentiali absolutione sacramentali, quæ cùm sit actus sacerdotalis charitatis nequit ferri à non sacerdote. Secundò, absolutione judiciali fori contentiosi, & sic potest absolutè, & absque solemnitate & cæremoniis conferri, ut patet ex cap. *cum aliis*, 11. quæst. 3. & cap. *à nobis*, 2. de sentent. excommunic. Primo modo Clericus non Sacerdos, nequit. Quod secundo modo possit patet ex Matthæi cap. 18 vers. 18. ubi datur Apostolis potestas ligandi & solvendi, licet nondū essent Sacerdotes. Quoad Priorem Hospitalis existimat eo tempore fuisse laicum, nec sic absolvere potuisse vel excommunicare. Quod Clericus insanus vel ebrius excōmunicare possit tempore insaniæ, vel ebrietatis supervenientis probant adversarii, ex hoc, quod id quod non obstitit acquisitioni, obstare non potest conservationi. Respondet Corneio negando paritatem: quia potest conservari absque actuali consensu, sed nequit recipi absque tali consensu, quem nequit præstare insanus vel ebrius, cùm non sit compos rationis.

VII. Invalida est, censura si feratur ab inferiore contra prohibitionem & irritationem superioris, verbi gratiâ, à Vicario prohibente Episcopo, item à

Vicario Episcopi captivi ab hostibus. Item à Vicario Episcopi excommunicati denunciati. Probatur prima pars ex cap. *quia plerique*, de officio Ordinarii in 6. Dixi *irritationem*, quia (inquit Corneio) si tantùm prohibeat, licet Vicarius, vel inferior peccet excommunicando, vel suspendendo, factum nihilominus tenebit, & censura lata erit valida. Quod si prohibitioni adjiciat irritationem, ita ut quid quid in contrarium agat, pro infecto haberi velit, argument. *legis judicium* solvit, ff. *de judicibus*, excommunicatio sic lata nulla est. Ratio est, quia si superior potest privare jurisdictione, multò magis poterit illi interdicere usum eius. Secunda patet (inquit Corneio) quia tunc usus jurisdictionis Episcopalis devolvitur ad Capitulum donec Episcopus restituatur libertati, cap. *si Episcopus*, de supplenda negligentiâ prælatorum. Tertia pars probatur ex decis. 4. Rotæ, de officio Vicarii, Ratio est quia jurisdictio Vicarii derivatur à jurisdictione Episcopi, igitur cessante vel impeditâ jurisdictione Episcopi, cessat vel impeditur jurisdictio Vicarii, argum. cap. de off. Vicarii. Idem asserendum est de judice delegato ob paritatẽ rationis Ratio est quia ejus jurisdictio pendet à jurisdictione delegantis, ut docent passim Juristæ in cap. *licet*, de officio delegati.

VIII. Quod Episcopus, Capitulum Sede vacante, vel alii ordinariam jurisdictionem habentes ad ferendas censuras possint suam jurisdictionem aliis committere vel delegare, habetur in l. *more*, ff. *de jurisdictione omnium judicum*, ita ut qui talem delegationem superioris habent, dicantur judices delegati. Quamvis autem hæc potestas semper pendeat à delegante, non cessat per mortem, depositionem, vel assumptionem delegantis, si causa à judice delegato sit inchoata | per legitimam citationem, ex cap. *gratam* de off. delegati, & cap. *finali*, de offic. legati. Quod intelligendum est respectu eorum tantùm, quorum causas cœperat cognoscere ante obitum delegantis, nisi fortè aliorum causa, cujus cognitio necdum cœpit, sit cõnexa cum priore, de quâ cognoscere incœperat. Nam si ita sit, potest de illâ cognoscere & judicare, ac per censuras procedere, cap. *licet*, de officio delegati, Sayrus lib 1. cap. 6. Ugolinus tabul. 1. cap. 4. §. 4. noster Corneio supra tract. 5. disp. 3. dubio 1. scribunt idem esse asserendum, si post delegatam potestatem delegans incurrat excommunicationem. Excipit tamen Corneio Sanctam Inquisitionem, quæ non expirat per mortem Papę ex cap. *Ne aliqui*, de hæret. in 6. quamvis habeat suam jurisdictionem à Papâ. Quod autem judex delegatus ab Episcopo, vel alio superiore habens ordinariam jurisdictionem, nequeat sibi delegatam jurisdictionem subdelegare, quantùm est ex vi suæ potestatis, id patet ex toto titulo de officio delegat. Poterit tamen si fuerit permissum ipsi delegato, vel per particularem aliquam concessionem, vel per generale privilegium, ut de legatis Pontificis habetur cap. *pastoralis*, cap. *quoniam*, de officio delegati, cap. *cum causam*, de appellat.

§. 5.

Monitoria pro rebus perditis an & quando ab Episcopo possunt concedi.

EXcommunicationes fieri solitæ præmissis monitionibus ut revelentur res perditæ, vel substractæ à solo Episcopo concedi possunt, & tunc non ex re vulgari, sed ratâ postquam causa fuit diligenter & maturè examinata ab Episcopo. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de reformatione, cui subscribunt Quaranta in summa Bullarii verbo *excommunicatio*, ad finem revelat. Campanile, Ugolinus, Sbroz, Marcus Antonius Genuensis, Theophilus Raynaudus apud Barbosam de officio & potest. Episc. part 3, alleg. 96. num. 3. Quæ verò res non vulgaris censeri debeat exprimit Pius V. his verbis. *Pro rerum substractarum, aut deperditarum restitutione, seu illarum* I. Pius.

&

& aliàs subtrahentium revelatione modum & formam statuere (manente in aliis reformatione officii correctoris litterarum contradictarum à Sanctitate suâ editâ) præsenti quod perpetuò observari vult, scripto ordinat, ut mandata pro restitutione, seu revelatione hujusmodi dentur (modò super illis supplicationibus in præsentiâ suæ Sanctitatis signata fuerint) ad eorum dumtaxat instantiam, quorum civiliter interest. Quæ supplicationes rem ipsam, de quâ agitur, reiq; valorem nominatim in specie exprimât, nisi fortè sint pro Ecclesiasticis, locis piis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut universalibus successoribus, quos verisimile est certam rei notitiam non habere. Tunc etenim hæc ipsa personarum qualitate expressâ ita demum ferri poterit quædam in genere designatio rerum, si designatio neque nimis vaga & incerta, atque adeò inverisimilis sit, & tamen ostendat res ipsas (id quod præcipuè in omnibus attendendum est) minimè vulgares existere. Committantur autem Episcopo, Ordinario loci, vel ejus Vicario in spiritualibus sub hac formâ verborum quæ est ex Concilio Tridentino, videlicet, si causa diligenter & magnâ maturitate examinata per ipsum, pro rei, temporis, & personæ qualitatibus sibi pro suâ conscientia videbitur expedire, decernens irritum, &c. Ex quibus etiam patet, quod Episcopi sunt delegati pro executione litterarum monitorialium auctoritate Apostolicâ concessarum, quæ non debent mandari executioni, nisi prius Episcopus ut delegatus sedis Apostolicæ summatim cognoscat an sint subreptitiæ, ita Concilium Tridentinum sess. 22. de reformatione cap. 5. *Ea verò quæ gratiosè concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis Apostolicis summariè tantùm & extrajudicialiter cognoscatur.* Patet secundò causam non debere esse levem, sed gravissimam, sobriéque ac magnâ circumspectione adhibitâ utendum esse, quia constat experientia, quod si temerè vel ob levem causam & rem proferatur, pariet potius contemptum quàm timorem, & exitium potius quàm salutem, ita Quarranta verbo *Concilium provinciale*, vers. 36. Covarruvias initio cap. *alma* num. 10. de sentent. excommunicat. in 6. Azorius institut. moral. part. 1. lib. 12. cap. 18. quæst. 60. Aloysius Riccius, Marcellus Vulpe, Barbosa. Præfata monitoria publicari non debent in festis Nativitatis Domini, Paschatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi. Ita Lazarius de monitionibus sect. 1. quæst. 19. numer. 4. Barbosa supra part. alleg. 96. num. 2. multò minus excommunicari debet, sed in aliis diebus, etiam festis. Ita Barbosa citato loco post Theophilum Raynaudum de monitoriis Ecclesiasticis ad extorquendam restitutionem aut revelationem part. 1. cap. 1. quæst. 13. contra Sayrum existimantem, quod excommunicatio illis diebus fieri possit, & Marcum Antonium casu 37. vers. *& dum*, qui idem censet. Ab Episcopo renuente monitiones excommunicationum, quæ fiunt in finem revelationis licet parti appellare ad Metropolitanum, cui liberum est concedere, ita Theophilus Raynaudus supra part. 1. cap. 1. quæst. 9. Prosper Augustinus in addit. ad Quarantam in summa Bullarii verbo *Archiepiscopi auctoritas*, auctor. 19. Marta & Escobar apud Barbosam supra art. 4. Ratio est, quia in commissis arbitrio judicis si partem lædit, aut gravat, appellatio licita est, ita Quarantà supra auctor. 18. vers. *item si Papa*. Probatur ex cap. *super his*, de accusat. & in cap. *Romana*, §. *quod si objiciantur*, vers. *minus legitima*, de appellat. in 6.

Concilii Trident.

Potest etiam Episcopus pendente lite concedere monitoriales absque vitio attentatorum, nisi sit illi inhibitum, ita Barbosa supra num. 5. post Marcum Antonium variarum resol. lib. 1. casu 36. Escobar supra. Has monitoriales à nemine decernendas esse quàm ab Episcopo statuit Concilium Tridentinum cap. 3. sess. 25. de reformatione, his verbis. *A nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur.* Ita Barbosa supra num. 9. post Lazzarium Escobar, Aloysium Riccium. Posse tamen id ab Episcopo delegari specialiter & expressè & Vicario docent

II.

Sayrus in clavi regiâ lib. 9. cap. 15. num. 21. Theophilus Raynaudus supra part. 1. cap. 1. quæst. 10. vers. *hæc cum rata*, Marcellus Vulpe, Narbona, Campanile, Ugolinus apud Barbosam sup. num. 6. imò à circumspectis viris, decisum fuisse refert Galetus in margarita casuum conscientiæ verb. *littera* 2. apud Barbosam supra num. 9.

III. Monitoria concedere non debet Episcopus nisi in subsidium, seu cùm deficit alia probatio, seu quando veritas aliundè haberi nequit, ita Sayrus in floribus decis. decis. 4. de censib. Homobonus de examine Ecclesiast. tract. 11. cap. 8. quæst. 19. suppositi. 1. Aloysius Riccius, Ugolinus, Campanile, Marcus Antonius Genuensis, Joannes Nevisanus, Lazzarius apud Barbosam supra num. 14. Undè, inquiunt Sotus lib. 4. sentent. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Emmanuel in summa part. 1. cap. 70. num. 5. Guitier. canon. lib. cap. 11. num. 58. & alii apud Barbosam supra num. 15. Monitoria non sunt concedenda quoties quis procedere potest coram competente judice ob indicia quæ sunt cõtra reum vel habet testes aut instrumenta, quia cum executio realis vel personalis nequit fieri, tunc in subsidium censuram ferendam esse censuit Sacra congregatio apud Campanile in diverf. juris canon. rub. 11. cap. 15. num. 89. & 119. Cui favet Marcus Antonius Genuensis in practic. Eccles. quæst. 780. num 3. Quod ita verum est, ut si duo in solidum obligentur in contractu, & possit contra alterum personaliter & realitet procedi, & contra alterum non possit, & consequenter non potest excommunicari, ita decisum refert Farinacius inter decis. Rotæ ab eo congestas centur. 1. decis. 97. Galetus supra verbo *censura* 2.

IV. Præfata monitoria non cõcedenda sunt, quoties pars instat ac officium & auxilium Episcopi, ut judicis implorat, ita Theophilus Raynaudus de Ecclesiast. part 1. lib. 1. quæst. 12. & alii apud Barbosam supra num 19. Et patet ex Concilio Tridentino supra cap. 3. Hanc limitationem addunt Abbas & alii in cap. *novit*, de judic. Marcus Antonius Genuensis, & Escobar apud Bonacinam num. 20, modò implorans monitoria non sit excommunicatus, vel notorius peccator. Quod si Episcopus à parte requisitus ut decernat ejusmodi monitoria deneget absque causa potest appellari. Ita Navarrus consil. 11. de offic. ordin. Marcus Antonius, Barbosa. Idem Navarrus resolvit posse etiam appellari, si assignetur terminus brevis ad revelandum. Idem monitorium concedi potest ad instantiam judicis laici, modò ab Episcopo, seu judice Ecclestico id postulet, ita Ugolinus supra cap. 45. §. 1, citans Navarrum consil. 4. de sentent. excommunicationis. Probatur ex Concilio Tridentino cap. 3. citato.

V. Potest Episcopus seu judex Ecclesiasticus nemine expetente ex officio hæc monitoria promulgare, contra detinentes bona Ecclesiæ, si non ea restituant vel non denuncient reos, quos nouerint ea detinere, ita Ugolinus supra §. 1. Barbosa supra num. 23. Probatur ex extravagante *unic.* Joannis 22. *de fortis*. Quæ monitoria concedenda sunt illis, quorum interest, non aliis. Ita Aloysius Riccius, Marcus Antonius Genuensis, Ugolinus, Lazzarius apud Barbosam sup. n. 24. Probatur ex bullâ Pii V. supra citatâ ordinantis, quod mandata in forma *significavit*, pro revelatione seu restitutione rerum subtractarum, vel deperditarum expediantur ad instantiam dumtaxat eorum, quorum civiliter interest, ita ut revocanda sint, si concessa fuerint absque postulantis interesse (inquiunt Lazzarius, Franciscus Leo, Riccius apud eundem Barbosam, qui addit ejusmodi monitoria posse concedi pro testibus, & bonorum notitiis habendis, licet interesse non sit clarum, sed speretur in eventu litis, quæ coram judice laico vertitur, & timetur bonorum dilapidatio. Quod si personæ sint certæ Episcopus monitoria concedere non debet, sed ordinariè agendum est, ita Theophilus Raynaudus supra parte 1. cap. 1. quæst. 8. Aloysius Riccius, Lazzarius, Campanile, Franciscus Leo, Giurba, Costa apud Barbosam

num. 25.

num. 25. Ratio est, quia ex Rotâ decis 383. part. 1, Tuscho littera F conclus. 441. num. 3. Sala ad decreta Sabaudiæ, tit. *ut nemo invitas*, glossa 1, num. 7. Excommunicatio non comprehendit, neque ligat eos qui sunt certi. Si etiam res sit exigua non sunt decernenda monitoria, ita Henriquez lib. 13. de excommunic. cap. 17. §. 4. littera B Marcus Antonius Genuensis, Aloysius Riccius, Ugolinus apud Barbosam num. 26. Probatur ex Cócilio Tridentino statuente concedenda esse, *ex re non vulgari*, & constitutione Pii V. dicente. *Quod præcipuè attendendum est minimè vulgares res existere.* Ideoque Barbosa post Aloysium Riccium, & Marcum Antoniũ Genuensem innuit in monitoriis rem de quâ agitur, & valorem esse exponenda, nisi concedantur pro Ecclesiâ, locis piis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, ac universalibus successoribus; tunc enim quædam rerum delaratio facienda est vagè & incertè, & verisimiliter, ut colligitur ex constitutione Pii V. Ratio verò cur pro exiguis rebus non sint concedenda monitoria, hæc est, quia (inquiunt Auctores citati) excommunicatio pro furto, vel re subtractâ non ligat, nisi furtum sit peccatum mortale. Quod si plures graviter nocuerint non simul, sed separatim singuli acceperint non valoris mortalis, ut si plures spoliaverint vincam, tenentur singuli restituere suas partes, ut Dominus reddatur illæsus, & hoc casu potest monitio concedi, ita Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 9. puncto 1. num. 33. Suarez tomo 5. disp. 20. sect. 2. num. 3. Henriquez Antonius Genuensis, Lazzarius, Barbosa. Addit Marcus Antonius Genuensis monitoria non concedi in Curiâ Neapolitanâ pro summâ minori, quàm quinquaginta ducatorum ad libitum Episcopi. Sed Aloysius Riccius apud Barbosam num. 29. observat secundum stylum Romanæ Curiæ non esse concedenda monitoria, nisi valor rerum subtractarum ascendat saltem ad summam quinquaginta aureorum, quamvis sint separatim subtracti. Monitoria non esse concedenda contra habentem rem per se judicatam, sed revocanda esse, sustinet idem Barbosa num. 31. post Menochium Alexand. Bart. Marcum Antonium, & alios. Undè (inquit idem Barbosa post Lazzarium, Ugolinum) qui detinet rem ratione rei judicatæ, vel jurisjurandi litis decisivi, vel transactionis, vel pacti jurati cum parte, ejusmodi monitorio non obligatur, Navarrus consil. 35. num. 8. vers. 8. Lazzarius & Barbosa supra asserunt edicta generalia, in quibus mandatur, ut detinentes restituant bona aliena, & ut revelent qui sciunt, ea detinere, sunt intelligenda de iis, qui indebitè ea detinent, & de iis qui sciunt ea indebitè detinere ut furto, non verò de eo qui justè detinet; & ideò qui eam usucepit, tanquam justè detinens non tenetur se manifestare.

VI. Porrò hæc monitoria non conceduntur in criminalibus, ita Barbosa supra num. 32. post Marcum Antonium Genuensem, Aloysium Riccii, Lazzarium, Escobar, Petrum Diez Neguerol. Ratio prima est quia notam infamiæ inferunt. Secunda ad evitandam irregularitatem, undè communiter in monitoriis hæc clausula ponitur. *Nolumus autem, quod ex revelatione hujusmodi, si eam fieri contingat, nisi pro civili interesse, & civiliter tantùm agi possit, aliàs revelatio ipsa neque in judicio, neque extra fidem faciat.* Idem statuit Pius V. in suâ constitutione, ut apud Barbosam animadvertunt Franciscus Leo, & Aloysius Riccius. Undè Campanile apud eundem Barbosam notat, quod quando in Curiâ Neapolitana datur facultas, ponitur in ejus calce decretum, quo præcipitur sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, nè quisquam præsumat quoquo modo præfatis revelationibus, vel earum vigore in aliâ causâ procedere, quàm in civili. Theophilus Raynaudus de monition. Ecclesiast. part. 1. cap. 1. quæst. 6. censet, quod attentâ solâ rei naturâ licitum sit concedere monitorium etiam in causâ criminali. Idem part. 1. cap. 1. quæst. 8. post Jacobum de Grassis, Menochium, Franciscum Marcũ, Baptistam Costam, Lazzarium, Marcum

Marcum Antonium Genuensem, Bernardum Diaz, Aloysium Riccium, & alios, existimat monitorium non esse concedendum, si sit infamatorium alicujus personæ particularis Addit Antonius Genuensis quod in praxi nunquam nominatur persona, quæ præsumitur rem detinere. Idem cum Raynaudo concludit quod monitorium non cogit deponere cum juramento. Undè testes qui iisdem monitoriis impulsi accedunt testimonium veritatis dicturi, non jurant, sed solent his verbis revelationem incipere. *N. ætatis annorum triginta, ut dixit testis veniens ad revelationem prædictæ excommunicationis dixit, & revelavit hoc tantum scire.* Nisi (inquit Barbosa supra num. 35. post Lazzarū & Mandellum de Alba in monitorio sanciretur, ut fierent declarationes cum juramento, quod justè potest præcipi. Et tunc admitti testes prævio juramento ad revelandum, & quidem in scriptis quidquid sciunt, alioqui non satisfaciunt monitorio qui manifestarēt Episcopo dumtaxat verbaliter, ut voluit Navarrus consil. 5. *de furtis*, Lazzarius, Marcus Antonius Genuensis. Bonacina tamen supra num. 35. cum Hieronymo à Laur. Aven. num. 36. restringit dicens non esse opus ut factum narretur scriptis, vel verbis, sed sufficere si dicat judici vel parti. *Scio aliquid de contentis in tuo monitorio, & quando ero vocatus à judice, offero me paratum testari.* Et tunc sit ille exemptus, sed coram judice laico teneatur deindè veritatem dicere, cum de ejus mandato citabitur. Similiter si alter compareat dicens bona ipsius penes se esse, ac tutâ conscientiâ retinere & se probaturum polliceatur coram judice competente, tunc ulterius non esse procedendum affirmant Guitier. lib 1. canon. cap. 11. Barbosa numero citato post Navarrum, Filiu. Nupt. Cardin. Marcum Antonium Genuensem, Antonium à Salâ, Emmanuelem, Campanile. Ratio est, quia fides non adhibetur ejusmodi testibus in his, quæ deposuerunt excitati litteris monitorialibus Episcopi in Curiâ Ecclesiasticâ, ut docet Barbosa supra numer. 36. post Bertrandum, Raudensem, Campanile in diverſ. juris canon. cap. 15. num. 122. post Lazzarium, Escobar, Aloysium Riccium, Cacheranum, Noguerol, Calvacanum qui monet, quod si in eorum repetitione factâ coram judice sæculari testes ipsi sese remitterent ad propalationes, per eosdem ob monitoria prædicta facta coram Episcopo, seu judice Ecclesiastico talis eorum attestatio omninò corrueret.

VII. In monitoriis faciendis non requiritur citatio partis, ita Barbosa supra num. 37. post Escobar, Marcum Antonium, qui probant ex praxi Neapolitanâ. Hæc monitoria possunt concedi ante motam litem, ita Barbosa num. 38. post Lazzarium & Campanile, vel pendente lite dum probationum terminus non elapsus est. Idem Barbosa supra post Mantellum de Albâ, Campanile, Franciscum Marcum, Petrum Gregorium. Imò pluries in eadem causa testes posse examinari, & articulos produci, etiam in terminis restitutionis in integrum, & aliis casibus, in quibus tunc possunt testes produci de jure, vel etiam in causâ appellationis resolvunt Mantellus de Albâ, Lazzarius, Marcellus Vulpe, Zerola apud Barbosam supra num. 38. Hic cum Marco Antonio tenet quod possunt ab Episcopo concedi monitoria etiam pendente lite in Rotâ ante inhibitionem judici intimatam. Notat Barbosa num. 39. cum Marco Antonio, Escobar, Guitier. Campanile relatas considerationes, non esse de formâ monitorii. Ratio prima est, quia Concilium Tridentinum cap. 3. citato, vers. *In causis verò judicialibus non præscribit formam, sed dat dumtaxat instructionem.* Secunda, quia l. *à Divo Pio, §. vendicatione*, ff. *de re jud.* Textus statuens modum observandum in faciendo qualibet executione hanc etiam interpretationem admittit, ut executio aliter facta non subjaceat nullitati, ita Bartolus, Stephanus Gratianus, Azevedo, Alexander Trentacinque, Surdus, Guitierez, Michael Graffis, Vivianus apud Barbosam supra num. 39. qui concludit cum Nicolao Garcia in addit. ad tract.

de

de benef. part. 1. cap. 5. num. 587. Declinatoriam concessam non esse nullam, quamvis prætermittantur præfatæ diligentiæ, quamvis sit injusta. Probatur ex Concilio Tridentino cap. 3. quod non irritat excommunicationem latam absque illis, ac consequenter esse validam, ita ut sic excommunicatus sit ligatus, ac indigeat absolutione, quamvis secundùm Sayrum de censuris lib. 1. cap. 9. numer. 33. Guitierez supra cap. 11. numer. 89. Lazzarium, Franciscum Leonem, Barbosam, Concilium Trident. cap. citato videatur in his monitoriis præscribere formam servandam. Notat Nicolaus Garcias de beneficiis part. 1. cap. 5. num. 587. quod quando in litteris Apostolicis datur facultas excommunicandi eum, qui morosus est in solutione pensionis, executor non tenetur servare formam Concilii cap. 3. quando fert sententiam excommunicationis.

VIII. Cœterùm concludit Raynaudus part. 1. cap. 4. quæst. versic. *sic Episcopus.* Marcus Antonius, variar. resol. lib. 1. resol. ult. casu 37. Barbosa numer. 42. quod executor monitorialium Papalium possit absolvere à sententiâ, postquam patuit is, qui earum vigore in eam incidit. Ratio præcipua est, quod dicta sententia excommunicationis est generalis, ut ex verbis monitorialium manifestè constat, dum ait generalem excommunicationis sententiam proferas. Ex quo etiam sequitur eum posse absolvere à sententia generali excõmunicationis latâ ab homine, qui potest à censurâ à jure lata, & nemini reservata absolvere. Ita Navarrus in manual. cap. 27. num. 44. Toletus in summâ lib. 1. cap. 10. num. 9. Covarruvias in cap. *alma mater*, part. 1. §. 12. numer. 41. Sayrus de censuris, lib. 2. cap. 19. num. 5. & cap. 20. numer. 2. Dices ex glossa in cap. *ligare*, in cap. *cùm inferior*, de majoritate & obedientiâ, ubi habetur non licere ei absolvere, cui commissus fuit certus articulus excommunicandi, non esse merum executorem, sed delegatum cum jurisdictione excommunicandi, præcipuè his verbis. *Si cum diligenter & magnâ maturitate per vos excommunicatâ parte, loci, temporis & personarum qualitatibus verbis pro vestra conscientia videbitur expedire.* Item his. *Duxeritis.* Item *Quando & quoties opus fueris & videbitur expedire, usque ad satisfactionem condignam & revelationẽ condignam debitam solemniter publicare, &c.* De formâ expediendi ejusmodi monitoria differunt. Campanile cap. 15. numer. 126. Quaranta verbo *excommunicatio ad finem revelationis.*

§. 6.

Qui vi monitorii non tenentur denunciare.

REm ipsam habens non tenetur vi monitorii se patefacere vel denunciare, ita Raynaudus supra part. 1. cap. 3, quæst. 10. Post Bonacinam, Ugolinum, Martæ, Escobar, Naldum, Campanile. Non tenetur probare complicem criminis aliter quàm seipsum, ita Henriquez in summa lib. 13, cap. 18. §. 2. Marcus Antonius, Barbosa, Machado. Probatur primò ex cap. *quis aliquando*, de pœnitent. dist. 1. nemo debet se infamare. Secundò, quia accusatus de delicto non tenetur illud confiteri, nisi fides ei fiat semiplenè illud esse probatum, ita Navarrus in manuali cap. 2. num. 36. Sotus de ratione tegendi membro 2. Undè fur, homicida, socius criminis non tenentur se ipsos denunciare, nisi in judicio fuerint legitimè interrogati. Barbosa supra num. 46. post Marta, Ugolinum, Lazzarium, Escobar. Vi monitorialium, impotens ad solvendum non tenetur restituere; modò habeat animum restituendi quamprimum poterit, ita Barbosa num. 47. post Ugolinum, Homobonum, Marcum Antonium Genuensem. Probatur ex regulâ *impossibilium*, ff. *de regulis juris.* Censetur autem non posse commodè si subiret damnum altioris ordinis, vel vitæ vel famæ. Idem Barbosa cum Lazzario. Vel quando in justam compensationem retinet, ita Bonacina de

censuris disput. 2. quæst. 6. puncto 1. num. 26. Toletus in summa lib. 3. cap 26. num. 10. vers. *secundò*, Emmanuel in summa part. 1. cap. 70. num. 11. Vasquez in opusc. de restitutione cap. 1. §. 1. dub. 9. num. 51. Suarez tomo 5. disp. 20. sect. 3. num. 15. Filiucius tract. 14. cap. 1. num. 18. Silva Nupt. Marcus Antonius Genuensis, Lazzarius, Alterius. Raynaudus part. 1. cap. 2. quæst. 4, limitat modò dubium sit liquidum & certum, nec quod se compensavit plus acceperit, quæ verè esset debitoris. Ratio est, quia excommunicatio cadit super injustum detentorem, non autem super compensatum, qui talis non est, nam ille, qui rem propriam nullâ viâ juris ab aliquo repetere potest defectu prohibitionũ, tunc absque offensâ percipere potest. Idẽ censent Menochius remedio 1. recopil. num. 313. & remedio 9. num. 191. Zerola in praxi Episcop. part. 1. vers. *compensatio*, Cald. Pereira, Brunioras à Sole, Barbosa supra. Addunt Covarruvias lib. 1. variar. cap. 15. vers. *quarto eodem jure*, Antonius Butrius, Julius Clarus non tantùm rem propriam, seu eandem percipere posse, sed aliam quamcumque rem ejusdem tamen valoris docet Bonacina supra numer. 25. Quamvis enim compensans fortè peccaverit accipiendo, si potuit rem sibi debitam aliâ viâ vel absque scandali periculo, &c. Non peccat tamen retinendo, modò debitum sit liquidum, nec plus retineat, quàm sibi debeatur. Undè compensans non ligatur excommunicatione, quamvis in sententiâ excommunicationis exprimatur justa compensatio, ita idem Bonacina ibi. Ratio est, quia ejus sententia continet errorem intolerabilem. Secundò, quia excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum mortale, seu inobedientiam, sed compensans retinendo rem acceptam in compensationem non peccat moraliter contrà inobedientiam censuræ.

II. Avila de censuris part. 2. cap. 5. disp. 5. dubio 1. corrol. 2. Comitolus respons. moral. lib. 3. quæst. 39. Petrus à Navarra de restitutione lib. 3. cap. 1. dubio 8. num. 406, existimant quod si compensans justè habeat apud se rem debitoris juré depositi ligatur monitorio mandante restitutionem. Ratio est, quia ex re apud debitorem depositâ non licet se compensare. Nam l. ult. C. de compens. vetat sic fieri compensationem, sed Diana resolut. part. 3. tract. 4. resol. 10. Barbosa supra post Lessium, Bonacina variar. tract. 6. part. 2. §, 6. num. 1, Navarrus in manuali cap. 17. num. 114. & seq. Medina quæst. 11. de restitut. Gutierez, dicunt id ita esse verum, ut si judex monitorium concedens, vellet etiam restitui ea, quæ per compensationem undecumque justam fuissent accepta nullum esset monitorium. Ratio est, quia contineret errorem intolerabilem.

III. Qui habet scripturas non tenetur illas exhibere vel revelare vi monitorii, quoties exhibendo vel revelando damnum pateretur. Ita Bonacina supra puncto 1. num. 13. & tractat. 6, puncto 1. §. 6. num. 8. Suarez supra sect. 3. regul. 1. num. 1, & 3. Azorius institut. moral. part. 3. lib. 1. cap. 15. Machaco, Barbosa, Escobar, Lazzarius, Marcus Antonius Genuensis, Henriquez. Addunt Navarrus consil. 16. de pœnitent. & remiss. & consil. 35. de sent. excomm. Raynaudus part. 1. cap. 2. quæst. 15. Homobonus, Cancer. Bonacina, non ligare si ex tali inhibitione damnum redundaret consanguineis proximioribus, verbi gratiâ, parentibus, uxori, filiis, fratribus, & similibus. Idem Navarrus loco citato putat monitorium de revelando aliquam scripturam non ligare partem adversam, nec ejus patronos, seu Advocatos & Procuratores, nec teneri eam exhibere, si ex eâ possit jus alterius confirmari, at verò ipsius exhibentis possit exindè aliquâ ratione infirmari. Quam opinionem amplectitur Menochius de arbitr. casu 499. Villalobos, Richouius, Valascus, Joannes Garcias, Marcus Antonius Genuensis, & maximè in favorem Ecclesiæ. Quam sententiam non audet approbare Campanile in diverſ. cap. 15. num. 95. existimatque

quod

quod quando profertur sub censurâ, ut quicumque habet scripturas, debeat illas producere, & cogi illas exhibere, nec posse se tueri illâ excusatione quod indè timet vexationem, nisi esset prorsus manifestissimum illas taliter ad ejus conducere, vel nullo modo ad jus alterius confirmandum pertineant. Barbosa num. 50. ait hanc opinionem esse tutiorem: quamvis prior ab iis, qui sibi facilè dispensant sit in praxi receptior. Si earum scripturarum, &c. exhibitione grave damnum revelanti afferat. Illud notatu dignum existimat Campanile supra num. 96. post Navarrum consil. quod incipit *Inter Seium*, num. 4. *de censibus antiq.* num. 35. de sent. excommun. in novis; quod non dato damno non tenetur exhibere omnes scripturas ad alterius jus attinentes, vel detinentes popalare, sed tantùm publicas, non verò privatas. Ratio est, quia nemo debet compelli, ut suas proprias rationes, ac privatas scripturas exponat l. 1. C. *de edendo*. Vide Decium in cap. 1. de probation. Undè qui habet transumptam scripturam ex vi monitorii non tenetur prodere; ita Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 6. puncto 3. num. 32. Suarez tomo 5. disp. 20. sect. 3. num. 13. Filiucius in summa tractat. 14. cap. 2. Homobonus, Mechado. Ratio est, quia illæ non faciunt fidem in judicio.

IV. Denunciare nemo tenetur justum compensatorem in casibus quibus ipse compellans vi monitorii non tenetur se patefacere, modò debitum sit liquidum & certum, licet excommunicatio specialiter lata sit cõtra scientes & non manifestantes, ita Navarrus cap. 25. num. 46. Lessius de justitiâ lib. 2. cap. 12. dubio 10. numer. 5. Sayrus supra cap. 14. num. 10. Salomus, Aragonius, Joannes Nevizanus, Clarus, Castro-Palao, Lazzarius, Marcellus Vulpe, Escobar, Barbosa. Addunt Navarrus in manuali cap. 15. num. 166. Valentia tomo 3. disp. 5. quæst. 13. puncto 2. Molina disp. 692 Arragonius, Salonius, quod conscius justæ compensationis potest liberè jurare se nihil habere, intelligendo intra se, ut teneatur manifestare. Ratio est, quia habet justam causam tergiversandi. Quod si de justitiâ cõpensationis, vel de imporentiâ restituendi dubitet, tenetur denuntiare, nisi rationabiliter deponat dubium, ita Bonacina puncto 1. num. 3. post Navarrum, Henriquez, Azorium, Lazzarium, Emmanuelem. Idem Bonacina ait id verum esse, licet is, qui accipit rem asserat se illam accepisse in compensationem, nisi fortan esset vir tantæ fidei ut meritò fides sit præstanda, num. 31. affirmat eos, qui occultant bona ob æs alienum, vel ob delictum commissum, nè à fisco, vel creditoribus capiantur vi monitorii tenĝri illa manifestare. Item quod impetrantibus creditoribus excommunicationem contra retinentes bona Titii, cõtra non manifestantes, Caius tenetur denunciare Titium, qui sibi vendidit possessionem in confidentiâ nè caperent, si factâ correctione Titius creditoribus satisfacere non vult. Quando verò possit concedi monitorium contra donatarios, vel legatarios qui fidem præstiterunt testatori de restituendo bona filiis spuriis testatoris vel donatariis, fusè differit Lazzarius de monit. sect. 3. quæst 5.

Quando aliquid sciunt, nec probare possunt unico teste, non tenentur revelare, ita Navarrus cap. 17. num. 134. & cap. 25. num. 33. & consil. 2. de testibus. Vasquez de restitut. cap. 9. §. 3. num. 4. Bonacina supra puncto 3. num. 9. & tract. 6. puncto 1. §. 4. num. 1. Raynaudus supra parte 1. cap. 3. quæst. 3. Ugolinus, Escobar, Lazzarius, Avillus, Sayrus, Marcus Antonius Genuensis. Probatur ex Glossa 1. in cap. *Sacerdos*, de pœnit. dist. 6. Addunt Navarrus cap. 25. num. 33. Henriquez lib. 13. cap. 18. Bonacina tract. 6. puncto 1. §. 4. numer. 4. vers. *tertio*, Vasquez de restitutione cap. 9. §. 3. num. 4. Alterius, Lazzarius, quod is qui audivit furtum commissum, vel committi vidit ab ipso fure nemine præsente non teneri illum denunciare. Ratio est, quia probare nequit. Quod si habeat unum testem omni exceptione majorem denunciare tenetur. Ratio est, quia ipse V.

denunciansin hac materiâ valet pro pro teste. Bonacina supra numer. 9. vers. *primus*, & tract. 6. puncto 1. §. 4. num. 5. & alii. Hanc excõmunicationem incurrunt quando in edicto non præcipitur denunciatio, sed testificatio, tunc tenentur testari, & deponere tanquam testes, si interrogentur juridicè, quamvis delinquens sit emendatus. Secundò dicunt Bonacina supra num. 9. vers. 2. & tractat. 6. puncto 1. §. 4. num. 5. Farinacius tract. de hæresi quæst. 197. §. 2. Bañes 2. 2. quæst. 68. art. 1. Diana part. 1. moral. resol. tract. 4. resol. 1. vers. *at his*, Scaccias, Lazzarius, Marcus Antonius, Filiucius quod quando præcipitur denunciánti delictum respiciens fidem & religionem Christianam, cujusmodi est hæresis, vel blasphemia hæreticalis, in his denunciator habetur pro teste, & in illis creditur uni testi, ita cap. *in omni negotio*, de testibus. Nam Bonacina tractat. 6. puncto 2. numer. 2. Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 7. Raynaudus part 1. cap. 3. quæst. 2. vers. *semper dico*, Sanctarellus de hæresi cap. 9. num. 2. Avila de censuris parte 2. cap. 3. disp. 4. dubio 3. scribunt quod hæresis licet occulta debeat detegi. Tertiam exceptionem adducunt Bonacina supra numer. 9. vers. 4. & tract. 6. puncto 1. §. 4. num. 5. vers. 4. Raynaudus supra part. 1. cap. 3. quæst. 3. vers. *aiebam*, Guitierez, Antonius Genuensis, quod sciens aliquod impedimentum matrimonii, illud denunciare tenetur, licet probare nequeat. Ratio est, quia ex cap. *preterea de sponsalibus*, & Farinacio in in praxi criminali quæst. 63. num. 48. Cardosio in praxi judicum & advocat. vers. *testis*, numer. 48. Unus testis sufficit ad impediendum matrimonium.

V. Bonacina supra puncto 1. num. 4. Raynaudus part. 1. cap. 3. quæst. 20. Ugolinus, Marcus Antonius Genuensis, Escobar, Marta, Filliucius, Lazzarius, Avila censent eos non teneri revelare, qui de jure nequeunt compelli ad testificandum. Sic Pater ex vi monitorii vel edicti non tenetur denunciare delictum filii, nec filius delictum patris, verbi gra iâ, furtum inquit idem Bonacina tract 6. punct. 1. §. 3. num. 5. cum Avila de censuris part. 2. disp. 5. dubio 2. Ugolino, Lazzario, Marcello Vulpe, Possevino. Undè Ludovicus Rudolphus variar. concluf. 5. num. 5. Barbosa de officio & potestate Episc. part. 3. alleg. 96. num. 52. concludunt quod si Pater, vel Mater interrogentur contra filium, vel uxor contra maritum, si fuerint perjuri nequeunt plecti ob perjurium. Ratio est, quia inquiunt Mascardus de probat. concluf. 1148. & concl. 1157. num. 43. Farinacius in praxi crimin. part. 2. de oppositi. contra personas testium, quæst. 54. numer. 145. & seq. Ludovicus Miranda de ordine Judic. quæst. 22. artic. 4. concluf. 2. Amator Rodericus in practic. de modo & forma videndi, seu examinandi processum cap. 7. numer. 47. Cardosius in praxi judic. verbo *testis*, num. 9. aut Philip. part. 1. §. 17. num. 15. & alii apud Farinacium parentes nequeunt esse testes in causis filiorum, ut patet ex l. *parentes*, & hoc observari in Hispaniâ & Lusitaniâ refert Barbosa supra num. 52. Quod intelligitur non tantùm de filiis legitimis, sed etiam naturalibus, spuriis, & incestuosis, in quorum causis parentes testes esse nequeunt, ita Farinacius supra quæst. 54. Mascardus concluf. 1148. Molina de justitia tractat. 2. disp. 170. vers. *in reliquis*. Eodem modo philosophantur de filiis adoptivis, si sint in voluntate patris, Farinacius & Mascardus supra, imò & in mancipatis. Quibus arridet Gabriel tit. de testibus concluf. 17. numer. 7. Quod autem filii spirituales teneantur denunciare patrem spiritualem ex vi monitorii resolvunt Diana part. 5. resol. moral. tract. 13. resol. 17. Raynaudus part. 1. cap. 3. quæst. 17. vers. *neque igitur*, Bonacina supra puncto 1. numer. 6. & variar. tract. 6. puncto 1. §. 3. num. 7. Machado, Lazzarius, Marcus Antonius Genuensis, Mascardus, Menochius, Tiraquellus, Farinacius, Cardosius, Aloysius Riccius, Stephanus Gratianus, Cenedo. Fratrem pro fratre non posse testificari docent Menochius

ctius casu 104. Mascardus conclus. 211. Rebuffus de reprob. testium, numer. 218. Vexnius tomo 1. commun. opin. lib. 4. tit. 10. num. 235. Pinellus in l. numer. 26. C. de bonis mat. Cardosius verbo *testis* num. 23. & alii apud Farinacium supra.

VI. At in casu hæresis testes esse possunt parentes contra filios, & filii contra parentes, & consequenter revelare tenentur, ita Farinacius supra, Miranda supra, Diana part. 1. tract. 4. resol. 4. Bonacina variar. tract. 6. puncto 1. §. 3. num 6. Raynaudus supra quæst. 12. vers. *alibum*, Suarez de fide disp. 20. Escobar, Castro Palao, Portellus, Ludovicus Miranda, Paulus Comitolus, Jacobus Simanchas, Mascardus. Ratio est, quia hæresis vergit in detrimentum commune, & serpit ut cancer. At neutrum teneri denunciare, nisi ubi imminet periculum perversionis, sustinent Sanctarellus de hæresi cap. 9. numer. 15. Trulench in expos. decalogi lib. 1. cap. 2. dubio 6. num. 17. Barbosa supr. numer. 56, Castro Palao, & alii. Tenentur etiam filij denunciare parentem in crimine blasphemiæ, ita Bonacina supra puncto 1. num. 5. vers. *tertio*, & variar. tract. 6, puncto 1. §. 3. vers. *tertio*, & apud eundem Lazzarius, Comitolus. Ratio est, quia honor & gloria Dei debet præferri reverentiæ parentum. Quod teneantur etiam filii revelare parentes in crimine læsæ Majestatis affirmant Raynaudus part. 1. cap. 3. quæst. 12. vers. *dicebam*, Azorius instit. mor. part. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 12. & 13. Farinacius quæst. 64. n. 173. Mascardus & alii. Probatur primò utraque resolutio ex Navarro, filius id præstare debet si nullus alius sit, qui patrem præfatorum scelerum auctorem judici denunciare possit. Primò, quia lege charitatis communis salus patriæ præferenda est saluti patris. Secundò quia natura dictat partem corporis objici periculo, nè totum corpus pereat. Tertiò, si filius credat multos etiã per patrem à religione avocandos, nec illud malum posse aliter impediri debet illum prodere, quia est bonum cõmune privato præferendum, nè in dies magis se fundat in partes, & Reipublicæ excidium afferat. Quod etiam verum est, quamvis pater sit hereticus occultus, quia filius debet credere patrem non tantùm sibi, sed etiam aliis nociturum, & effusurum suum pestiferum venenum in alios.

VII. Quod verò uxor non teneatur maritum denunciare censent Filiucius tract. 14 cap. 1. quæst. 7. Bonocina variar. tract. 6. puncto 1. §. 3. num. 4. Lazzarius de monitoriis sect. 3. quæst. 11. & de blasphemiâ quæst. 12. num. 67. Farinacius supra quæst. 54. num. 11. Menochius de arbitr. casu 548. num. 13. & consil. 22. art. 3. Penna, Mascardus, Petrus Mexia, Christophorus de Paz, & alii. Ratio est, quia uxor censetur unum & idem cum suo marito, cùm sint duo in carne unâ, & attentâ praxi ditionis Leodiensis & aliarum, inter maritum & uxorem bona communicantur, item uxor damni mariti est particeps.

VIII. Regulares exempti scientes rem, de quâ in monitorio non sunt excommunicati, si non revelent, ita Marcellus Vulpe in praxi judiciali fori Ecclesiast. cap. 2. num. 14. Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 96. num. 80. Denunciare item non tenetur vi monitorii ad finem restitutionis qui rem ritè præscripsit, ita Diana respon. moral. part. 3. tract. 3. resol. 10. Comitolus, Ferdinandus, & alii. Item Navarrus consil. 35. num. 8. de sentent. excommunic. Raynaudus sup. part. 4. cap. 2. quæst. 7. Avila de centuris part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 1. illat. 3. Item non tenentur denunciare, qui rem alienam bonâ fide à fure emit numerato pretio, negatâ, aut non speratâ refusione pretii, ita Raynaudus supr. part. 1. cap. 2. quæst. 10. Sanchez de matrimonio lib. 2. disput. 41. num. 27. Sayrus, Rebellus, & alii. Ille dicitur emisse rem aliquam, qui invincibiliter ignorans rem fuisse sublatam furto, pretium pro eâ appendit, vel qui sciens rem fuisse subductam furto, tamen eam accipit sine numerato pretio, eo fine & animo, ut domino restituat, si contingat illum compatare. alioqui eam sibi retinebit q amvis cum secundùm Molinam, Medi-

nam, Covarruviam & alios, is qui à latrone emit bonâ fide teneatur rem emptam Domino comperto reddere, etiam cum pretii jacturâ, si dominus illud refundere nolit, nec possit, rescindendo contractam rem latroni reddere, ut recuperet pretium à se datum. Nihilominus probabiliter existimat Lessius de justit. lib. 2. cap. 14. num. 14. Valentia 2. 2. disp. 5, quæst. 6, puncto 4. Bonacina de contract. disp. 1. de restit. quæst. 4. puncto 2. Torres, Rebellus, Philarchus, posse contractum rescindere, & pretium suum, quod aliter amitteret, recuperare. Creditores ipso monitorio anteriores habentes rem sibi debitam non tenentur denunciare. Ita Diana resoni. moral. part. 3, tract. 4, resol. 10. Raynaudus supra part. 1. cap. 2. quæst. 6. & alii. Ratio est, quia Episcopus seu Judex Ecclesiasticus intendit dumtaxat obligare ad restitutionem eius quod nequit absque culpâ retinere, in hoc casu potest rem talem sibi retinere. Qui nequeunt restituere, nõ tenentur denunciare, ita Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 96. num. 47. & num. 79. post Homobonũ, Ugolinum, Marcum Antonium Genuensem, Marcellum à Vulpe, Raynaudum. Probatur ex l. *impossibilium*, ff. *de litteris juris*, littera I, num. 12.

VIII. Is autem censetur non posse restituere, non tantùm, qui est in extremâ necessitate, sed etiam qui non potest commodè absque probabili damno bonorum suorum altioris ordinis, scilicet vitæ, famæ, honoris, salutis: nisi is, cui restitutio facienda est non sit in eadem & æquali necessitate, scilicet quia oportet eum vivere indecenter, nisi restituantur ei bona sua ablata, vel detenta injustè.

IX. Nemo tenetur denunciare ratione monitorii, quando degebat extra territorium Episcopi excommunicantis tempore publicationis & excommunicationis, secus verò si necdum elapso termino prælixo in monitorio ad aliam Diœcesim se conferat, animo manendi ibi per majus anni spatium, vel habitandi ibi semper, ita Henriquez supra cap. 18. §. 4. littera I. Barbosa supra num. 73. post Lazzarium, Marcellum Vulpe, Escobar, Sayrum. nequit etiam Episcopus ligare existentes in alieno territorio, ita Bonacina de censuris disp. 1, puncto 11. num. 6. Probatur ex cap. 2 *cum ibi*, de constitut. Ratio est, quia excommunicatio lata sub conditione, ut satisfaciat intra certum tempus, ligat si pendente conditione efficiatur alterius fori, glosla verbo *impedire*, in cap. *præterea*, l. 2. de appellat. recepta per Innocentium & Abbatem ibi. Obligatio constituta in monitoriis ad revelandum incipit à die & horâ, quâ publicatur monitorium, excepto primo die, modò eodem die notitia monitorii habeatur, ita Bonacina in variar. tract. 6. part. 1. §. 7. num. 2. Diana part. 3. tract. 5. resol. 95. Suarez tomo 5 disp. 20. sect 3. num. 16. Raynaudus part. 1. cap. 1. quæst. 14. Barbosa num. 75. post Henriquez, Lazzarium. Ratio est, quia tempus cõstitutum in monitoriis incipit currere à die notitiæ. Barbosa cum Lazzario existimat, quod in monitorio lato ad denunciandum injustum detentorem rei alienæ intra dies quindecim, non comprehendatur primus dies, nisi fortè dicatur hinc ad quindecim dies. Ratio est, quia hoc loquendi modo videtur statim terminus inchoari.

X. Qui intra tempus præfixum in edicto non denunciat, elapso eo tempore tenetur denunciare statim ac commodè potest, ita Diana resol. moral. part. 3. tract. 5, resol. 95. Raynaudus part. 1. quæst. 14. vers. *difficultas secundò*, post Navarrum cap. 25. num. 46. Suarem supra, Valerium Reginaldum, Escobar, Emmanuelem contra Ugolinum, Philiarchum, & Naldum. Ratio est, quia secundùm Graffis in decis. aureis part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 10. & Lazzarium elapso termino semper tenetur sub excommunicatione denunciare, nisi detineatur impotentiâ, vel aliâ justâ causâ, quâ sublatâ tenetur denunciare sub eadẽ obligatione excommunicationis. Et tunc non denunciando toties incurrit censuram, quoties potest cõmodè denunciare, quia quot sunt moraliter,

&

& formaliter actus contra receptum, seu quot sunt transgressiones formaliter & moraliter, tot sunt censuræ inquit Bonacina quæst. 1. puncto 5. num. 2. Seu probabilius talis manet in eâdem excommunicatione non denunciando intra triennium, nec incurrit aliam novam, ita Diana part. 3. tract. 5. resol. 95. Theophilus Raynaudus part. 1. cap. 1. quæst. 14. vers. *monetur quarto*, post Navarrum, Lazzarium, Barbosam, & alios.

VI. Quidam arbitrantur quod terminus in monitorio præfixus posset prorogari ex solâ voluntate partis Episcopo prorsus inscio, & non consentiente, etiam tacitè in prorogationem post illius notitiam habitam, ita Toletus in instruct. lib. cap. 9. num. 5. Suarez de censuris tomo 5. disp. 3. sect. 6. num. 9. Hurtado de censuris in commune difficult. 16. num. 113. Joannes Mensanus & alii Ratio est quia monitorium concessum in gratiâ partis, ut fiat indemnis ab injuriâ. Potest igitur pars ultra cedere suo furi. Et sicut potest prorsus obligationem remittere, sic ultra terminum prorogare, ita ut nihil obstet quominus liceat frui beneficio partis, cui Episcopus beneficium concedens voluit verificari. At Navarrus in manuali cap. 27. num. 15. Sylvester in summa verbo *excommunicatio*, notab. 1. casu 14. Raynaudus part. 1. cap. 1. quæst. 14. vers. *est quoque difficultas*, Contrarium affirmant ob hanc præcipuè rationem, quia excommunicatio nequit suspendi, vel impediri, quominus effectum sortiatur suo tempore, nisi suspendens habeat jurisdictionem, at pars ad cujus instantiam concessum est monitorium caret illâ jurisdictione. Suspensio igitur excommunicationis non dependet ab eo: hoc autem faceret si elapso tempore ab Episcopo præfixo posset largiri inducias ei, qui urgetur à monitorio ad nunc exequendum: tamen Raynaudus mediâ viâ incedit supra, asserens ante factum secundam opinionem sequendam; sed post factum primam esse satis securam, & posse absque scrupulo sustineri

XII. Porrò quamvis infames sint inhabiles ad testimonium ferendum, nihilominus tenentur revelare, ita Ugolinus, Antonius Genuensis, & alii apud Farinacium part. 2. quæst. 62. num. 274. Ratio est, quia eorum testimonium non est omninò invalidum quamvis enim non probent, tamen faciunt præsumptionem, ita glossa verbo *ad testimonium*, in cap. 1. de testibus, lib. 7. Quoad monitoria hæc non dicuntur propriè statuta, sed mandata generalia ab homine lata, vel specialia ab homine lata, quæ morte, vel remotione concedentis ab officio expirant priusquam excommunicatio incurratur. Idem asserunt quod dum Episcopus promulgat edicta per modum visitationis, illa expirant, non quidem statim post sex dies, inter quos jubet denunciare, sed terminatâ visitatione, vel paulò post, per parochias urbis, ubi Episcopus residere consuevit.

Pro coronide hujus argumenti nota, quod cùm ejusmodi monitoria sint remedium subsidiarium, & non solitum concedi, nisi cùm aliæ probationes deficiunt, videtur revelandi obligatio ad omnes qualescumque sint, vel qualitercumque fuerint, exceptis iis, de quibus supr. Aragonius 2. 2. quæst. 70. art. 1. Avila de censuris part. 2. cap. 5. disput. 4. dubio 3. conclus. 8. docent, quod qui tenetur denunciare furem, non denunciat, non tantùm excommunicationem incurrit, sed etiam tenetur restituere damnificato. Tamen Diana part. 5. resol. moral. tract. 13. resol. 68. Raynaudus part. 1. cap. 3. quæst. 24. dicunt in rigore oppositum esse verius, quos sequitur Barbosa supra num. 34. Plura scribunt de litteris monitorialibus ad finem revelationis sub pœnâ excommunicationis. Quaranta in summa bullarii verbo *excommunicationes*, ad finem revelationis, Henriquez in summa lib. 3. cap. 18. Campanile in diversorio juris Canonici rub. 11. cap. 15. num. 88. Navarrus in repetit. cap. inter verba 11. quæst. 3. concl. 6. corol. 66. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. *excommunicatio*, Marcellus Vulpe, Carrasc. Ugolinus, Aloysius Riccius, Franciscus Leo, XIII.

communicationibus, irregularitatibus, suspensionibus exceptis iis, quæ in forum contentiosum agitantur: cui arridet Navarrus consil. 15. sub tit. de sentent. excommunicationis in antiquis, & consil. 11. sub. tit. de privilegiis in novis. Jacobus de Graffis comment. 2. consil. tit. de homicidio consil. 2. num. 14. Reginaldus in praxi fori pœnitent. lib. 5. num. 1. & lib. 10. tract. 2. tit. 3. numer. 91. Armendariz, Joannes Valerius, Aloysius Riccius, Ugolinus, Henriquez in summa, Mar. Alterius, Suarez, Sanchez de matrimonio, Reginaldus, Jacobus de Graffis, Didacus de Artoio, Coninck, Antonius Fernandez, Fagundez in quinque præcepta Ecclesiæ, Mauritius Alzedo, Villalobos in summa, Portellus in dub. regul. Hieronymus Rodericus, Philibertus Marchinus Trullench, Joannes Antonius Bossi de triplici jubil. privileg. 1. sect. 1. casu 16.

V. Ingeniosè notant Nicolaus Garcias de beneficiis part. 3. cap. 11. num. 23. Armendariz supra, Aloysius Riccius, Mar. Alterius, Sanchez in præcepta Decalog. Bonacina sup. disp. 7. quæst. 3. Ugolinus, Gavantus verbo *absolutio*, Filiucius, Bossi, Trullench. supr. Stephanus Dalvin, Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 2. alleg. 39. numer. 3. Alzevedo, eos dumtaxat Episcopos illarum regionum præfatâ potestate gaudere, in quibus Concilium Tridentinum receptum est, & colligitur ex cap. 6. sessione 24. Ratio est quia ubi non est receptum quoad leges onerosas, non videtur acceptatum quoad favorabiles, ut decisum refert Armendariz supra cum aliis.

VI. Quæ facultas absolvendi & dispensandi etiam competit Episcopis confirmatis, licet non consecratis, ita Cevedo *ad sextum*, collect. 4. numer. 3. Alzedo supra part. 2. cap. 6. num. 39. Guitier. de matrim. cap. 49. num 16. Sanchez eodem tract. lib. 8. disp. 2. num. Suarez tomo 5. disp. 42. sect. 1. num. 7. M. Alterius, Filiucius, Aloysius Riccius, Bossi. Trullench, Lucas Floronus de casibus reservatis, Hieronymus Pharomus de casib. reservatis, Barbosa supra part. 2. allegat. 39. num. 6. & alleg. 39. num. 2.

VII. Ex quo sequitur Episcopos posse uti hac facultate non tantùm in foro conscientiæ (ut infra patebit) & intra Diœcesim, sed etiam extra modò sint ejus subditi, & circa absentem, ita Fagundes præcepto 2. lib. 8. cap. 8. num. 35. Sanchez in præcepta decalogi lib. 2. cap. 11. num. 12. Suarez in 3. part. tomo 5. disput. 41. sect. 2. num. 10. & 12. Præpositus in 3. part. part. 1. de censuris in commun. dubio 14. num. 99. Bonacina supra disp. 7. quæst. 5. puncto 1. num. 4. Marchinus, Bossi, Emmanuel in summa, Barbosa, Diana resol. moral. part. 4. tract. 4. resolut. 96. Ratio prima est, quia ex dictis hæc facultas competit Episcopis electis & confirmatis, licet non consecratis, igitur possunt illâ uti extra sacramentum pœnitentiæ in subditos etiam absentes, & consequenter extra Diœcesim. Nec refert quod Concilium dicat in foro conscientiæ, & in Diœcesi suâ; nam verba illa non apponuntur in priori parte in quâ confertur potestas absolvendi & dispensandi in censuris. Igitur potest exerceri in subditos ab Episcopo absente, seu ab Episcopo existente in suâ Diœcesi circa subditum in alienâ Diœcesi existentem, & extrajudicialiter. Particulæ igitur in foro conscientiæ debent referri ad absolutionem à casibus reservatis, quæ in foro conscientiæ, & præsentibus subditis impendi debet, & ita decisum fuisse à Sacrâ Congregatione Cardinalium pluries refert Nicolaus Garcias de benefic. part. 11. cap 10. Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. resol. 445. Quoad absolutionem & dispensationem absenti concedendâ scribit Diana supra se cum viris doctissimis consuluisse cuidam Antistiti posse dispensare super quâdam irregularitate sui subditi, licet ipse Antistes esset in alienâ Diœcesi & subditus etiam esset absens. Aliter explicant particulas *forum conscientiæ*, Homobonus de examine Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 5. quæst. 31. Claudius Soleri de potestate confess. cap. 30 §. 1. Sanchez in summa tomo 1. lib. 2. cap. 11. & alii ab eo citati, Diana

part. 1. tract. 5. resol. 2. non intelligi forum sacramentale auditâ confessione: sed tantùm denotare, ut absolutio in foro externo non prosit, si contingat hæreticum, verbi gratiâ, in judicium deduci. Concluduntque posse Episcopum absolvere subditum verbi gratiâ ab hæresi modò non sit deducta in judicium, licet subditus sit absens, & extra Diœcesim, imò & ipse Episcopus: ita ut possit illum ab excommunicatione hæresis absolvere.

VIII. Potest Episcopus finito judicio suum subditum absolvere ab excommunicatione ob delictum deductum ad forum contentiosum, quando delinquens finito judicio punitus est, ita Avila part. 2. cap. 2. dubio 7, Sanchez in summa lib. 2. cap. 11. Reginaldus lib. 30, num. 29. contra Guitierez lib. 1. quæst. canon cap. 3. Rodriquez part. 1. cap. 168. Bonacina de dispensat. irregularitatis quæst. 7. puncto 1. num. 6. quæst. 1. Potest etiã Episcopus eum absolvere, qui in uno loco in quo aliàs morabatur commisit crimen publicum, & notorium Papæ reservatum, & postea se transtulit in alium locum, ubi delictum est occultum, ita Avila supra dubio 1. post secundam conclusionem, Sanchez loco citato. Et Scholares Parisiis, Lovanii, Coloniæ, &c. causâ studiorum commorantes possunt ab Episcopo Universitatum absolvi à delictis Papæ reservatis & in suâ Diœcesi commissis, notorièque publicis, modò in loco Universitatum sint occulta. Est contra hanc opinionem Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. puncto 2. existimat, sed centrariam probabiliorem tenet Suarez tomo 4. in part. 3. disp. 30. sect. 2. Qui tamen Bonacina supr. existimat ab Episcopo posse absolvere ab excommunicatione publicâ aliâ quacumque reservatâ Papæ Titium, qui habet impedimentum legitimum, ratione cujus nequit adire sedem Apostolicam: ut accidit, quando excommunicatus laboraret longâ infirmitate, etiam non periculosâ, vel senectute, vel paupertate, vel si persona excommunicata sit fœmina, vel impubes, aut alio simili impedimento laboraret, quod legitimum existimetur juxta viri prudentis judicium, cui suffragantur Vásquez de pœnitentiâ quæst. 91. art. 3. dubio 8. Coninck de pœnit. disp. 8. dubio 12. & de censuris disp. 14. dubio 16. Henriquez lib. 6. cap. 9. num. 7. Navarrus cap. 27. Avila part. 2. cap. 7. disput. 1. dubio 6. Reginaldus, Guitier. Ratio est quia Sedes Apostolica est benigna, nec præsumitur velle absolutionem reservare cum tanto incõmodo. Bonacina supra existimat uno ex dictis incommodis laborantem teneri mittere saltem epistolam ad Urbem, si commodè fieri potest pro absolutione obtinendâ, ut patet à simili in impedimentis matrimonii. Non enim est credibile quod Sedes Apostolica velit ab Episcopo absolutionem impendi, quando ad Sedẽ Apostolicam patet recursus per Procuratorem vel epistolam. Econtra Henriquez loco cit. & lib. 12. cap. 3. putat laborantem uno ex istis impedimentis non teneri. Imò addunt Henriquez & Avila citati excommunicatum excommunicatione publicâ Papæ reservatâ posse absolvi ab Episcopo, quamvis possit adire Legatum, vel alium habentem privilegium absolvendi. Sed hæc opinio non placet Navarro loco citato, Bonacinæ supr. Coninck disp. 14. dubio 16. numer. 242. Cordubæ quæst. 18. Et probant à simili de impedimentis matrimonii. Insuper addit Avila, quem sequitur Navarrus, Reginaldus lib. 1. numer. 135. Henriquez de pœnitent. lib. 6. cap. 16. num. 1. & cap. 9. num. 7. & cap. 30. Gutierez de matrimon. cap. 18. posse Episcopum in prædictis casibus absolvere, quamvis in sententiâ reservationis dicatur neminem posse ab eâ absolvi, præterquàm in articulo mortis. Et probant à simili de excommunicatione contractâ per Clerici percussionem. Potest etiam Episcopus absolvere ab excommunicationibus Papæ reservatis vagabundos, peregrinos, scholasticos, mercatores, qui in ejus Diœcesi reperiuntur. Ratio est, quia qui ad Sacramentum Confessionis & Eucharistiæ subjiciuntur Episcopo, in cujus Diœcesi

reperiuntur

reperiuntur ex generali Ecclesiæ consuetudine, vel ex interpretativâ voluntate Papæ. Igitur sunt illi subditi quoad absolutionem excommunicationis, quæ necessaria est ante peccatorum absolutionem, ita censuit Sacra Congregatio Cardinalium apud Petrum Marzillam, cui subscribunt Zerola in praxi Episcop. part. 1. verbo *Vicarius*, §. 18. dubio 4. Sanchez in summa lib. 2. cap. 11. Suarez de pœnitent. disp. 30. sect. 2. Bonacina supra.

IX. Potest Episcopus absolvere eum, qui migravit ad aliam Diœcesim, & ibi aliquid perpetravit contra legem continentem excommunicationem latam ab Episcopo illius Diœcesis, modò censura lata sit per statutum, vel sententiam generalem. Ratio prima est, quia id videtur expressum in Concilio Tridentino his verbis. *Etiam sedi Apostolicæ reservatis.* Ex quibus verbis à fortiori colligitur concessam esse facultatem Episcopis absolvendi à casibus inferiorum Prælatorum. Ratio secunda est, quia usu videtur ita receptum. Usus autem & consuetudo solet conferre jurisdictionem, & est legitima legum interpres, quando dubitatur de mente legislatoris. Dixi, *modò sententia sit lata per statutum vel sententiam generalem.* Eo quod si sit lata per sententiam particularem absolutio impendi debet ab Episcopo, qui eam tulit, vel ejus superiore, vel successore, ita Bonacina supra num. 6. Suarez tomo 5. disp. 7. sect. 2. num. Hieronymus Lamas, Avila, Reginaldus, Coninck. Ratio est, quia jurisdictio ob causam inchoatam spectat ad illum qui excommunicavit, alioquin confunderentur jurisdictiones. Ratio secunda est, quia Episcopus virtute Concilii Tridentini potest suos subditos absolvere à censuris & casibus reservatis summo Pontifici, vel aliis Prælatis inferioribus, modò crimen sit occultum. At quando censura lata est per sententiam particularem, crimen non est occultum, sed publicum. Quod si extraneus migret ad aliam Diœcesim cum intentione non manendi ibi majori anni parte, non indiget absolutione illius Episcopi. Ratio est, nam extraneus, qui non intendit alicubi manere majore anni parte, non ligatur legibus illius loci, nec consequenter ligatur censuris, quæ imponuntur ob transgressionem legum, vel præceptorum, modò (ut dictum est) censura lata sit per statutum, vel sententiam generalem.

Archiepiscopus nequit absolvere XII.
subditos Suffraganeorum à censuris latis à Suffraganeis ita Bonacina supr. num. 7. Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. Ratio est quia non habet jurisdictionem in ipsos. Undè Archiepiscopus Florentinus non potest absolvere à censurâ latâ ab Episcopo Aretino, Archiepiscopus Colonienſis à censurâ latâ ab Episcopo Leodiensi, vel Osnaburgensi. Archiepiscopus Parisiensis à censurâ latâ ab Episcopo Aurelianensi, & ita de cæteris. Nisi primò sit facta appellatio ad Archiepiscopum, & cognitum sit de appellatione, & partes vocatæ fuerint. ita Suarez tom. 5. disp. 7. sect. 2. num. 2 §. Bonacina supra. Patet primò ex cap. *Venerabilibus*, § 1. de sentent. excommunic. in 6. Layman supra. Secundò ratione, quia superior apud quem fit appellatio, per appellationē acquirit jurisdictionem. Tertiò, quando Episcopus Suffraganeus malitiosè vel negligentet differt absolutionem, Bonacina citatus. Ratio est, quia tunc par est, ut Archiepiscopus illum absolvat. Quartò, nisi tunc Archiepiscopus visitet Diœcesim, ita Covarruvias cap. *Alma mater*, part. 1. §. 2. Filiucius cap. 9. quæst. 5. Sylvester verbo *absolutio*, 2. num. 1. Avila, Sanchez, Bonacina, Henriquez, Suarez. Ratio est, quia tunc ratione officii habet ordinariam facultatem ad absolvendum. Ex his occurrit quæstio, an exempti, & immediatè subjecti Sedi Apostolicæ possint se subjicere Episcopo pro absolutione, affirmant Cardinalis Zabarella clement. 1. §. *prædictus*, tit. de Relig. dom. Fredericus Senens. consil. 14. Quos tacitè sequi videtur Navarrus consil. 13. vers. 2. *quod qui de pœnit.* Ratio est, quia si id eis non liceret inductum in favorem verteretur in odium. Secundò Episcopales Indulgentiæ possunt prodesse

exemplis, ut docent Bellarminus tract. de indulgentiis lib. 1, cap. 11. quæst. 3. vers. *quare cum iam*, Ludovicus Bologninus tract. de indulgent. num. 63. Paludanus in 4. distin. 20. quæst. 4. art. 3. conclus. 1. Joannes à Chokier Canonicus & Vicarius Generalis Leodiensis Erotem. indulgen. & jubilæi materiam concern. & Frater ejus Erasmus à Chokier de jurisdictione ordinarii in exemptos part. 4. quæst. 58. num, 5. Quibus favent Navarrus de indulgentiis notab. 31. num. 11. vers. *addo septimo*, Sanctarellus de jubilæo, dubio 2. littera K. Alzedo part. 2. cap. 3. numer. 31. Et probatur ex l. *quod favor*, C. *de legibus* C. *quod ob gratiam*, de regulis juris in 6. l. *legata inutiliter*, ff. *de legatis*, imò posse concedere indulgentias Religiosis juxta suam facultatem, sustinent Paludanus in 4. dist. 20. quæst 4. numer. 4. Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 88. num. 27 post Bonacinam, Lavorium, Sanctarellū, Reginaldum. Nec omninò verum est quod exempti in omnibus habeantur pro extraneis; nam ipsi certò modo subjiciuntur ordinariis, ut notavit Bellarminus supra quæst. 3 vers. *quare* Joannes à Chokier, & frater ejus Erasmus à Chokier part. 4 quæst. 58. & alii. Nihilominus Episcopos non posse absolvere exemptos ac immediatè subjectos Sedi Apostolicæ docēt Abbas cap. *significasti*, num. 11. vers. *his tamen nonobstantibus*, de foro compet. Felinus in cap. *pastoralis*, num 10. de officio Ordin. Erasmus a Chokier supr. part. 2, quæst. 7. numer. 12. Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. num. 2. Probatur primò ex cap. *reprehensibilis*, de appell. cap. *quanto*, vers. *si Prælati*, de officio ordin. quia (inquit Glossa) *Correctio Monachi primo loco ad Abbatem spectat*. Secundò ratione, quia per exemptionem aliquis efficitur non subditus, quia eripitur ab ordinario, & subjicitur Papæ cap. *si papa*, de privileg. in 6. cap. penult. de officio ordin. Adeò ut (inquit Erasmus à Chokier part. 2. quæst. 50. num. 3.) definit habere potestatē præterquam in casibus specificè ei reservatis, cap. *frater noster*, 16. quæst. 1. Undè sequitur, ut non modò condemnare nequeat, sed nec absolvere. Et l. *nemo qui*, ff. *de regulis iuris*. Ratio secunda, quia prohibita est exemptis prorogatio fori contentiosi ex Abbate cap. *significasti*, numer. 11. Apost. in verbo *ut exemptus*, Chokier supra & quæst. 7. qui ad rationem oppositam respondet quæst. 50. num. 3. exemptiones non esse simpliciter concessas in favorem exemptorum; sed etiam in favorem Sedis Apostolicæ, cujus interest ut habeat multos exemptos à jurisdictione ordinariâ, sibique immediatè subditos. Probatque ex clement. *pastoralis*, C. *de re judic.* Rebuffo respons. 142. Dixi lib. 1. quæst. 1. num. 17. Abbat. num. 11. vers. *Et per hoc solvitur alia ratio opposita*, Dixi *immediatè subjecti*, quia (inquit Layman supra) si regulares non sint exempti possunt ab injustâ Prælati sententiâ appellare ad Episcopum, ita Abbas cap. *reprehensibilis*. Quamvis Provincialis possit absolvere eum qui à Priore, vel Guardiano fuit excommunicatus, sicut causam ab inferiore Prælato inchoatam ad se avocare, ex Suare disp. 7. sect. 2. num. 18. Sylvestro verbo *absolutio*, 2. Avila part. 2. cap. 7. disp. 1. dubio 11. Layman supra. Quamvis Legatus Sedis Apostolicæ sit aliquo modo superior Episcopi, tamen in ordine ad causas subditorum non est. Ratio est, quia in primâ instantiâ coram Episcopo debent terminari, ita Layman supra, qui notat etiam statutum esse in cap. *cùm ab Ecclesiarum*, de officio Ordinarii, ut Prælatus superior, puta Episcopus inferioris Prælati, verbi gratiâ Archidiaconi, vel Archipræsbyteri, cui ratione beneficii sui jurisdictio competit, sententiam non relaxet, nisi cum conscientiâ ejusdem & congruâ satisfactione reo impositâ. Tamen si relaxatio, seu absolutio aliter fiat, debet rata censeri licet illicita, ita glossa ibidem, Richardus in 4. dist. 18. art. 9. quæst. 1. Sylvester l. *supra est*, Covarruvias cap. *alma*, part. 1. §. 12. num. 3. Layman supra.

Episcopus vel alius superior Episcopalem jurisdictionem habens incidens in aliquam excommunicationē XI.

potest

potest alteri dare facultatem seipsum absolvendi. Ratio est, quia eodem modo differendum est in hac materiâ ac de legibus, de voto, de pœnitentiâ, de indulgentiis.

XII. Si spectemus naturam censuræ, potest Episcopus absolvere à censurâ invitum positivè, vel ignarum sublatâ contumaciâ propter quam ligatur, ita Reginaldus lib. 9. num. 36. Avila, Bonacina de absolutione censurarum disp. 1. quæst. 3. puncto 4. Filiucius cap. 10. quæst. 6. num. 311. Rodriquez cap. 83. Suarez disp. 7. sect. 7. Vasquez, Coninck, & alii. Ratio est, quemadmodum enim censura potest ferri in invitum, ita potest auferri ab invito. Primò dixi *si spectemus naturam censuræ*, fieri enim potest aliundè ut nequeat absolvi invitus. Nam habens facultatem ad absolvendum in sacramento pœnitentiæ non potest absolvere invitum, ut docent Filiucius & Suarez supra. Dixi secundò, *sublatâ contumaciâ*: quia stante contumaciâ, nisi adsit periculum quod fiet pejor & deterior. Undè Doctores docent hæreticum pertinacem in suâ hæresi non debere absolvi. Ratio est, quia potius graviorem pœnam meretur, quàm beneficium absolutionis. Imò (inquit Coninck) non potest validè absolvi nisi ab eo, qui tollere potest legem excommunicandi hæreticos. Ratio est, quia quamdiu lex durat semper pœnam infligit facienti contra legem.

XIII. Ut Episcopus absolvat ab excommunicatione non est necessaria certa verborum forma, ita Bonacina supra puncto 5. Ratio est, quia nullo jure illa necessitas probari potest, sed ad absolutionem ab excommunicatione & aliis censuris sufficiunt quæcumque verba prolata ore, vel scripta, quibus sufficienter absolutio exprimatur. Ita Covarruvias cap. *Alma mater*, §. 11. num. 6. & Filiucius tract. 11. cap. 10. quæst. 7. Sylvester verbo *absolutio*, num. 2. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 17. puncto 8. Suarez disp. 7. sect. 9. num. 2. vers. *circa priorem partem*, Salas de legibus disp. 20. sect. 1. num. 85. Coninck disput. 14. dubio 16. num. 202. & alii. Ratio est, quia cum absolutio fiat inter homines, debet fieri humano & sensibili modo, idest per signa externa, quia homo non scrutatur corda. Sufficiunt hæc verba ore prolata, vel scripta. *Te absolvo*. Potestque dari absolutio ab excommunicatione, & aliis censuris, iis verbis, quibus absolvuntur peccata, ita Bonacina supra num. 3. Ratio est, quia superior absolvens potest ex intentione uti iisdem verbis ad effectũ utrumque. Ut si his verbis *ego te absolvo*, intendat simul absolvere à peccatis & excommunicatione, tam etsi utraque absolutio sit simul tempore, nihilominus absolutio ab excoõmunicatione vel aliis censuris est prior naturâ. Porrò modus certior absolvendi est primò à censuris his verbis *absolvo te ab omnibus censuris et peccatis tuis*. Ex quibus sequitur Episcopum vel alios Prælatos inferiores Papâ non posse absolvere ab excommunicatione & aliis censuris per nutus & signa tantùm. Ita Filiucius cap. 10. quæst. 8. Bonacina supra num. 5. Suarez disp. 7. sect. 9. num. 13. Sanchez de matrimonio lib. 8. quæst. 4. num. 24. contra Salas de legibus disp. 20. sect. 9. num. 85. Probatur primò ex Glossâ Clement. ultim. de sentent. excommunicat. ex cap. *cùm desideres*, cap. *si aliquando*, de sentent. excommun. Secundò quia talia signa sunt valdè incerta. Tertiò Episcopus vel alii Prælati inferiores nequeunt mutare formam juris communis, sed tenentur illam servare. At forma juris cõmunis est, ut detur absolutio per verba vel scripturam. Addidi *inferiores summo Pontifice*, quia si Papa declararet se velle solo nutu vel facto absolvere, potest. Patet primò ex Clementinâ citatâ. Secundò quia absolutio excommunicationis, vel alterius censuræ non exigit essentialiter verba. Tertiò, quia Papa habet supremam potestatem absolvendi non servatâ formâ juris communis, ut docent Filiucius, Bonacina, Suarez, & alii. Nec in absolutione excommunicationis & alterius censuræ per se loquendo est necessaria expressio causæ ipsius censuræ, ita Suarez supra disp. 7. sect. 9. num. 6. Navarrus cap. 26.

num. 8. Bonacina supra numer. 7. Filiucius quæst. 7. num. 329. Undè non est opus dicere, ego te absolvo ab eâ excommunicatione, quam incurristi ob tale crimen. Ratio prima est, quia intentio absolventis fieri potest in aliquam censuram determinatam, licet non exprimatur causa ipsius censuræ. Secunda ratio est, quia expressio nullo jure præscribitur in absolutione. Dixi *per se loquendo*. Quia potest aliquando fieri, ut sit necessaria expressio causæ censuræ; ut cùm aliquis est illaqueatus pluribus censuris, & Episcopus vel alius Prælatus tantùm intendit unam auferre per absolutionem tunc exprimenda est causa censuræ, ut constet quæ tollatur. Quod Episcopus possit tollere unam censuram alterâ remanente, dicunt Filiucius cap. 10. quæst. 6. num. 327, Sayrus, Ugolinus, Reginaldus S. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 18. artic. 3. Valentia tomo 4. disput. 8. quæst. 17. puncto 8. Suarez disp. 7. sect. 9. Vasquez dubio 18. Coninck disp. 14. dubio 16. Ratio est quia censuræ non sunt necessariò connexæ. Sicut igitur una potest fieri ante aliam, ita & ferri potest. Quando Episcopus dat generalem absolutionem postulanti, absolvens ab unâ censurâ, non absolvit ab omnibus. Ita Bonacina supra puncto 6. post Suarem, Vasquez, & alios. Ratio est quia absolutio debet accommodari petitioni. Si igitur petitio est limitata, debet & absolutio limitari, præsertim si conferatur absolutio extra confessionem Sacramentalem. Nam in Sacramento Pœnitentiæ solet Confessarius ante Sacramentalem absolutionem præmittere generalem absolutionem censurarum in quantùm potest, & pœnitens indiget. Tunc licet pœnitens omiserit aliquam censuram ex oblivione absolvitur ab omnibus, si confessarius habeat facultatem absolvendi, & intendat omnes auferre.

XIV. Episcopus, vel alius superior habens jurisdictionem ordinariam potest extra confessionem absolvere ab excommunicatione & aliis censuris, ita Bonacina num. 7. Ratio prima est, potest extra confessionem ligare, igitur & absolvere. Secunda ratio, nullo jure probatur Episcopum astringi ad absolvendum in Sacramento Confessionis. Tertia ratio fundatur in praxi & usu. Delegatus autem debet absolvere juxta facultatem sibi collatam. Secùs in Jubilæis ubi absolutio à censuris tantùm datur in confessione Sacramentali; ut docent Filiucius tractat. 11. cap. 9. quæst. 8. Suarez disp. 7. sect. 5. Vasquez de excommunic. dubio 20. Bonacina supra puncto 6. ubi cum pluribus aliis docet posse pœnitentem absolvi ab excommunicatione, & aliis censuris ab eo Sacerdote qui habet facultatem absolvendi à censuris.

Episcopus vel alius habens pote- XV
stateam ordinariam absolvendi ab excommunicatione vel aliis censuris, potest validè absolvere pœnitentem qui nondum satisfecit parti læsæ, vel in bonis temporalibus, vel honore, vel famâ: quamvis antèa potuerit satisfacere, vel cautionem satisfaciendi exhibere. Ita Filiucius cap. 9. quæst. 2. Avila citato loco, dubio 9. Sylvester verbo *absolutio*, 3. Navarrus cap. 27. num. 37. Bonacina supra puncto 9. num. 1. Cajetanus verbo *absolutio*, cap. 4. & alii. Probatur ex cap. *Venerabilem*, §. *sanè*, de sentent. excommunicat. num. 6. Episcopus non habet jurisdictionem limitatam, idcoque potest illâ validè uti quoties voluerit, licet peccet absolvendo pœnitentem ante realem satisfactionem, quam facere potuerat. Quod si quis habeat facultatem delegatam, seu privilegium absolvendi illimitatum, seu non faciens mentionem partis satisfactę, si absolvat pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ, valida est absolutio, ita Filiucius supra, Navarrus citato loco, Avila citatus dubio 9. concl. 2. Bonacina supra num. 2. Emanuel Sa verbo *absolutio ab excommunicatione* num. 4. & alii asserentes in privilegiis subintelligi hanc conditionem *satisfactâ parte*, etsi in eâ non fiat mentio istius conditionis. Probatur primò, quia habens ordinariam potestatem absolvit validè, igitur & etiam habens facultatem delegatam absque limitatione validè absolvit,

quia

quia gerit vices ordinarii. Secundò, privilegium debet accipi prout verba sonant & significant, at verba significant auctoritatem absolvendi sine limitatione partis satisfactæ. Validè igitur absolvit, licet pœnitens parti non satisfecerit. Mendicantes nequeunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate, quia id prohibuit Alexander VII. sub pœnâ anathematis & in virtute sanctæ obedientiæ practicari.

CAPUT IV.

De absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici.

I. QUamvis in canone *si quis suadente*, cavetur *ut nullus Episcopus eum absolvere præsumat*, seu per alia verba percussio Clerici videatur Sedi Apostolicæ reservata, sunt tamen multi casus, in quibus Episcopus, vel Episcopalem potestatem habens potest absolvere ab excommunicatione ut docent Bonacina supra disput. 2. part. 4. puncto 5. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. num. 10. noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *Clericus*, num. 11. Primò quando percussio est levis, tunc potest Episcopus absolvere tam clericos, quàm laicos, ita Guitierez canon. lib. 1. cap. 5. numer. 11. Joannes Garcias, Julianus Vivianus, Sayrus de censuris, Carolus de Graffis Bonacina supra, Belletus, Sylvester verbo *absolutio*, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 4. num 2. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 10 Noster Lezana supra num. 12. Probatur ex cap. *de percutientibus*, de sentent. excommunicat. Ab eadem etiam percussione possunt Prælati Regulares suos subditos absolvere, qui se mutuò percusserunt. Probatur ex cap. *Monachi*, de sentent. excommun. & cap. *cùm illorum*, eodem tit. ubi id quod erat concessum præfato cap. *Monachi*, extenditur ad omnem percussionem, quæ non sit enormis, vel in Episcopum; vel Abbatem, ita Tamburinus de jure Abbatum tomo 2. disp. 14. quæst. 10. Lezana jam citatus qui addit etiam id fieri posse jure communi, ut patet ex cap. *pervenit*, Ratio est quia cum illo capite concessio data Episcopis, non sit privilegium, sed jus commune, ut animadvertit Layman supra num. 10. videtur etiam extendi ad præfatos regulares respectu suorum subditorum, cum habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ut idem Lezana docet tomo 1. cap. 18. num. 30. Quod si Religiosus unius Monasterii alium alterius Monasterii percutiat, debet ab utroque absolvi, ita Sylvester verbo *absolutio*, 5. num. 5. Lezana proximè citatus sivè illa monasteria sint ejusdem ordinis, sivè diversorum, ita Tamburinus supra numer. 4. Existimant Sylvester & Lezana jam citati, unum superiorem posse alteri suas vices committere quoad hoc. Ratio est quia habet potestatem ordinariam, quam alteri committere potest. Quod si percusserit sæcularem absolvendus est non à suo Prælato, sed ab Episcopo, Tamburinus supra numer. 3. Lezana citato loco numer. 12. Toletus lib. 1. cap. 31. num. 2. stando in jure communi: Secundùm privilegia religionum Prælati habent facultatem absolvendi suos subditos à casibus Papæ reservatis, de quibus differit noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 18. num. 36. nisi aliter ordinetur instatutis particularium Regularium.

II. Quoad excommunicationem, quæ incurritur percussione mediocri, potest absolvi ab Episcopo, primò quando Clerici vivunt collegialiter, & unus alterum percutit, ita Navarrus cap. 27. num, 91. Barbosa supra numer. 5. Squalente, Belletus, Bonacl supra quæst. 5. puncto 5. numer. 5. Sayrus cap. 28. Lezana supra num. 13. Et colligitur ex cap. *quoniam*, de vita & honestat. Cleric. Secundò absolvi potest si janitor vel ostiarius Principis causa sui officii vel arcendæ turbæ percutit Clericum, ita Toletus supra num. 3. Lezana citatus, Suarez

supra

supra num. 69. Navarrus numer. 91. Filiucius num. 39. Reginaldus numer. 251. Layman num. 10. Probatur ex cap. *si verò*, de sentent. excommunic.

III. Episcopus potest absolvere ab excommunicatione contractâ ob gravem vel enormem percussionem, primò pueros qui ante annos pubertatis scilicet 14. illam incurrerunt, cap. 1. cap. *quamvis*, de sentent. excommunic. Aloysius Riccius, Bossi, Bonacina sup. puncto 5. Filiucius, Suarez, Sayrus, Reginaldus, Molina, Barbosa supra num. 20. Ex nostris Corneio tomo 2. in 3. part. de excommunic. tract. 5. disp. 11. dubio 2. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *Clericus*, numer. 14. Ratio est quia aliquis mitius plectitur ob ætatis fragilitatem. Undè (inquiunt Molina disp. 59. Belletus, Barbosa) Clericos impuberes se invicem percutientes Episcopus tutè absolvit, etiamsi sint dolosi capaces, aliàs excusarentur ab excommunicatione (inquit Barbosa post Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta part. 2. lib. 1. cap. 3.) licet petant absolutionem postquam facti sunt puberes, ita Molina disp. 39. noster Corneio sup. Probatur ex cap. ultim. de sentent. excommunic. Imò multi apud Suarez num. 67. Molinam citatum censent juventutem esse causam sufficientem excusantem nè excommunicatus ad urbem accedat, & consequenter puberem posse absolvi ab Episcopo. Quam opinionem non improbat Bonacina, si itineratio juvenis sit periculosa attentâ conditione personæ, & aliarum circumstantiarum, & nisi pateat accessus ad Sedem Apostolicam per litteras.

IV. Potest Episcopus absolvere mulieres excommunicatas cujuscumque sint ætatis. Ita è nostris Corneio & Lezana citati. Quibus adde Bonacinam num. 3. Navarrum cap. 27. num. 88. Carolum de Graffis, Belletum, Hieronymum, Sayrum, Duardum, Barbosam supra num. 30. Molinam. Probatur ex cap. *mulieres*, cap. *ea noscitur*. Quod à fortiori intelligendum est de Monialibus cap. *de Monialibus*, ubi Doctores & Sylvester verbo *absolutio*, 4. num. 3. Belletus supra §. 3. num. 4. Barbosa num. 19. Lezana supra, qui etiam extendunt ad Moniales exemptas.

Potest etiam absolvere inopes, & ad tantam paupertatem redactos, ut nequeant pro absolutione obtinendâ ad urbem accedere, ita Carolus de Graffis effectu 9. num. 164. Bossi, Belletus, Barbosa supra num. 23. Hieronymus, Toletus & alii, & ante eos Hostiensis in cap. *quod de his*, num. 1. Abbas in cap. *ea noscitur*, num. 5. de sentent. excommun. qui resolvit id etiam intelligi de paupere non mendicante, sed ex suo artificio vivente. Quod enim per pauperes non tantùm intelligantur mendicantes ostiatim, sed etiam non habentes congruâ sustentationem, & qui spectato statu personæ & dignitatis videntur indigere, docent Menochius de arbitr. cap. 65. & de præsum. lib. 6. num. 25. Perez Surdus, Mascardus, Bartolus, Lara, Barbosa supra num. 24. & alii. Addit Surdus quæst. 9. num. 33. per pauperem etiam eum intelligi qui habet multas filias nubiles. Cæterùm quis pauper censendus sit, judicis discretioni committendum, qui attendere debet ad personam & circumstantiarum qualitatem, ita Farinacius in praxi crimin. quæst. 5. numer. 93. Menochius de arbitr. casu 65. & de præsumpt. lib. 6. quæst. 25. Mascardus, Perez, Seraphinus, Surdus, Barbosa supra, Gonzales, Scaccias, & alii plures apud Flores lib. 2. quæst. 21. Rebuffum privileg. 9. Cevedo part. 1. collect. 27. V.

VI. Habet etiam Episcopus potestatem absolvendi servos, qui sunt sub alterius potestate, ita ut Romam proficisci nequeant absque præjudicio domini, ita Carolus de Graffis effect. 9. Bonacina sup. n. 3. vers. *sextus*, Duardus, Bossi, Molina, Navarrus cap. 27. num. 33. Toletus, Corneio, Lezana supra. Probatur ex cap. *mulieres*, 6. de sentent. excommunic. Addit P. Lezana modò dominus non fuerit in culpâ læsionis, vel nisi læsio sit tam enormis, ut ad vitandum scandalum, vel tollendum exemplum mittendus sit ad Papam, cap. *relatum*, de sent. excommun.

Filii

V. Filii familias qui sunt sub potestate Patris & nequeunt accedere ad Pontificem absque Patris nocumento, ita Navarrus supra num. 88. Ex nostris Corneio, Lezana, & alii supra citati. Probatur ex cap. *mulieres*, eodem tit.

VI. Possunt ab Episcopo absolvi ægri seu valetudinarii si immineat periculum mortis, Sayrus cap. 28. num. 24. ex nostris Cornelo & Lezana. Probatur ex cap. *quod de his*, cap. *quamvis*, cap. *ea noscitur*. cap. *de cætero*, de sentent. excommunicationis. Imò quamvis etiam infirmitas sit temporalis, vel non immineat mortis discrimen, verbi gratiâ, in febre tertianâ, quartanâ, vel podagrâ, ita Abbas & Innocentius in cap. *quod de his*, Sylvester verbo *absolutio*, Sayrus, Carolus de Graffis, Bossi, Belletus Barbosa supra num. 25. Per infirmos & valetudinarios ii possunt intelligi, qui ex ex consilio Medicorum tales censentur, Bossi de triplici jubilæi privilegio sect. 4. casu 21. numer. 82. usque ad 116. Farinacius in praxi criminali part. 2. quæst. 76. num. 90. Menochius de arbitr. casu 60. Rolandus, Barbosa supra num. 26.

VII. Quoad senes omnes pariter conveniunt posse ab Episcopo absolvi, Sylvester verbo *absolutio*, 4. vers. *decimus*, Belletus, Sayrus, Carolus de Graffis, Bossi, Barbosa supra num. 27. Ex PP. nostris Lezana & Corneio. Probatur ex cap. *ea noscitur*, 12. de sentent. excommunic. ibi senes: licet (inquiunt citati Auctores) sint fortes ad ambulandum. Qui senes censendi sint pendet ex arbitrio judicis, ita Flaminius de resign. lib. 5. quæst. 6. num. 4. Menochius de arbitr. casu 59. & de præsumpt. lib. 6. quæst. 46. numer. 25. Barbosa num. 28. Opinantur Farinacius in praxi criminali part. 3. quæst. 92. num. 22. Thomas Aetius, Monteleon. Flaminius supra Eodem modo philosophandum esse de senibus ac de ægris. Farinacius suprá censet senem dici ab anno 50. perfecto. Vide de illis Pinedam in vitâ S. Joannis Baptistæ lib. 2. art. 1. cap. 9. §. 139. Stephanum Gratianum discept. foren. cap. 328. num. 1. Paleothum in speciali tract. de senect.

VIII. Si quis nequeat accedere ad Sedem Apostolicam absque gravi periculo vitæ in itinere, ita Bonacina supra puncto 5. num. 1. vers. *tertius*. Henriquez in summa lib. 6. de pœnitent. cap. 11. num. 5. Molin. Suarez tomo 4. disp. 30. sect. 3. Bellerus, Sayrus, Hieronymus Zambranus, Carolus de Graffis, Sanchez in præcepta decalogi lib. 2. cap. 13. num. 9. noster Corneio supra dubio 2. Probatur ex cap. *si quis suadente*, 17. quæst. 4. cap. *non dubium cognoscitur*, cap. *de cætero*, de sentent. excom. cap. *quod de his*, cap. *quamvis*.

IX. Potest etiam Episcopus eos absolvere, qui ob capitales inimicitias nequeunt accedere ad Romanum Pontificem, quamvis eas contraxerint ex suâ culpâ, ita Sayrus cap. 28. num. 30. Carolus de Graffis effectu 9 num. 158 Zambranus, Sanchez in præcepta decalog. tomo 1. lib. 2. cap. 13. num. 9. Bonacina supra num. 3. vers. *tertius*, Belletus, Barbosa in collect. num. 2. & de officio & potest. Episcopi part. 2. alleg. 41. num. 9. Toletus in summa lib. 5. cap. 8. vers. *quartò ista*, Bossi. Probatur ex cap. *de cætero*, ibi *capitales inimicitias*. Quid per capitales inimicitias sit accipiendum referunt Bartolus in l. 3. §. ult. ff. *de adimendis leg.* & l. *licet*, Ubi glossa verbo *capitales*, ff. de arbit. Flaminius de resignat. lib. 5. quæst. 3 num. 158. Cardosius in praxi judic. & advoc. verbo *inimicitiæ*, num. 1. & verbo *testis*, num. 15. Farinacius in praxi crimin. quæst. 59. & seq. Menochius de præsumpt. lib. 3. quæst. 37. Cardinalis Mantica de conject. ultimarum volunt. lib. 12. tit. 5. Franc. Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 15, Corneio, Lezana, & alii apud Barbosam alleg. 41.

X. Inter impedimenta justa non accedendi ad sedem Apostolicam recensetur cura animarum, ut si ex absentia Pastoris aliquod damnum ovibus eveniat, & vicarium idoneum substituere nequeat, ita Sayrus cap. 28. Molinâ tract. 3. disp. 64. num. 6. Barbosa supra num. 8. Ex nostris Lezana supra num. 14. Corneio. Probari potest ex cap. *nè pro dilatione*. de pœnit. & remiss. cap. *de cætero*, cap. *mulieres*.

Idem censendum putant præfati Corneio & Lezana de temporali domino ex cujus absentia Vassalli detrimentum patiantur. Pro hujus intelligentiâ Corneio consequenter animadvertit cum Navarro consil. 8. quod quamvis jura, ex quibus hæc impedimenta deducta sunt, faciant tantùm mentionem de absolutione ab excõmunicatione ob clerici percussionem, tamen esse generaliter admittenda de absolutione ab excõmunicatione. Ratio est, quia eadẽ ratio militat de omnibus. Secundò, idem Corneio post Henriquez lib. 9. de pœnit. cap. 9. n. 1. & lib. 7 de matr. cap. 3. n. 1. & Avilam apud Lezanã docent, quod qui ob aliquod ex his impedimentis nequit adire summum Pontificem, non tenetur mittere procuratorem, nec epistolam, nec ad legatum recurrere, sed tenetur immediatè adire Episcopũ, est contra Sayrum supra cap. 28. numer. 29. Tertiò Idem Corneio & Lezanã docent quod exceptis pueris, quando præfati absolvuntur ab Episcopo ob impedimentum ratione cujus nequeunt accedere ad Sedem Apostolicam, si impedimentum illud sit perpetuum, ut si sint senes, claudi, cæci, &c. tunc absolutio impenditur absque onere se præsentandi summo Pontifici. Quod si impedimentum sit temporale, ut febris, &c. absolutio impenditur cum præcepto & juramento comparendi coram Pontifice, quando illud impedimentum cessaverit. Ratio primæ partis est, quia frustra illud injungeretur onus, cui nunquam possent satisfacere. Ratio secundæ partis desumitur ex cap. *de cætero*, & cap. *quamvis*, de sent. excommunic. Undè Sylvester sup. verb. *absolutio*, 3. n. 16. Toletus lib. 1, cap. 31. n. 5. Navarrus cap. 26. n. 27. Corneio sup. n. 4, Lezana num. 15. Quod si non compareant cessante impedimento, non tantùm sunt perjuri, sed etiam incident in eandem sententiam excommunicationis. Hæc opinio fundatur in cap. *eos qui*, de sentent. excommunic. in 6. Præfati Corneio & Lezana notant post Navarrum, Cajetanum satis esse, si se præsentent Papæ per procuratorem. Denique Lezana concludit quod si percussio Clerici sit occulta, Episcopus potest omnes subditos absolvere licet non habeant impedimentum: nec tenentur accedere Romam. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6.

CAPUT V.

De absolutione ab Hæresi.

HÆreticus purè mentalis non incurrit excommunicationem nisi verbo, signo, vel facto aliquo suam hæresim mentalem prodat, ita Malderus 2. 2. quæst. 11. art. 1. membro 2. 3. & 4. Coninck de actib. supern. disp. 18. dubio 7. numer. 75. Becanus in summâ Theol. Lorca in 2. 2. quæst. 11. art. 2. Megala in 3. part. lib. 3. cap. 1. quæst. 1. num. 14. Sanchez in summa tomo 1. lib. 2. cap. 7. num. 8. Filiucius tomo 2. tract. 22. cap. 6. num. 152. Valerius in differentiis utriusque fori vers. *hæresis*, different. 2. num. 1. & 2. & alii. Per vocem, signum, vel factum externum intellige moraliter malum, ita Sanchez lib. 2 moral. cap. 9. Toletus lib. 1. cap. 19. Suarez de censuris, disp. 21. sect. 2. Vivaldus in explicat. bullæ cœnæ casu 1. Navarrus cap. 27. num. 55. Layman lib. 2 tract. 1. cap. 13. num. 1. Undè ad veram & formalem hæresim requiritur primò, ad incurrendam excommunicationem non sufficit tantùm materialis & objectiva hæresis, idest habere propositionem Catholicæ fidei & doctrinæ adversantẽ, & eam defendere ex invincibili vel vincibili ignorãtiâ, sed debet illam pertinaciter defendere, etiamsi accedat Ecclesiæ Catholicæ decisio contraria. Secundò debet hæresis mente concepta exprimi signo externo hæresim sufficienter significante & moraliter malo, imò & animo asserendi & profitendi, ita Corduba lib. 4. quæst. 13. circa 3. opus 1. 3. Azorius tomo 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 7. Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 7. & 17. Ratio est quia excommunicatio lata est ob externum hæresis peccatum, sed non est peccatum externum hæresis, nisi sit informatum ab internâ hæresi, dum quis eam interius asserere, I.

astruere, vel profiteri intendit. Undè is non incurrit excommunicationem, qui Lutheranam hæresim in animo occultè fovet, abstinet à Missæ Sacrificio, vel sacrâ Communione, corã Venerabili non flectit genu, nec caput denudat ex oblivione, vel alterâ justâ occasione, licet ex animo hæretico procedat, ita Layman supra num. 4. Potest autem incurrere excommunicationem si attentis circumstantiis personæ, loci, temporis, &c. talis amissio fiat, possit ejusmodi omissio censeri virtualis professio sectę hæreticæ. Ratio cur hæc omissio incurrat excommunicationem est, quia Ecclesia non judicat de occultis, nec illis imponit aliquam pœnam in foro externo, nisi aliquo externo à mente hæreticâ impetrato manifestetur, ita noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *hæresis*, num. 2. post Cajetanũ in summa, Sotum, Bannes.

III. Hæretici occulti seu purè & simpliciter mentales & intellectuales sunt, qui per evidentiam facti, sententiam judicis, vel propriam hæreticorũ confessionẽ in judicio, vel per testes probari nequeunt, seu notorii & publici non sunt, possunt non tantùm ab Episcopis quibus subsunt, sed etiam à quolibet Confessario per suum superiorem approbato, si pœniteant & confiteantur, ac à suâ hæresi sicut à quolibet alio peccato mortali absolvi, ita Cajetanus in summâ verbo *hæresis*, in fine, Petrus Arragonius 2. 2. quæst. 11. art. 3. Simancha de Catholicis instituț. tit. 42. numer. 11. Umbertus Locatus in opere judiciali sivè in praxi hæreticos verbo *hæreticus* num. 24. Lælius Zechius de casibus Episcopo reservatis circa casum ultimum num. 1, vers. *hinc est*, Diana part. 6. tract. 6. resol. 31. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 40. num. 5. Ratio prima est, quia hæresis non est reservata, nisi propter excommunicationem sibi annexam, sed occulta hæresis non habet annexam excommunicationem, nec meretur aliam pœnam fori externi (inquit noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *hæresis*, numer. 2.) Undè Simancha docet hæresim mentalem non indigere absolutione vel reconciliatione, sed sufficit eam Confessario approbato exponere, & ab eo absolutionem accipere. Ratio secunda est, quia ex dictis Ecclesia militans non ligat, nec judicat actus merè internos ac mentales, nec suâ jurisdictione illos prohibet, vel plectit juxta illa proverbia Theologica ab omnibus recepta. *Ecclesia non judicat de occultis*, | Item. *Non habent latentia peccata vindictam*. Item cum D. Thomâ. *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare*. Sed homo nequit judicare de interioribus & latentibus, sed dumtaxat de actibus exterioribus & apparentibus. Igitur quoad Ecclesiam militantem hæretici occulti non sunt excõmunicati quamvis coram Deo sint verè hæretici, ut docent D. Antonius in summa part. 3. tit. 24. cap. 4. Angelus de Clavasio in summa verbo *hæreticus*, numer. 2. Sylvester verbo *excommunicatio*, 7. numer. 3. & 4. Alphonsus à Castro de justâ hæreticorum punitione lib. 2. cap. 18. & de lege pœnali lib. 2. cap. fin. Covarruvias in regul. *peccatum*, part. 2. num. 7. Navarrus in manuali cap. 11. num. 17. & cap. 17. num. 56. & in cap. *cognationis*, de pœnitent. dist. 1. & in princip. de pœnitent. distinct. 5. num. 19. & 20. & in rubr. de judiciis num. 67. Rebuffus, Jacobus de Graffis, Petrus Paludanus, Cajetanus in summa verbo *hæresis*, & quæst. 11. art. 3. Armilla, Bonacina de censuris in Bullam Cœnæ, Valentia, & plures alii apud Barbosam supra num. 6. Dianam resol. moral. part. 4. resol. 24. Nec obstat textus in Clemen. 1. §. *verum quia*, ubi glossa verbo *eo ipso* de hæreticis, Panormitanus, Joannes Andræas, Felinus in cap. ult. de hæretic. Archidiaconus & Geminianus in cap. *huic etenim*, 49. dist. Joannes Vela de pœnis delictorum cap. 14. vers. *jure verò canonico*, Menochius de arbitr. cap. 160. num. 6. Roas, Cenedo, Albertinus, Torreblanca, Albertus Phyghius, & alii Casuistæ asserentes occultum hæreticum excommunicationem incurrere, fundantque suam opinionem, quia in Clementina 1. *Verum quia de hæreticis*,

excommunicantur Inquisitores & Judices fidei, qui odio, vel amore aliquid fecerunt contra reos non faciendo, vel aliquid omittendo, quod facere tenentur, & ex eo quod amor & odium sunt actus interiores, concludunt ob illos posse incurri excommunicationem. Respondēt Theologi Inquisitores non excommunicari ob solum odium vel amorem internum; sed per signa & actus exteriores manifestatum, & ita explicant alia jura. Notat Diana supr. contra Cajetanum in 2. 2. quæst. 94. art. 1. hæreticum purè externum, qui mente fidem non negat, non excommunicari, ac posse à Confessario absolvi in foro conscientiæ, licet Ecclesia præsumat illum esse hæreticum & excommunicatum. Id etiam animadvertunt Mercetus in in 3. part. D. Thomæ quæst. 69. art. 1. num. 4. Jacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ contr. 1. tract. 15. disput. 15. num. 11.

II. Quoad hæresim formalem mente conceptam, & voce externâ, & aliâvè actione, vel signo moraliter malo expressâ, non tamen deductam ad forum contentiosum non posse absolvi ab Episcopis, sed esse sedi Apost. reservatam habetur in primâ excōmunicatione Bullæ Cœnæ Domini, & ita resolvunt Navarrus in manuali cap. 27. num. 55. & 72, & consil. 15. de sentent. excommunic. aliàs 11. in novis, Toletus de instructione Sacerdotum in explic. Bullæ excomm. 14. Philiarchus part. 2. lib. 2. cap. 25. & lib. 4. cap. 22. & in Bullam Cœnæ cap. 2. vers. *etiam pretextu quarumvis facultatum*, num. 3. & alii apud Barbosam in collect. Doctorum in Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. & de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 40. num. 24. Sed contrariam opinionem tenent Emmanuel Sa verbo *Episcopus*, num. 37. Henriquez in summa, Fagundez, Fernandez, Anglez, Bannes, Emmanuel in summa, & in explicatione bullæ Cruciatæ, & tomo 1. quæst. regul. Liamas, Vela de pœnis, Arragonius. Nugnus, Vega in summa, Zerola, Antonius Genuensis in Bullam Cruciatæ, Corduba, Guitierez, Portellus, Petrus de Ledesma, Novarius, Granado, Amicus tomo 4. disp. 18. sect. 2. numer. 17. Sanctus, Bossi, qui omnes & alii docent Episcopum posse etiam absolvere ab hæresi occultâ & occultos hæreticos. Ratio est, quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilii Tridentini, quod quidem est necessarium, ut censeatur illi derogatum. Non enim censetur derogatum constitutioni seu decreto Concilii ob ejus gravitatem, nisi de eo fiat expressa & specialis mentio, ut patet ex cap. 8. ex parte de cap. 1. *Monach.* & ibi Glossa *nulla mentio*, cap. *nonnulli*, de rescriptis, ibi etiam Glossa in verbo *fecerunt mentionem*, item ibi Felinus num. 7. alii. Nec refert quod Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. contrarium declararunt. Respondet enim Fagundes de præceptis Ecclesiæ tract. 2. lib. 1. num. 32. & 33. & Sousa in Bullâ Cœnæ cap. 23. disp. 100. concl. 3. num. 7. declarationes illas Pontificias non exhiberi authenticas, cùmque res sit adeò gravis, & scientibus Pontificibus controversa, sanè deberent expressius aliqua speciali constitutione declarare. Undè Fagundes inhærens suæ opinioni subdit, quod si hæresis sit nota quinque vel sex hæreticis & complicibus adhuc dicetur occulta, & Episcopus poterit ab illâ absolvere. Præfati etiam Auctores censent in magnâ Civitate non esse publicam, si hæresis fuerit nota septem vel octo personis. Idem habet Portellus in addit. ad dub. regul. verbo *dispensare*, num. 9. Præterea Homobonus de examine Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 5. qnæst. 51. Claudius Soleri de potest. Confess. 30. §. 1. ex verbis numer. 6. Sanchez cap. 11. num. 13. & alii ab eo citati censerit Episcopum posse absolvere ab hæresi extra sacramentalem Confessionem. Quippè per illam particulam in foro conscientiæ, non debet accipi forum sacramentale audirâ confessione, sed solùm significat absolutionem in foro externo non prodesse, si contingat ut hæresis in judicium deducatur. Præterea Sanchez jam citatus num. 17. ait Episcopum posse absolvere subditum ab hæresi in absentiâ, quamvis talis subditus

sit

sit extra Diœcesim: imò licet Episcopus & subditus sint extra Diœcesim. Denique Vasquez in 2. 2. quæst. 11. art. 4. disp. 45. n. 11. probabiliter existimat Episcopum posse committere absolutionem alicui Confessario specialiter deputato ad eum casum hæresis. Id absolutè tenet Henriquez lib. 6. cap. 14. & in glossa litt. G. Sanchez tomo 1. lib. 2. cap. 11. & alii ab eo citati. Nec obstant verba Concili Tridentini. *Non eorum Vicariis sit permissum.* Stephanus Dalvin de potestate Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum cap. 28. vers. *ad tertiam*, ait esse intelligenda de Vicariis Generalibus.

IV. Aliter respondet noster Urbanus ab Ascensione in favorem Ecclesiæ Gallicanæ in suâ Theologiâ morali tract. 2. regul. 8. Posse non tantùm Religiosos in Galliâ absolvere à casibus in bullâ Cœnæ contentis, sed etiam quoslibet Sacerdotes approbatos & jurisdictionem habentes ab ordinariis, modò non sint aliàs reservati Episcopis, licet hæc exceptio non cõpetat Religiosis privilegiatis ad casus Episcopales. Hanc rationem affert, quia communi omnium opinione bulla Cœnæ non est recepta in Galliâ, imò tam acriter fuit ei repugnatũ à Statibus & Principibus Galliæ, ut Legati Apostolici qui missi fuerant ad eam promulgandam propriæ vitæ periculum incurrerint, honoris autem jacturam non evaserint, & citat Bochellum in decretis Ecclesiæ Gallicanæ lib. 2. tit. 16. cap. 2. in fine, ubi profert arrestum circa annum 1589. quo prohibetur ejus promulgatio, ostendens dictam Bullam adversari, & destruere privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. *Quidquid sit* (inquit) *sivè peccaverint, qui primùm noluerunt eam recipere, sivè non; fides sit penes Auctores. Constat nihilominus illam non obligare ipsos etiam Religiosos, in quantum restringit illa potestatem absolvendi circa seculares, quia nec ipsos seculares astringit, cùm ei repugnaverint, & Summus Pontifex id tolerare censeatur propter communem, quæ sæpè facit, ut quod reipsâ posset acceptari, fiat tamen impossibile moraliter si nimioperè repugnetur.* Consequenter scribit præfatam Bullam fuisse acceptatam à Religiosis Gallis, utpotè immediatam subjectionem Sedi Apostolicæ profitentibus. Quâ acceptatione à Gallis suppositâ tùm à Religiosis, tùm a sæcularibus, existimat probabiliter secundùm doctrinam Sanchis lib. 4. cap. 54. numer. 27. posse non tantùm Religiosos, & præcipuè Carmelitas (quibus concessa fuit potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ quamdiu sunt occulti per communicationem Concilii Tridentini capite *licet*,) sed etiã Episcopos. Quia ejusmodi casus occulti sunt in perpetuum annexi dignitati Episcopali, proindèque jure ordinario competunt Episcopis in perpetuum per constitutionem generalem Concilii Tridentini.

Urbanus ab Asc.

V. Quoad nostram Diœcesim Leodiensem constat ex Joanne Chapeauville in historiâ Pontificum Leodiensium tomo 3. in Ernesto Bavaro cap. 9. quod Joannes Franciscus Episcopus Vercellensis Nuncius Apostolicus Leodium appulsus Diœcesanam Synodum nomine Præsulis rebus bellicis distenti celebrarit, & in eâdem ante omnia Concilium Tridentinum promulgarit, lectis illius capitibus præcipuis quæ fidei doctrinam, morumque reformationem concernebant. Quod autem Episcopus Leodiensis, nonobstante Cœnæ Bullâ, usus fuerit potestate condemnandi hæreticos, eos absolvendi, & ad gremium Ecclesiæ Romanæ reducendi, sivè ut Legatus Sedis Apostolicæ, sivè per speciale privilegium ac indultum Apostolicum, patet ex eadem historiâ Leod. ex quâ tantùm quædam referam. Tempore Cardinalis Erardi à Marka Episc. Leodiensis narrat idem Chapeauvillus cap. 29. quod passim pullulabat Leodii hæresis præsertim Lutherana: Præsul convocatis Consulibus, Scabinis, Commissariis, totoque Civitatis Concilio, magnâ, quâ pollebat tum eloquentiâ, tum auctoritate, tandem effecit ut ex singulis Civitatis Parochiis boni aliquot Cives nominarentur, quibus unà cum Consulibus, Scabinis, Juratis, & Commissariis plena potestas daretur nor-

mam condendi juxta quàm in hæreticos statim inquiri, & remedium promptum afferri posset. Infra refert ab eo Prælule plurimos hæreseos labe infectos, & consequenter excommunicatos Ecclesiæ Romanæ incorporasse *In inquisitionibus factis deprehensi sunt plurimi Lutheranis dogmatibus imbuti, non viri tantùm, sed & mulieres omnis conditionis & ætatis. Erardus igitur adhibitis Theologiæ peritis, præsertim Carmelitis & Dominicanis multos ad veræ doctrinæ semitam reduxit, pertinaces flammis tradidit, quosdam patriâ ejecit, alios eruditi petentes, vel carceribus detinuit, vel ad scholas publicas certo illis præscripto tempore dimisit.* Chapeavillus. Gerardus Groesbekanus Cardinalis, & Episcopus Leodiensis suum zelum satis frequenter manifestavit. Primò vix inauguratus exhortationem ad cõventus Ordinum Patriæ Leodiensis habuit, eosque hortatus ad fidem Catholicam retinendam, ac hæreses propulsandas, & antiquam Catholicam & Romanam Religionem his in locis ab Apostolorum discipulis plantatam, & satam, ac per continuam Episcoporum successionẽ absque interruptione sartam, tectam, servatam, illibatamque fortiter & constanter retinendam; errores verò ac hæreses animarum pestes reiciendas, detestandasque adeò fœliciter quidem, ut uno omnes ore in majorum fide velle vivere & mori conclamarent ac profiterentur. Secundò, in excipiendo Cardinali Polo Henrici VIII. Regis Anglorum persecutionem fugiente. Tertiò, edicta varia contra Lutheranos publicando, eorumque hæresim absolutione in foro conscientiæ seu interiori, vel suppliciis in foro exteriori extinguendo. Eodem zelo hæresim infectatus est Serenissimus Ernestus ex augustissimâ Bavarorum stirpe oriundus, nam non post suam electionem adjecit animum ad coercendas clandestinas irrepentium undique hæreticorum machinationes, undè magnâ solemnitate publicari mandavit edictum contra hæreticos, aut eis consilium vel auxilium ferentes, eos ad sinum Ecclesiæ Romanę etiam per suum Vicariũ Leodiensem revocavit prævia abjuratione factâ, ut patet ex abjuratione Joannis Backs Pastoris Hasielensis apud Chapeavillie in Ernesto Bavaro cap. 12. *Indubitanter, atque ex animo credo & confiteor quidquid sacra Romana Ecclesia Magistra veritatis tenet, credit, docet, profitetur, & consequenter detestor & abjuro quidquid illius doctrinæ quoquo modo adversatur specialiter, de quibus diffamatus, suspectus, convictus (pro ut latâ sententiâ continetur, existo) subjiciens me humiliter pœnitentiæ per S. C. seu per ejus Vicarium præfatum pro meis multiplicibus culpis, quam cum Dei adjutorio promitto & juro fideliter adimpleturum subjiciens me relapsorum pœnis, si (quod Deus avertat) alicui in eo contentorum contravenero, sic credo, sic confiteor, sic juro, sic abjuro, sic me Deus adjuvet, & Sancti ejus.* Omitto insigne Athenæum Patrum Societatis, Nationis Anglicæ pro missionibus Anglicis fundatum ab Augustissimo Duce Bavariæ ad instantiam Serenissimi Episcopi Ferdinandi Bavari. Omitto nuper dimissis Coquinis erectum Monasterium Nobilium Anglicanarum in suburbio Aurotano sollicitudine & operâ Serenissimi Episcopi Maximiliani Henrici Bavari. Præfatam potestatem Episcopi Leodiensis pro absolutione ab hæresi maximè occultâ satis testatur experientia, testantur casus, quos sibi reservat Episcopus Leodiensis; quorum primus est absolutio ab hæresi. Vide Chapeaville, Layman de casibus reservatis.

VI. *His addo cum Layman in conclusionibus Canonicis de jurisdictione ordinariâ cap. 4. quod quoad Episcopos Germaniæ meminisse oportet quod Doctores uno ore aiunt, Casus Papales ob nimiam frequentiam, vel ob impedimentum adeundi Sedem Apostolicam fieri Episcopales. Constat autem cum quotidianâ frequentiâ eorum, qui ex hæresi Lutheranâ, Calvinianâ, Zuingliana, ad fidem Catholicam se recipiunt, & non ad forum judiciale, sed statim ad salutarẽ pœnitentiam, Catechismum, hæresis abjurationem, & reconciliationem adducuntur, junctum esse impedi-*

mentum

mentum ad eundi Pontificem ob loci distantiam, & varias alias causas. Quamobrem non solum expedit, sed etiam necessarium est tales in foro cōsciēntiæ. etiam notorios hæreticos absolvendi facultatem Episcopis in Germaniâ relinqui. Quare securitatis causâ à Sede Apostolicâ eam specialiter postulant, & facile impetrant. §. 74. hæc subjicit; Probabile est quod Episcopi Germaniæ, ubi cum Lutheranâ hæresi infamia juris conjuncta non est, cum Clerico in hæresim lapso, vel apud Helvetios in Zuinglianam, dispensare possint. Citatque Stephanum Aluinum Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. num. 12. & indicat Glossa §. de adulteriis contra Farinacium titul. quæst. 162. §. 5. Sanchez lib. 2. moral. cap. 25. post peractam pœnitentiam, ut ad ordines altiores, & ad beneficia Ecclesiastica promoveantur. Idem quoque dici potest, si Clericus Religionem professus à fide simul & ordine ad Lutheranos defecerit, post peractam pœnitentiam ab Episcopo absolvi, & dispensativè restitui posse. Etenim apostatam à Religione, qui exuto habitu excommunicationem incurrit, à Prælato Ordinario absolvi posse non pauci affirmant, ita Farinacius citatus quæst. 152. §. 4. num. 59. Tuschus littera A. conclus. 425. post Joannem Calderum. Quâ ratione dicunt Doctores Bartholus in l. 2. ff. de verb. significat. Angelus Aretinus institut. *de actionibus*, §. *omnium*, num. 3. Abbas cap. 2. numer. 5. §. *de adulteriis*, num. 10. Felinus num. 7. quod habens facultatem legitimandi spurios & incestuosos, legitimare possit natum ex incœstu & adulterio simul. Ratio est, quia appellatione simplicium in materiâ favorabili veniunt etiam mixta. Ita tamen, ut tantò gravior requiratur causa dispensationis cum tali criminoso, quantò gravior est difformitas pluriū criminum simul junctorum.

CAPUT VI.

De absolutione ab excommunicatione contractâ per duellum.

I. QUi in duello pugnant, campum dant, auxilium præstant excommunicationem incurrunt ex bullâ Pii IV. quæ incipit *ea quæ*, anno 1560. idibus Novembris apud Gambara de casibus reservatis cap. 7. num. 22. Filiucium tract. 15. num. 95. & num. 103. Ciarlinum in controversiis forensibus lib. 1. cap. 8. num. 4. & 2. Bonacinam disput. 2. quæst. 3. Item ex constitutione 13. quæ incipit ad tollendum anno 1582. Nonis Decembris, ubi pœnas à Pio IV. & Concilio Tridentino sess. 25. de reformatione cap. 19. extendit in eos omnes qui nō publicè quidem, privatim tamen ex condicto statuto tempore, & in loco convento monomachiam commiserunt, quamvis nulli patrini, vel socii ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæ provocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint. Extendit etiam contra Dominos locorum certamen ex condicto permittentes, vel non prohibentes quantùm in se fuerit: imò contra eos omnes, qui ejusmodi duellum fieri mandaverint, instigaverint, auxiliū, consilium, vel favorem dederint, vel subministraverint scienter equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia, aut de industriâ expectatores, socios sese quovis modo exhibuerint, etsi ii qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt impediti singulare certamen non inierunt, & per se ipsos non steterit quominus duellum committeretur. Denique ex Clemente VIII. in suâ constitutione 11. quæ incipit *illius vices*, datâ anno 1592. Ubi confirmat pœnas & excommunicationes suorum prædecessorum, easque extendit ad Imperatores, Reges, & alios quoscumque, qui non tantùm publicè, sed etiam privatim, abique

absque chartulis, litteris provocatoriis, vel patrinis singulare certamen inierint; vel si convenerint, ut non singuli cum singulis, seu bini, terni, aut plures hinc indè pugnent. Vide apud Stephanum Quarantam in summa bullarum, horum trium Pontificium sanctiones in verbo *duellum*, vocatur duellũ à Concil. Trid. sess. 25. de reformatione cap. 19. *Detestabilis usus fabricante Diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur.* Infra hanc duellum committentibus pœnam pronunciat. *Excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obstante etiam privilegio, seu pravâ consuetudine etiam immemorabili.* Videndi Cajetanus, Sylvester, Armilla & alii Summistæ verbo *duellum*, Antonius Massa, Galesius in suis particularibus tractatibus de duello num. 12. Antonius Peregrinus in simili tractatu, Navarrus consil. 1. & 2. de purgat. vulg. Petrus à Navarra de restit. tit. 1. lib. 2. cap. 3. numer. 280. Menochius illustr. cap. 49. num. 11. Jacobus de Graffis, Zerola, Galetus, Bobadilla, Emmanuel, Henriquez, Mairbus, Perez, Michael Salon, Martinus del Rio, Molina, Valerius Reginaldus, Ugolinus, Sanchez, Molfesius, Bonacina, Castro-Palao, Trullench, Layman, Barbosa, noster Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *duellum*, num. 12.

II. Episcopum posse absolvere à duello maximè occulto censent Rodriguez tomo 1. quæst. regul. quæst. 8. Henriquez lib. 7. cap. 26. Sanchez in summa lib. 2. cap. 36. & lib. 3. de matrimonio disp. 26. & lib. 5. distin. 35. Suarez de pœnitentia quæst 30. sect. 2. Peregrinus, Bonacina, & alii. Probatur ex privilegio illis concesso per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. Quod non videtur abrogatum per bullam Clementis VIII. quia hæc nullam facit mentionem facultatis concessæ Episcopis, vel Concilii Tridentini, quæ mentio videtur necessaria ut illud decretum revocatum censeatur. Nec (inquit Bonacina) clausula generalis revocatoria privilegiorum se extendit ad privilegia inserta corporis juris, ut ait glossa in l. 2. §. *legati*, ff. *de rer. vendit.* Si igitur duellum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum potest Episcopus absolvere. Secundò non est ratio cur Episcopus nequeat absolvere pœnitentem in hoc casu si superveniat justum impedimentum, quàm in aliis casibus absolveret, si superveniat ex dictis supra, & Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 4. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. puncto 2.

III. Imò Layman supra post Paulum Comitolum lib. 6. moral. quæstion. quæst. 17. Valerium Reginaldum, Vincentium Filiucium, docet Confessarios Ordinum Mendicantium vi suorum privilegiorum posse absolvere duello pugnantes, socios, & fautores eorum, sicuti ab aliis casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis ex declaratione Clementis VIII. quæ incipit *illius vices*, ex ceptis Confessariis tam regularibus, quàm sæcularibus in Italia extra Urbem degentibus, quibus denegata est per decretum Cõgregationis Cardinalium ex mandato Clementis VIII. editum apud Marantam in summa bullarii vers. *casus reservati*; potestas absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinariis locorum reservatis. Illis subscribit noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *duellum*, num. 13. & remittit Lectorem ad Naldum, Peirinis. Plura de duello apud Auctores citatos.

CAPUT VII.

De excommunicatione per homicidium contractâ.

I. EXcommunicationem incurrit, non tantùm qui voluntariè alterum interficit, sed etiam qui suo nomine patratum postea ratum habet, si Clericus sit occisus incurrit excommunicationem. Ita Layman lib. 3. tract. 3. cap. 4. Clarus sentent. §. *finali* quæst. 87. Mol. 2. tomo 3. Poster. disp. 728. Probatur primò ex cap. *cum quis*, de sentent. excommunicat. in 6. Deindè ex regulâ juris

in 6.

in 6. *Ratihabitionem retrotrahi & mandato non est dubium æquiparari.* Præterea excommunicatio est quoddam genus pœnæ per leges inflictæ, quam incurrit ratum habens homicidium perindè ac mandans.

II. A fortiori non tantùm qui commisit homicidium injustum, sed etiam qui fieri mandavit, secutumq; est homicidium propriè homicida est, & excommunicationi subjacet. Ita Gomez 3. resol. cap. 3. num. 29. Finel. casu 4. num. 21. Mol. membr. 3. arg. cap. *perniciosè* de pœnitent. distin. 1. Layman supra.

III. Ab excommunicatione pœnitentem ex homicidio voluntario injusto posse Episcopum absolvere tenent Joannes Chapeaville tractatu de casibus reservatis, Marchinus tractat. 1. part. 9. cap. 2. Gregorius Polachus in direct. confess. tract. de irregular. regul. 3. Novar. de jure novo, Joannes de la Cruz, Hieronymus Rodericus, Campanile, Vivaldus, Majolus, Covarruvias in Clementin. *si furiosus*, part. 1. §. 3. Navarrus cap. 27. & in rubric. de judic. num. 109. vers. *tertio*, Medina in summa part. 1. cap. 12. §. 12. Bannes 2. 2. quæst. 40. art. 2. dubio 4. Barbosa de officio & potestate Episcopi alleg. 39. num. 47. & aliis ab eo citatis. Ratio est, quia Cõcilium Tridentinum sess. 4. cap. 6. dat facultatem Episcopis absolvendi subditos à censuris provenientibus ex homicidio voluntario non deducto ad forum contentiosum.

CAPUT VIII.

De absolutione excommunicationis quæ incurritur per abortum.

I. XIstus V. in constitutione *effranatam*, anno 1588. excommunicationem latę sententiæ profert in eos, qui procurant abortum fœtus animati, aut porrigunt mulieribus, vel sumunt venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium vel consilium illis dant. Nec Gregorius XIV. Xisti successor in constitutione *Sedes Apostolica* anno 1591. Sixtinam sanctionem moderavit, vel innovavit quantùm ad hoc de fœtu animato, undè contrarium asserentes imperitos vocat, Quaranta verbo *abortus*, num. 4. Accipe ejus verba. *Quoad absolutionem à peccato, & excommunicationem ordinario in foro conscientiæ tantùm, quando non est fœtus animatus in totum tollitur constitutio Xisti V. & reducitur ad dispositionem juris communis, ut in cap. sicut, cap. si quis de homicidio, ubi glossa, Abbas, Felinus, & Doctor. text. in cap. quòd verò, & seq. 32. quæst 2. Covarruvias in Clementin. 2. si furiosus in 2. part. §. 3. de homicidio, & non facit irregularem.* Quæstra.

Circa quæ P. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *abortus*, num. 7. colligit primò ejusmodi excommunicationem ex vi constitutionis Xisti V. soli Papæ esse reservatam. Nunc autem propter constitutionem Gregorii XIV. non esse Papæ reservatam, sed Episcopis, ac quemlibet Confessarium sivè sæcularem, sivè regularem posse habere ab ordinario loci, ut ab illa absolvat. Accipe ejus verba. *Quilibet Præsbyter tam sæcularis, quàm cujusvis ordinis regularis ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci ordinarium deputatus plenam & liberam in foro conscientiæ tantum absolvendi habeat facultatem: Eandem prorsus, quam idem Xistus prædecessor sibi ac suis successoribus reservavit. Quo verò ad pœnas provocantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium vel consilium eis dantibus in pradictâ constitutione contentas, constitutionem prafatam in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac sacrorum canonum, & Concilii Tridentini dispositionem auctoritate Apostolicâ tenore præsentium tam quoad præterita, quàm quoad futura perpetuò reducimus; proindè ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.* Consule super hoc Portellum in dubiis regul. verbo *abortus*, num. 15. Hæc excommunicatio ita reservata est Episcopo, ut Confessarius approbatus II. Greg. 81

ab ordinario debeat ad hos casus specialiter deputari. Undè (inquit P. Lezana) qui solùm generaliter ab ordinario deputati sunt ad audiendas cõfessiones, non possunt ab his casibus absolvere, quia Gregorius XIV. specialem deputationem requirit, *specialiter per loci ordinarium deputatus*. Addit Portellus citatus & P. Lezana numer. 7. nullum Confessarium etiam regularem posse virtute privilegiorum regularibus concessorum absolvere ab hac excommunicatione. Ratio est, quia Pontifex requirit specialem deputationem Confessarii ab Ordinario. Secundò, quia (inquit Lezana citatus, & tomo 1. cap. 19. num. 17.) ex novo decreto Sacræ Congregationis Episcoporum & regularium sub Urbano VIII. Confessarii regulares nequeunt virtute quorumcumque privilegiorum absolvere ab ullo casu, quem ordinarius sibi reservavit. Undè hunc casum procurati abortus sibi reservavit Episcopus Leodiensis. Vide Chapeaville tractat. de casibus reservatis. Idem præstant passim alii Episcopi, ut notat Thesaurus in praxi parte 2. verbo *abortus procuratio*, cap. 1. §. 1.

III. Idem Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *abortus*, num. 8. Secundò colligit regulares utriusque sexus ejusmodi abortum procurantes, vel potiones sterilitatis porrigentes posse à suis Prælatis ab hac excommunicatione absolvi. Ratio prima fundatur in jure communi & doctrinâ, quàm tradit tomo 1. cap. 18. num. 30. Quam etiam refert Suarez tomo 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. & 9 quia Prælati regulares habent jurisdictionem quasi Episcopalem, igitur possunt absolvere suos subditos à censuris Papæ reservatis, quæ sunt in jure commissæ Episcopis. At ejusmodi excommunicatio videtur à Xisto V. reservata Papæ, sed commissa Episcopis à Gregorio XIV. eo ipso quod ipsius absolutionem permittit Confessario ab ipsis ad hos casus specialiter deputato. Secunda ratio colligitur ex mente ipsius Gregorii; cùm enim in constitutione Xisti fuisset frequenter facta mentio specialiter de regularibus, & postea idem Gregorius committat absolutionem hujus censuræ Confessario approbato ab ordinario loci. Per ordinarium debemus etiam interpretari superiorem regularem. Quamvis enim secundùm Eliuciũ tom. 1. tract. 8. cap. 10. Lezana tomo 1. quæst. reg. cap. 19. n. 19. & tomo 3. verbo *abortus*, num. 8. per nomen ordinarii loci regulariter nõ intelligatur Prælatus regularis; tamẽ in præsenti casu intelligi debet præcipuè quod cùm sedis Apostolicæ intentio semper esse credatur verbi gratiâ, ut religiosi quoad forum cõscientiæ suis superioribus subjiciantur, poterunt etiam regulares absolvi à suis Prælatis ab hac excommunicatione. Si post tempora Xisti V. & Gregorii XIV. habuerunt privilegia sic faciendi. Horum autem privilegium extat in casibus, quos ex decreto Clementis VIII. die 6. Maii anno 1593. Superiores regulares possunt sibi reservare, quorum quartus est. *Procuratio, auxilium, consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* Plura habet P. Lezana tomo 3. verbo *abortus* numer. 8. Nota tamen quod si effectus non sequatur non incurrit excommunicationem, ut patet ex verbis Xisti V. *Ad tale facinus committendum.* Quæ verbò regulariter intelligenda sunt cum effectu ipso, quem propriè significant. Quod si abortus procuratus sivè à regulari, sivè à sæculari erit, procuratio erit quidem enorme peccatum, non tamen advehet excommunicationem ut notat P. Lezanâ supra num. 9. post Portellum supra numer. 5. & 7. Naldum in summa verbo *abortus*, num. 5. Quomodo in masculis post quadraginta dies, & fœminis fœtus animetur post octoginta, vide Quarantam in summa bullarii verbo *abortus*, num. 5. Azorium tomo 3. lib. 2. cap. 4. Lezanam, Bonacinam de restit. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. puncto 7. numer. 4. Naldum Gambarupta, Lælium Zechium, de casibus reservatis, Trullench, Zachiam.

Secundùm P. Lezanam tomo 3. quæst. regul. verbo *abortus*, num. 11. IV. probabile mulierem prægnantem

non

non incurrere præfatam excommunicationem, quamvis gravissimè peccet, & in aliàs pœnas à Sixto designatas incidat. Ratio est, quamvis enim Xistus in primâ parte constitutionis contra perpetrantes tale crimen varias pœnas infligat: Nihilominus in secundâ parte, seu in his verbis *insuper ut immanissimi*, ubi pœnam excommunicationis imponit, nullam facit mentionem mulieris prægnantis, quæ proprium abortum procurat, fortè compatiendo fragilitati istius sexus. Licet in præfatâ primâ ejus parte sæpè mentionem faciat istius fœminæ prægnantis. Ex quibus concludit P. Lezana Papam noluisse pœnam excommunicationis ipsi inferre, sed solùm aliàs pœnas temporales. Nec refert quod in dictâ secundâ parte Xistus loquatur de fœminâ, sivè principali, sivè socià in dando medicamento, seu poculo pro abortu: respondet ex vi constitutionis Xistianæ prægnantem non incurrere præfatam excommunicationem. Sed Bonacinà disp. 2. de peccatis quæst. 1. puncto 4. num. 6. existimat contrarium probabilius & verius. Primò, quia usu receptum est. Secundò, quia textus loquitur, non tantùm de cooperantibus, at etiam de ipsismet mulieribus, quæ vel ut principales, vel ut sociæ sunt talis flagitii, per opem, consilium, & favorem, potionem, &c. Et consequenter jure optimo inflicta est talis excommunicatio contra mulieres prægnantes, & aliàs procurantes abortum fœtus animati.

V. P. Lezana inhærens suæ opinioni num. 12. docet quod quamvis mulier prægnans, cui ex judicio medicorum est necessarius abortus fœtus jam animati ad evitandam mortem, nequeat adhibere medicinas, pharmaca, vel venena directè tendentia in necem fœtus, cùm sit illicitum innocentem per se & directè occidere; tamen pharmaca quæ per se & directè sunt ordinata ad sanitatem ipsi tribuendam, quamvis per accidens ex eis timeatur occisio fœtus, non illicitum adhibere. Ratio est, quia cum ejusmodi mulier ex lege naturali habeat jus ad conservationem propriæ vitæ per media licita & ordinata ad ejusmodi finem, nullâ ratione negandum est id esse licitum, quamvis per accidens sequatur mors fœtus. Ratio prima est, quia licitum est innocentem occidere per accidens ad sui defensionem. Secunda si mulier prægnans à ferâ invadatur potest fugere cum periculo fœtus occidendi: Ita mulieri prægnanti venæ sectio, vel pharmacum purgativum præscribi potest licitè, sic (inquiunt Navarrus cap. 25. num. 62. Lessius lib. 2. cap. 9. dubio 10. Sanchez lib. 9. de matrimonio, Sayrus lib. 7. Clavis Regia, Filiucius, Layman lib. 3. de iustit. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 4 noster Lezana supra num. 12.) licet innocentem ad sui defensionem interimere. Tertia Ratio est, quia si occidatur est præter intentionem, imò cùm fœtus pendeat à vitâ & salute Matris, rarissimumque fit fœtum progigni post matris obitum, ideò si ad salutem matris procurandam phamacum porrigatur, secundariò ad fœtus salutem, quamvis illi noceat noceat secundò. Si tamen ex Sanchez, Layman, & Lezana citatis credatur matrē morituram non adhibito medicamento & fœtum in lucem edendū & baptisandum, non posset adhiberi etiam medicamento stante periculo maternæ mortis. Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vitâ spiritualis fœtus animati præferatur vitæ corporali ipsius matris, quamvis hic casus secundùm Sanchez vix sit possibilis. Vide plura de hâc materiâ & procurantium pœnis apud Sanchez, Villalobos in summa, Dianam tractat. 5, miscell. resol. part. 11. & alios. Qualiter hic casus sit reservatus Episcopo Leodiensi refert Chapeavillus de casibus reservatis tract. 2. cap. 9.

CAPUT VIII.

De enormitate manus illatæ in Parentes, & de ejus absolutione.

QUamvis percussio parentis non videatur secum advehere aliquam excommunicationem, tamen illud I.

crimen est tam enorme & ignominiosum, ut in ejus detestationem Episcopus maximè Leodiensis casibus sibi reservatis annumerarit. Et sanè si lib. 3. Regum cap. 22. vers. 24. *Sedecias filius Chanaana qui percussit Michæam in maxillam*, tantum crimen commisit, si Jeremias inter insignes Ignominias Christo inferendas refert Maxillæ percussionem Thren. cap. 3. vers. 30. *Dabit percutienti se maxillam.* Si Apostolus Paulus 1 Corinth. cap. 11. conqueratur sibi datum fuisse Angelum Satanæ qui se colaphizet, ut ex hoc inferamus heroicam eorum patientiam. Concludendum nobis est eos, qui parentes percutiunt detestabile crimẽ perpetrare. Id Deus meminisse videtur Exodi cap. 21. vers. 15 ubi proli percutienti patrem vel matrem non hæreditatis privationẽ minatur, ut text. in authent. *ut cum de appell. cognosc. §. causas*, coll. 8. Covarruvias in cap. *Rainutius*, Petrus Molignatus de just. tract. 2. disp. 176. vers. *prima est.* Non abscissionem manus, ut apud Cujacium lib. 7. cap. 16. Petrũ Fabrum lib. 3. semest. cap. 19. sed mortem. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam morte moriatur.* Nec mirum, si enim Noë experrectus audiens se irrisum fuisse à nepote Cham maledictionem vilissimæ servitutis in pœnam imprecatus est, seu prophetica voce illi denunciavit Genesis cap. 9. vers. 24. *Maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis.* Si ex Senecâ libr. 9. controversiarum, controvers. 4. juxta l. *sacrilego præcidatur manus.* Vel alienæ domus destructori juxta ordinationem Justiniani Novellâ 137. cap 134. & in novo jure passim, qui alterius arundineto, aut vineæ sæpius ignem immisisset manus cauterio & stigmate signabatur l. *Rustica*, l. 11. de incend. §. 4. 5. 6. Si adulteris & Mœchis, & similis farinæ hominibus in naturæ opprobrium pœnâ castrationis infligebatur ab Ægyptiis apud Diodorum Siculum lib. 1. cap. 2. Horatium libr. 1. epist. 15. & lib. 1. sermonum sat. 2. Plautum in Pœnulo act. 4. act 4. sc. 2. Terentium in Eunucho, Martialem lib. 2. epigram. 60. Valerium Maximum lib. 6. cap. 1, Lampridium in in Heliogab. Si lib. Proverb. cap. 19. vers. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem ignominiosus est.* Abenesra. *Qui patrem aboleri jubet, & effugere matrem curat, hic filius est ignominiosus.* Rabbi Salomon. *Qui perdit patrem, matremq; fugat iis ignominiam inurit, improbumq; terit iter.* Rabbi Levi. *Ignominiâ probrisq; progenitores suos afficiens &c.* Vatablus. *Qui diripit patrem, & matrem fugat est filius pudore & probro afficiens.* Tigurina. *Qui patri damnum dat & matrem expellit dedecorosus est filius & ignominiosus.* Chaldæus. *Qui deridet patrem & fugat matrem filius est ignominiosus, & confusione dignus.* Septuaginta. *Qui inhonorat patrem & fugat matrem suam confundetur, & exprobabilis erit.* Uno verbo qui parentes despicit, eos probris & injuriis afficit, & quasi pedibus proterit ac conculcat infœlix est, & erit, dehonestatioque parentum futurum infœlicitatis est præsagium. Ratio est, quia (inquit auctor catenæ Græcæ) talis filius se naturæ hostem, omnisque honestatis palam inimicum ostendit. Idem Sapiens Proverb. cap. 30. vers. 17 *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de torrentibus & comedant eum filii aquilæ.* Hebræus pro *subsannat* habet *irridet*, & sivè ore, & sivè linguâ balbutiendo, sivè linguam extendendo, sivè oculis annictando, sivè alio modo & gestu contemnendo, vel insultando merentur à corvis lacerari & exoculari, juxta suam indolem. De quâ Catullus. (*corvus*, Catullus.

Effossos oculos voret atro gutture
Intestina canes, cætera membra lupo.

Vel quia corvi in pullos, & pulli in parentes inhumani sunt. De quibus sanctus Gregorius lib. 30 moral. cap. 8. §. Greg. *Corvus editis pullis (ut fertur) escam planè præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant, eosq; inediâ affici patitur quoadusque in illos per pennarũ nigredinem sua similitudo videatur.* Cui arridens Ælianus lib. 2. cap. 49. docet corvos à pullis in senio deferri, & fame cõfici. Vel quia (inquit Hieronymus) corvus est *ales teterrima*, Ideft fœda, ferax, atra, rapacissima, in-

fausta

fausta. Quasi Sapiens diceret, cùm filii irridentes, deserentes suos parentes similes sint corvis, ab illis exoculari merentur. Cur Sapiens consequenter ait. *Et comedant eum filii aquilæ.* Tradunt Rabbi Salomon, Abenesra, & alii pullos aquilarum esse pios in parentes, respondet Cornelius justè filios, qui parentes subsannant tradi devorandos à piis illis avibus, ut eorum impietas vindicetur. Vel secundum Aristotelem lib. 1. de historiâ animalium cap. 31. & lib. 9. cap. 32. quia sunt aliquæ aquilæ in parentes inhumanæ & sævæ. Ex hoc textu Scripturæ Meroëus regni paterni nimis avidus intonsus fuit & monasterio inclusus. Undè Gregorius Turonensis lib. 5. historiæ Franciæ cap. 14. scribit *Meroeus de patre atque Noverca multa crimina loquebatur, qua cum ex parte vera essent credo acceptum fuisse Deo, ut hæc per filiũ vulgarentur, sicut in sequentibus cognovit. Quadam enim die ad convivium eius accitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi. Ego verò reserato Salomonis libro, versiculum, qui primus occurrit arripui, qui hæc cõtinebat, Oculum qui subsannat patrẽ, & qui despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de convallibus. Illo quoque non intelligente consideravi hunc versiculum à Domino præparatum.* Hæc Gregorius ex quo contemptu deducit infœlicem Meroæi exitum. Nam à patre velut corvus à corvo oculorum luce ac vitâ est orbatus, ut refert Paulus Æmilius in vitâ Chilperici. Gregor. Turon.

II. Si subsannans & irridens patrem tantum supplicium ex ipso Spiritus sancti dictamine meretur, non mirum si in percussorem parentum pœnam capitalem Deus præscribat, cum piaculum illud sit quodammodo contra jus naturale. Animantia enim ferè cuncta (exceptis quibusdam jam à nobis relatis) naturali quodam instinctu parentes juvant, non irrident, sed arrident; non contemnunt, sed colunt, & teste S. Ambrosio in Hexameron Ciconiæ parentes senio confectos ac plumis nudatos tegunt, fovent alis, suis prædis alunt ac nutriũt, idemque pietatis officium à cornicibus exhibetur erga seniores. Apes quoque matres adjuvant tum in operibus, tum in fœtu. Noster Joannes Boets Doctor Lovaniensis qui obiit anno 1476. debitam filiorum erga parentes curam probat etiam non tantùm per scripturam, sed etiam per naturam, rationem, & exemplum. Per naturam quidem, de gliribus (inquit) quod parentes senio confectos solet nutrire & eisdem victualia ministrare. De falconibus circa quendam falconem antiquissimum multitudo aliorum juniorum fuit reperta, quæ illi antiquo cibaria intulerant, & qui omni die cibis recentibus nutriebant. Item in arboribus videmus quod rami, qui continuò humorem hauriunt à radice, in forti hieme videntes radicem indigere humore, humorem proprium & folia tunc dimittunt. In quibus quidem à naturâ docemur quod nos, qui à radice, ideſt à parentibus humorem bonorum temporalium recepimus, & ipsos tali humore multoties depauperavimus debere vice reciprocâ quando instat hyems adversitatis & indigentiæ humorem nostrum ad ipsos nutriendum eis mittere, & foliis bonorum temporalium nos privare: hæc ille. Rationes & exempla videat Lector apud eundem circa 4. præceptum decalogi cap 7. Quibus attentis non immeritò Felinus in cap. *afferte*, numer. 2. de præsumptione ait, quod quando filius percutit patrem, nec ille pater, nec ille filius censendus est. Menochius lib. 3. quæst. 11. num. 5. idem pronunciat.

III. Non mirùm si Episcopi ejusmodi percussionem sibi reservent, non tantùm gravem, sed etiam levem. Sanctum Eliseum imitari videntur lib. 4. Regum cap. 2. vers. 23. fertur quod cum sanctus Propheta post raptum sancti Patris Eliæ ascenderet in Bethel. *Pueri parvi egressi sunt de Civitate, & illudebant ei dicentes, ascende calve, ascende calve. Qui cum respexisset eos, maledixit eis in nomine Domini, egressi sunt duo ursi de saltu & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Dilaniantur pueri ab ursis ob despectum prophetam advenam & viatorẽ.

Cur non ab Episcopis percussio non ore, sed manu, sed pede, sed baculo facta non reservabitur: cùm filius percutiendo patrem magis irreverenter se gerat, quàm pueri parvi irridendo calvitiem S. Elisei. De hac levi percussione Episcopo reservatâ scribunt Navarrus in manuali cap. 14. num. 12. vers. *quinto*, Filiucius part. 2. tract. 28. cap. 1. quæst. 8. numer. 17. Richardus in 3. sentent. dist. 37. Valerius Reginaldus, Trullench, Barbosa de officio & potest. Episc. Gambara de casibus reservatis fol. 211. num. 2. ubi num. 3. ait casum illum reservatum non extendi ad eos qui manus levant ad percutiendum, non tamen percutiunt. Ratio est quia nomine percussionis non intelligitur voluntas, & proxima dispositio ad percutiendum, sed effectus, seu actualis percussio, ita Trullech lib. 4. cap. 1. dub. 2, num. 5. Per parentes Navarrus in manuali cap. 14. num. 3. Lælius Zechius de casibus Episcop. reservatis circa casum 14. numer. 2. Gambara, Ferretus, Barbosa intelligunt patrem, matrem, avum, aviam, & alios ascendentes, à quibus naturaliter descendimus.

IV. Ab hoc casu Decianus tractat. criminali lib. 9. cap. 15. numer. 8. Farinacius in praxi crimin. quæst. 120. num. 176. Barbosa supra Petrus Platen excipiunt filium percutientem, vel occidentem patrem, qui contra fidem militaret. Ratio est quia potest illum interficere. Barbosa post Trullench, Decianum, Farinacium, Pereirâ. Excipiunt etiam filium, qui ad sui defensionem percuteret vel occideret patrem. Ratio est, quia tunc non censeretur parricida. Tertiò idem Barbosa, Farinacius quæst. 120. Judocus in pract. crimin. cap. 87. de parricidâ excipiunt furiosum qui patrem percuteret. Excipiunt quartò Decianus lib. 9. cap. 15. num. 2. & 35. Farinacius, Barbosa eum filium, qui percuteret, vel occideret patrem sine dolo. Ratio est, quia hic non plectitur ut parricida l. 1. ibi *omnivè dolo malo id factum erit*, ff. *ad l. Pompil.* de parricidio Decianus supra num. 138. scribit, quod in parricidio dolus non præsumitur. Quintò excipiunt Barbosa, Decianus, & Farinacius supra, filium qui occideret patrem suum, ignorans quod foret pater, nisi ignorantia esset crassa & supina.

CAPUT IX.

De absolutione ab excommunicatione latâ in exercentes artes magicas, veneficia, superstitiones, & alia ejusmodi.

QUàm odiosa ac injuriosa Deo sit superstitio, ac dæmonum invocatio innuit Sanctus Pater Elias lib. 4. Regum cap. 1. ubi mortem denunciat Regi Ochoziæ ægrotanti, eo quod de sanitate consuluerit Beelzebub, vers. 3, *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron. Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Id est, quia relicto Deo consuluisti Beelzebub Deum Muscarum, seu Dæmonem, Deus verus plectet te morte. Sic lib. 3. Deus permittit ut Achab telis confossus in prælio moriatur, quia consuluit pseudoprophetas Baal. *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel.* Cornelius. *Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri sagittam ex arcu jacientis. At respectu Dei non fuit casus, sed destinatus ictus. Deus enim per Angelos direxit hanc sagittam ut non aliũ feriret quàm impium Achab.* Sic lib. 1. Regum cap. 28. vers. 16. Saul occisus in prælio, eo quod consuluisset Pythonissam. Eodem libr. 1. Regum cap. 5. vers. 6. Superstitiosos Philistæos seu Azotios *Deus percussit in posteriore parte Natium*, ut significet eos non solùm in hâc vitâ, sed etiam in futurâ, non tantùm in suis corporibus, sed etiam in filiis suis & nepotibus plectendis. *Nonne* (inquit Petrus blesensis epist. 48.) *isti in posteriora percussi sunt, quorum finis interitus, quorum posteritas damnata est.* In hac

1 l. 3. Reg. c. 1. v. 3.

l. 3. Reg. 22. v. 34

P. Bles.

vitâ

vitâ iram suam temperat, sed in alterâ furorem suum effundet, Job cap. 35. vers. 15. *Non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valdè.* Septuaginta. *Non est visitans suum, nec cognovit delictum vehementer.* Ideſt enorme peccatum dignum suppliciis hic non afficit, cui arridens Salomon Proverb. cap. 10. vers. 13. *In labiis sapientis invenitur sapientia, & virga in dorso ejus qui indiget corde.* Beda, *Virga in dorso est vindicta in posterioribus, ideſt in sequenti vitâ.* Et ante illum S. Hieronymus, quibus subjicit. *Quàm benigna illa plaga famosa, quâ Philistæi in natibus feriebantur exprimit.* His & similibus scripturæ locis significat Deus quàm contumeliosus sibi sit recursus ad divinos, & aliarum artium diabolicarũ professores. Ecclesia ejus sponsa divinæ voluntatis interpres eos omnes excommunicationis mucrone percutit, ut patet ex cap. 1. 26. quæst. 5. *Si quis* (inquit) *ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut philacteriis usus fuerit, anathema sit.* cap. *aliquanti eadem causa.* Et Leo X. in bulla 7. quæ incipit *Supernâ dispositione, §.* 14. ait. *Et cùm secundùm leges civiles & sacrorum Canonum censuras, sortilegia per invocationem dæmonum, incantationes aut divinationes, superstitionesq; prohibita sint, statuimus, decernimus ac ordinamus, ut Clerici qui præmissis culpabiles reperti fuerint arbitrio Superiorum subeantur. Si verò non destiterint, disponantur atque in monasterium ad tempus arbitrio Superioris præfiniendum detrudantur, beneficiis & officiis Ecclesiasticis priventur. Laici verò utriusque sexus excommunicationis & aliis pœnis juris tam civilis quàm canonici subjaceant.* Ex quibus patet esse excommunicationem ipso jure latam, ut observant Suarez tomo 1. de religione libr. 2. de superstitione cap. 10. numer. 5. Martinus Delrio disquis. magic. lib. 4. cap. 2. quæst. 7. sect. 4. Valerius Reginaldus, Vivaldus contra Bonacinam de censuris extra bullam disput. 2. quæst. 2. puncto 38. Filiucium, Sanchez, Lessium, Azorium, Toletum asserentes hanc excommunicationem jure latam non extare, vel si aliquod jus possit afferri continens censuram eam non esse usu receptam. Quidquid sit in multis Diœcesibus est casus reservatus Episcopis, & inter casus quos Clemens VIII. permisit regularibus reservari. Pro quibus consule nostrum P. Lezanam quæst. regul. tomo 1. cap 18. num. 10 tomo 3. verbo *casus reservati regularium*, numer. 32. & tomo 4. verbo *veneficia.*

Job. c. 35 vers. 15.

Proverb. 10. v. 15

II. Ut præmissi canones melius intelligantur, explicandum est quid per Ariolos, incantatores, aruspices, philacteria, invocationem dæmonum, incantationes, divinationes, ac superstitiones intelligatur. De Ariolis, & Magis. Levitici cap. 19. vers. 31. *Non declinabis* (inquit Deus) *ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteris.* Per Magos alii legunt Pythones, qui dæmonem familiarem maximè ventriloquum habent, quia dæmon ex eorum ventre, quasi ex utre voce confusâ loquitur. Ariioli propriè vocantur qui ex victimis immolatis divinant Hujus artis inventor est quidam Teges, quem teste Lucano lib. 1. de bello civili, & Bocacio libr. 1. Genealogiâ Deorum ferunt de terrâ prosiliisse interarandum. Pro *Arcolis* Hebræus habet *Divinis.* Horum etiam meminit jus canonicum 34. quæst. 5. cap. *Episcopi.* Quantùm sint Deo abominabiles testatur Moyses Deuteronomii cap. 18. vers. 10. *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos scisciteur & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, nec quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.*

III. De incantationibus, incantantibus, & incantatoribus Exodi cap. 7. vers. 11. *Vocavit Pharao Sapientes & Maleficos & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter.* Vers. 22. *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Cap. 8. vers. 7. *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter*

liter. Vers. 18. *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis.* Isaiæ cap. 8. vers. 19. *Quærite à Pythonibus, & à divinis, qui stridunt in incantationibus suis.* Jeremiæ cap. 8. vers. 17. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* Psalm. 57. vers. 6. *Non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Deuteronomii cap. 18. vers. 11. *Nec incantator, &c.* Lib. 2. Paralipomenon cap. 25. vers. 6. *Habebit secum magos & incantatores.* Ecclesiastici cap. 12. vers. 13 *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso.* Isaiæ cap. 47. vers. 9. *Propter duritiã incantatorum tuorum.* Vers. 12. *Sta cum incantatoribus tuis.* Danielis cap. 15. vers. 11. *Propter multitudinem incantatorum.* Incantatorçs autem propriè sunt, qui artem verbis peragunt, 24. quæst. 4. *igitur*, qui quanta mala inferant audi Lucanum lib. 6.

Mens hausti nullâ sanie polluta veneni
Excantata perit.

Virgilius lib. 3. Georgicon.

Miscuerunt q herbas, & non innoxia verba.

Quas incantationes Ovidius lib. 9. Metamorph. vocat Hecateia.

Protinus horrendis infamia pabula succis (miscet.
Conterit, & tritis Hecateia carmina

Seneca in Medea, inter ejus venena enumerat incantationes.

Addit venenis verba non istis mimis Metuenda.

Non quod verba per se operentur, sed Dæmon ad illorum prolationem suas præstigias efficit.

IV. Augures etiam reprobat Deus Jeremiæ cap. 27. vers. 9. *Vos ergò nolite audire Prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis non servietis regi Babylonis.* Grammatici aiunt augurium esse quasi avigerium dictum, seu avigarium. Hoc augurium seu avium observatio triplex erat, aliud volatu, aliud cantu, aliud passu; ex quibus futurorum cognitio colligebatur. Augurium aliqui extendunt ad animalia quadrupedia, teste Sexto Pompeio apud Livium lib. 12. Ubi vocamus auguria sivè auspicia pedestria, ut apud Germanos ex equorum fremitu (inquit Tacitus lib. de moribus Germanorum) proprium gentis equorum quoque præsagia ac monitus experiri publicè aluntur iisdem nemoribus ac luci candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos ac Rex, vel Princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant, nec ulli auspicio major fides. Notat Lipsius eam superstitionem diu durasse. Plinius & alii multa etiam de lupino auspicio de quibus Tiraquellus, Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 3. multa recensent de Leone, Caprâ, Asino, Cane, Vulpe, Ariete, Mustelâ, & aliis. De his & aliarum rerum augurils Claudianus canit.

Nullusq; dies non triste minatur
Augurium quoties flaventia serta comarum (sanguo
Sponte cadit? quoties exsudat ab ubere
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injussáq; manu mirantia pectora tundunt
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt,
Ah vereor nè quid portendant omnia veri.

Vide plura apud Martinum Delrio disquisit. magic. lib. 3. & lib. 4. cap. 2. nostrum Joannem Boets in 1. præceptum cap. 5. littera E. Petrum Gregorium, Sanchez, Torreblanca, Antonium de Sousa, Trullench, Julium Cæsarem Bulenger, Jacobum de Grassis, Azorium, Leffium, Decianum.

De Philacteriis, seu philtris fertur quod passim fiant per cibum vel potum, quibus perceptis imaginatio perturbatur, humores concitantur, & totum corpus interius quasi flagrat, ita ut quis variis dæmonum tentationibus, ac veneris illecebris vexetur, & ad libidinem copulæ carnalis excitetur. Et si tunc maleficus amator accedat, & solitis artibus puellam instanter urgeat eam facilè illaqueabit. Frustra igitur quidam opinantur ejusmodi philacteria, seu philtra cogere voluntatem. Quod probant D. Thomas, D. Bonaventura, & Paludanus V.

in 4.

in 4. dist. 34, Spengerus Mallei part. 1. quæst. 7. Alphonsus à Castro lib. 1. de justâ hæretic. punitione, cap. 15. Michael Medina. Ex Canonistis, Angelus, Rosella, Graffius, Cajetanus, & alii Summistæ. Probatur primò, ex scripturâ, Nahum cap. 3. vers. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia.* Apud Riberam, & apud Baruch in epist. Jeremiæ fit mentio maleficii amatorii. Secundò, ex jure l. *eorum*, C. *de maleficiis, & matem.* ubi Constantinus Imperator ait. *Aut pudicos animas ad libidinē deflexisse intelliguntur.* Dicit *deflexisse*, non verò *coegisse*. Tertiò, probatur ex Patribus, Irenæo lib. 1. cap. 9, Hieronymo in vitâ S. Hilarionis, Gregorio Nazianz. orat. 129. in laudem S. Cypriani, Nicephoro lib. 5. cap. 27. Epiphanio tomo 2. lib. 1. contra hæreses Ebionitarum, S. Gregorio lib. 1. dialog. cap. 4. Niceta lib. 4. historiæ, qui omnes docent dæmones amoribus & amatoriis deservire. Et probant nonnulli Patres & Interpretes ex Oseæ cap. 4. vers. 12. *Spiritus fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.* Tertiò probant noster Joannes Boets in 1. præceptum Decalogi, & Martinus Delrius lib. 1. disquis. magic. part. 1. quæst. 3. sect. 1. variis exemplis. Probatur quartò ratione, multa sunt pharmaca quæ habent vim naturalem turbandi humores, irritandi semen, calefaciendi totum corpus, & quamvis ejusmodi res non invenirentur, potest dæmon rebus, quibus vult uti, ut signis conventis, deindè juxta pactum inducere in corpus per se turbationem, flatulentiam, pruritum, & calorem, & simul certæ personæ importunam suggestionem objicere imaginationi, quasi dignæ amari, & ita in hujus potius, quàm alterius amorem inducere, non cogere: quia nullam habet jurisdictionem in nostram libertatem humanam, nec eam cogere potest. Etsi fortiter moveat & corpus & animum, canit Ovidius:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis, (habent.
Philtra nocent animis, vimq; furoris

VI. De invocatione dæmonum, quædam difficultas est, notat noster Joannes Boets in 1. præceptum decalogi cap. 4. in manifesta dæmonis invocatione. Dæmones quandoque seipsos ingerunt ad agendum aliquid circa homines, vel ad decipiendum eos ex permissione tamen divinâ, ut patet in primis parentibus, ad quorum temperationem Deo permittente Dæmon se sponte ingessit. Quandoque aliqua agunt ab hominibus ad hoc illecti & invocati, quæ invocatio fit per aliqua verba, vel signa ex pacto cum dæmonibus inito tacito & expresso ad hoc instituta, & ordinata, quæ verba dum proferentur à Nigromanticis statim adest Dæmon ad agenda, quæ homo ei præceperit. Undè talis dæmonum invocatio pertinet ad artem Nigromantiæ. Quæstio est an invocatio dæmonis ad tentandum, verbi gratiâ, mulierem, sit sortilegium, vel sapiat hæresim, & sit sub excommunicatione prohibitum. Negant Scaccias de re judic. lib. 1. cap. num. 89. Pegna, Riccius, Ghirlandus, Joseph Sesse, Oldradus, Lucerna, Torreblanca, Genuensis, Locatus, Binsfeldius, Jacobus de Graffis, quos sequitur Barbosa parte 3. alleg. 51. num. 125. & alii communiter. Undè concludunt simplicē invocationem dæmonis absque cultu seu honore, vel mixturâ rerum, vel verborum sacrorum esse quidem malam, nō esse tamen sortilegium quod sapiat hæresim, maximè si fiat invocatio verbis imperativis, & non deprecativis, ad scienda vel obtinenda ea, quæ dæmon potest naturaliter scire & conferre, ut tentare pudicitiam mulieris, detegere thesaurum, scire partus futuros, in utero an fœtus formatus sit masculus vel fœmina, scire dictum vel factum præteritum, impedire nè ignis comburat filum, vel aliam rem projectam, transferre hominem vel rem aliam de loco ad locum, ligare sponsos, inferre morbos, producere cadaver hominis defuncti, per tempus aliquod restituere visum cœco non à naturâ, sed ab impedimento, quod ipse posset subtrahere, dare aliquarum rerum scientiam pur-

gando phantasmata, reddere sensibus facilè suarum functionum exercitium, inducere nubes, suscitare tempestates, & similia, quæ refert Torreblanca de magiâ lib. 3, cap. 8. sed cõtrariam opinionem tenet Diana tomo 4. tract. 7. de pœnis delictorum resol. 10. Ratio ejus est quia ridiculum existimat distinctionem allatam ab adversariis, scilicet invocationem per modum deprecationis dæmonis esse sortilegum, sapere hæresim, non verò factam per modum imperii. Quis es (inquit Diana) qui potes invocare illum, de quo Spiritus sanctus per Job asserit non esse potestatem in terra, quæ comparetur illi. Secundò, secundum Delrium disquisit. magic. lib 5. sect. 15. §. *dico quinto*, cum tibi sit interdictum omne commercium cum dæmone. Et ideò ex Raphaele de la Torre exigere à dæmone sponte occurrente consilium, favorem, aut quodvis genus officii, sive petitio sit invocanda, sivè imperanda sit habere quandam societatem cum dæmone. Concludit Diana suam opinionem esse veriorem, eamque confirmat auctoritate Michaelis Zavardi in direct. Theolog. part. 3. cap. 64. Bartholomæi Spina apolog. 4. contra Ponzinibium, Farinacii in tract. de hæresi quæst. 181. §. 3. num. 88. Homoboni de Bonis. Simanca hujus verba accipe tit. 30. num. 17. *Beatus Augustinus erroneum, ineptum, & ridiculum esse censet invocare dæmones per modum imperii, aut eis comminando præcipere. Non enim est potestas super terram sicut Iob dicit, qua comparetur ei. Cæterùm dæmones ut fatuos irrideant atque decipiant, fingunt se cogi, atque timere, sicut multis Parisiensium decretis declaratum est.* Et tit. 21. num. 13. sic ait. *Sunt, qui dicunt, non fore hæreticum eum, qui dæmonem invocaret ad tentandam pudicitiam alicujus mulieris, vel ad aliud faciendum, aut alienum à potestate dæmonis (Nam ut aiunt) si se dæmoni non subjiciat, nec hæresim misceat, cum non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus. Sed quamvis hæc ita sint, tamen adversus illum inquiri poterit, tanquam contra vehementer suspectum: ea enim ad apostasiam & infidelitatem pertinent.* Hæc Simanca. Alterutram opinionem Lector amplectatur si voluerit, certum enim est ejusmodi invocationes non carere censurâ, sicut nec incantationes, philacteria, auguria, seu aruspicia.

Simanca.

De sortilegiis non est etiam difficultas, nam non differunt specie ab incantationibus, sicut nec veneficia (de quibus infra) sed tantùm ex parte materiæ, seu modi, quo fiunt. Nam conveniunt in formali malitiâ, quia fiunt instigante, vel pascisente diabolo, & in eo discrepant; quod veneficio applicentur res naturales inefficaces ad aliquem effectum non utendo aliquibus verbis vel ritibus: incantationibus adhibeantur verba inutilia vel inefficacia respectu talis effectus absque applicatione alicujus rei. In sortilegio mittuntur sortes vel aliquid æquivalens, ad cognoscendum secretum præteritum vel futurum; adeò ut semper in his rebus dæmon concurrat, ut docent Graffis de casibus reservatis, in hoc casu, Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *veneficia* num. 2. Bordonus, Portellus, specialiter de sortilegiis. Vide tit. de sortilegus in decretalibus, & cap. *non observatis*, 16 quæst. 7. Summistas verbo *sortilegium*, Cardosium, Torreblanca, Azorium, Martinum Delrio, Petrum Gregorium, Petrum Grilandum, Sanchez, Raphaelem de la Torre, Lessium, Horatium Cavalcanum, Farinacium, Marcellum Vulpe, Josephum vela, Antonium Sousa, Michaelem Agia, Emmanuelem de Moura, Sigismundum Scacciam, Petrum Caball, Laurentium Franchis, qui cum aliis citat constitut. Gregor. XV. contra committentes maleficia, & sortilegia datam 1623. May 20. quæ incipit *Omnipotentis Dei*. Notat Lezana tomo 4. verbo *veneficia*, numer. 9. Sortilegium divisorium quo sortientes investigant quid cuique est tribuendum in electionibus controversiis, &c. non esse illicitum, nec consultatorium, quo divina voluntas exquiritur de virorum prudentium consilio: sed divinatorum, quo quidam utuntur ad occulta cognoscenda. Ut si sic vel aliter taxilli vel chartæ

VII.

decidant

decidant, conjicitur fœlix vel infœlix casus. Vel cùm diversa nomina immittuntur in urnam, ut conjiciatur furtum esse penes illum, cujus nomen educitur.

VIII. Superstitio secundùm Navarrum in manuali cap. 11. num. 22. Lessium de justitia & jure lib. 2. cap. 43. dubio 1. Toletum in summa lib. 4. & alios, est vana seu falsa religio, aut cultus alicui indebitè concessus. Sunt illius quatuor species, prima indebitus cultus Deo vero exhibitus. Secunda, idololatria. Tertia, divinatio. Quarta, vana observatio. Ita Sayrus in clavi regia lib. 4. cap. 4. Navarrus, Bordonus. Vana verò observatio est procuratio alicujus effectus adhibitis mediis inutilibus, & à Deo minimè constitutis, ope dæmonis tacitè, vel explicitè invocati, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. & 2. Toletus, Sanchez lib. 2. in decal. cap. 40. & alii, quæ superstitio ex declarationibus Pontificiis peccatū est maximè si adhibeantur res vel voces sacræ, seu ex sacrâ scriptura depromptæ cum aliquâ vanâ & inutili circumstantiâ, temporis, loci, situs corporei; vel tali modo & chartâ scriptâ. Ita Fagundez, Lezana, & Portellus. Vel si adhibeantur verba falsa; verbi gratiâ, quod Christus febricitarit, B. Virga passa fuerit dolores in partu. Idem dicendum si effectus secutus ex talibus rebus & verbis sit inutilis & vanus, verbi gratiâ, si ex eorum applicatione vel prolongatione moveatur cribrum, annulus, seu quid simile, ita Navarrus, Lezana, Fagundez, Portellus, licet id fiat ex joco. Idem dicendum est de iis qui habent pactū implicitum vel explicitum cum dæmone, auxilium ab eo expectando, vel illum colendo. Docent Fagundez supra num. 10. & Peirinis tomo 2. de Prælato, quæst. 3. cap. 2. §. 1. num. 38. Notat Lezana num. 8. post D. Thomam, Gersonem & alios Doctores circa verba & signa, & quælibet alia quę in superstitionibus adhibentur ad effectus improportionatos, quod quoties illæ res, seu voces applicatæ non habent virtutem supernaturalem, vel naturalē ex scripturâ vel revelatione respectu talis effectus sunt suspectæ de pacto expresso vel tacito cum dæmone. Notat tamen Portellus num. 12. post Victoriam, & Delrium effectus qui nobis videntur mirabiles non semper procedere à diabolo. Ratio est, quia possunt esse à causâ naturali nobis incognita, maximè per magiam naturalem, quæ cognitis secretis virtutibus rerum naturalium & illas immiscendo producit effectus naturales quidem, sed vulgò incognitos, quia secundùm Sanchez supra cap. 40. numer. 42. virtutes particulares rerum illarum communiter ignorantur. Plura de notitia specierum superstitionis & divinationis apud nostrum Joannem Boers in 1. & 4. præceptum decalogi, Toletum supra cap. 15. Sayrum, Sanchez, Portellum, Lessium. Notat noster Lezana supra num. 12. post Dianam part. 5. tract. 3. resol. 39. Valentiam, Delrium, Castro-Palao, & alios, in peccatis sortilegii, veneficii, & incantationis non dari parvitatem materiæ, cùm fundentur in tacitâ vel expressâ invocatione dæmonis: at in superstitione si attendamus materiam & media, quibus utuntur superstitiosi potest esse parvitas materiæ. Certum enim est, quod qui ad suas superstitiones exercendas abutuntur venerabili Sacramento Eucharistiæ, hæresim sapiant, incurrant excommunicationem Episcopo reservatam, ita Alphonsus à Castro de justâ hæreticorū punit lib. 1. cap. 13. Farinacius in praxi criminali quæst. 20. num. 83. & de hæresi quæst. 181. & probatur verbo *saperent*, in cap. *accusatus*, §. *sanè*, de hæreticis. Addit Diana part. 4. tract. 7. resol. 10. in fine, Marcus Antonius Genuensis, Aloysius Riccius, Scaccias, Antonius Sousa contra Ghirlandum de sortilegiis, Torre blancam, Umbertum Locatum, Raphaelem de la Torre, Farinacium. Sic abutentes Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento posse tradi Curiæ sæculari. Quædam hic dubia diluenda restant. Primum an possit caveri superstitio in imaginibus, vel scripturis sacris adhibendis, vel ad collum gerendis. Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 4. Clavis Regia lib. 4. cap. 8.

num. 6. & alii, posse abesse superstitionem. Primò, si non contineant aliquid falsi contra scripturam sacram, vel Ecclesiæ auctoritatem. Secundò, si iis nihil insit pertinens ad dæmonis invocationem. Tertiò, si non inscribantur nomina ignota, vel alii characteres præter signum Crucis. Quartò si non ponatur ipes in modò scribendi. Sic superstitiosum est dicere, quod Evangelium collo appensum debeat esse in chartâ virgineâ, vel tali tempore scribi. Quintum signum suggerunt Sylvester quæst. 10. Navarrus cap. 11. Clavis Regia lib. 4. cap. 6. Lessius lib. 2. cap. 43. dubio 10. Sanchez lib. 2. cap. 44. Suarez lib. 2. de religione cap. 15. de superstitione. Scilicet, si in ipsis hæc non adnotentur. Qui apud se tulerit, vel has preces recitaverit, tale malum evitabit, exempli gratiâ, non morietur in bello, vel in peccato, vel recuperabit valetudinem, aut amicitiam puellæ impetrabit. Hæc sapiunt superstitionem eo quod Deus nullis verbis effectum temporalem pollicitus est, cùmque bona temporalia sint non rarò nociva, Deus meritò illa nobis denegat, & ita superstitiosum est in talibus verbis, precibus & reliquis spem ponere.

IX. Ex quibus infero superstitionem esse, quâ quis etiam credit se adepturum scientiam, vel artem absque labore & studio per prolationem verborum ignotorum, figurarum inspectionem, orationes, & jejunia, & quidem esse peccatum mortale ex suo genere, docent Reginaldus lib. 17. num. 188. Sanchez num. 12, Delrius, Valentia, Bonacina. Ratio est; quia continet societatem tacitam cum dæmone. Tribuitur enim illi scilicet infusio scientiæ & artis. Infero secundò superstitionem seu artem notoriam, (quæ consistit vel in observatione sanitatum, vel eventuum cum tacitâ vel expressâ dæmonis invocatione) semel acquisitam esse licitam quo ad usum, modò conservatio & usus illius non dependeat à dæmone, ita Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 13. puncto 2. Sanchez in opere morali lib. 2. Suarez, Bonacina, Ratio est, quia notitia, seu scientia ex se bona est, & peccatum, quo acquisita est, pertransiit. Infero tertiò observationem sanitatum esse superstitionem, quando adhibentur inania & inutilia verba ad morbos hominum, vel animalium curandos, ut accidit, quando pro morbis curandis adhibentur verba, signa, ritus, vel etiam res naturales, quibus aliqua media vana adjunguntur, quasi necessaria, ita Bonacina supra num. 7. Ratio est, quia cum illa non sint veræ causæ istorũ effectuum, & careant virtute ad eos producendos signum est continere pactum cum dæmone, & esse peccatum superstitionis. Undè effectus illi superstitiosi dicuntur, quibus producendis adhibetur aliqua circumstantia vana & inutilis, quasi necessaria, ut cum tali numero Crucium, vel tali corporis situ, vel talis temporis circumstantia, &c. Infero quartò, illos effectus esse superstitiosos. Primò, quando excedunt activitatẽ causæ naturalis applicatæ, ut dum vulnerati curantur absque motu locali. Secundò cum quis facit paleam vel scamnum statim apparere, ita Sanchez cap. 40. n. 3. Delrio lib. 2. quæst. 5. Bonacina sup. num. 9. Tertiò, cùm effectus subitò evanescit & non permanet. Quod si dubitetur an effectus sit à causâ naturali, vel excedat vires causæ naturalis præsumendum est procedere à causâ naturali, ita Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 44. Clavis Regia lib. 4. cap. 6. Suarez, supr. Lessius, Bonacina. Ratio prima est, quia dubium est explicandum in mitiorem partem. Quod si constet effectum excedere vires causæ naturalis, ut cognoscere arcana cordium, vel hominẽ illicò curare peccatũ est. Cùm enim constet id per vires naturę fieri non posse, & nõ appareant indicia quibus indicetur esse à Deo, vel bono Angelo censeri debet superstitiosum. Infero Quintò cum Navarro cap. 11. num. 34. Sylvestro quæst. 10, Bonacina num. 10. superstitiosum esse adhibere imagines, characteres inscriptos verbis, vel signo Crucis cum certâ fiduciâ evadendi hostem, vel expellendi morbos, vel non moriendi absque præmissâ confessione. Ratio est. quia

applicantur

applicantur iis effectibus, quibus producendis non habent vim. Infero sextò cum Navarro cap. 11. num. 38. & 39. Clave Regia num. 7. Valentiâ sup puncto 1. Sanchez, Bonacina, consuetudines has non excusandas, sed damnandas, quibus aliqui solent facere vel omittere aliquid certis diebus festis, & non aliis, ut si quis omitteret scissionem unguium die Veneris, vel festo, vel herbas medicinales colligeret, vel venam jumentis aperiret in festo S. Joannis Baptistæ vel alterius Sancti, quasi major virtus insit herbis, vel sit periculum imminens alicujus damni ex scissione unguium tali die. Non autem consuetudinem esse superstitiosam, si quis id præstet, ut se magis excitet ad orandum ob festum talis Sancti, vel ob affectum specialem, quam habet erga Sanctum à quo sperat opem & auxilium. Infero septimò, cum Sanchez num. 34. 37. & 40. Martino Delrio lib. 4. quæst. 7. Bonacinâ, superstiosum esse, qui in publicis processionibus imaginem alicujus Sancti in flumen projiciunt, ut pluat. Vel dum arbitrantur tot orationes prodesse, & non pauciores, vel candelam debere esse tantæ longitudinis, & non majoris, vel missam non prodesse nisi paramenta vel cerei talis coloris adhibeantur. Infero octavò, non esse superstitiosam artem, quâ investigatur, & invenitur aqua latens in terrâ & defluens cum adhibitâ virgâ salicis, vel amygdali, vel sanguinulâ, ita Bonacina num. 14. Ratio prima est, quia hic effectus est naturaliter producibilis in debitâ distantiâ, ob qualitates ab aliqua causa in virgam, vel à virgâ in manu hominis existente in aquam transmissas, vel propter sympatiâ virgæ in manu hominis talē complexionem habentis existente. Secunda ratio est, quia nihil mali apparet, ex quo hæc ars redarguenda & reprobanda sit, & consequenter hæc ars non est superstitiosa, nec naturæ vires excedit. Infero nonò usum 30. Missarum S. Gregorii non esse damnandum, ita Sanchez, Cajetanus, Clavis Regia, &c. apud Bonacinàm qui addit modò aliquæ circumstantiæ vel cæremoniæ vanæ non admisceantur. Infero decimò, nō esse superstitiosum in curandis infirmitatibus, aut colligendis herbis aliquas preces adhibere, modò non adhibeantur aliqua vana & inutilia, nec spes ponatur in re vanâ, ut in litteris & syllabis, sed in Deo, ita S. Thomas, Azorius Sanchez apud eundem Bonacinam sup. num. 15. Infero undecimò ex præmissis esse superstitiosum curare ægros vel vulneratos existentes in loco remoto per applicationem remedii, gladii, vel ligni, linei panni sanguine imbuti, ita Bonacina num. 18. & alii. Ratio prima est, quia interrupta sphæra activitatis nequit agens naturale producere suum effectum, ut si inter magnetem & ferrum interponatur paries, nequit magnes amplius attrahere ferrum, vel si inter solem & hæc inferiora ponantur aliqua corpora densa non poterit amplius illuminare, aliosque effectus producere, quos nunc producit. Igitur si in nostro casu detur sphæra activitatis hujus remedii applicati parvo linteo se protenderetur usque ad infirmum distantem, nihilominus asserendum est hujusmodi sphæram & contactum virtualem interrumpi per multa objecta interposita, ut per multos parietes, in quibus detinentur clausi panni linei, per quos remedium applicatur, ideòque dicendum est, quod tales effectus non sint naturaliter producibiles. Ratio secunda, omnis effectus vel est à Deo vel à causâ naturali, vel à malo spiritu: sed hic effectus non est à Deo, quia quando non constat ex scripturâ vel Ecclesiæ traditione aliquem effectum esse à Deo non oportet illum tribuere (inquit Delrio lib. 3. quæst. 4. sect. 1. Sanchez supra.) Non est etiam à causâ naturali, ut patet, cùm nulla virtus naturalis agat in distans, sed per contactum. Nec verisimile est Deum vel bonos Angelos hæc passim præstare per quoslibet homines. Igitur concludo ejusmodi effectus produci à malo spiritu cum pacto tacito. Tertia, si ad curandum vulnus in tantâ distantiâ per remedium applicatum panno lineo, vel ensi, vel ligno intincto sanguine sequeretur etiam

venenum vel quid simile noxium & læthiferum applicatum eidem panno nocere vulneri, cùm videatur utriusque par ratio. At consequens est falsum, igitur. Quarta, si hic effectus producitur naturaliter ab hoc remedio, maximè quia est aliqua sympatia & conformitas inter remedium & effectum, at hoc nequit dici, quia effectus sanitatis datâ quâvis sympatiâ est effectus realis, debet igitur necessariò produci per aliquam actionem; actio verò in tantâ distantiâ elici nequit, cùm non sit contactus & sphæra activitatis impediatur. Nec fortè Maximilianus Imperator usus est hoc remedio in tantâ distantiâ. Deindè Paracelsus inventor hujus remedii armarii, seu unguenti est damnatus. Undè cõcludit Bonacina ejusmodi curationes esse superstitiosas. Infero duodecimò Piromantiam esse ritum superstitiosum derivatum & potius observatum ab Ethnicis, quàm Christianis, in ea pix trita in ignem spargebatur, vel nonnunquam tedæ pice illitæ accendebantur, certisque characteribus signabantur. Quod si flamma tedarum in unum coibat prosperum eventum significabat: si lambens & divisa apparebat, infœlicem prænunciabat: si tricuspis assurgebat eventum glorioſum præsagiebat: si variè dispersa, ægro mortem, sano infirmitatem pronosticabat: si crepitans infortunium præsagiebat: si subitò extincta periculum ingens ominabatur. Nunquam hostia igni mandabatur, sed dumtaxat spectabatur flamma ignis victimarii, an in pyramidẽ coiret & hoc prosperum successum, si divideretur sinistrum denunciabat. Ex ignis colore, splendore, ascensu, strepitu, absumptione, extinctione, &c. victimæ sua omina habebant. Hujus superstitionis originem quidam refundunt in Amphraraum, alii in Argonautas. Vide Delrium disquis. magic. lib. 4. cap. 2. quæst. 7. sect. 1. qui refert hunc ritum vigere in Lituania. Nam ægris, si umbra corpore igni oppositio adversa cadat, certam spem recuperandæ sanitatis concipiunt, si adversa ceciderit, conjiciunt infirmum morituram, ita Ananias lib. de naturâ dæmonum. Ad illum ritum accedit Germanorum mos, qui in successione pirarum, quas piè honorem sancti Joannis accendunt instar veterum Chaldæorum & Ægyptiorum peccatum superstitionis committunt, dum ad fumum, crepitum, flammæ modum & similia considerant; quæ omnia sunt veteris Paganismi reliquiæ à Patribus reprobatæ. Vide plura apud Delrium supra. Infero decimò tertiò, reprobandam esse superstitionem eorum qui accendunt candelam in honorem S. Antonii, hoc ritu cõfidentes se res perditas recuperaturos instar Veterum, de quibus Propertius lib. 4. canit.

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis.

Et alibi.

Seu voluit tangi parca lucerna mero.

Aliàs conjecturales superstitiones refert Delrius loco citato & alii.

X. Quamvis ex præmissis cognosci queat, quid sit maleficium, tamen hic quædam adjicienda sunt, scilicet maleficium esse artem nocendi aliis ope & potestate dæmonis, ita Valentia, Toletus, Reginaldus, Clavis Regia apud Bonacinam disp. 3. quæst. 5. puncto 5. num. 1. Illud Innocentius III. vocat artem mortiferam & odibilem, prohibetque Christianis sub pœnâ anathematis exercere. Hâc sanctione percelluntur omnes malefici, quamvis loquatur de singulari quodam maleficiorum genere, qui sagittarii vel vallistarii vocantur, quos describit Sprengerus part. 2. quæst. 1. cap. 16. Fundamentum hujus anathematis est, quia fœdus ineunt cum dæmone, & ex pacto ipsi addicunt dominium corporis & animæ. Ille vicissim pollicetur se adfuturum, ut quem longè distantem volent ictu infallibili trajiciant. Præcipui eorum ritus sunt homagium quod dæmoni exhibent. Secundò feriâ sextâ hebdomadæ majoris tempore missæ sacram imaginem Crucifixi eligunt, in quam, ut in scopum tela dirigunt, vel secundùm Binsfeldium sclopeto post tergum ejaculato glandes plumbeas emittunt. Certo telarum nume-

ro

ro in Crucifixum emisso, credunt se totidem uno die quotcumque delegerint in quocumque loco fuerint etiam remoto & concluso interficere. Plura apud Delrium lib. 3. disquisit. magic. part. 1. quæst. 4. Idem part. 1. quæst. 1. ostendit maleficium parari herbis, festucis, aliisque rebus frivolis & exiguis in terram projectis, quas supergredientibus ægritudinē, vel necem inferūt. Parantur etiam unguentis albis & subrufis instar bituminis, imò nocent solo halitu & afflatu, verbis, increpationibus, laude, rebus sacris. Etsi omnibus noceant, in pueros maximè sæviunt, ita ut vel statim moriantur, vel paulatim tabe deficiunt, & sanguinem exlugunt. Undè Ovidius canit.

Nocte volant, puerosq; petunt nutricis egentes.
Et vitiis cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia corpora rostris,
Et plenū poto sanguine guttur habent.

Nonnunquam soporifero veneno utuntur. Sic de Cerbero & Cumeâ canit Virgilius lib. 6. Æneidos.

Virgilius

Cui Vates horrere videns jam colla colubris, (*offam*
Melle soporatam, & medicatis frugibus
Objicit, ille fame rabidâ tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit: (*antro*
Fusus humi, totoq; ingens extenditur
Occupat Æneas aditum custode sepulto.

Ovidius libr. 7. Metamorph. ita de Medeâ canit.

Pervigilem superest herbis sopire draconem.

Vide plura apud Binsfeldium de confess. malef. part. 1. conclus. 5. Nicolaum Remigium lib. 2. cap 4. Vitam S. Bernardi lib. 2. cap. 6. Delrio supr. Illicitum est maleficium etiam aliàs paratum adhibere pro causâ curiositatis & bono publico, ita Navarrus, Clavis Regia, Toletus, Lessius, Sanchez, Suarez apud Bonacinam disput. 3. quæst. 5. puncto 5. contra Angelum verbo *superstitio*. Ratio est, quia maleficium est intrinsecè malū, igitur ejus usus est illicitus, & consequenter illius petitio, quia petens censeretur causa moralis illius operis mali, quod petitur. Nec dicas primò petitionem maleficii æquè esse licitam ac petitionem mutui ab usurario, quem credis usuram commissurum. Respondeo primò, cum nonnullis esse discrimen, quia petens mutuum utitur jure suo: habet enim jus postulandi mutuum, ut sibi consulat. Secundò, quia mutuum non est intrinsecè malum, sed licitum, & cōsequenter petens mutuum petit rem licitam, quamvis fusuarius malitiosè velit cōmittere usuram. Hæc responsio non placet Bonacinæ num. 6. quia agit de eo, qui simpliciter postulat mutuum, nō autem de eo qui petit mutuum sub usura. Sicut igitur est illicita petitio mutui cum usurâ, sic est illicita petitio maleficii. Quare respondet secundò petitionem utramque differre, quod petens juramentum ab eo, quem scit juraturum per falsos Deos petit rem, quæ potest licitè fieri. At postulans maleficium, postulat rem intrinsecè malam. Imò quemadmodum non licet juramentum per falsos Deos, ita nec petitio maleficii licita est. Quod etiam non liceat petere, ut malencus, vel alius uno maleficio aliud dissolvat docent Bonacina n. 7. Layman inst. mor. lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 9. Ratio est, quia quod est intrinsecè malum est illicitum. Si tamen maleficium possit dissolvi modo licito absque dæmonis ope, verbi gratiâ, dissolvendo ligaturas, vel eas removendo à sepulchro, si eas ibi sepultas detinet: id non est intrinsecè malum, imò consultum, ut qui habet jus tollendi ligaturas, & nodos, aliaque signa malefica independenter à Dæmone, tollat. Ratio est, quia ex parte tollentis nulla intercedit dæmonis invocatio, vel cooperatio. Addit Bonacina quod quando maleficium potest tolli modo licito & illicito, posse rogari ut maleficus illud tollat. Ratio est, quia ob justam causam petitur res, quæ potest licitè fieri ex dictis de mutuo, & juramento (inquiunt Sanchez num. 12. Suarez supra num. 8. contra Delrium lib. 6. quæst. 2. dicto 4.) limitat Bonacina, modò maleficus sciat modum licitum dissolvendi maleficium. Si enim

maleficus

maleficus ignoret modum licitum, nequit ab eo postulari dissolutio maleficii. Ratio est, quia perindè esset ac petere dissolutionem maleficii per aliud maleficium. Addunt Lessius lib. 2. cap. 44. dubit. 6. Suarez, Bonacina supra, & alii. Quod si dubitetur an maleficus sciat modum licitum dissolvendi maleficium præsumi scire modum dumtaxat illicitum, & consequenter nō posse ab eo postulari dissolutionem maleficii, sed potius interrogandum an sciat modum licitum. Ratio est, quia cùm dubitetur an sciat modum licitum postulans dissolutionem maleficii, exponit se periculo postulandi rem illicitam, at non licet agere cum dubio rei illicitæ. Undè qui petunt dissolutionem maleficii, peccant, si ignorent an maleficus norit modum licitum, nisi fortè excusentur ob bonam fidem, sicut etiam non licet petere juramentum de quo dubitatur an sciat jurare modo licito, ita nec licet petere dissolutionem maleficii de quo dubitatur an sciat modum licitū solvendi, Reginaldus, Clavis Regia, Suarez, Sanchez, Lessius, Bonacina sup. propos. 5. n. 10. hæc remedia proferunt contra maleficia. Primum, magna fides in divina ptotectione. Secundum, sumptio Venerabilis Sacramenti. Tertium, invocatio Nominis JESU, Beatæ V. Mariæ, Angeli Custodis, & aliorum Sanctorum. Quartùm, susceptio Baptismi. Quintum, Confessio sacramentalis. Sextum, Reliquiæ Sanctorum. Septimum, signum Crucis. Octavum, aqua benedicta. Decimum, oratio junta jejunio. Undecimum, dissolutio eorum quæ concernunt pactum cum dæmone. Bonacina sextâ & septimâ propositione docet quid Confessarius debeat inquirere à maleficio, & quibus modis possit dignosci maleficus de Necromanticis, Chiromanticis, Somniantibus, Astrologis, Judiciariis. Vide Barbosam de officio & potestat. Episcopi part. 3. alleg. 51. & alios ab eo citatos. Varias etiam quæstiones de maleficiis proponit & solvit Chapeavillus Leodiensis de casibus reservatis septimo casu.

XI. Quamvis de præmissis agentes de magiâ sufficienter disseruerimus, tamen ex Martino Delrio disquis. mag. lib. 3. part. 1. quæst. 3. sect. 1. adjiciendum est primam causam, cur Deus permittat magiam esse peccati vindictam, probatur variis exemplis ab eo relatis. Secunda causa est, odium proximi, seu invidia. Tertia est carnalis libido, & conjugalis intemperantia. Quarta justorum persecutio, & cædes injusta ac crudelis. Quinta est agnitæ veritatis impugnatio. Sexta est blasphemia. Septima est imprecatio, seu execratio mala, quâ quis sub conditione se dæmoni addicit. Octava vitium usuræ. Nona duritia seu immisericordia in pauperes. Decima irrisio sacrorum mysteriorum, seu abusus atque contemptus cæremoniarum & Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ. Undecima templorum & sacrarum rerum direptio & expilatio. Duodecima pusillanimitas & desperatio, cum mœrore oppressi, vel non implorant opem divinam, vel diffidunt de misericordiâ Dei, vel apprehendunt nè à pravis spiritibus possideantur, quo fit ut nonnulli se subiiciant dæmoni ut auxiliatori. Decima tertia, nimia curiositas imprudenter sciendi, quod nullo modo expedit investigare. Hujus magiæ prolixiorem disputationem vide apud Martinum Delrio in disquisit. magic. Leonardum Lessium, nostrum Joannem Boets in 1. præceptum Decalog. Suarem de religione. Benedictum Pereiram in speciali tractat. de magiâ. Joannem de Torres in philosophia morali Principum. Azorium instit. moral. part. 1. Farinacium, Aloysium Riccium, Raphaelem de la Torre, Trullench. Guidonem Panciolam, Pradillam, Binsfeldium de malef. Layman lib. 3.

CAPUT X.

Enormitas falsi testimonii in judicio.

TAnta est gravitas hujus criminis, ut Richardus, Gabriel, Sayrus, Angelus apud Barbosam I.

sam de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 51. num. 37. existiment enormius adulterio & furto. Ratio est, quia directè opponitur secundo præcepto Decalogi, quod est primæ tabulæ, & consequenter est immediatè contrà Deum. At adulterium & furtum sunt contra præceptum secundæ tabulæ, & consequenter contra proximum immediatè. Tantò enim est gravius peccatum quantò magis destruit ordinem digniorē. Nec refert quod cap. *quod in omnibus*, 32. quæst. 7. adulterium dicatur reliquis peccatis gravius. Ideò est gravius quia excedit omnia peccata contra proximum commissa, non autem immediatè contra Deum. Secunda responsio fundatur in cap. *si quid vetius*, 32. quæst. 2. & l. ultim. in §. 1. ff. *de publicanis*, D. Thomâ 1. 2. quæst. 70. artic. 6. Soto, Navarro, Corratum, ubi afferitur adulterium non esse gravius peccatis commissis in proximum. Nec secundò refert quod cap. *quod in omnibus* contrarium affirmetur. Respondet Glossa ibi, Archidiaconus, & alii antiquiores verba illa interrogatoria exaggerare & detestari crimen adulterii, quod etsi non sit gravius reliquis peccatis, nihilominus ex se est valdè grave, ut ostendit Tiraquellus l. 15. connub. num. 26. & seq. Et licet mendacium sit Aulicis & Magnatibus satis familiarè, tamen adulterium regiâ dignitate prorsus indignum veteres censuerunt, ut de Dionysio Tyranno testatur Plutarchus in apophteg Imperat. *Cùm* (inquit) *Dionysius Rex intellexisset filium suum, cui relicturus erat imperium in adulterium incidisse, tractus interrogavit, an unquam tale quidquam in patre comperisset. Cui filius, tu patrem regem non habebas. Nec tu subjicit Dionysius habiturus es filium regem, nisi talia desinas perpetrare. Tyrannus hic dignum exheredatione regni crimen adulterii judicavit.* Adulterini criminis enormitas satis etiam liquet ex damnis quæ ex adulterio prodeunt, quæ refert Philo Judæus lib. de Decalogo, & ex supplitiis quæ Deus in veteri lege voluit adulteris infligi, Deuteronomii cap. 20. vers. 22. Numerorum cap. 25. vers. 8. & ex jure l. *quamvis*, 30. in fine, C. de adulterio.

Quod falsum testimonium, seu perjurium sit gravius homicidio docent D. Thomas quod l. 1. art. 18. Suarez de religione tomo 2. tractat. 4. lib. 3. cap. 3. Sanchez, Azorius, Sotus, Covarruvias, Sayrus, lib. 3. Barbosa. Ratio prima est, quia perjurium est contra præceptum primæ tabulæ, & cōsequenter &c. At homicidium est contra præceptum secundæ tabulæ, & immediatè contra proximum. At graviora sunt ex se peccata contra Deum, quàm contra proximum, ut patet. Dices ex hac ratione sequitur fore gravius peccatum opus servile facere in Dominico die, quàm perpetrare homicidium, eo quod observatio Sabbathi est præceptum primæ tabulæ, & institutа ad ordinandum directè & immediatè ad Deum, quod absurdum est. Igitur gravitas peccati non debet considerari per ordinem præceptorum decalogi. Respondeo cum Soto & Sylvestro festorum observantiam, quantùm ad tempus determinatum non esse de jure divino naturali, sed humano Ecclesiastico, & sic violatio festi non est tam grave peccatum quàm homicidium, furtū, vel adulterium. Sed quoad tempus indeterminatum, ut scilicet aliquod tempus impendatur ad honorem Dei, est de jure divino naturali. Qui ergò hoc præceptum violaret, nec tota vita ullum tempus dicaret divino cultui, peccaret gravius quàm homicida, quia tunc directè ageret contra latriam Deo debitam. Respondeo secundò perjurium habere annexam blasphemiam, eo quod perjurans adducit Deum ut testem falsitatis, & videtur ei dare quod ei non competit, in quo consistit ratio blasphemiæ. sicut & in eo (quod negetur Deo quod ei convenit) inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 13. art. 1. Valentia ibidem diff. 1. puncto 1. Sanchez in præcepta decalogi lib. 2. cap. 32. num. 1. At blasphemia opponitur confessioni fidei, & virtuti religionis ut docet Sanchez supra num. 7. & 8. post D. Thomam, Bannem, Ledesmam, Valentiam, & consequenter (inquit Suarez supra

cap. 5.) perjurium est gravius homicidio. Enormitas perjurii colligitur à posteriori. Juramentum enim est finis controversiarum, seu in causis judicialibus adhibetur, ut metu illius detegatur veritas, cujus violatio ampliaret controversias, quæ per illam finiri debent, ut patet ex cap. *etsi Christus*, vers. *homini*, de jurejurando. Sic in causâ homicidii adhibetur ad eam terminandam, & veritatem inquirendam. Quod quidem frustrà fieret, si homicidium esset gravius perjurio. Esset enim præsumendũ, quod qui majorem offensam homicidii perpetrasset, non timeret minorẽ scilicet perjurii committere. Quare cum in causa omnis peccati adhibetur juramentum satis patet perjurium esse maximum peccatum. Tertiò, Covarruvias & Suarez probant enormitatem perjurii hac efficaci ratione. Perjurium quantum est ex se tollit certitudinem divini testimonii in juramento contenti, & consequenter aufert hoc velut primum principium stabiliendi & confirmandi humanos contractus, tandemque evertit majorem partem commerciorum humanorum. Undè mirùm non est si cap. *prædicandum*, 22. quæst. 2. perjurium vocetur grande scelus.

III. Noster Joannes Boets in illud præceptum ait post Isidorum, perjurium tribus personis esse noxium. Primò Deo, quem perjurando contemnit. Secundò, judici, quem mentiendo fallit. Tertiò innocenti, quem falso testimonio lædit. At historia Eliana duo alia nocumenta suggerit scilicet consulenti & silenti lib. 3. Regum cap. 21. postquam Naboth suam vineam Regi Achabo negavit, eodem Achabo silente & dissimulante per falsos testes, quasi blasphemũ Jezabel curat lapidibus obrui, vers. 8. *Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum & falsum testimonium dicant, benedixit Deum & regem, & educite eum, & lapidate, sicque moriatur.* Ex hoc falso testimonio, non tantùm Deus offensus fuit, sed Naboth & ejus posteri. Nam ex lib. 4. cap. 9. vers. 26. colligo filios Naboth etiam fuisse peremptos. Quod judicibus & falsis testibus nocuerit patet ex eo, quod nominentur Filii Belial, Dionys. idest (inquit Dionysius) *sine jugo disciplinæ atque timoris Dei.* Et infra dicuntur filii diaboli. *Et adductis duobus viris filiis Diaboli.* Nocuit ipsi Achabo & Jezabeli. Vers. 18. *Factus est sermo* vers. 18. *Domini ad Eliam Thesbytem, dicens, surge & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria, ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam, & loqueris ad eum dicens. Hæc dicit Dominus: occidisti insuper & possedisti. Et post hæc addes. Hæc dicit Dominus in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth lambent quoque sanguinem tuum, &c.* Vers. 23. *Sed & de Iezabel locutus est Dominus dicens. Canes comedent Iezabel in agro Iezrael.* Enormitas perjurii ex hoc patet, quod nulla arma acutiora occurrant ad tantam ruinam uno ictu procurandam. Naboth fuisse typum Christi docent passim Interpretes, quibus telis confossus Christus interiit? flagellis, clavis, lanceâ, &c.? minimè, sed falso testimonio. Et hoc telum majorem dolorem ac cruciatum illi intulit, quàm flagella, alapæ, coronæ spineæ, imò quàm ipsa mors. Accipe verba Sancti Ambrosii serm. 17. in psalm. 118. *Est tentatio, & est calumnia: sed* S. Ambr. *tentatio levior, calumnia gravior. Est humana tentatio, qua ferri potest, calumnia autem gravis est. Ideò Dominus quæ sunt graviora suscepit, & calumniis appetitus silentium detulit triumphale.* Quasi diceret Christus cruciatum ipsâ morte graviorem elegit, scilicet calumniis ac testimoniis obrui. Calumniam & falsum testimonium ita formidat Ecclesiasticus cap. 26. vers. 5. ut fateretur se malle telo intoxicato & læthali perire, quàm calumniâ & falso testimonio transverberari. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam civitatis & collectionem populi, & calumniam mendacem super mortẽ omnia gravia.* Syrus. Eccles. 26. v. 5.

A tribus commotum est cor meum, & à quatuor, seu quartò valdè timui. Tigurina. *Tria exparuescit cor meum, quartumque facies mea exhorrescit.* Quæ sunt illa? Civitatis proditio, quâ civitas hostili expilationi, quassationi, cædi, furori exponitur, sed illis omnibus intolerabilior est calumnia, & falsum testimonium, quo impii de industriâ, vel ex siniſtro rumore innocentem criminantur, accusant, notâ infamiæ inficiunt, reumque mortis proclamant, ut olim Susannam Danielis cap. 13. Naburhem lib. 3. Regum cap. 21. Christum Dominum Matthæi cap. 26. vers. 60. Marci cap. 14. vers. 56. Sapiens Proverb cap. 25. vers. 18. Vulnus (quod calumnia & falsum testimonium infert tot & tantis personis) ait non tantùm esse simile illi quod à jaculo producitur, sed etiam à gladio & sagittâ acutâ. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum testimonium,* Pro *jaculum* Chaldæi & Hebræi vertunt *malleum.* Septuaginta, *clavam,* pro *acuta.* S. Ambrosius libr. 3. de officiis cap. 16. *ferrata,* Complutensis, *spiculata.* S. Hieronymus contra Ruffinum, *perniciosa.* Lyranus, Dionysius, Jansenius dicunt falsum testimonium ideò illis tribus armis comparari, primò jaculo, malleo, seu clavæ. Secundò gladio. Tertiò sagittæ acutæ, ferratæ, spiculatæ, perniciosæ, quia quemadmodum malleo, seu clavâ caput hominis contunditur & confringitur, ita hominis caput contunditur. Sicut gladius jugulum petit, ita falso testimonio jugulatur, & ejus cor quasi sagittâ transfigitur: ita ut sicut malleus tundit, gladius scindit, sagitta penetrando nocet & interimit, ita falsum testimonium. Seu tribus illis armis significatur triplex nocumentum a falso testimonio procedens, scilicet bonorum, famæ, & personæ. De jaculis Vates Regius psalmo 51, vers. 21. ait, *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Psalm. 56. vers. 5. *Filii hominum dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Cajetanus in cap. 25. Proverb. ait, trimo hoc armorum significari falsum testimoniũ magis nocere quàm ullum aliud. *Falsus testis assimilatur malleo, gladio & sagittæ acutæ, hoc est universo generi nocivorum ab homine. Per hæc enim omnes modi significantur, quibus homo homini nocet.* Idest quemadmodum sub illis tribus generibus armorum cuncta armorum instrumenta comprehenduntur, ita in falsi testis ore omnes status læduntur, Deus ipse qui est summa & suprema veritas graviter offenditur. Quis inter homines puros Jobo innocentior? hic tamen fatetur falsum testimonium magis sibi nocere, quàm omnia dolorum & morborum genera, quæ sathan in ipsum congesserat, Job. cap. 19. vers. 1, *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus.* Ait animam suam non solùm affligi, sed atteri. idest humiliari, opprimi, contundi, confringi, consumi, cõminui, & quasi in minutissimas partes redigi. Origenes in catena Græcâ. *Iob athletarum fortissimus, in cujus libro nihil ita eminet, ut ejus fortitudo & patientia labores tamen sentit, quos ex duro sermone hauriebat, idcirco his loquitur verbis Quamobrem ad corporis dolorem animi quoque molestiam adhibitis? cur me magis verbis, quam dolores corpus conciditis.* Quibus verbis? falsis mendacibus, dolosis. Si privata verba dolosa tantùm patientiæ exemplar ferre non potuit, asseritque ea majorem sibi dolorem afferre, quàm omnia morborum genera quibus torquebatur; quantùm nocet, quantùm torquet falsum testimonium publicè editum maximè in personam Christi innocentissimam, quæ suorum hostium infensissimorum censuræ se objicit, Joannis cap. 8. vers. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Vatablus in scholiis. *Quis ex vobis redarguit me de peccato.* Simon Cassianus lib. 11. cap. 40. *Arguet me de quocumque peccato.* S. Athanasius lib. de communi essentiâ Patris, Filii, & Spiritus Sancti, *Quis ex vobis convincet de peccato.* Undè cum eodem capite à Judæis appetitur calumniis, & coram judicibus falsis testimoniis divinissimæ virtutis signa ostendit potiùs silentio & patientiâ, quàm minis, suppliciis. Silentium illud ac patientia non argu-

Proverb. 25. v. 18.

Cajetan.

Iob. c. 19 v. 1.

Origen.

Ioan. 8. vers. 46

mentum infirmitatis fuit, sed fortitudinis. Potius divinitatis suæ majestatem, quàm humanitatis ignaviam manifestavit. Accipe egregia verba Tertulliani lib. de patientiâ. *Qui in hominis figurâ proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Expende illa verba. *patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Dum interputa, flagella, &c. patiens fuit scintillam suæ divinitatis exhibuit, at dum ad falsas accusationes, falsa testimonia conticuit, divinitatis suæ jubar foras effudit.

Tertull.

VI. Attentâ falsi testimonii ac perjurii enormitate & damno, quod infert, ad illud eradicandum, si non excommunicationem in illud pronunciavit, saltem gravissimas pœnas illi censuræ proximas promulgavit Ecclesia, imò & lex civilis, cùm secundùm cap. *asseramus*, ubi glossa ult. 24. quæst. 1. & alibi, apud Avendano ibi num 8. Joannem Vela, Petrum Gregorium, Clarum, Menochium, & quo facilius plecteretur Majores nostri illius cortectionem ad forum mixtum spectare, etiamsi Laicus illud perpetrarit, ut notant Avendano de exequendis mandatis, Bobadilla, Joannes Vela, Gabriel Pereira, Joseph Vela, Petrus Gregorius, Avila, Didacus Sahugum, Marta, Morla.

V. Leges, jura & Canones varias pœnas perjuriis apud veteres præscripterũt,

Cicero. Cicero lib. 2. de legibus. *Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus violati jusjurandi esto.* Strabo lib. 15. *Apud*

Strabo. *Indos, qui falsus deprehenditur, & de perjurio convictus, & manuum, pedumq; extremis decoriatur. Apud Scythas perjurii pœna capitis amputatio est.* Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. *Perjurii apud Ægyptios capite mulctabantur,*

Diodor. *tanquam qui duplici scelere tenerentur, ut & qui pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum societatis humanæ.* De his & aliis diversarum Nationum pœnis consule Lælium Zechium de casibus reservatis casu 18. Tiraquellum de nobilit. cap. 20. Perez, Decianum, Lessium, Fr. Emmanuelem, Christophorum de Paz, Covarruviam. Nunc apud Christianos perjurius jure Civili & Canonico, primò infamiæ pœnam incurrit, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 3. ad 3. Abbas, Angelus, Sylvester, Covarruvias, cap *infirmis*, cap. *quicumque*, cap. *querelam*, Sayrus, Perez, Novarius, Barbosa, Azorius. Secundò de perjurio etiam simplici convictus meretur pœnam depositionis ab ordine; ita Doctores ih cap. *cùm non ab homine*, de judic. Abbas in cap. *tua*, 11. de jure jurand. Barbosa. Tertiò privatur beneficiis Ecclesiasticis obtentis, ita cap. *querela*, 10. cap. *tua*, de jure jurando, Abbas, Felinus, Decianus, & alii in cap. 2. de reicript. & alii multi præcipuè Covarruvias in cap. *quamvis*, Bernardus, & Salzedo, Clarus, Perez, Menochius, Suarez, Novarius, Vivianus. Nihilominus Abbas & Felinus in cap. *querelam*, Ripa & Decianus in cap. 2. Lambertinus, Covarruvias, Rebuffus, Selva, Guitierez & alii. Et novissimè Garcias de benef. Azorius, Barbosa censent non esse privatum ipso jure, sed privandum, Joannes Andræas Hostiensis, Abbas apud Joannem Sel, Lambertinum, Bernardum Dias, Covarruviam in cap. *quamvis*, de pactis part. 1. §. 7. n. 3. Docent beneficium Ecclesiasticum perjuro collatum esse nullum. Ratio est, quia plus requiritur, ut quis privetur beneficio quo gaudet, quàm ut ab acquirendo beneficio excludatur. Igitur si Clericus perjurus ipso jure beneficio non est privatus, nõ ideò sequitur esse capacem beneficii. Quartò perjurus dignitate privatur, & ad eam amplius nõ admittitur, ita cap. *Presbyter*, cap. *cùm non ab hominibus*, de judic. Alderete de Relig. disciplcap. 24. num. 3. Franciscus Marcus decis. 667. Decianus, Novarius. Imò Clericus & Religiosus ob falsum testimonium in arctum monasterium recluditur cap. *si Episcopus*, 50. Rodriguez, Noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. num. 42. Thesaurus. Quod etiam perjuri seu falsi testes teneantur ad restitutionem damni indè secuti ob injustitiam subsequentem. Vel damni totalis, si id scienter fecerunt

runt, nec ex notabili ignorantiâ, vel saltem partis juxta modum culpæ, si id scienter non fecerunt, nec ex latâ culpâ; sed tantùm levi, tenent Sotus, Fagundez, Sanchez, Navarrus, noster Lezana tomo 4. quæst. regul verbo *testis regul.* num. 4. Excipiunt tamen casum quo reus non erat convictus per alios testes, nec judex determinatus ad illum puniendum, ita noster Lezana jam citatus, Fagundez, Diana, Pitigianus. Quod si præter intentionem adhibitâ mediocri diligentiâ testis falsum dixerit, non debet ex justitiâ restituere damnum oblatum. Ratio est, quia verè injustitiam non commisit. Ratio est, quia neque ratione rei acceptæ (cùm indè nihil habeat) neque ratione injustitiæ, damnificationis. Non enim peccavit saltem mortaliter. Nihilominus Fagundez, Lezana num. 4. Corduba, Navarrus Sanchez, & Cajetanus cõtendunt quod ex charitate teneatur retractare quod testatus est. Cæterùm tanta est gravitas falsi testimonii, ut multi Episcopi, maximè Leodienses casum illum sibi reservent, ut videre est apud Chapeaville de casibus reservatis. Idem casus reservatur à Prælatis regularibus juxta facultatem illis cõcessam à Clemente VIII.

CAPUT XI.

Falsitas Mensurarum, Ponderum, & Monetarum expenditur.

1 AD communem hominum societatem fovendam & consequendam Deus quasdam leges condidit non tantùm contra testes falsos (ut præfatum est) sed etiam judices, iniquos mercatores, & alios, ut patet Levit. cap. 19. vers. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ, Statera justa, & æqua sint pondera, justus modus, æquusq; sextarius, ego Dominus Deus vester.* Quasi diceret justam mensuram, seu ulnam adhibite in mensurando. Dum ponderatis æquos lapides in alterâ parte bilancis apponite. Dum triticum vel aliquid aliud venditis habete vasa, quæ contineant id quod venale proponitur. Horum omnium satis frequens fit mentio in scripturâ. Huc dumtaxat adducemus, quæ sacra Eliæ & Elisei historia nobis proponit lib. 4. Regum cap. 6. fertur tantam fuisse famem in Samariâ, ut *Venundaretur caput asini octoginta argenteis.* Et cap. 7. vers. 1. *Dixit Elisæus audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus in tempore hoc, Cras modius similæ uno statere erit, & duo modii statere uno in portâ Samariæ.* Quibus verbis adde minas divinas lib. 4. Regum cap 21. vers. 15. *Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Ierusalem.* Priora loca ad litteram accipienda sunt, postremum licet explicare oporteat moraliter; tamen ubique fit mentio vel monetæ, vel mensuræ, vel ponderis. Quæ omnia (ut dixi) cùm instituta sint ex institutione hominum, etiam eorum omnium certa æstimatio assignata est, maximè per Fundatores & Principes. Undè unum ex primariis studiis S. Huberti fuit Leodiensibus instituere mensuras & pondera victualium (inquiunt Chapeaville tomo 1. historiæ Leod. in vitâ S. Huberti cap. 27. & alii Historici Leodienses seu Annalistæ) quibus accinit Livinus Brechtus.

Vicoq; ex paupere claram
Reddidit instituens mensuras, Pondera, leges.

Adeò ut mensuræ, pondera, monetarum æstimatio extrinseca à Principe, seu publicâ auctoritate dependeat, & eæ mensuræ, pondera, monetæ adulterinæ & falsæ censeantur, in quibus Principis seu rei publicæ auctoritas non intercedit. Vide Marta de jurisdict. part. 4. casu 3. num. 16. Hortensium Cavalcanum de Brachio Regio part. 6. num. 354. Matienzo, Mexia, Maranta, Gregorium. De æquis ac injustis ponderibus ac mensuris consule Auctores Synodales Diœceseon, in quibus falsitas eorum est reservata. De Pharmacopolis vendentibus medicinas adulteratas Lucum de Penna in constitut. Neapol. lib. 3. tit. 49. Mascardum de probat.

l. 4. Reg. c. 6. v. 5.

c. 7. v. 1.

tract. 5. num. 32. Bellaconibum. De iis qui miscunt vinum vetus cum musto consule Matien. Avendano de exequendis mandatis. De vendentibus vinum lympharum scribit Rebuffus lib. 2. ad leges Galliæ, de hospitibus vers. *duodecimo*, Sebastianus Nævi in remissionibus, Azevedo, Bodabilla. Qui injustis ponderibus & mensuris apud Hebræos utebantur (inquit Cornelius in cap. 9. Levitici) quinque scelerum & malorum auctores censebantur. primò, terram polluere: secundò, violare, sivè prophanare nomen Dei: tertiò, recessus majestatis, gloriæ & præsentiæ divinitatis: quartò, glacium in Israeliticum populum cadere: quintò, efficere ut Israel mitteretur in exilium: Quamvis ejusmodi falsariorum peccatum non ab omnibus, sed ab aliquibus Episcopis reservetur. Nihilominus omnes Episcopos posse punire laicum, qui vendit merces mixtas cum aliâ specie absque scitu emptoris, docent Abbas in cap. 1. num. 9 de empt. Covarruvias lib. 3. variar. cap. 14. vers. *huius tandem*, Belletus, Homobonus.

II. Ut moneta sit legitima & probata tria omninò requirantur secundùm glossam in cap. *quanto*, verbo *patris*, de jurejurando, Sylvestrum verbo *falsarius*, quæst. 7. Petrum Navarrum, Decianum, Menochium, Farinacium, Garciam, Gerundam, Georgium de de Cabedo, Barbosam, Layman lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. Primum est legitima cudendi auctoritas, quam signum impressum demonstrat. Ratio est quia monetam cudere unum ex regalibus est, ex lib. 2 feudorum cap. 56. Unde lib. 2. C. *de falsâ monetâ*, supplicium mortis decernitur iis, qui monetam privatâ auctoritate formarint, quasi lesæ majestatis reis Cum enim minimus sit institutus ob publicam utilitatem & necessitatem, non debet exponi, nisi auctoritate ejus, qui habet curam universæ communitatis alioquin ex Orosimo cap. 5. & 6 multi doli & damna sequerentur. Animadvertit Petrus Gregorius lib. 36. syntagm. cap. 2, num. 25. jus cudendi monetam, & alia regalia ex legitimè præscriptâ consuetudine aliis quàm summo Principi non competere. Secundùm est materiæ bonitas seu integritas. Non quod nummus ex se certam materiam postulet, sed ex hypothesi, quatenus nummus aureus esse debet, nihil argenti debet admisceri, quatenus argenteus nihil æris admittere oportet. l. *Paulus*, ff. *de solut.* Tertium est justum pondus materiæ. Ratio est quia ex Aristotele lib. 5. Et hic. cap. 5. ideò tale signum in nummis ponitur, ut non sit opus mensurare, Innocentius in cap. *quanto*, Abbas ibid. num. 10. de jure jurando, Covarruvias in collat. vet. num. cap. 7. num. 1. Navarrus lib. 3. cap. 5. num. 33. Antonius Faber, & Layman asserunt ipsam formationem & signi publici impressionem augere aliquando intrinsecum valorem nummi.

III. Undè Moneta tribus modis falsa esse potest Primo dum privatâ auctoritate cuditur l. 2. & 3. C. *de falsâ monetâ*, sic falsificans peccat mortaliter contra jus Principis, vel Civitatis ad quos spectat id facere, teneturque ad restitutionem jacturæ, quam Princeps, vel Respublica patitur in hoc, ita Sylvester in summa verbo *falsarius* Layman lib. 3. tract. 5. part. 1. cap. 5. noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *falsarius*, num. 5. contra Navarrum. Quomodò etiam falsarius mereatur pœnam degradationis dicetur infra. Secundò, moneta falsa dicitur dum cuditur iniquo pondere, vel materiâ adulterinâ. Cap. *quanto*, de jurejurando, & l. 3. C. de vet. num. collat. Sylvester supra numer. 9. Navarrus & noster Lezana supra. Id etiam faciens mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem ei, cui damnum intulit. Tertiò, detrahendo de justo pondere monetæ per abscissionem, l. *quicumque*, ff. *ad legem Corneliam*, de fals. Angelus verbo *falsarius*, §. 8. Navarrus supra num. 168. Lezana loco citato, qui addit hoc facientem peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem ei, cui damnum intulit. Et quamvis conderet privatâ auctoritate monetas plus æqui & ponderis habentes, adhuc tamen peccare mortaliter tenent Navarrus, Layman

&

& Lezana supra contra Angelum supra. Ratio est, quia usurpat id quod est publicæ auctoritatis. Quod etiam debeant restituere Principi vel Reipublicæ de materiâ illâ, quam auferunt, docent Sylvester, Navarrus, & Lezana supra. Ratio est quia illa materia pertinet ad eos qui cudunt monetas, cùm dumtaxat per errorem illam apposuerint. Adulteratur etiam materia nummi dum tingitur, vel coloratur nummus stanneus, plumbeus, vel æreus, ut appareat aureus vel argenteus, l. *quicumque*, Layman & Lezana supra post Abbatem & Covarruviam. Sic faciens peccat mortaliter, teneturque restituere ei, quẽ decepit. Item peccat mortaliter qui præfatas fallas monetas pro veris expendit, cap. *quanto*, suppositâ scilicet gravitate materiæ, & tenetur restituere ei, cui tales nummos pro veris dedit, quod si non illum norit debet dare pauperibus. Cap. *cùm tu*, de usuris, Navarrus, Sylvester, Lezana.

IV. Urbanus VIII. in bullâ quæ incipit *In suprema*, anno 1627. inter ipsius constitut. tomo 4. in bullâ 75. hanc pœnam tam sæcularibus quàm clericis infligit, mentionem faciens bullæ Pii V. ediræ anno 1570. quæ incipit. *Nos motu proprio ac ex certâ scientiâ, meráq; deliberatione nostris ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuò valitura constitutione, Statutum, voluntatem, & mandatum Pii prædecessoris prafati, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac ad omnes & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam sæculares, quàm cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ac Instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon Militarium quarumcumque etiam Hospitalitatis Sancti Ioannis Hierosolymitani regulares, non solùm in statu Ecclesiastico mediatè vel immediatè nobis & Sedi Apostolicæ subiectis: sed etiam in omnibus & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, terris, oppidis, castris & locis in Italiâ existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere præsumpserint, &c.* Ideſt de justo pondere ipsius aliquid detrahere, vel abscindere. *Fabricare*, ideſt privatâ auctoritate monetam cudere, etiam bonam & justam, quia quamvis habeat verum valorem auri vel argenti ex quo cusa est: tamen non habet verum valorem monetæ, eo quod sit facta absque Principis auctoritate, ita Chapeaville de casibus reservatis casu 16. quæst. 1. diffic. 1. & 4. Lezana tomo 4. quæst. regul. *Monetarii*. Dixi *absq; Principis auctoritate*, quia ex dictis cap. 1. vers. *moneta, quæ sunt regalia*, Covarruvia, Farinacio, Morla, Cardosio, Deciano, Christophoro de Paz, Benedicto Ægidio, Matiensi, Minsing. Peregrino, Barbosa, Lezana supra num. 2. Spectat dumtaxat ad Principem & Rempublicam monetam fabricare. Addit Pontifex *colorare*, scilicet pingendo, ut nummi appareant aurei, vel argentei. Quartò, addit *vel adulterare*, scilicet vel circa substantiam, vel circa pondus, vel circa formam, circa substantiam substituendo, vel permiscendo vinum metallum pro alio, l. *Paulus*, ff. *de solut.* circa pondus, minus pro majori ponendo l. 1, ff. *de contrah. empt.* Circa formam cudendo absque potestate vel imprimendo characterem & formam alienam, absque consensu ipsius cujus erat, l. *sine nomine*, & l. *qui nomine*, ad l. Corneliam de falsis. Guidius l. 3. de mineralibus, tit. 9. de monetâ quæst. 71. num. 93. Barbosa, Lezana supra. Adiungit quintò Pontifex, *seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare præsumpserint*. Ut innuat non esse infligendas pœnas iis, qui ignoranter fecerint, P. Lezana supra post Peirinis, Barbosam, credit quod si ejusmodi ignorantia esset crassa aut affectata non illum excusaret. Ratio est, quia talis ignorantia æquivalet malitiæ. Tunc præfatos nummos erogans censetur ignorans. Primò si monstret personam, à quâ habuit. Secundò, si fuerit persona bonæ opinionis & famæ. Tertò, si juret se habuisse talem ignorantiam. Sextò subdit Pontifex, *extendimus & ampliamus: volentes ut culpabiles in præmissis reperti præviâ degradatione curiæ sæculari puniendi tradantur*. Ideſt si falsarii fuerint monetarum usualium, & quæ expendi solent, Lezana supra numer. 2. &

Barbosa

Barbosa post Menochium, Franciscus Curtius. Denique subdit Pontifex, *pecunias verò, sicut præfertur, adulteratas scienter detinentibus, aut materiam, instrumenta, sivè opem ad prædicta præstantibus pœnam triremium per decennium imponimus, &c.* Supra dixit Clericum falsarium esse degradandum, deindè Curiæ sæculari tradendum ut puniatur. Hic autem etiam detinentes, vel transferentes damnat pœnâ triremium, quæ pœnæ vindicativæ sunt, maximè degradatio, & aliquo modo majores excommunicatione. Hæc enim est pœna medicinalis quæ positâ resipiscentiâ delinquentis potest auferri. At degradatio est vinculum indissolubile carens spe remissionis, Bonacina de censuris disput. 1. quæst. 1. puncto 1. Suarez tomo 5. de censuris disput. 30. sect. 2.

V. Disputant hic nonnulli, an hic casus sit reservatus Episcopis. Noster P. Lezana contendit esse dumtaxat ex consuetudine, & ab aliquibus Episcopis specialiter & expressè Sic illum sibi reservat Episcopus Leodiensis, ut videre est apud Chapeaville supra de casibus reservatis. Vide plura apud Petrum Gregorium Syntagm. juris, lib. 36. cap. 2. Decianum supra lib. 7. cap. 25. usque ad cap 28. Farinacium quæst. 115. Christophorum de Paz, supra l. 78. num. 78. Thomam Valascum tomo 1. allegat. juris allegat. 13. Georgium Cabedo part. 2. decis. 45. Trulench in expos. decalogi lib. 7. cap. 22. dubio 3. & seq. Paradil. in summa legum pœnalium part. 1. cap. 23. Bernardinum Mascatellum in pract. crimin. tit. *de falsâ monetâ*, Azevedo lib. 5. & 6. tit. 17. lib. 8. novæ recopil. Cardoso in praxi judic. verbo *falsum*, Guttierez pract. quæst. lib. 3. quæst. 4. Aloysium Riccium in collect. in collect. decis. part. 1 decis. 172. de Franchis decis. 351. & 401. Mascardum de probat. decis. 1065. Layman supra.

CAPUT XII.

Immunitatis Ecclesiasticæ violatæ absolutio.

I. LEgimus lib. 3. Regum cap. 18. quod S. Pater Elias in Carmelo igne cœlitus in victimam suam demonstravit Deum Israel, ejusque cultum esse legitimum & ab omnibus amplectendum, perspexitque hac occasione populum ad suam religionem & fidem satis dispositum. Hac occasione usus, supplicium capitale pronunciavit adversus sacrilegos Baalis cultores, à quibus populus dementabatur, eosque omnes comprehensos jubet perduci ad torrentem Cison, ac mactari; quâ cæde peractâ regressus est in Carmelum, ibique intensiores, ac sæpius iteratas preces ad Deum fudit. Cur apprehensos in monte Carmeli duci præcipit ad torrentem Cison, & postea in montem iterùm revertitur? Cur suum præceptum executioni non mandat in Carmelo coram Rege, coram aulâ Regiâ, coram populo congregato? Veretur nè fortè rex ipsummet comprehendi jubeat, quem tam studiosè toto triennio perquiri jusserat. Ut cum juramento affirmat Abdias vers. 10. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quò nō miserit Dominus meus te requirēs & respondentibus cunctis, non est ibi, adjuravit regna singula & gentes, & quod minimè reperierit.* Minimè id Eliam movet. Poterat enim illum Rex ab illo itinere retardare auditâ hâc sententiâ. *Apprehendite Prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis.* Respondet Dionysius. *Achab ita fuit attonitus ex miraculo, quod conspexit, quod non audebat resistere, quia speravit per Eliam pluviam impetrare.* Hoc posito cur igitur S. Propheta mandat comprehendi & à monte Carmelo in torrentem Cison deduci, & ipse cum populo iterùm in Carmelū ad orationem revertitur? Respondet Cornelius. *Nè terra sancta eorum sanguine polluretur, nevè eorum cadavera aerem inficerent, idcircò ea devolvit in torrentē Cison*

l. 3. Reg. 18. v. 10

vers 10.

Dionys.

Cison, nec in terra, sed in aquis decurrentibus sepelivit. Cur ait *nè terra sancta, &c.* Cur præ aliis locis dicitur terra sancta? Respondet noster Joannes 44. Patriarcha Jerosolymitanus lib. de institut. Monachor. veteris legis
Joan. 44. cap. 20. *Non solùm sui exemplo, qui ex tunc per sedecim annos montem illum incoluit, sed quia præ cæteris eremis in quibus habitavit, montem hunc quibusdam magnis miraculis specialibus insignivit, per quæ Deum Israel esse verum Deum manifestè idololatris mõstravit.* Quibus fusè ostendit Patriarcha montem Carmeli tot miraculis portentis & actionibus heroicis Eliæ insignem potius nomen terræ sanctæ mereri, quàm illum locum, ubi Deus è rubo incombusto Moysem affatus est, ideòque Pseudoprophetas Baal, nõ ibi fuę idolatriæ pœnas luere, sed in locũ prophanum scilicet ad torrentem Cison deduci. Sic olim Adonias lib. 3. Regum cap. 1. vers. 50. *Timens Salomonem surrexit & abiit, tenuitq; cornu altaris,*
3. Reg. 1. v. 50. *& nunciaverunt Salomoni dicentes, ecce Adonias timẽs regem Salomonẽ tenuit cornu altaris dicens: Juret mihi Salomõ quod non interficiet servũ suum gladio. Dixitque Salomon, si fuerit vir bonus non cadet nè unus quidem capillus eius in terram, sin autem malum inventum fuerit in eo morietur. Misit ergò Rex Salomon & eduxit eum ab altari.* Ex his historiis colligo loca sacra fuisse reorum refugia, & tamen ex iis aliquando reos eductos fuisse, ut eorum crimina examinarentur, & indulgentiâ, vel pœnâ afficerentur.

II. Undè Patres & Interpretes docent immunitatem Ecclesiasticam esse de jure divino. Vide nostrum Bacconium in 4. distinct. 12. art. 1. Covarruviam resol. cap. 20. num. 2. Rodriguez tomo 2. quæst 50. art. 1. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. numer. 1. Bordonum resol 1. Suarem tomo 1. de religione tract. 2. lib. 3. cap. 8. num. 9. & alios. Quibus arridens Lyranus in c. 1. lib. 3. Regum ait *Ex hoc*
Lyranus. *patet, quod ibi erat refugium in aliquibus casibus, & multifortius debet esse in*
Dionys. *Ecclesia, cuius tabernaculum in veteri lege erat solùm figura.* Et concludit Dionysius. *Ex hoc quòd in tabernaculo illo erat locus refugii monstratur quàm rationabiliter Constantinus Imperator inter cætera privilegia dedit Ecclesiis, ut confugientes in eas, &c.* Quibus innuit lege civili immunitatem Ecclesiis etiam competere, in aliquibus tamen reos ejusmodi immunitate non gaudere, sed ad illa confugientes per vim posse extrahi. Quod etiam Ecclesiis seu locis sacris privilegium immunitatis jure Ecclesiastico concessum sit patet 17. quæst. 4. cap. *miror*, cap. *reum*, cap. *Prætor*, cap. *ad Episcopos*, cap. *melius*, cap. *si quis contumax*, cap. *metuentes*, cap *definiunt*, cap. *id constitutum*, cap. *inter alia*, de Immunitatibus Ecclesiarum, constitutione Gregorii XIV. *cum alias*, de quâ postea inquirendum nobis est quæ loca hoc privilegio immunitatis fruantur, & in quibus casibus tali privilegio immunitatis rei priventur.

Dico primò Ecclesiam cõsecratam privilegio immunitatis gaudere, ita III. Sylvester in summa verbo *immunitas*, Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *immunitas Ecclesiarum*, num. 2. & tomo 1. cap. 18. num. 83. Sanchez. Ratio est, quia est locus Sacerdotum. Secundò Ecclesia non consecrata, sed benedicta etiam gaudet, ita Bonacina de legibus, disp. 3. quæst. 7. de immunitate Ecclesiarum, §. 2. num. 1. Suarez, Layman, ex nostris Bacconius in 4. distin. 13. art. 1. Lezana supra num. 2. Ratio est, quia sic est etiam religiosus locus, Deo sacer & perpetuò consecratus. Tertiò, Ecclesia non consecrata, nec benedicta, sed divinis tantùm obsequiis dedicata, in quâ divina officia persolvuntur, ita cap. *Ecclesia*, de immunitate Ecclesiarum, Layman, Suarez, Bonacina num. 2. Quartò, etiam immunitate gaudent Ecclesiæ in quibus divina officia celebrata sunt, ita noster Lezana, Sanchez, Sylvester, verbo *immunitas*. Quintò etiam retinent illam immunitatem Ecclesiæ interdictæ, pollutæ, violatæ, & necdum reconciliatæ, ita Suarez supr. num. 9. Layman num. 2. noster Lezana num. 2. Ratio est, quia interdictum, pollutio, vel violatio non tollunt immunitatem, nec plus operantur quàm ca-

nones præscribant. Sextò Ecclesiæ dirutæ & destructæ absque superioris auctoritate, si adsit spes reparationis, ita Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 3. num 62. Bonacina supra num. 4. Lezana num. 2. Septimò in Cæmiteriis sivè conjunctis sivè separatis est immunitas, ita Abbas in cap. *cùm Ecclesia*, num. 2. de immunitate Ecclesiæ, Layman supra, Lezana loco citato & verbo *cœmiterium*, num. 3. Diana part. 4. tract. 1. de immunitate Ecclesiarum, resol. 108. §. *notandum*, Castro-Palaò. Ratio est quia cœmiteria sunt loca sacra, Secundò quia sunt sepeliendis destinata, & consequenter Episcopali auctoritate sacrata. Octavò, in atrio seu porticu Ecclesiæ adhærente simile est privilegium, Barbosa supra num. 64. Layman & Lezana num. 2. Et colligitur ex cap. *si quis consumax*, 17. quæst. 4. ubi Glossa verbo *adhærentibus*, alleg. l. 44. ff. de rei vindic. *quæ religiosis adhærent religiosa sunt*, & cap. *sicuti antiquitas*, cap. *quisquis*, cap. *definivit*, eadem quæst. 4.

IV. Ejusmodi immunitas extenditur ad fores Ecclesiæ etiam clausas si à delinquentibus possint tangi, ita Barbosa supra num. 65. Sanchez, & Lezana. supra. Decimò ad Sacristiam extenditur Layman supra. Undecimò item ad scalas Ecclesiæ, ita ex Farinacio refert Barbosa num. 66. Lezana supra num. 12. In campanili etiam ab Ecclesiâ separato esse ejusmodi immunitatem docet Antonius Novarius in summa bullarum, tit de immunitat. Eccles. num. 26. Ratio ejus est, quia palatium Episcopale quamvis divisum ab Ecclesiâ gaudet dictâ immunitate, igitur & campanile, cùm habeat plus spiritualitatis, dum ibi sunt campanæ oleo sacro consecratæ quàm palatium Episcopi, quia dum pulsantur exercent opera pia. Secundò, vulgò vocatur turris sacra, sed illi adversatur Diana part. 4. tractat. 1. de immunit. Eccles. resol. 108. aitque Episcopi palatium habere immunitatem non ratione loci, sed personæ & dignitatis Episcopalis, ideòque etsi multùm distet ab Ecclesiâ tamen gaudet immunitate, etiam carens oratorio, ubi Missa celebretur. Nec refert quod exerceantur opera pia in Dei honorem cùm pulsantur. Nam non omnia loca ubi exercentur opera pia immunitatem habent, nam in oratoriis domorum particularium celebratur Missæ Sacrificium, excipiuntur confessiones sœcularium, Sacra Sinaxis porrigitur, & tamen Sacra Congregatio Episcoporũ 17. Novembris 1617. negat illis competere immunitatem. Cui subscripsit Congregatio 9. Novembris 1631. Nihilominus censet Diana Novarii mentem approbandam. Si campanile ab Ecclesiâ disiunctum sit intra 30. passus probat ex decisione Sacræ Congregationis 7. Decembris 1632. *Immunitate* (inquit) *gaudet arriga, sivè campanile Ecclesiæ, ab eâ tamen distans, sed intra triginta passus, quæ sola modò inservit pro servitio Ecclesiæ*. Decimò tertiò immunitas Ecclesiæ extenditur usque ad confinia Ecclesiæ, seu usque ad 40. passus, si sit Ecclesia basilica, Matrix, seu Metropolis, si minor usque ad 30. passus. ita Sylvester verbo *immunitas*, 3. num. 1. Sanchez & Lezana supr. Probatur ex cap. *sicut antiquitas* cap. *definiunt*, cap. *quisquis*, 17. quæst. 4. Addunt Sanchez, Lezana supra, Bonacina num 6. modò consuetudo non sit contraria. Decimò-quartò, palatia Episcopi etiam ultra 40. passus distantia ab Ecclesiâ gaudent immunitate quamvis careant oratorio, in quo Missâ celebretur, ita Belletus in disquisit. clericorum part. 1. tit. *de favore Clericorum reali*, §. 4. Gavantus, Alzevedo, Ludovicus Correa, Diana contra Bobadillam, Covarruviam, Bonacinam, Piacesium, Ambrosinum. Ratio est, quia jura & canones tribuunt indistinctè domui Episcopali immunitatem. Igitur non est restringenda ad domum Episcopalem, quæ habet oratorium. Decimò quintò, palatium Episcopi etiam mortui gaudet immunitate, modò non sit alteri locata, ita Novarius in summa bullarum de immunitate Eccles. numer. 10. & alii. Decimò-sextò, undè confugiens ad palatium Episcopi, qui non sit intra confinia seu 40. passus, sed distet multùm ab Ecclesiâ

gaudet

gaudet immunitate, ita Azorius, Franciscus Leo, Gambarupta, Peregrinus, Megala, Anastasius Germonius, Diana contra Bobadillam, Covarruviam, Bonacinam, Pracesium. Ratio est, quia hæc immunitas concessa est ob dignitatem personæ Episcopalis, ob sanctitatem & dignitatem muneris. Igitur quemadmodum tota familia Episcopi quamvis laica gaudet immunitate ob respectum Episcopi, sic & domus ejus, seu palatium sivè habeat Capellam, sitque intra quadraginta passus sivè non. Secundò causa immunitatis est favorabilis non solùm Ecclesiæ, sed etiam delinquentibus, igitur non est restringenda, sed etiam amplianda, & licet foret res dubia, tamen pro reo, & pro Ecclesiâ debet favere, ut rectè Riccius resol. 42. num. 2. animadvertit. Decimo-septimò, Palatium Episcopi extra suam Diœcesim immunitate Ecclesiastica fruitur, ita Diana part. 4. tract. 1. de immunitatè Ecclesiæ resol. 12. contra Peregrinum, Antonium de Marinis Probatur primò ex Concilio Aurelianensi in cap. *id constituimus*, 17. quæst. ubi indistinctè asseritur palatium Episcopi gaudere immunitate absque limitatione propriæ Diœcesis, at ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Secundo, in favorabilibus favor extendendus est, ut in simili casu notat Germonius de sacrorum immunitate lib. 3. cap. 16. num. 49. Tertiò, hæc immunitas (inquit Gambacurta lib. 4. cap. 3.) est concessa loco rationè personæ Episcopalis, & ob sanctitatem & dignitatem muneris, licet careat Capellâ & sit extra 40. passus Ecclesiæ. Igitur ubicumque fuerit Episcopus ejus palatium debet frui immunitate ob ejus personam, cujus respectu concessum est hoc privilegium. Et quamvis Episcopus in alienâ Diœcesi nullam habeat jurisdictionem, nec possit exercere Pontificalia, tamen dignitas ejus personæ etiam in alienâ Diœcesi honore & reverentiâ digna est, debetq; Episcopus & Princeps sæcularis alienum Episcopum in suo districtu specialiter honorare, & locum eminentiorem ac propriam sedem cedere, licet suscipiens sit Cardinalis, & susceptus sit Episcopus, ut habetur ibi cap. *Episcopi*, 7. quæst. 1. & docet Alzedo post Zerolam & Cassaneum. Quartò, Palatia Cardinalium extra urbem degentium gaudent præfatâ immunitate, ut docent Maria Italia lib. 1. cap. 4. §. 9, Antonius de Marinis, Diana contra Castrum Palium, igitur & Episcopi.

V. Decimo-octavò, Familia laica Episcopi gaudet immunitate seu privilegio fori, ita Canonistæ in cap. *final.* de officio Archidiaconi, Joannes Andræas Hostiensis, Alzedo, Antonius resol. quotid. cap. 117. numer. 1. Panormitanus in cap. 2. Diana, Barbosa, Michael Graffis, Belluga, Decianus, Farinacius, Ciarlinus, Vega, Zerola, & plures alii. Probatur primò, cap. *cum non ab homine*, de judic. & cap. *final.* de offic. Archidiac. Ubi hæc exemptio fundatur indistinctè, & simpliciter sine distinctione personarum & delictorum loquitur. Igitur Officiales tanquam familiares absolutè & absque ullâ distinctione gaudent immunitate. Secundò, absurdum est dicere, quod Cocus vel Stabularius Episcopi gaudeat privilegio fori, & non ejus Præfectus, Notarius, &c. Undè meritò Cardinalis Gallus ex Paulo V. in quâdam epistolâ datâ Romæ 2. Martii 1601. asserit contrariam sententiam esse contra sacros Canones; igitur omnes Notarii, Actuarii, Scribæ, &c. Curiæ Episcopalis in omnibus commissis, etiam extra officium gaudent privilegio fori. Sellius in select. can. cap. 18. num. 25. addit Sacram Congregationem in unâ Soranâ, die 23. Aprilis 1614. idem declarasse Episcopi, de familiâ armatâ Episcopi, & consequenter gaudere privilegio fori. Et die 15. Aprilis 1615. declarasse eum non posse, nec debere capi jure per judicem laicum. Idem Sellius num. 26. affirmat eandem Sacram Congregationem die 11. Decembris 1615. dixisse quod Fiscalis Episcopi quasi ipsius familiaris gaudeat immunitate, nec teneatur ad munia personalia Civitatis. Idem S. Congregatio declaravit 6. Augusti 1602. de Notario Episcopi.

VI. Decimo nonò, per familiarem vel de familiâ Episcopi intelligitur is, qui est deputatus ad aliquod officium, & servitium, l. *fin.* C. *de praxi*, sac. scrin. lib. 11. Bartolus in l. 1. §. *familia*, numer. 5. ff. *de trib. & vect.* Mascardus, Farinacius, Thesaurus, Marcus Antoninus, & quandoque qui degit sub potestate, & correctione alicujus l. 1. C. *si rector Provinciæ*, l. 1. C. *si quacumq; præditus*, Marcus Antoninus, Barbosa, Vigesimò, Familia Episcopi titularis etiam fruitur immunitate, ita Ciarlinus, Galup, Carnavali. Probatur ex decisione Sacræ Congregationis 17. Januari 1628. apud Ciarlinum supra his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium cõtroversiis jurisdictionalibus præpositorum censuit familiares etiam Episcopi, seu Archiepiscopi titularis gaudere debere privilegio, ita tamen ut conveniri debeant, & sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non ab ipso Episcopo, seu Archiepiscopo titulari.* Vigesimo-primò, Palatia Cardinalium gaudere privilegio fori supra diximus, & asserunt Diana part. 1. tract. de immunitate, resol. 37. Peregrinus contra Duardum, etiam extra urbem. Ratio est, quia non constat de tali privilegio illis sublato, sed tantùm pro urbe Romanâ. Et cùm causæ aliquæ non militent extra dictam urbem, concludo in aliis locis extra statum Ecclesiæ reos ad dicta palatia confugientes gaudere privilegio fori, ita præfati Auctores. Non quidem ex jure scripto, sed ex consuetudine, ita noster Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *immunitas Ecclesiastica*, num. 2. post Navarrum & Sanchez. Vigesimo-secundò, Familia Vicarii Episcopi gaudet immunitate, ita Novarius de elect. fori quæst. 36. sect. 2. Antonius de Nigris in clement. unicâ, de vita & honestate Clericorum, Diana part. 3. tract. 1. de immunit. Eccles. resol. 46. Squalante, Aloysius Riccius. Vigesimo-tertiò, eâdem immunitate fruuntur non tantùm Ecclesiæ regularium sed etiam eorum domus, seu monasteria, ita Sylvester verbo *immunitas*, Portellus in dubiis regul. verbo *Ecclesia immunitas*, noster Lezana supra num. 3. Probatur ex constitutione Gregorii XIV. in bullâ *cum alias*, anno 1591. Per Monasterium seu domum non tantùm accipitur dormitorium, sed etiam totus ambitus & habitatio illius, etiam horti, & viridaria, ita Navarrus in manuali cap. 25. num. 17. Lezana suprà. Ratio est, quia id totum est locus sacer (inquiunt) Sanchez, Bonacina, Lezana proximè citatus contra Barbosam in collectan. bullar. verb. *immunitas*. Quare si quis confugiens ad Monasterium se projiciat intra muros ejus gaudebit hac immunitate, ita noster Lezana post Barbosam, Gambacurtam, & alios. Ratio est, quia hic locus censetur sacer.

VII. Vigesimo-quartò, Palatia Cæsarũ, & Regum frui hac immunitate docent Navarrus in manuali cap. 25. numer. 18. Sanchez. Vigesimo-quintò, Domus Parochorum, Canonicorum, & aliorum Ecclesiasticorum ad triginta passus proximas Ecclesiæ suæ gaudent immunitate quamvis etiam Laici commorentur, ita Decianus tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 16. Ambrosinus, Diana, Bonacina, contra Farinacium, Marinum Italia, Villalodos, Peregrinum. Ratio prima est, quia immunitas est quasi accidens morale loco affixa. Locatio autem est quasi actus veluti extrinsecus loco. Secunda, sequeretur esse in potestate locatoris ferre vel auferre loco privilegium immunitatis. Tertia, immunitas est concessa loco sacro, & existentibus in tali loco, at est per accidens quod in tali loco potius conductor sit, quam dominus directus, vel utilis. Quarta, loca sacra gaudent immunitate exceptis casibus expressis, hic autem nullibi reperitur expressus & exceptus. Igitur. Bonacina loco citato ait per passum intelligi mensuram quinque pedum, & per pedem accipi mensuram quindecim digitorum. Idem notant Tuschus tomo 4. littera I. Farinacius, & contrarias consuetudines damnat Gregorius XIV. Vigesimo-sextò, Sacerdos portans Venerabile Sacramentum Eucharistiæ gaudet immunitate, ita ut delinquens ipsum tangens, vel illi appropinquans nequeat capi, ita

Sylvester

Sylvester & Navarrus supr. Layman, Bonacina, Suarez, ex nostris Bacconius distin. 12. art. 1. Lezana supr. numer. 2. Ex Canonistis, Archidiaconus in cap. *quæsitum*, 13. quæst. 2. Abbas in cap. *sanè*, num. 2. de celebratione missarum, Martha, Julius Clarus. Ratio est, quia Corpus Christi longè dignius est, imò ratio & quasi fundamentum immunitatis concessæ locis sacris & religiosis. Nec refert, quod glosa in cap *quæsitum*, doceat contrarium, *Eoquod privilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet.* Sanè valdè rationabile est, ut reus ita fugiens, & salutem suam quærens ab Ecclesiâ defendatur, & maximè à primario ejusdē mysterio ac sacramento, & sanitatem præferente. Deinde privilegium potest extendi ultra casum expressum ex voluntate privilegiantis rationabiliter præsumptâ.

VIII. Vigesimo-septimò, eandem immunitatem tribuunt Doctores Hospitali Episcopi auctoritate erecto ita Layman, probatque ex cap. *adhæc*, de religiosis domibu Vigesimo-octavò, non desunt (inquit idem Layman cap. 3. n. 4.) etiam apud Clarum leg. cap. num. 5. qui dicunt, si reo ad supplicium ducendo Cardinalis obviam factus, pileum imponi faciat, à morte liberandum esse. Quod verùm censeri debet, ubi per consuetudinem tale privilegium Cardinalibus concessum est, qui (ut Clarus ait) Regibus æquiparari debent. Vigesimo-nonò, Eremitas, qui sub speciali obedientiâ alicujus superioris Ecclesiastici, verbi gratiâ, Episcopi, ex voto vel pacto alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco sacro deputati deservivunt (sivè in communitate, sivè privatim vivunt) gaudere privilegio fori & canonis docent Bonacina in bullâ Cœnæ disput. 1. quæst. 16. sect. 1. puncto 1. Coninck, Duardus, Barbosa, Layman, Squillante, Marta, Antonius de Marinis Diana, Lauretus de Franchis, noster Lezana quæst. regul. tomo 2. cap. 7. & alii. Ratio est, quia sunt personæ Ecclesiasticæ Deo dicati, & sub obedientiâ Superioris Ecclesiastici degunt. Trigesimò, non solùm Conversi, Laici, Oblati, Donati, seu Commissi qui veram professionem emiserunt, sed etiam alii qui eam professionem non emiserunt, se tamen, & sua religioni perpetuò obtulerunt, & in monasterio vitam degunt, habitu aliqualiter mutato gaudent privilegio canonis & fori, id docent Covarruvias in cap. *Alma mater* 2. part. §. 2. Rodriguez, noster Lezana quæst. reg. tomo 2. quæst. 8. num. 5. Ratio est, quia sunt personæ Deo dicatæ & devotæ, habitatione, & colore habitus similes Religiosis, & cum ipsis in multis participantes. Quod si in Monasterio non vivant, vel habitum aliquo modo non mutarint, sed in domo suâ habitent, non gaudent prætatâ immunitate, ita Hostiensis in cap. *non est dubium*, de sentent. excommunicat. Rodriguez, Lezana supra num. 6. Ratio est, quia non sunt personæ Ecclesiasticæ, undè percutientes eos Oblatos, qui in Monasterio vivunt, & mutarunt aliquo modo habitum, incurrunt excommunicationem ex cap. *si quis suadente*, non autem qui percutiunt eos, qui in domo suâ morantur, vide Barbosam de officio & potestat. Episcopi part. 2. alleg. 12. & alios ab eo citatos.

IX. Trigesimo primò, qui auctoritate Episcopi hospitalis erecti curam habent, seu illi deserviunt gaudent privilegio fori. Ita Castro-Palao in opere morali tract. 12. quæst. unic. vers. *quarto*, Carolus de Grassis, Valascus, Barbosa. Trigesimo-secundò, Milites Religiosi Christi Domini, S. Joannis, S. Jacobi, S. Benedicti, S. Stephani, S. Lazari, & alii similes gaudent privilegio fori, ita Navarrus cònsil. 12. 13. 22. de regularibus. Joannes Sancius in selectis disp. 49. num. 13. Bonacina, Petrus Gambacurta, Carolus de Graffis, Mandosius à Castro, Diana, Franciscus Emmanuel, Duarenus, Cæsarius de Graffis, Menochius, Joannes Maria, Novarius, Caballinus, Narbona, Aloysius contra Villadiego. Probatur primò ex eorum privilegiis. Secundò, ex decisione Sacræ Congregationis 25. Septembris 1627. in unâ Mantuanâ, quam referunt Sperellus in decis. fori Eccles. decis. 2. num. 120, Barbosa alleg. 12. num. 45,

Ratio est, quia sunt personæ Ecclesiasticæ, & profitentur religionem approbatam à sede Apostolicâ. Præfatorum Ordinum novitios etiam gaudere privilegio fori, seu immunitate Ecclesiasticâ docent Ambrosius Marchinus in resol. pro novit. Ordinum Milit. in fine, Ciarlinus, Bonacina, Duarenus, Castro-Palao, Diana, Novarius, Valenzuela, Didacus de la Mota, Serpio Rovitius. Ratio est, quia sunt verè Religiosi. Trigesimo-tertiò, Loca confraternitatum laicarum ordinatarum ad exercenda opera charitatis & pietatis etiam spiritualis, ut in alimonium pauperum, infirmorum, captivorum redemptionē, pauperum nuptias, &c. gaudent privilegio fori, ita Novarius tractat. de elect. fori sect. 2. quæst. 56. numer. 8. Riccius, Peregrinus, Diana. Ratio est quia sunt loca pia. Undè Novarius supra numer. 13. Diana, Barbosa de officio & potest Episc. part. 3. alleg. 71. num. 38. dicunt quod ejusmodi Confraternitates licet auctoritate Episcopi non fundatæ debent restitui in integrum. Trigesimo-Quartò, Clerici, seu quicumque ejusmodi immunitate gaudent nequeunt illi renunciare nec in civilibus, nec in criminalibus. Ita passim Doctores, Pesantius tract. de immunit. Eccles. disp. 6. citans cap. *qualiter, & quando*, de judic. Ibi Joannes Andræas Panormitanus, Ancharanus, Imola, Houdedæus, Gratianus, Surdus, Grammericus, Rolandus, Sayrus, Salonius, Fernandez, Diana. Ratio est, quia privilegium exemptionis à laicâ potestate non est concessum personis singularibus, sed statui Clericali. At nemo potest cedere privilegio concesso communitati, ut patet ex cap. *si diligenti*, de foro compet. Imò Clericum non posse de consensu Episcopi tali privilegio renunciare, notant Carolus de Grassis de effect. clericor. effectu 1. Farinacius de inquisit. quæstion 8. num. 13. Diana, Martha, & alii ab eo citati.

X. Trigesimo-Quintò, Nec talis immunitas potest per consuetudinem immemorialem revocari, ita Pereira de manu Regia, prælat. 3. num. 10. & 11. Comitolus, Surdus, Martha, Duardus, Bellerus, Alterius de censuris, Acosta, Azorius, Layman. Ratio prima est, quia cùm laici sint incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ, nequeunt unquam se tueri consuetudine immemoriali, quæ nunquam potest esse legitima ad præscribendum. Secunda ratio, omnis consuetudo libertati Ecclesiasticæ contraria reprobatur ex cap. *noverint*. de sentent. excommun. & ex authent. Cassianâ de sacrosanct. Eccles. Tertia, ratio ejusmodi est invalida & inefficax, eo quod singulis annis reprobatur per bullam Cœnæ, ut notant Tannerus in 2. 2. D. Thomæ disput. 5. quæst. 5. dubio 4. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 32. num. 23. Philiarchus de off. Sacerdot. tomo 1. part. 1. lib. 1. cap. 9. Martha, Franciscus Sosa, Bonacina, Joannes Franciscus Fagnanus de judic. cens. Pauli V. part. 4. Ugolinus in respons. ad juris gymnas. Patavini cap. 7. Vigianus tract. de libert. Ecclesiast. disp. 1. concl. 4. & disp. 5. concl. 1. Undè concludo cum Suare supra nullam consuetudinem, etiamsi immemoriabilis sit, ullo modo contra libertatem Ecclesiasticam prævalere posse. Solùm objici solent quædam particulæ, consuetudines aliquorum regnorum, quæ licet sint contra immunitatem Ecclesiasticam, sine scrupulo à Magistratibus laicis observantur. Ad illas possumus uno verbo respondere, illas consuetudines non ad jus, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, neque illorum rationem dare tenemur, sed ad illos hoc spectat, qui consuetudines observant. Addo cum eodem Suare cap. 34. numer. 16. consuetudinem turpem & exprobatam etiam immemorabilem non posse inducere privilegium. Nec obstat id, quod Covarruvias producit pract. quæst. cap. 35. num. 3. asserens à judicibus regiis aliquas Clericorum causas tractari, probans id consuetudine aliquorum regnorum, & nonnullorum auctoritate, maximè Garciæ in nobil. Hispan. Glossa 9. numer. 48. Salgado de protect. regiâ tomo 1. part. 1. cap. 1. prælud. 3. numer. 138.

mer. 138. & seq. Item ex jure quod consuetudo immemorialis legis & privilegii vicem obtineat ex cap. *super quibusdam, 26. §. praterea*, de verbor. significat. Et notat Riccius part. 4. decis. 89. num. 4. Joannes Narbona de appell. à Vicario part. 2. fundam. 4. num. 4. Eadem observant Cevallos tract. de cognit. per viam violentiæ glossa 4. & seq. Gonzales, Periera. Ad hoc respondeo cum Bellarmino in respons. ad quandam epistolam in favorem Venetorum, nos debere potius credere Scripturæ & Patribus, quàm Covarruviæ, qui in materiâ de jurisdictione est nimis partialis. Quare Princeps seu Magistratus aliquid non licitè efficit contra libertatem Ecclesiasticam, licet adsit tolerantia & consensus tacitus sedis Apostolicæ. Ita Azorius part. 9. lib 5. cap. 12. vers. *quæri solet*, Pesantius de immunit. Eccles. disp. 3. num. 2. Filiucius, Alterius, Acosta, & alii. Ratio est, non potest præsupponi consensus, cum singulis annis Papa in bullâ Cœnæ excommunicet contrarium facientes, & tollat cum amplissimis clausulis omnes consuetudines, part. 2. quæst. 96. art. 4. Sanè (inquit) nè tolerantia Papæ in hac re allegari possit in defensionem consuetudinis impedit vel ipsa bulla quotannis repetita, quæ diserte resistit ejusmodi consuetudini, nec verius corruptela, multò minus prævalere potest via præscriptionis, quæ nunquam nititur bonâ fide. Idem asserunt Vigianus, Layman lib. 4. tract. 9. cap. 10. num. 2. Barbosa in collect. Joannes Franciscus Fagnanus tract. de justit. censur. Pauli V. part. 4. Ugolinus, Tannerus in 2. 2. disp. 5. quæst. 5 dubio 4. Philiarchus. Deindè (inquit Suarez de legibus lib. 13. num. 12.) tolerantia quæ supponit solam scientiam non indicat sufficienter consensum. Ratio est nam multa per patientiam tolerantur, quæ non approbantur ex cap. *cum jam*, de præbend & Filiucius supra tomo 1. tract. 16. cap. 10. num. 156. Simplex tolerantia Papæ non est approbativa animo inducendi, vel confirmandi consuetudinem, sed potius ut vitetur scandalum. Nihilominus consuetudinem tacito Papæ consensu immunitatem Ecclesiasticam destruere docent Salas de legibus quæst. 96. tract. 14. sect. 11. Valquez. Turrianus, Salgado, Lessius, Molina, & Malderus ipse Episc. Antuerp. 2. 2. tract. 5. cap 6. dubio 6.

XI. Trigesimo-quintò, nonnulli dubitant an per aliquod privilegium sit in aliquibus regionibus Ecclesiasticæ libertati derogatum? omissâ responsione & negativâ accipe mentem Malderi, ait enim privilegia data Regibus aut Judicibus sæcularibus cognoscendi causas Clericorum non esse revocata in Bullâ Cœnæ. Privilegiũ (inquit) datum Regibus, aut Judicibus sæcularibus cognoscendi causas Clericorum nisi revocatum sit excusat contra immunitatẽ facientes judices An autem Papæ omnia quotannis revocent per bullã Cœnæ aliqui dubitant, Verius videtur non irritari, quia generalia verba, quæ rigidiora de hâc re erant in bullâ Gregorii XIII. à posterioribus Pontificibus temperata sunt: judicium interim sit penes sanctam Sedem. Hæc ille. Salgado de protectione regiâ tomo 2. part. 3. cap. 10. propugnat quandam consuetudinem vigentem in Lusitaniâ ex vi cujusdam privilegii à Sede Apostolicã concessi.

XII. Trigesimo-sextò, quod Principes laïci & judices carentes privilegio nequeant absque licentiâ Episcopi quidquam contra immunitatẽ Ecclesiasticã aggredi patet ex bullâ Gregorii XIV. cujus meminit Filiucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. Duardus, Diana, Ambrosinus. Simon Rao, & alii ab eo citati, Peregrinus qui asserunt, quod si judex vel alius minister justitiæ absque facultate Episcopi, vel ejus officialis, & interventu personæ Ecclesiasticæ adito Episcopo, vel ejus Officiali auctoritatem habente per vim exturbet reum, qui confugit ad Ecclesiam, grave sacrilegium committit & incurrit excommunicationem & pœnas contra sacrilegos prædictos statutas. Verba autem Gregorii hæc sunt. *Volumus, dictâq; auctoritate decernimus & declaramus, ut Curia secularis ejusq; judiciales & officiales ab Ecclesiâ, Monasteriis*

Greg. 14 *nasteriis, locisq; sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur deliquentem, in nullo ex supradictis casibus expressis, sine expressâ licentiâ Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis ad quos solos, & non alios Episcopos inferiores etiamsi aliis ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut conservatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat, occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios capere, extrahere, aut incarcerare, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis exceptis superius expressis culpabiles tradere aut captura & incarcerationi intervenire & assistere recusaverunt, tunc q; reverentia Ecclesiæ & locis sacris debita memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum scandalo tumultu extrahere curent.*

XIII. Hujus excommunicationis absolutionem ob violatam Ecclesiæ immunitatem ad Episcopum spectare docent. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. num. 72. Aloysius Riccius in praxi aureâ resol. 333. Item ab Episcopo absolvi debent ministri jurisdictionis laicalis qui in Ecclesia abstulerunt reo arma prohibita, ita Peregrinus de immunitate Ecclesiæ c. 13. Farinacius de immunitate Ecclesiæ c. 16. n. 24. Diana part. 1. tract. de immunit. Eccles. 8. contra Covarruviam lib. 1. var. cap. 20. Suarem, Fagundez, Portellum, Joannem de la Cruz, Gambacur. Probatur ex cap. 1. extra de immunit. Ecclesiæ, & cap. *de eodem titulo*, in 6. ubi expressè prohibetur judicibus sæcularibus ullam jurisdictionem in Ecclesia exercere secùdò. Sicut nequit Judex laicus reum ab Ecclesia extrahere juxta Gregorium XIV. ita nec potest reum armis spoliare absque nutu Episcopi, vel ejus Officialis quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Quod reus confugiens ad Ecclesiam nequeat per judices Ecclesiasticos vel laicos plecti pœnâ exilii vel carceris perpetui censent Farinacius de immunitate Eccles. cap. 21. num. 333. 335. Marius Italia, Hostiensis, Immola, Ancharanus, Diana contra Gambacurtam. Ratio est quia exilium & incarceratio est gravis pœna & computatur inter corporales, inquit Suarez de religione tomo 1. tract. 2. lib. 3. cap. 12. num. 61. Sunt etiam absolvendi ab Episcopo qui per vim tentant extrahere reum ab Ecclesiâ, quamvis revera non extrahant, ita Peregrinus de immunitate Ecclesiæ cap. 14. num. 7. Marius Italia, Diana contra Gambacurtam. Probatur ex verbis bullæ *Quidquid prætor* attentare præsumpserit *declaramus etiam*, ex glossâ verbo *tentaverit*. Cui favent Megala in part. 3. lib. 4. cap. 2. quæst. 2. num. 30. Notant Farinacius supra cap. 20. num. 321. Peregrinus, Ambrosinus requiri ad censuram non affectum, sed actum extrahendi. Judex qui non mandavit extrahere reum ab Ecclesiâ, sed satellites vel alii extraxerunt vi, vel dolo, tenetur sub pœnâ censuræ illum in Ecclesiâ restituere, ita Farinacius supra cap. 20. numer. 324. Peregrinus, Megala, Diana. Probatur primò ex bullâ quæ dicit *extrahunt, capiunt, & incarcerant*. Deinde Pontifex ait *Attentantes aliquid vel præter ejus formam.* Igitur attentatum retinens censuram incurrit. Undè Diana ait Neapoli judices, satellites, fiscales, carcerarios fuisse ob similem casum excommunicatos.

XIV. Quamvis præfata loca & personæ immunitate gaudeant, sunt aliqui casus in quibus ejusmodi privilegium non suffragatur ut patet ex bullâ Gregorii XIV. *Cùm aliàs* suprà relatâ. Cui subjungit. *Sed universis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, & Monasteriorum Prælatis tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis regularibus districtè præcipiendo mandamus & præcipimus ut laicos in prædictis casibus delinquentes ad eorum Ecclesiam, monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes atque morantes qui prædicta delicta, eorumq; aliquod indicio commississe videbuntur, quando à curia sæculari fuerint requisiti & quilibet eorum*

fuerit

fuerit requisitus Ministris & Officialibus Curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Qui autem sint illi flagitiosi? quibus immunitas Ecclesiastica non favet, breviter accipe.

XV. Privilegio immunitatis carent latrones publici, possuntque absque periculo censuræ capi in loco exempto. Probatur primò, ex constitutione citatâ Gregorii 14. Secundò, ex cap. *inter alia de immunitate Ecclesiæ.* Tertiò, ex Sylvestro verbo *immunitas*, 3. quæst. 2. nostro Lezanâ quæst. regul. tomo 3. verbo *immunitas Eccles.* numer. 8 & aliis passim. Illi autem sunt publici latrones, qui sunt publicè tales notoreitate juris: ut si quis in judicio hoc crimen aliquando confessus fuerit, vel ob id damnatus fuerit, vel propter notoreitatem facti, ut sunt publicarum viarum prædones, vel latrones communiter habiti. ita Barbosa de jure Eccles. lib. 2. cap. 3. numer 71. & 80. Ludovicus Correa in repetit. cap. *inter alia*, part. 3. num. 27 noster Lezana jam citatus: è contra qui non sunt latrones publici, nec notoreitate juris vel facti gaudent immunitate ex Soto lib. 5. de justitiâ, quæst 3. art 3 versu *Porrò autem*, Bonacina, Sanchez. Ex nostris Bacçomius in 4. dist. 13. art. 1. Lezana supra. Barbosa in colle & bullarum verbo *immunitas*, ait id declaratum fuisse à Sacrâ Congregatione 18. Martii 1631.

XVI. Privantur immunitate *viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores insidiis aggrediuntur.* Ita habetur in constitutione Gregorii XIV. & docent noster Lezana supra numer. 9. Bonacina, Farinacius, Panormitanus, Decianus, Ambrosinus, Barbosa. *Latro* (inquit Bonacina) *appellatur is, qui violenter aggreditur & dispradatur.* Publicus latro dicitur is, qui in publicis viis deprædatur, & ob frequentia latrocinia pro latrone communiter habetur, seu qui publicè & palam furatur, seu qui publicè transeuntes in viâ invadit, & spoliat. Grassatores differunt à latronibus ex eodem quod latrones dicantur, qui vias extra urbem obsident, grassatores qui in urbe, l. *Capitulum*, § *grassatores*, ff. *de pœnis.* Unde qui furantur in viis privatis non privantur immunitate. Ratio est quia nō dicuntur obsedisse vias frequentatas, juxta l. 1. C. *quando licet uni, &c.* Licet contrarium sentiant Suarez cap. 11. numer. 4. post Covarruviam. Notat etiam noster Lezana unam grassationem non privare Ecclesiasticâ immunitate, patet ex vocabulo *grassatores*, quod frequentiam significat.

Immunitate privantur *depradatores* XVII. *agrorum*, idest qui agros alienos diripiunt, segetes, fructus, surripiunt, agros vel vineas vastant. Probatur primò ex l. 1. C. *quando licèat*, apud nostrum Lezanam tomo 3 quæst. regul. verbo *immunitas Ecclesiarum*, numer. 10. Ambrosinum, Decianum. Lezana cum Bonacinâ supra, & Barbosa notat, quod licet in cap. *inter alia* fiat tantùm mentio *depopulatoris nocturni*, tamen Gregorius in suâ constitutione loquitur de quolibet depopulatore sivè nocturno, sivè diurno.

Privilegium immunitatis non XVIII. competit illis, *Qui ve homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumq; cœmeteriis committere non verentur.* Farinacius consil. 76. num. 7. vers. *ad tertiam dubitationem*, Bonacina, noster Lezaua num. 11. Sylvester, Navarrus in manuali cap. 25. num. 20. Probatur ex cap. *immunitatem*, de immunit. Eccles. & constitut. Gregor. XIV. Ratio istius dispositionis est, quia congruum non est, ut gaudeat immunitate Ecclesiæ, qui deliquit in Ecclesiâ, ex cap *frustra de usuris*, cap. *immunitatem*, pro quo notat Lezana post Navarrum citato numer. 20. Suarem, id esse verum, sivè hæc delicta sint commissa sub spe immunitatis Ecclesiæ, sivè sinè illâ. Pontifex namque absolutè loquitur, nec videtur intueri animum delinquentis, sed factum ipsius iniuriosum Ecclesiæ. Notat secundò cum Covarruviâ, Sanchez, id esse etiam verum in casu quo quis in unâ Ecclesiâ

commiserit illa crimina, & fugerit ad aliam. Ratio est, quia adhuc verum est illum perpetrasse illud delictum in Ecclesiâ. Notat tertiò idem Lezana & Covarruvias supra, & Suàrez num. 7. ,id etiam esse verum pro eo, qui existens extra Ecclesiam aliquem in Ecclesiâ existentem pilâ plumbeâ, vel sagittâ, vel lapide in eo missis mutilat, vel occidit. Notat quartò Lezana cum Navarro supra num. 21. Sylvestro supra quæst. 6. Bonacinâ num. 8. idem asserendum de eo, qui intra Ecclesiam existens alterum extra Ecclesiam existentem occideret, vel mutilaret. Notat quintò cum Ambrosino, Bonacinâ, Deciano supra contra Suarem citatum, id non extendi ad eum, qui existens intra Ecclesiam mandavit occidere, vel mutilare alium existentem extra Ecclesiam. Ratio est quia mandare ut mutiletur, seu occidatur, non est verè mutilare vel occidere, de quo tantùm Papa loquitur, præcipuè cum censura imposita cõtra aliquid agendum non extendatur ad mandantes, nisi exprimantur. Igitur etiam privatio immunitatis inflicta mutilantibus vel occidentibus, non verò mandantibus. Notant sextò Lezana supra, Suarez num. 9. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. Diana part. 5. in collectan. resol. 3. præfatam decisionem non procedere in casu, quo quis ea delicta committat propè Ecclesiam vel cœmiterium, etiamsi præsumptio sit id fecisse, ut brevi tempore ad Ecclesiã confugere posset. Probatur primò ex cap. *immunitatem*. Secundò ex constitutione Gregorii XIV. in quâ fit tantùm mentio de illis, qui hæc scelera perpetrant in ipsis Ecclesiis vel cœmiteriis. Igitur non debet extendi ad eos, qui id fecerunt in quacumque intentione extra Ecclesiam vel cœmiterium. Notat septimò Lezana, quod quamvis Gregorius XIV. in suâ constitutione dixerit, qui *homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesia committeret*, tamen unum vel alterum sufficit, scilicet occidere, vel mutilare. Primò quia talis est Ecclesiæ praxis. Secundò, quia alioqui deberet dici quod occidens & non mutilans (pro ut fieri potest) adhuc gauderet immunitate, quod est absurdum. Nec novum est aliquando sumi disjunctivè, ut animadvertit idem Lezana eodem tomo 3. verbo *dictio*, numer. 19. Bonacina supra numer. 10. Notant octavò Farinacius consil. 79. num. 14. lib. 1. Lezana supra, Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 3. artic. 114. quod perpetrans ejusmodi scelera in aliis locis sacris, quæ non sunt Ecclesia vel cœmiterium, non privetur hac immunitate. Ratio est, quia cap. *immunitatem*, & Gregorius XIV. loquuntur dumtaxat de perpetrante illa in Ecclesiis vel cœmiteriis. Et cùm sermo sit de pœnalibus & odiosis, non debet extendi ex identitate, vel majoritate rationis. Notant Diana part. 3. resol. 33. quod Novitius ob delictum ante religionis ingressum perpetratum non est à judice laico plectendus, licet sit ingressus in fraudem. Probat cum Bartholomæo de Vecchiis in praxi novitiorum disp. 12 num. 11. Casu quo ingressus religionem cum fraude juxta Xisti V. constitutionem de omnibus habitibus religionis spoliari, punirique debeat à judice sæculari, ac si religionem non esset ingressus, tamen quia Clemens VIII. hanc constitutionem hac in parte moderavit, ut Novitius privilegio fori gaudeat instar Clerici, qui statum clericalem fraude assumpsit, ideò sicut hic Clericus nequit plecti corporaliter à judice sæculari, sed dumtaxat in pecuniâ & bonis. Ita si judex sæcularis sit judex causæ, non verò persona ex mente Juristarum, sic Novitius in tali casu potest ad summum plecti à judice sæculari non corporali, sed pecuniariâ pœnâ. Dixi *ad summum*, quia Martha de jurisdict. part. 4. cent. 2. casu 121, numer. 21. usque ad finem, existimat Novitium non posse puniri à judice sæculari in pecunia & bonis, quamvis fraude sit ingressus religionem, sed à judice Ecclesiastico, Quibus non arridẽt Bonacina, Molina, Farinacius. Ratio eorum est, quia præsumitur suscepisse habitum in fraudem. Nota nonò cum Sayro, Abbate, Claro, & aliis apud Bonacinam de legibus disput. 10.

quæst. 2.

quæst. 2. puncto 1. §. 2. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 2. num. 5. Novitium habitu religionis dimisso gaudere immunitate ob delictum tempore novitiatus perpetrati, ideoque non posse ob illud plecti à judice sæculari. Est contra Molinam de justitiâ tomo 4. tract. 1. disp. 49. Joannem de Heniâ in Curiâ Philippicâ part. 3. §. 1, Bartholomæum de Vecchis in praxi Novitiorum disp. 11. Nota decimò, quod reus cum satellite ingressus Ecclesiam gaudet immunitate. Ita Diana part. 8. tract. 1. de immunitate, resol. 36. & alibi cum aliis, contra quosdam Jurisconsultos dicentes quod reus non recipitur ut liber, sed ut captus. Quibus respondet Diana, quod Canones loquuntur absolutè (scilicet fugientes ad Ecclesiam debere immunitate gaudere, & ubi lex nō distinguit, nec nos distinguere debemus, citatque pro se Marium Italia de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 70. Josephum de Augustino, Francisc. um del Bene, Francis. Bardi, contra Ambrosinum de immunit. cap. 10. Gammam decis. 141. Pegueram decis. 251. Notant undecimò Barbosa in collect. tomo 1. lib. 3. tit. 49. cap. 6. Diana part. 3. tract. 1. de immunit. Eccles. resolut. 37. frangentes carceres in quibus tenebantur ob homicidam vel aliud crimen, & fugientes ad Ecclesiam gaudere immunitate, imò & gaudet carceratus à custode relaxatus sub fide seu juramento de redeundo, si non rediens confugerit ad Ecclesiam, ita Farinacius de immunit. cap. 14. Diana sup. resolut. 37. est contra Peregrinum tract. de immunit. cap. 5. Notat duodecimò noster Lezana supr. num. 11. quod quamvis cap. *immunitatem*, & constitutio Gregorii XIV. videatur procedere etiam in aliis delictis extra homicidium & mutilationem, eaque committentes in Ecclesiis & cœmiteriis non gaudeant immunitate Ecclesiasticâ secundùm Navarrum supra num. 20. Suarem num. 6. Portellum in dubiis regul. verbo *Ecclesia immunitas*, & alios. Nihilominus contrariū verius est. Ratio est, quia Constitutio Gregorii XIV. tantùm mentionem facit homicidii & mutilationis in Ecclesiis. Igitur privatio immunitatis non est extendenda ultra casus illos in Bullâ contentos, cùm sit odiosa & pœnalis. Secundò quia Gregorius in eâ ponit formam observandam in extrahendis delinquentibus ex locis sacris; per particulam taxativam *tantùm*, non ait *ad unam tantùm formam reducimus & moderamur*. Igitur (inquit) post Riccium, Farinacium, Peregrinum, Bonacinam de legibus, Megalam, Dianam, Scortiam, Barbosam in collect. Suarem de religione, Graffis, Portellum, Raphaelem de la Torre, Tannerum, Gambacurtā, quia qui in Ecclesiis perpetrant furta, adulteria, &c. non gaudēt privilegio fori. Id Sedem Apostolicam declarasse refert Diana resol. 1. part. 2. *Qui proditoriè proximum suum occiderit privilegio immunitatis non gaudeat*, ita Franciscus Leo in thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 13. Barbosa in collect. bull. verbo *immunitas*, Diana supra resol. 5. Peregrinus tract. de immunit. cap. 7. num. 5. Farinacius de immunit. lib 9. num. 143. Bonacina de legibus disp. 3. quæst. 7. §. 4. num. 24. Probatur ex constitutione Gregorii XIV. Ratio est, quia est discrimē inter homicidium proditoriè perpetratum & non proditoriè, quod homicidæ proditores interficiant omninò incautum, & nihil tale cogitantem, vel cogitare debentem. Undè si quis alterum occidat, cum quo amicitiam, vel societatem simulabat dicitur proditorius occisor. Hinc mater interficiens filium infantem caret immunitate. Item is qui alterum veneno perimit, & mulier quæ pravis medicamentis procurat abortum. Non cessetur verò proditorius occisor, qui occidit hostem suum à tergo, dormientem, vel ex insidiis. Ratio est, quia occisus poterat & debebat prævidere se interficiendum, ita Lezana & Bonacina supra numer. 14. post Farinacium, Ambrosinum, & alios. Diana supra refert Clementem VIII. sic declarasse Archiepiscopo Panormitano. Hinc correctum videtur à Gregorio XIV. & Clemente VIII. jus commune ubi habetur oppositum, ut no-

tat Diana resol. 1. citatâ. Quod si quis attentet aliquem proditoriè interficere, sed non occidens licet vulneret, vel percutiat, non caret hac immunitate, ita Peregrinus de immunitat. Eccles. cap. 7. Diana part. 1. resol. 4. Bonacina de legibus disp. 2. quæst. 7. §. 5. Farinacius de immunit. cap. 9. contra Gambacurtam lib. 5. cap. 44. Probatur ex Gregorianâ constitutione ubi vox *occiderunt*, significat actum consummatum cum effectu in materiâ pœnali & odiosâ.

XIX. Non gaudent immunitate Eccles. rei criminis assassinii, ita Bonacina n. 17. Lezana n. 13. Probatur ex constitutione Gregorii XIV. per *Assassinios*, Naldus in summa verbo *Ecclesia*. Hîc propriè eos intelligit, qui pecuniâ, pretio, aut promissione interficiunt homines incautos; vel curant eos interficere, ita ut non tantùm occidentes, sed etiam mandantes priventur immunitate. Ratio est, quia in præfatâ constitutione privantur rei criminis assassinii, & tam occidentes, quàm mandantes necem sunt rei hujus criminis, ut notat Ambrosinus de immunit. cap. 7. Thesaurus in praxi part. 2. verbo *assassinium*, cap. 1. Quod si quis attentavit hoc scelus committere, non secuto tamen effectu, privantur hoc privilegio, Thesaurus supra, Diana part. 1. resol. 18. noster Lezana supra. Mediatores seu complices assassinii possunt etiam censeri rei assassinii, ita Peregrinus tract. de immunit. Eccles. cap. 7. numer. 37. citans Tuschum tomo 5. litt. E. conclus. 10. num. 10. & conclus. 11. num. 7. Caballum. Lezana supra contra Gambacurtam, Antonium de Marinis, Masullum, Dianam. Non dicitur reus assassinii, qui absque promissione, vel pretio alterum interficit, ut rem gratam alteri faciat, nec qui interfecit spe succedendi bonis ipsius, nec qui accipit pretium pro itinere faciendo ad occidendum, ita Bonacina supra num. 18. & apud ipsum Ambrosinus, & Vulpellus. Ratio est, quia non dicitur accipere pecuniam pro homicidio. Non censetur assassinus qui alterum occidit tantùm præviis verbis urbanitatis, seu præviâ dumtaxat promissione vagâ, seu jactatoriâ: ut si mandans homicidium dicat mandatorio se nunquam defuturum in ipsius necessitatibus, ita Bursatus lib. 1. consil. 20. numer. 4. Vulpellus, Bonacina & Barbosa apud Lezanam supra. Nec miles censetur assassinus (inquiunt Ambrosinus & Alciatus apud Bonacinâ sup.) Primò, quia non accipit mandatum ad occidendum hostem, cum quo bellum gerit. Secundò, quia nō dicitur occidere incautū. Nec qui cum sociis pecuniâ conductis, ita Ambrosinus & alii apud Bonacinam supra. Nec qui accipit pecuniam non pro interficiendo, sed vulnerando & percutiendo, ita Diana citatâ resol. 18. Riccius part. 1. decis. 112. Ambrosinus & noster Lezana supra. Nec si perimatur infidelis censetur assassinius si Doctorum opinio spectetur, nam Julius Clarus §. *assassinium*, Bajardus, Mascardus, Vivius, Comeus, Bossius, & alii apud Mascardum jam citatum, & Ambrosinum tuſtinent esse communem & receptam consuetudinem. Si tamen rei natura spectetur est assassinium occidere etiam infidelem, ita Bonacina supra num. 19. Ratio est quia illi censentur rei assassinii in Constitutione Gregorianâ, qui incautum occidunt accepto pretio vel promissione. Privantur immunitate rei hæresis, ita Lezana supr. num. 14. & alii.

CAPUT XIII.

Incendiarii & Incidentes arbores.

I. QUia jure communi absolutio & pœna incendiarii reservatur Episcopo ut patet in extravagante *super Cathedram*, de sepult. ubi Glossa verbo *à jure*, & cap. *si Episcopus*, de pœnit. & remiss. lib. 6. Hinc aliquid dicendum est de eo, qui malè, & privatâ auctoritate incendit domum alienam, segetes, cap. *cum devotissimum*, 12. quæst. 2. ita Gambarupta de casibus reservatis casu 5. num. 1. Barbosa de officio & potest. Episcop. Dixi *incendit*, scilicet actu. Ratio est, quia non sufficit attentare incendium, sed de-

bet actualiter incendere: ita ut si ignis casu extinguatur per supervenientem pluviam, nivem, &c. non censeatur incendiarius. Quamvis in foro exteriori, is cujus levi culpâ & negligentiâ aliqua domus, &c. incensa est, l. 3. ff. ad l. Aquil. & alibi tenetur ad damna & interesse, tamen in foro exteriori non tenetur is, verbi gratiâ, qui neglexit cooperire ignem; unde domus sua cum vicinis est incensa, vel quia imposuit ignem stipulæ, non advertens ad ventos, ex quâ postea horreum, vel segetes vicini flagrarunt, ita Felinus in cap. *sicut dignum*, numer. 16. de homicid. imo nec peccabit mortaliter, nec casus erit reservatus Episcopo, ita Gambacurta citatus num. 2. Barbosa,

II. Non tamen excusabitur à peccato si negligentia fuerit nimia, ita Barbosa num. 77. Ratio est, quia apertæ malitiæ comparatur, cap. ult. *de celebr. missæ*, ibi *apertâ malitiâ & nimiâ desipientiâ*, & l. *de aetate*, §. *qui tacuit*, ff. *de interrog. actionis*. Magna enim, dissoluta, & lata negligentia culpabilis, & dolo próxima est, l. *lata culpa*, ff. *de verbor. signific.* Undè si quis curam rei alienæ custodiendæ suscepit nec eam adhibet diligentiam, quam suis rebus l. *quod Nerva*, ff. *depositi*, cap. 2. eodē tit, si incendium immittat, tenetur non tantùm ad damnum illatum dolo, sed etiam ad id, quod provenit ex ejus culpâ, verbi gratiâ, si quis incendat domum alicujus, & ignis etiâ incendat domum vicini, tenetur ad damnum utrumque. Vel si quis combustæ stipulæ in agro proprio ignis impulsus vi ventorum incendat segetem vicini, ita Farinacius quæst. 110. num. 10. Joseph Ludovicus, Lælius Zechius, Franciscus Marcus. Patet ex cap. *si egressus*.

III. Quoad arborum & vitium incisionem, illi tenentur ad omne damnum, quod earum dominus patitur ex ipsarum incisione, & ad restitutionem fructuum, quos eorum dominus verosimiliter potuisset percipere singulis annis, deductis tamen impensis & laboribus, & hoc usque ad tempus illud, quò alia arbor iterùm plantata ita possit excrescere, ut tot fructus ex eâ possint percipi. Barbosa supra. Ratio est, quia sic damnificans est causa efficax, sine quâ damnum illatum nō esset. Ex cap. fin. *de jure jur.* & l. *nihil interest* ff. *sicariis*. Quia verò illud damnum est incertum, æstimari debet arbitrio prudentis viri, qui reducet ad æqualitatem quantùm poterit, ita post Navarrum, & Lælium Zechium Barbosa. Si fuerit infrugifera, debet aliquid deduci de futuro, habitâ ratione futuri eventus, ita Gambacurta casu 5. num. 6. Barbosa. Incidens arborem sitam in alieno solo licet suo aspectui noceat, nisi statutum vel servitus contraria existat, si nullum jus habeat, tenetur ad æstimationem damni. Ratio est quia si fundus vicini nullam debeat servitutem domui vicinæ præscriptam, vel aliter acquisitam, nè luminibus vicini officiat, poterit in proprio solo plantare, quamvis vicini luminibus officiat, ita Doctores in l. *cum eis*, ubi glossa ff. de servit. verbo *prad.* l. *alterius*, C. eodē tit. Non tamen tenetur ad restitutionem, nec peccat qui incidit arbores in suo fundo plantatas, quæ in eo radices egerunt, secùs si non egerint. Id colligitur ex §. *si Titius*, instit. de rerum divis. Opinio tamen contraria Richardi in 4. dist. 15. Navarri in manuali cap. 17. videtur probabilior. Ratio est, quia licet non teneatur ad restitutionem, sicut nec furripiens quod sibi videtur: tamen peccat quia sibi jus ministrat. Nec refert quod alius malâ fide in suo solo plantaverit. Ut notant Barbosa supr. numer. 82. Lælius Zechius casu 16. num. 2. Notat iterùm Cardosius in praxi judicum & advoc. verbo *arbor*, numer. 1. Sebastianus Nevi, Azevedo, Avendano, Perez, Gambarupta, Bonacosa. Quod quamvis hic casus exprimatur in plurali numero *vites*, *arbores*, tamen habebit etiam locum in unâ arbore, vel vite incisâ injuriæ causâ. Sic S. Eliæ, seu potius Deo maximè displicuit in Achabo Rege vineolæ Naburthicæ sibi commodæ invidia ac insatiabilis avaritia, ac voluntas commutandi illam vineolam in hortum olerum, lib. 3. Regum cap. 21. vers. 2. Injustaque possessio non minori cul-

l. 3. Reg. 21. v. 2.

pacaret is, qui vitem vel arborem alienam sibi vicinã suo aspectui importunam eradicare, vel abscindi curat. Isque casus non privato alicui sacerdoti, sed Episcopo tanquam alteri Eliæ Prophetarum apici corripiendus ac pœna infligenda & commutanda reservatur, vers. 19. *Hæc dicit Dominus occidisti insuper & possedisti, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth lambent quoque sanguinem tuum, &c.* Vers. 29. *Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me. Quia igitur humiliatur mei causã, nõ inducam malum in diebus ejus.*

CAPUT XIV.

De Blasphemiâ.

I. TAm enormis est blasphemia, ut noster Joannes Boets existimet idololatriâ pejorem. *Blasphemia* (inquit in expositione 3. in 2. præceptum Decalogi) *idololatriâ pejor videtur esse in hoc, quod idololatræ honorem auferunt Deo, sed blasphemus non solùm Deo honorem aufert, sed etiam contumeliam Deo infert.* Eam ità abhorrebant Judæi, imò Ethnici, ut nominare non auderent, sed per contrarium, idest benedictionem & laudem illam significarent (inquit sanctus Hieronymus epist. 34. ad Julianum) id patet in sacrâ Eliæ historiâ lib. 3. Regum cap. 21, vers. 10. ubi Jezabel Gentilis scribit primoribus Jezraeliticis. *Submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, Benedixit Deum & regem.* Cur ei benedictionem objiciunt? Est nè crimen Deum & Regem benedicere? Est potius actio laude & præmio digna, quàm vituperio & supplicio? ibi benedictio sumitur pro maledictione. *Est* (inquit Cornelius) *euphronismus per antiphrasim: quia enim blasphemia res est adeò horrenda. Hinc eam Iudæi nè nominare audebant, sed eam significabant putà per benedictionem & laudem.* Cui arridens Lyranus. *Propter honorem maledictionis eam significabant Iudæi nomine contrario.* Et Dionysius. *Tam horrendum crimen est maledicere Deum, quod juxta proprietatem linguæ Hebræa designabatur per suum contrarium.* Quod probat cum Lyrano ex cap. 2. Job, ubi insana uxor cõstantissimi ac patientissimi Patriarchæ suggerit illi instinctu dæmonis maledictionem & blasphemiam in Deum, qui illum tam diurnâ morborum ac laborum acerbitate torqueri permitteret. *Adhuc permanes in simplicitate tuâ, benedic Deo, & morere.* Quasi diceret: Cùm anteactâ vitâ, & Deo benedicendi studio nihil nisi ærumnas & dolores mirabiles reportaveris, morbosque læthales receperis, laudes in blasphemias, & benedictiones in maledictiones commuta. Pineda ibi. *Benedicere pro maledicere accipi debere locus ipse postulat, & dæmonis conatus. Hic enim suggerit & fieri hortatur uxor, quod dæmon procurandum & obtinendum sibi proposuerat, nisi in faciem benedixerit tibi.* Aitque esse irati animi muliebris signum. *Ut dicat* (inquit) *quasi volens se Deo ulcisci, quem credebat solum malorum auctorem. Deum maledictis onera, ulciscere, licet infælici morte paretur vindicta, nè prius animam exhales, quàm multis probris in Deum congestis dolori tuo satisfeceris.* Secundò D. Thomas & Lyranus supra aiunt mulierem voluisse Jobum ad inconstantiam in fide & religione inducere, ut cum blasphemaret, quem ante laudaverat, & cum ex suâ pietate tantùm ærumnas reportasset, nunc aliud vivendi institutum arriperet, & similis fieret Lucæ cap. 10. vers. 10. *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Quibus graves pœnas finaliter Deus minatur Eccles. cap. 2. vers. 17. *Væ his qui perdiderunt substantiam, & diverterunt in vias pravas, & quid facient cùm inspicere cœperit Dominus.* Tertiò, Sanctus Chrysostomus, S. Basilius dicunt hæc verba esse desperati animi & succumbentis doloribus & optantis mortem indicium. Quasi diceret: Lacessere Deum ut te interimat, verbis & manibus instar impiorum mortem accerse, contra illud Eccles cap. 22. vers. 2. *Nè festines in tempore obductionis* (id est calamitatis. Huic explicationi favens

Boets. — Dionys. — Iob. c. 2. vers. 9. — Pineda. — Eccles. 2. vers. 17. — Eccli. 22. vers. 2. — Cornel. — Lyranus. — l. 3. Reg. 21. v. 10.

favens Apollinaris ait. *Blasphemiam solam statuebat quæ subitam mortem adferret* Quartò Gaudentius Brixianus præfatione in scripturam non minus probabiliter existimat mulierem Jobo blasphemiam suadere, ut mortem debitam blasphemanti, & jure ac lege statutam suis verbis & blasphemiis sibi compararet, sicut rei diuturno carceris squallore fatigati tandem insigne aliquod flagitium perpetrant, ut indè tandem vel educantur ad patibulum, vel alio infami mortis genere vitam finiant. Ex quibus omnibus patet quàm enormè peccatum, & Deo exosum sit blasphemia, imò & ipsis creaturis, quandoquidem existimarint illam non esse proferendam, nisi honesto vocabulo occultam.

II. Sapiens in rerum non tantùm naturalium, sed etiam moralium notitiâ versatissimus illam proprio vocabulo exprimere ausus non est. Eccle siastici cap. 23. vers. 15. *Est alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Iacob.* Per mortem quidam intelligunt juramentum. Cur blasphemia dicitur juramento contraria? Quia juramentum videtur Deum honorare, nam eum tanquam veracissimum testem adhibet. At blasphemia habet apertam Dei inhonorationem. Vel dicitur contraria, quia veteres Hebræi adeò illam exosam & horribilem habebant, ut eam nominare arbitrarentur illicitum omninò esse. Dicitur vestita morte, quia præ aliis mortem non tantùm animæ sed etiam corpori affert. Vel ut Palacius. *Hæc loquela blasphemia quam benedictionem vocabant, erat contraria morti: quia benedicere Deum erat contrarium morti, Est enim benedicere vivere non mori. Ergò blasphemia ut per antiphrasim & per contrarium vocatur benedicere, ita per contrarium vocatur contraria morti, cùm tamen sit penitus mortifera. Certè benedictio Dei est contraria morti. Ut ergò blasphemia vocata est benedictio, ita vocatur contraria morti, aut certè erat contraria morti, id est maledictioni, quæ mors erat. Ait igitur Auctor, est alia loquela, scilicet benedicendi Deum, quæ contraria est maledictioni mortis, cùm sit tamen blasphemia.* Quæ cùm sit ita execranda optat ut exterminetur ab hæredibus Jacob, qui alio nomine dictus est Israel. Ipsimet Angeli illam pronunciare non sunt ausi. Accipe verba S. Judæ Apostoli in suâ canonicâ vers. 9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit imperet tibi Dominus.* Cur ait non est ausus? quia dedecebat statum illum ac naturam supremam Angelicam proferre seu mente concipere, cùm vox & locutio Angelica sit merè spiritalis. Ingeniosè Sanctus Hieronymus in cap. 3. ad Titum. *Merebatur Diabolus maledictum, sed per Archangelios blasphemiæ exire non debuit.* Ipsemet dæmon coram Deo non audet nomen blasphemiæ pronunciare, sed illam benedictionis velo obvolvit, ut supra dixi Job. cap. 1. vers. 11. *Nè fortè peccarint filii mei & benedixerint Deo in cordibus suis. Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*, ideſt maledixerit. Accipe mentem Didymi in catenâ Græcâ. *Verbum adhibuit speciosius, ne Deum verbo aperiore figere videretur.* Ibidem Olympiodorus. *Ne scriptura diceret blasphemabit, honesto usus est vocabulo benedico, sicut de Naboth dictum est, benedixit Deum & Regem* Quibus arridens S. Chrysostomus homil. 4. de patientiâ. *Scriptura benedictis maledicta velavit.* Huic modo loquendi alludere videntur Medici qui dum gravissimos morbos exprimere volunt, non utuntur nominibus propriis illorum, sed planè contrariis. Sic apoplexiam, ideſt morbum regium nominant. Epidimiam, Dei donum appellant.

Eccli. 22 vers. 15. Palacius. Job. 2. 11. Didym.

III. Ut distinctè sciamus quænam blasphemia sit casus reservatus, sciendum est blasphemiam aliquando fieri cum directâ intentione inhonorandi Deum, aliquando cum intentione indirectâ ac virtuali, quæ fit cum directâ intentione, reperitur in infidelibus, seu non credentibus, imò & credentibus Deum esse, sed de ejus misericordiâ desperantibus, vel ob justitiæ vindictam odio, irâ, ac indig-

Iud. epist. vers. 9. Hieron.

natione

natione eum persequentibus, ut patet in damnatis. Tunc blasphemia cùm indirectâ & virtuali intentione committitur, cùm quis scienter ac seriò profert verba, quæ ex propriâ significatione, vel ex modo dicendi, & aliis circumstantiis continent honoris divini diminutionem, licet eam homo directè non intendat. Cujusmodi sunt modi blasphemandi quamvis minùs graves & perfecti sint, tamen verè & propriè sunt peccata blasphemiæ, ut docet Sanctus Thomas quodlibeto 9. quæst. 13. art. 1. ad 1. Cajetanus & Bannes ibidem, Valentia, Sanchez.

IV. Rursus blasphemia alia est hæretica, alia simplex. Hæreticalis falsitatem continet, & tribuit Deo, quod ipsi non convenit, verbi gratiâ, injustitia, vel negatur de eo quod ipsi convenit, verbi gratiâ, providentia. Vel dum creaturæ tribuitur, quod Deo proprium est, ut si mulier suum amasium appellet Deum suum, Creatorem suum. Ejusmodi tamen blasphemiæ non sunt necessariò cõnexæ cum infidelitate, vel hæresi. Quia etiam locum habent in dæmonibus, hominibus damnatis, & malis Christianis, qui sciunt illas falsas & nefarias esse, ut quando de industriâ proferunt hæc verba: Non credo in Deum, denego Deum, maledico Deum, abnego fidem. Vide nostrum Joannem Boets expos. 3. in 2. præceptum Decalogi, Azorium instit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 5 Campanile, Joannem Vela, Bobadillam, Layman, Lazarium, Sanchez, Josephum de Vela, Sousa, & alios. Quia igitur hominem blasphemantẽ de hæresi suspectum reddunt, & similitudinem habet cum hæresi, ideò dicitur hæreticalis, ita Finellius de casib. reservatis casv 3. num. 28. Layman. Simplex blasphemia est, quæ non repugnat iis, quæ tenemur credere: vel quæ non opponitur fidei confessioni, licet sint gravissimæ: vel quia aliquid in Deo nõ tribuit quod ei cõvenit, vel tribuit Deo optativè, vel imperativè despectivâ, indignatione quod ei non convenit. Hoc modo loquendi: Pigeat, vel pudeat Deum, doleat Deus, per vitam, per crucem, per sanguinẽ, per sacramenta Dei: Utinam non sit Deus, dispereat Deus: O Deus Crucifixe! ô Dei vulnera! ô Dei sacramenta. Hæ blasphemiæ non dicuntur hæreticales, quia fidei confessioni non opponuntur, ita Suarez de religione tomo 1. lib. 1. cap. 5. numer. 8. Chapeavillus de casibus reservatis cap. 19. quæst. 2. Roias, Barbosa contra Filliucium de casibus reservatis casu 4. Floronum, Sanctarellum, Naldum.

V. Blasphemia iterùm dividitur in blasphemiam in Deum, & in B. Virginem, seu Sanctos. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 13. art. 1. ad 2. noster Joannes Boets. Et colligitur ex cap 2. de maledictis. Quæ blasphemia censetur esse ejusdem speciei. Ratio est, quia habet eandem rationem malitiæ, ut docent Cajetanus art. 1. in fine, Suarez, Layman. Quod verum est, si quis maledicat Sanctis ut Sancti sunt, sivè cum habitudine saltem virtuali ad Deum cui corregnant. Non autem ut quidam homines in terris fuerunt, quibus nunc excellentia sanctitatis accidentaria est, ut si quis de sanctis Cosmâ & Damiano dicat fuisse Medicos, de SS. Isidoro & Elisæo fuisse agricolas, de SS. Joanne & Paulo fuisse Eunuchos, de S. Spiridione fuisse pastorem ovium, de SS. Crispino & Crispiniano fuisse sutores, de sanctis Apostolis fuisse piscatores, &c. non censetur est blasphemia, cùm non redundet in Deum, sed est peccatum contra observantiam, sivè cultum duliæ tantò majorem debitum Sanctis, quantò consecuti sunt à Deo majorem excellentiam, Bannes quæst. 13. art. 2. Sanchez, Layman asserunt quod si præfata convitia proferantur in Sanctos non ex irâ, odio, indignatione, sed dumtaxat joco esse peccata venialia. Addit Layman quod si quis aliis creaturis in hoc mundo existentibus, sivè rationalibus, sivè irrationalibus maledicat, quatenus sunt creaturæ Dei, & cum habitudine ad Deum verè blasphemat. Differt tamen maledictio in res sacras, seu sanctos Beatos, à maledictione in homines viatores, seu creaturas irrationales non

sacras

sacras, quod illa censeatur referri in Deum si circumstantiæ & modus dicendi non præscindat ab habitudine in Deum. At secunda maledictio sæpè fieri solet aliâ intentione, quàm Deum inhonorandi Quomodò creaturæ irrationales possint variis modis maledici, est blasphemia in gravitate malitiæ seu cõtumeliæ differât, ideoq; Cõfessarius inquirere de iis debeat, vide Layman lib. 4, tract 10. cap. 6.

VI. Blasphemantes in Deum & B. Virginem non gaudere immunitate Ecclesiarum, docent Decianus lib. 6. cap. 26. Boërius, Bobadilla, Correa, Martha, sed contrarium sustinent Ambrosinus de immunitat. Eccles. cap. 8. num. 11. Peregrinus cap. 12. num. 12. Diana part. 4 resolut. 51. Megalius, Farinacius. Probant primò ex jure & Gregorio XIV. cum hac tamen distinctione, quod si blasphemia sit hæreticalis privat immunitatè, non quia blasphemus est, sed quia hæreticus. Secundò quia in constitutione præfati Gregorii XIV. & in Canonibus non fit mentio blasphemiæ.

VII. Blasphemiam olim Deus plecti præcepit lapidatione, Leviciti cap. 24 vers. 16. *Qui blasphemaverit nomẽ Domini morte morietur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* Unde Naboth lib. 3. Regum cap. 21. Naboth quasi blasphemus lapidibus obruitur à Jezraelitis. Lib. 2. Regum, Goliath Israelem blasphemans à Davide lapidis ictu è fundâ missi perimitur. Blasphemiam aliis etiam pœnis Deus castigavit, ut lib 2. Machab. cap. 9. Antiochus rex invisibili plagâ percutitur. Judith. cap. 11. Holofernes Blasphemus muliebri manu occiditur. Sozomenus, Ruffinus, & Eutropius narrant quod Julianus Apostata in bello Persico fuit lanceâ inter costas divinitus percussus, qui manu sanguinem suum in cœlum jaculans, dixit Christo. *Exple tram tuam Galilæe vicisti, vicisti.* Arius blasphemus in filium Dei alvum purgaturus viscera effudit, sicque expiravit. Nestorii lingua est à vermibus erota, quia dicebat B. Virginem Christi param, non Deiparam. Paulus Diaconus lib. 15. in Anastasio refert quod Olympius Episcopus Arianus Carthagine in clyamensium balneo se lavans (cùm Trinitatem publicè blasphemaret) tribus ictibus jaculi quasi fulminibus consumptus est, anno Christi 510. Chapeauville in historiâ Pontificum, & Fizen in historiâ Ecclesiæ Leodiensis scribunt, circa annum 1197. blasphemum Leodii divinitus punitum. Contigit enim die festo Natalis Domini, ut Albertus Episcopus publicum epulum daret post Missarum solemnia celebrata. Cùmque necessitati naturæ esset satisfactum, quidam ex discumbentibus æstuans à mensâ surgit, carnis assaturam manu deferens, intuitúsque in superluminari Christi imaginem sistit gradum. Malè sanus juvenis cachinnatur, quid isthic ageret, quærit, cæteris epulantibus cur non accumberet. Tum quasi indignatus nullum reddi responsum. *Verù suum totis viribus in mediam imaginis frontem torquet* (inquit Fizen) Fizen. seu (ut Chapeauville.) *Carnibus quasi ad edendum in altum sublevatis percussit faciem imaginis.* At cuspis in feriendo retorta impii hominis oculum confixit. Secundùm nonnullos blasphemus horrendè exclamans sceleratam animam expuit. Duplcix in Philippo II. meminit alterius blasphemi circa annum 1185. Cùm Philippus II. Rex Galliæ bellum iniret contra Regem Angliæ multorum hæreticorum præsidio fultum, quidam ex his militibus ludens taxillis ante templum in cujus porticu superiore erat imago Beatæ Virginis gestantis in sinu puerum Jesum in eam lapide misso pusionis brachium fregit, quod cum ingenti cruoris effusione in terram cecidit, qui a fidelibus collectus plurimos deinceps variis morbis affectos curavit. Blasphemus autem non impunè, nam illicò est possessus à dæmone, & ita tortus ut miserrimam animam expirarit. Noster Joannes Boets Flander postquam enormitatem blasphemiæ variis similitudinibus astruere conatus est, confirmat variis exemplis. Et primum auspicatur ab uno Clerico qui cum per quatuor annos decubuisset, iratus in hæc

1. 3. Reg. cap. 21.

blasphema verba prorupit. *Deus accepisti mihi corpus, & ego accipiam tibi animam, Diabole veni & accipe animã meam.* Quod divino judicio statim factum est. Post alia addit, quod quibusdam lusoribus Deum blasphemantibus unus eorum cultello suo in contumeliam Dei perforavit crucẽ in denario statim exivit sanguis. Miles per oculos Dei jurãs privatus est oculo in proximum alvearium cadente. Idem ex Cæsario narrat, quod cùm duo ludentes Deo maledicerent, alter tamen malitiam corriperet, ille magis insolenter etiam in blãsphemias B.V. cœpit debacchari. Et tunc cœlitus hęc vox audita est. *Meam injuriam quodammodo sustinui, sed injuriã Matris non dissimulabo.* Moxq; super tabulã percussus interiit, spumasq; ex ore quasi aper emisit. Nostet Waldensis Anglus ferè illi coætaneus, quæ se præsente acta sunt circa annum 1384. narrat lib. de Sacramen. cõtra Joannem Wiclef in hunc modum. *Historiam jam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ in Cathedrali Ecclesiâ sancti Pauli Londini, ubi venerandus Cantuariensis Antistes fœlicis recordationis, Thomas Arondelius filius & frater Comitum pro loco iudicis (assistentibus sibi Norvicensis Ecclesiæ tunc Præsule Alexandro & aliis) residens Episcopali sede, verba quædam & interrogationes proponebat de fide Eucharistiæ ad quendam sartorem de partibus Wigornia deprehensum in hæresi. Cùmq; flecti omninò non posset, nec aliud, quàm benedictum panem sacratissimam Hostiam volebat appellare, vel credere. Tandem jussus facere reverentiã Hostiæ, respondit blasphemus, Verè dignior est aranea reverentiâ. At illicò de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visa aranea ad os blasphemi directo filo pervenit. Et dum sartor loqueretur, ut intraret per polluta labia, aranea sollicitè laborabat. Astitit illustris Princeps Thomas Oxoniensis Dux, tunc regni Cancellarius, & vidit prodigium.* Subdit. *Præditus Archiepiscopus statim surgens cum aliis exponit omni illic collecto populo quid ultrix manus Domini faceret in blasphemum.* Hæc ille in honorem B. Virginis nostri Ordinis singularis Patronæ. Nonnulla exempla

Thomas Walden.

subjiciamus. Sophronius ĩn prato cap. 47. recenset insignem aliam ultionem blasphemiæ in Deiparam. *In hac* (inquit) *Heliopoli Phœnicia mimus erat quidam Gajanus nomine qui in theatro sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemia præbebat, apparuit autem ei sancta Dei Genitrix. Noli quæso, noli ita ladere animam tuam. Ille verò deterius illam blasphemabat. Undè ipsa tertiò ei apparens eadem repetebat. Cùm autem ille se non corrigeret, sed plus quoque blasphemiis adjiceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilq; dicens digito signavit ejus manus & pedes. Evigilans autem invenit se truncatum manibus & pedibus, atque ita infœlix ut truncus inutilis jacens confitebatur omnibus cujus rei gratiâ & quomodo hoc passus esset, usque propter blasphemias clementer cruciatus fuisset.* Relictis veteribus exemplis duo exempla nostri ævi refert Cornelius in cap. 25 Levitici. Hereticí (inquit) Hallas oppidum, ideſt propè Bruxellas, Statuâ B. Virginis miraculosâ celebre, capere cogitabant. Ex Ulla unus accedens ad Urbem. *Ego* (ait) *meis manibus Hallensi mulierculæ* (ita vocabat Statuam Beatæ Virginis) *nasum abscindam.* Audiit Virgo, & procurat, ut eidem plumbea glande ex urbe missâ nasus auteratur. Vixit ille miser nomine Joannes Zwinkcius, fuitque ipsismet Hollandis assiduo ludibrio, multos annos, & fortè etiamnum vivit; res est (inquit Cornelius) notissima. Subdit aliam historiam quæ contigit in oppido Sichemensi. Decem (inquit) sunt anni, ex quo Hollandi B. Virginis Sichemensis Sacellum expilarũt ab illo tempore, Ostendam perdiderunt, omniaque illis infœliciter, cùm fœliciter cesserant. Fuit inter eos eques habens equum cæcutientem, qui veniens ad Sacellum irridẽs dixit. *Si Maria hic miracula facit illuminet meũ equum.* Audiit Virgo blasphemum, moxque equo visum restituit, ipsum verò equitem blasphemum excœcavit, id ante mortem, & in morte confessus fuit socius ejus, qui ob aliud crimẽ Weerteli extremo supplicio affectus, ut ipsemet Weertensis

tensis Prætor, qui supplicio & quæstioni præfuit, scripsit ad me, qui tùm ad B. Virginem Sichemensem in missione degebam, & mirâ B. Virginis ope manus Hollandorum effugi. Hęc Cornelius.

VIII. Blasphemia etiam non hæreticalis sed simplex tam odiosa est Ecclesiæ, ut inter casus reservatos Episcopo recenseatur. Ita cap. de pœnitentiis, & remiss. lib. 6. Noster Joannes Boets supra Barbosa & alii; ejusque cognitionem & correctionem ad eundem Episcopum remiserit cap. 2. de maledicis: Salzedo ibi, Gambarupta numer. 2. Aloysius Riccius resol. 9.

IX. Hæreticalem autem blasphemiam ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis cognoscendam & animadvertendam esse docent Azorius institut. moral. part. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 5. Sanchez in præcepta decalog. lib. 2. cap. 32. Aloysius Riccius in praxi aureâ resolut. 9. Farinacius in praxi criminali, quæst. 20. & de hæresi quæst. 179. numer. 76. Salzedo, Armendariz, Alphonsus à Castro lib. 1. de justâ hæretic. punit. cap. 12. Covarruvias in cap. *quamvis pactum*, §. 7. numer. 12. vers. *Crimen autem blasphemia*. Barbosa, Simanca. Hanc opinionem veram esse existimo in locis ubi viget inquisitio, alibi autem illam hæreticalem blasphemiam ejusque judicium ad Episcopum spectare colligo ex Chapeauville de casibus conscientiæ, ubi publicam, enormem blasphemiam in Deum aut Sanctos, ac insignem contumeliam illatam Sanctissimæ Eucharistiæ, vel sacris reliquiis recenset inter casus reservatos Episcopo Leodiensi, sicut & nonnullos alios, qui ab Ordinariis fortè absolvi nequeunt. Nec immeritò cum vigilantissimi Pastoris & Inquisitoris officio tam sedulò fungatur. Nam (inquit Fizen in Historiâ Ecclesiæ Leodiensis scribens Eburonum Ordinibus.) *Quæ per Maternum Principis Apostolorum discipulum condita, quibus primùm ab illo imbuta sacris fuit, ea in hanc ætatem per longam, nec aliquando Episcoporum sibi succedentium serie constantissimè retinuit. Purum vides & sincerum Christianæ sa-* Fizen.

pientiæ fontem? Oriuntis ex eo fluminis latificat Civitatem, omnemq; Diœcesim, nullis aliunde permixtis aquis, nullo peregrino limo. Et quanquam pleraq; finitimarum Provinciarum infœlici obruerint inundatione lasè stagnantes impurorum dogmatum aquæ infaminata, jam vide ab annis mille quingentis & quadraginta semper profluxit ex eodem limpidissimo fonte Catholicæ doctrinæ sinceritas, & hic oblatrare quis audeat? Foris canes; apage hæreticos, infame monstrum hesternâ nocte natum diabolo patre mansit adhuc manebitq;. Numine favente, in perpetuum, quemadmodum voluit Hubertus & inscripsit, Sanctæ Legis Ecclesiæ Romanæ filia. &c.

X. Blasphemia ita detestata est antiquitas ut eam mixti fori esse censuerit, ut probat Covarruvias in cap. *quamvis pactum*, de pactis in 6. part. 1. §. 4. num. 12. Azorius, Menochius, Azevedo, Salzedo sup. Armendariz, Sanchez, Sigismundus Scaccias, Gabriel Pereira, Villalobos, Tiberius Decianus, & alii. Ita ut si Ecclesiasticus Judex prius de blasphemiæ flagitio inquisierit, nimisque levem pœnam inflixerit, possit judex laicus ex ejusmodi causa judicare, ac supplere usque ad condignam condemnationem, ita Covarruvias lib. 2 practic. cap. 10. numer. 6. Petrus Gregorius Syntagm. juris part. 3. lib. 47. cap. 4. Salzedo, Armendariz, Perez, Suar. Decianus, Bobadilla, Miranda, Mend. de Castro, Gomez Clarus, Aviles, & multi ex antiquioribus apud Cenedo.

XI. Quales autem pœnas præscripserit Jus Pontificum blasphemis colligitur ex cap. 2. de maledicis, his verbis. *Si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum; & maximè in Beatam Virginem, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum panis debitis subjiciatur, videlicet, ut septem diebus Dominicis pro foribus Ecclesiæ pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigiâ circa collum, & sextis quibusque feriis, intra illud tempus contentis in pane & aquâ jejunet, arceaturque ab Ecclesiæ ingressu, & tres, si poterit, alioqui duos pauperes, aut unum reficiat illis diebus. Quod si ad* Jus Canonicum

facultates ei non suppeditant, in aliam pœnam commutetur, quam si luere recusaverit, ei interdicat ingressus Ecclesiæ, & Ecclesiastică careat sepulturâ si decesserit. Quam pœnam luere debent non Clerici, sed laici; Ut Innocentius, Abbas, Hostiensis, Joannes Andræas testantur apud Covarruviam §. 7. num. 10. vers. *sed quia*, Bernard. in practic. cap. 113. Salzedo in addit. 1 C. Ratio disparitatis est, quia Clericus non agit publicam pœnitentiâ, ex cap. 1. *de bigamis*, cap. *de his.* 50. dist. cap. *Presbyteri*, 82. dist. Nè grex fidelium patiatur, & nè dignitas sacerdotalis vilescat, cui summa reverentia debetur. Ex S. Ambrosio lib. de dignit. sacerd. S. Chrysostomo lib. de sacerdotio, & aliis apud Belletum disquisit. Clerical. part 1. titulo *de disciplinâ clericali*, §. 1. numer. 1. Quæ pœnæ denotant enormitatem blasphemiæ in Deum & Sanctos ejus prolatæ. Huæ pœnæ utinam iterum infligerentur, non tam frequenter etiam Christiani ejusmodi verba proferrent. Aliam pœnam blasphemantibus injunxit Julius II. & Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 9. *Si munus publicum, jurisdictionem vè gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro primâ & secundâ vice dicti officii. Si tertiò* Concilium Lateran. *deliquerit illo eo ipso privatus existat. Si Clericus aut Sacerdos existat, eo ipso, quod de delicto hujusmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, eo privetur. Si plura, quod Ordinarius maluerit, ad amittere cogatur. Quod si tertiò ejus sceleris convincatur, dignitatibus, beneficiis quæcumque habuerit eo ipso privatur, existat, eâq. libere impetrari & conferri possint. Laicus vero blasphemus si nobilis fuerit pœna viginti quinque ducatorum mulctetur, & pro secundâ vice quinquaginta, pro tertia nobilitatem amittat. Si verò ignobilis & plebeius fuerit, in carcerem detrudatur, quod si ultra duas vices publice blasphemaverit mitra infamis per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis coronatus stare cogatur. Quod si supius in hoc peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, &c.* Quæ quidem pœnæ quamvis in desuetudinem abierint, tamen indicant, quam execrabile flagitium committant blasphemi. Justus Lipsius lib. 1. polit. cap. 4. refert Fredericum II. Imperatorem (ob hæc verba pronunciata, *Tres fuêre insignes impostores qui humanum genus seduxerunt Moyses, Christus, Mahomet*,) fuisse damnatum, imperioque spoliatum ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi. Pius V. permisit, imò decrevit constitut. quæ incipit. *Cum primum Apostolatus*, ut quilibet judices competentes possent in blasphemos inquirere & animadvertere. Accipe ejus verba notatu digna. *Ad abolendum nefarium & execrabile scelus blasphemiæ, quod in antiquâ lege Deus morte puniri manaat, & imperialibus quoque legibus præceptum est. Nunc autem propter nimiam judicum in puniendis segnitiem, vel potius desuetudinem supra modum invaluit.* Facit mentionem legũ Imperialium, innuens Cæsares, non tam politicè, quàm honoris Dei propagandi ac conservandi studio & zelo flagrasse. Pius 5.

Id patet in authent. *ut non luxurientur homines*, §. *præterea*, Covarruvias supra §. 7. num. 10. notat hanc pœnam locum habere, cùm quis incorrigibiliter solet Deum blasphemare, Ut quis dicatur consuetus blasphemare non sufficit bis vel ter blasphemasse, sed debet esse pravus & vitiosus usus blasphemandi, seu plures & iteratæ blasphemiæ (inquit Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam in summa bullarii verbo *blasphemia*.) (*Ad hoc* (inquit) *ut quis dicatur consuetus blasphemare, non sufficit, quod per duas vel tres vices id crimen commiserit. Alexander consil. 72. in vol. 1. numer. 8. Et quæ sit ratio specialitatis, vide per Rochum Curtium in rub. de consuet. quæst 5. num. 36. Boerium in decis. 301. sub num. 11. Sed ad inducendum pravum usum & vitiosum habitũ blasphemandi requiruntur multò plures reiterationes, Jason in l. ait Prætor, §. juravi, §. 14. §. de jure jurando, &c.* Porrò ultimum supplicium blasphemis præscriptum est pœna capitis seu mortis, l. ultim. ff. *de pœnis*, his verbis, ubi Cæsar ait. *Propterea talia delicta & fames, & terræ motus, & pestes* XII. Prosper de Aug.

eveniunt

eveniunt. Quæ etiam lex Imperialis, quamvis abrogata sit teste Julio Claro lib. 5. sentent. in practic. verbo *blasphemia*, numer. 3. tamen Nationes ac Provinciæ varias pœnas statuerunt.

XIII. Sanctus Ludovicus Franciæ Rex quendam Civem Parisiensem blasphemantem Christi nomen, in pœnam sui flagitii, aliorumque terrorem condemnavit, ut ferro candente labia ejus cauterisarentur, cùmque quidam Aulici, Nobiles, ac milites indignarentur, hæc ferre posse blasphemo impositam. Respondet, ego vellem tantam pœnam sustinere in labiis quamdiu vixero, ut hoc vitium à regno meo tolleretur, nec amplius Dominus Jesus Christus ab ullo hominum tali blasphemiâ offenderetur. Ejus successores paulò mitiorem blasphemo pœnam injunxerunt. Quandâ pœnâ primæ secundæ, tertiæ, quartæ injunxerunt. At pro quintâ vice blasphemans flagellari & injuriis ab omnibus affici ordinarunt. Pro sextâ vice sancti Ludovici decreto conformes labium blasphemanti superius aduri, ac scindi statuerunt, ita ut dentes appareant. Pro septimâ vice labro inferiori ferrum candens admoveri præceperunt. pro octavâ linguæ abscissionem statuerunt. Ita Covarruvias sup. §. 7 num. 11 Joannes Paponius lib. 3. arresto 20. Barbosa supra numer. 103. Nicolaus Boerius decis. 301. numer. 15.

XIV. In Hispaniâ (ut referunt Covarruvias supra §. 1. num. 11. Armendariz supra num. 21. Barbosa numer. 104. juxta l. 4. tit 28. part. 7.) blasphemus plebeius pro primâ vice flagris excipitur, pro secundâ signum crucis ferro candente labris imprimitur, pro tertiâ loquelæ incapax lingua efficitur per abscissionem. Quod si quis blasphemet in Curiâ Principis, aut intra quinque leucas, secundum l. 2. tit. 8. lib 8. novæ recop plectitur flagelli pœnâ & amissione mediæ partis bonorum. Juxta novas autem constitutiones blasphemus pro prima vice punitur carcere unius mensis, pro secundâ exilio sex mensium à loco habitationis, & pœnâ mille quadrantum distribuendâ in tres partes, accusatori, judici & pauperibus. Tertiâ vice blasphemantis lingua clavo perfossatur. Hodie loco hujus perforationis linguâ ligno præmitur. Quod si blasphemans sit conditionis excellentioris tertiâ vice blasphemus plectitur exilio unius anni, & duorum millium quadrantium mulctâ.

XV. Neapoli juxta Constitutionem Regiam, quæ incipit, *Blasphemantibus*, blasphemo amputatur lingua, insuper tertia, parte bonorum privatur ob pragmaticam sanctionem Ferdinandi Regis, incipientem, *Considerando*. Denique damnatur ad triremes per quadriennium per pragmaticam Philippi Regis, *Per e motti Ribaldi*, quas pœnas Senatus Neapolitanus cõmutat ob casus supervenientes, ut notant Vincentius de Franchis decis. 504. Bernardinus Muscatellus in practic. crimin. tit. *de blasphemia*, Vivianus, Thomas Grammaticus, Barbosa, Nicolaus Boerius, Matthæus de Afflictis.

In Lusitaniâ (inquit Barbosa) Ordinatio Regia Dionysii Nobili blasphemo imposita est pœna pecuniaria 20. scutorum cum exilio unius anni in Africam pro primâ vice. Equiti vel Scutifero 10. scutorum cum exilio unius anni in Africam. Plebeio quinque scutorum & triginta flagellorum ad pedem pali, cum funiculo & præcono. Pro secunda vice Nobiles, Equites & Scutiferi plectuntur pœnâ pecuniariâ & exilio trium annorum in Africam: Plebei verò damnantur ad triremes per tot annos. Liberumque Judicibus alias pœnas adjungere pro gravitate criminis. Venetiis etiam mulieres blasphemæ linguæ abscissione plectuntur (inquit Barbosa.) Plura de blasphemiæ peccato apud Chapeauville de casibus reservatis, & alios supra citatos. Cæterum Episcoporũ (maximè qui nequeunt absolvere à blasphemiâ hæreticali) est perpendere an delinquentium blasphemiæ sint publicæ, notoriæ & hæreticales, vel dumtaxat simplices.

CAPUT XV.

De exponentibus proprias proles.

I. SAcer Textus libro 3. Regum cap. 17. refert quod S. Elias Propheta peregrinus in terrâ Sidoniorum occurrit mulieri viduæ egredienti civitate Sareptanâ à quâ postulavit paululum aquę in vase. Ejus promptitudine in porrigendâ aquâ conspectâ, petiit & buccellam panis nè potus aquæ frigidæ noceret fatigato ac æstuanti. Quæ respondit vers. 12 *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydriâ, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Ideſt tanta est mea inopia, ut hoc pane cōsumpto, non mihi suppetant media, quibus altero die vivere possumus. Vers. 13. ad quā Elias, noli timere, sed, *Vade & fac sicut dixisti, verumtamen mihi primum fac de ipsâ farinulâ subcinericium panē parvulum & affers ad me, tibi autem & filio tuo facies postea.* Quid ais Propheta. *Mihi primum fac, &c. & affers ad me, tibi autem & filio facies postea.* Potius tibi dicendum esset, tibi primum, & filio tuo fac, facies postea mihi, & afferes. Intendis ex hoc beneficio captare occasionem illam cōvertendi, & à paganismo ad veram fidem reducere, & tamen eam à regulâ rationis & naturæ abducere vis, ordinemque dilectionis invertere. Nam (inquit S. Augustinus lib. 1. de doctrinâ Christianâ cap. 27.) *Ipse est qui ordinatam dilectionem habet, nè aut diligat, quod non est diligendum, aut* S. Aug. *amplius diligat, quod minus est diligendum, aut aquè diligat, quod minus vel amplius est diligendum, aut minus vel amplius quod aquè diligendum est.* Hæc Sanctus Doctor eodem capite & sequenti fusius explicat quid non sit diligendum, quid supra omnia, quid æquè, quid magis, quid minus. Charitatis ordo physicus & naturalis potest esse objectivus, vel subjectivus. Objectivus quo unum objectum est magis, vel minus, vel æquè diligibile juxta majorem vel minorem diligibilitatem, quæ major, vel minor, vel æqualis diligibilitas attenditur penes majorem, minorem, vel æqualem bonitatem ipsius objecti diligibilis: subjectivus est ipsa physica inclinatio & propensio charitatis ad sua objecta diligenda. Quemadmodum enim quævis natura non tantùm physicè inclinat ad suas proprietates, sed etiā ad eas habendas ordine quodam, ut natura intellectualis prius postulat habere intellectum, quàm voluntatem, quia illum postulat ut principium cognoscitivum, quod in operando præcedit volitivum, hunc ut principium appetitivum, quod in operando sequitur cognoscitivum. Ita charitas non inclinat dumtaxat ad diligenda objecta sua diligibilia, sed etiā ad ea diligenda eo ordine, quo sunt diligibilia, ut prius seu potius: at prius, potius, imò magis debemus nos diligere quàm proximum, ut docent Theologi cum Magistro sententt. in 3. distin. 29. & D. Thomâ 2. 2. quæst. 26. artic. 4. & Sancto Augustino lib. de mendacio, cap. 6. ubi ex verbis præcepti, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. cap. 22. colligit se ipsum diligendum plusquam proximum. *Nam & ipsa dilectio proximi, ex suâ cujusvis dilectione terminum accipit.* Igitur cùm regula semper sit prior & potior regulato. Prior erit dilectio sui, quàm proximi. Deindè id innatum est unicuique ut habeat primam aç potiorem curam sui ipsius, & inclinet ad perfectionem, conservationemque sui esse, quàm alterius. Quod non minùs intelligendum est de bonis corporis & fortunæ quàm animi. Cæteris paribus, magis ac potius nobis diligere & procurare debemus, quàm proximo, cùm non minus in bonis corporis, & fortunæ, quàm animi insitum sit unicuique à naturâ ut prima & potior sit cura sui ipsius, & secundùm D. Thomā 2. 2. quæst. 64. art. 7. teneatur homo magis suę vitæ prospicere, quàm alienæ, & seipsum defendere cum moderamine inculpatę tutelæ, & invasorem occidere

1. 3. Reg. 17. v. 12

occidere. Ex his principiis inferunt Theologi. Cæteris paribus, præferendos esse exteris concives, inter concives, collegas non collegis, amicos non amicis, carne junctos non carne junctis, benefactores non benefactoribus, sibi commissos cæteris, qui suæ curæ cõmissi sunt. Imò secundùm eundem naturæ impetum filius videtur magis diligendus & præferendus Patri. Primò, quia filius est conjunctior patri, quàm pater filio. Secundò, quia ex lib. 8. Ethic. cap. 12 Filius est quasi alter ipse in filio propagatus. Undè parentes filios amant ut seipsos. Tertiò, quia ex eodem Aristotele citato, Pater est certior de suo filio, quàm filius de suo parente. Quartò, quia ex 2. epist. ad Corinth. cap. 12. Non filii parentibus, sed parentes filiis thesaurizare debent, quamvis juxta D. Thomã 2. 2. quæst. 26. art. 9. S. Bonaventuram in 3. dist. 29. quæst. 4. Secundùm inclinationem charitatis, & rectè rationis pater sit magis diligendus, à quo majora & diviniora beneficia accepimus. Cùm igitur ô Elia sis extraneus, & non concivis, Hebræus & non Sidonius, non amicus, non carne nec religione junctus, non benefactor, non ejusmodi mulieris curæ commissus: quomodo in hâc temporum injuriâ accedis ad eam, stipem postulas, imò te præferri postulas ipsimet & ejus filio, qui unum tantùm diem vitæ sibi restare testatur. *Verum tamen mihi primùm fac.* Pro parente Eliâ respondeo primò, secundùm ordinem charitatis magis diligendi sunt sancti & justi, quàm peccatores propter conjunctionem justi cum Deo, & quâ carent peccatores. At vidua illa Sareptana & filius ejus erant gentiles & peccatores, ut ipsamet affirmat vers. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei, ingressus es ad me, ut* vers. 18. *rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Sciebat autem S. Eliam esse virum probum. *Præsentia hominis Dei latentem virtutem in animo indicabat* (inquit Philippus Abbas epist. 7.) Undè vocat illum virum Dei summi judicis & vindicis. *Unde* (inquit) Dionysius) *aut quid cõmune est nobis, & quare convenimus,* Dionys. *qui tam impares sumus in vita, itaque ex tua præsentia videtur mihi majus incommodum quàm commodum contigisse, &c. Idcirco veniisti ad me, ut respectu & comparatione sanctitatis tuæ magis appareant, & graviores à Deo judicentur culpæ meæ, sicq; occasione tui propter mea demerita Deus insit filium meum mori. Cùm enim oppositæ juxta se positæ magis appareant, quotidiana peccata hujus fœminæ, quamvis devotæ respectu excellentia meritorum quotidianorum Eliæ plus apparebant, &c.* Vel ut Cornelius Cornel. *Num veniisti ad me ô Elia, tanquam minister Elohim, idest Dei summi judicis & vindicis ut ad tuum ingressum puniar morte filii. Videbat enim ipsa Eliam quasi ministrum Dei punire scelera & cœlesto, ut cum toti Israeli ob cultum Baal induxit sterilitatem & famem. Est enim naturalis quasi antipatia inter sanctitatem & iniquitatem, ac inter sanctos & iniquos, ut una prædominans aliam excludat, & quasi interimat. Sic Eliæ severa sanctitas & sancta severitas videbatur hic elidere omnem iniquitatem familiæ viduæ, ac in ejus punitionem occidere viduæ filium.* Respondeo secundò S. Eliam dixisse. *Verumtamen mihi primùm fac.* Et à viduâ prolatum fuisse vers. 15. *Quæ abiit & fecit juxta* vers. 15. *verbum Eliæ.* Ubi doctissimè Eucherius in libros Regum. *Studio humanitatis omnem vim despexit naturalis affectus, non de se, non de parvulis sollicitat, nihil eam à mentis proposito revocavit, nec propriis sexus infirmitas, nec materna erga parvulos viscera pietatis occidit in se naturæ officia inhospitalitatis intuitu, & effectus est devotus erga hospitem matris animus filiorum crudele sepulchrum.* Ideò (inquam) ab utroque hæc prælatio facta est, quia videbat hanc refectionem Eliæ nam magis redundare in bonum Dei. Cùm enim solus Deus sit bonum universale, beneficium proximo potius conferendum est, quàm sibi, si magis redundet in bonum Dei. Id patet ex D. Augustino tomo 1. regul. 3. & D. Thomâ 2. 2. quæst. 26. art. 3. & 4. ubi docent bona communia esse præferenda propriis.

Hoc sensu explicandum est illud II. Apostoli 1. Corinth. cap. 13. *Charitas*

non

quarit quæ sua sunt. Ratio est, quia præferenda est persona, ex cujus salute pendet incolumitas Reipublicæ. At mulier Vidua licet gentilis tamen devota & religiosa (inquit S. Chrysostomus homil. 3. de Eliâ, & Tostatus quæst. 24. in cap. 17. lib. 3. Regum,) sciebat Eliam cœlestis veritatis, ac veræ religionis preconem juxta illud dominicum oraculum lib. 3. Regum cap. 17. vers. 9. *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te.* Ideſt revelavi viduæ adventum tuum, jussique ut te excipiat, & pascat, ut potè meæ religionis & cultus propugnatorem acerrimum. Secundò, quod si ex D. Thomâ sent. 3. dist. 29. quæst. 1. art. 5. ad 3. *Tradere seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis, undè hunc actum magis appetit virtuosus, quàm vitam propriam corporalem.* Et ex Aristoteles lib. 9. Ethicor. cap 8. *Verum est quod de probo viro dicitur, eum amicorum causâ & Patriæ multa agere, etiamsi pro ipsis mori fuerit oppedenda.* Et patet ratione. Is qui mortempro amico vel benefactore oppetit, non plus vitâ corporalem amici, quàm luam: sed potius virtutem in se ipso magis diligit, quam vitam corporalem propriam, qui pro amico vel benefactore mortem oppetit, illam oppetit ad servandam honestatem virtutis amicitiæ, vel gratitudinis, ex cujus motivo mortem oppetit. Undè fit, ut non liceat ex motivo conservandæ vitæ corporalis in proximo mortem oppetere, cum vi hujus motivi potius teneatur homo propriam, quàm alienam viram conservare: sed ex motivo eminentiori alicujus virtutis, cujus honestas amori propriæ vitæ prævaleat, verbi gratiâ, potest filius pro conservandâ vitâ parentis mortem oppetere, & consequenter pro amici, aut insignis benefactoris ex honestate virtutis. A fortiori, licebit pro publicâ utilitate vitam exponere, cùm honestas publica prævaleat privatæ. Quod de expositione propriæ vitæ corporalis dicimus proportionaliter de expositione bonorum externorum intellige, ut ea postponantur bonis communitatis.

l.3. Reg. 17. v. 9.

S. Thom.

Aristotel.

III. Quare cùm mulier vidua ex bono honestatis, & quidem publicæ, sustentationem vitæ Elianæ suæ propriæ & prolis præferat, actū heroicum fecisse censendum. Respondeo tertiò ideò à viduâ Eliam petiisse sibi coqui panem ante alios, & ipsam viduam Sareptanam prius parasse panem Eliæ Prophetæ, quàm sibi, ob oraculum Dei pollicentis, hydriam farinæ non defecturam in domo suâ, si hospitalitatis actum exerceret. Vers. 14 *Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, in quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Dionysius. *Non evacuabitur hæc farina, sed Dominus supernaturaliter multiplicabit farinam in eâ, nec lecythus olei minuetur, ita quod satis inveniatur in eo tempore opportuno.* Fortè etiam vidua quamvis Sidonia sciebat omnia fortè interire isto tempore famis, solo Eliâ Prophetâ Domini excepto, & alibi idē præceptū pascendi Eliam à Deo factum quod sibi fiebat, vers. 9. *Præcepi enim mulieri viduæ ut pascat te.* Juxta illud Davidicum psalmo 36. vers. 26. *Iunior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Titelmanus ibi. *Neque in spiritualibus solùm providet suis Deus, verum etiam in corporeis necessitatibus ad sufficientiam. Id quod ego per experientiam longam manifestè didici. Fui enim ego aliquando puer & adolescens ac iuvenis, ac nunc in ætate provectâ vivo senex. Et non vidi ego toto hoc tempore vitæ meæ virum justum, quem Deus destituisset omnibus vitæ necessariis, cui non tantùm ipse subministraret de cibis corporeis, quantùm erat ad vitam sustentandam necessarium. Neque filios justorum vidi prorsùs deficientes nutrimento, sicq; alimenta requirentes, ut invenire non possent, quæ vitæ sustentandæ sufficerent.* Id patet non tantùm in S. Eliâ, sed etiam in viduâ Sareptanâ quæ pro hospitalitatis mercede, non tantùm spirituali cibo verbi Dei pascitur, sed etiam toto tempore famis cum familiâ, multiplicatâ suâ farinâ & oleo pascitur. Accipe Sancti Chrysostomi mentem homil. 42. in Genesim. *Est autem & hoc admirabile,*

vers. 14.

Psal. 36. vers. 26.

Titelmanus.

S. Chrys.

&

& rarum, quod neque laboribus posset opus habebat, sed parata perpetuò erant farina & oleum. Et neque agricultura indigebat, neque boûm cooperatione, neque ullâ aliâ curâ, sed super naturam veniebant omnia. Et cùm Rex anxius esset, & fame laboraret, pauper vidua omnibus destituta, quia Prophetam susceperat in perpetuam venit abundantiâ. Propterea & Christus dicebat, qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ recipiet. Quibus verbis innuit Deum eo modo singulari providere justorum exceptoribus, quo ipsismet justis. Vis igitur S. Eliæ virtutes assequi, imitare viduam illam, si sis Sidonius & Baalita efficietis Christianus, tibique gratias & virtutes comparabis, ut innuit Divus Chrysostomus supra. *Ego quidem vellem vos Prophetam imitari, & ejus possidere virtutes; sed quia onerosum nobis esse videtur, si vel mulierem hanc imitemur, paulatim eò veniemus, ut Prophetam imitemur.*

IV. Ecce quomodò præfata S. Eliæ mendicitas, ac viduæ liberalitas non inordinata censenda est ob rationes adductas, nec favere parentibus qui infantes suos piis locis exponunt, cùm habeant undè ipsos alant, eo quod hi prolium suarum expositores feris pejores sunt, quæ quamvis usu rationis careant, tamen fœtus suos non negligunt, non abjiciunt. Deindè Jus Civile ita in parentes ejusmodi debacchatur, ut eos suarum prolium interemptores appellet, l. *necare* ff. *de liberis agnoscendis.* Ubi Jurisconsultus hæc pronunciat. *Necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat, sed & is qui abjicit, & qui alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet.* Vide Novarium in tract. de elect. & var. fori sect. 2. quæst. 10. num. 4. Hinc fit, ut cap. *si expositus*, dist. 57. insinuetur parentem sic exponentem Ecclesiasticâ districtione damnandum, qui post certum tempus expositum infantem non agnoscit, l. 2, C. *de infantibus expositis.* Dicitur, *Suum dicere non potest, quem præuntẽ contempsit.* Civili autem districtione expositores parentes pœnam sanguinis mereri patet ex citatâ leg. *necare*, & cap. *sui*, dist. 87. Glossa l. 2. C. *de patribus qui filio distraxerunt.* Textibus illis subscribunt Azo in summa tit. *de infantibus expositis*, Gregorius Lopez l. 4. gloss. 1. tit. 20. part. 2. Barbosa part. 3. existimat patrem exponentem prolem sivè legitimum, sivè naturalem tantùm judicis arbitrio esse puniendum per l. 2. Citatq; suæ opinionis fautores Menochium de arbitr. casu 396. num. 5 Aloysium Riccium in praxi aureâ resolut. 28. Vulpellium in consil. crimin. 94, numer. 11. Quod etiam intelligendum esse de patre exponente filium spurium docet Novarius tract de elect. & var. fori sect. 2. quæst. 10. num. 5. contra Vulpellium. Quæ omnia intelligenda sunt de patre exponente, vel sciente ab alio exponi, vel ratum habente, ita Azorius part. 2. lib. 2. cap. 26. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 3. alleg. 51. num. 146. Idem asserendum est de exponente filium malè valentem, languidum, cujuscumque ætatis sit, sicut de patre qui alimenta subtrahit & denegat filio languenti.

V. Goffredus apud Abbatem & Azorium existimant patrem, qui filium exponit, vel ei alimenta denegat patriâ potestate privari, sed Innocentius, Hostiensis, Joannes Abbas, Azorius probabilius tenent solum parentẽ, qui exponit prolẽ, jus patriæ & potestatis amittere. Quibus subscribunt Menochius, Surdus, Palcothus, Stephanus Gratianus. Probatur ex cap *si invito*, C. *de infantibus expositis*, Ubi sic habetur. *si invito, vel ignorante te, partus ancillæ, vel adscriptitiæ tuæ expositus sit, repetere eum non prohibueris: sed restitutio ejus, si non à jure vendicaveris, ita fiet, ut si quæ in alendo eo, vel fortè ad discendum artificium justè consumpta fuerint, restituas.* Et l. sequente. *Unusquisque sobolem suam nutriat. Quod si exponendam putaverit, animadversioni quæ constituta est subjacebit, sed nec dominis, vel patronis repetendi jus relinquimus, si ab ipso expositos quodammodo ad mortem, voluntas misericordiæ amica collegerit. Nec enim suam quis dicere poterit, quem perentem contempsit.*

Quæ verba tantùm intelligenda sunt de filiis languidis, quibus Pater denegat alimenta. Nam debemus pœnam mitius & benignius interpretari. Deindè, quia in his ex duplici capite pietas in filios violatur primò, quia filiis alimenta denegantur. Secundò, quia malè valentibus & languentibus, quod est detestabilius. Per infantilem ætatem intelligitur utque ad septennium inclusivè ex cap *litteras de desponsi. impub.* Per expensas quas solvere tenentur pro enutrito infante exposito, glossa in cap. ultim. dist. 87. existimat eas tantùm jure repeti posse, quæ factæ sunt in erudiendo & docendo puerò, non quæ factæ sunt in eo alendo. Ratio est quia (inquit Joannes Andræas) alimenta sunt ei data gratis, at quæ pietatis causâ eroganter in aliquem, minimè repetantur, ut colligitur ex cap. *sacrorum*, 12. quæst. 1. l. *alimen.* C. *de negan.* Quæ opinio cõfirmatur ex l. *patrem*, C. *de nupt.* ubi sic habetur, *Patrem qui filium exposuit, hunc nunc adultum sumptibus & labore tuo factum matrimonio coniungi filio desiderantis favere voto convenit. Qui si renitatur alimentorum solutioni, in hoc solummodò casu parere debet.* Sed huic opinioni repugnat. l. *si invito*, C. *de infant. expos. Si inuito vel ignorante tepartus ancillæ, vel adscriptitia exposita sit, restitutio eius ita fiet, ut si quæ in alendo, vel fortè ad discendum artificium iustè consumpta fuerint, restituas.* Licet verò hæc lex id dumtaxat decernat de servo, vel libero exposito, tamen etiam locum habet in filio exposito. Verius ergò existimat Abbas, quod si alimenta sint data ab eo qui dare debebat, ea jure non repeti, sivè protestatus sit se ea repetiturum, sivè non, verbi gratiâ, si Episcopus aluerit infantem expositum, vel si nutriverit tanquam pauperem ex communibus alicujus Ecclesiæ bonis, vel si nutritus fuerit in aliquo loco publico extructo causâ alicujus misericordiæ & pietatis, nisi cap. *ex eodem*, lib. 5. quæst. 7. is locus fundatus sit ad alendos eos qui egent: tunc enim parentes, si non egeant compensare debent impensas factas in eo loco ad alendum filium eorum. Et sic intelligendum id quod habetur in cap. *sacrorum*, 12. quæst. 2. & in l. *alimenta*, C. *de negotiis gestis.* Quod si alimenta data sint ab aliquo propinquo, credibile est pietatis causâ data fuisse, proindeque non esse jure repetenda, nisi protestatus fuerit se velle ea repetere, & sic intelligendum est cap. *nè sen.* ff. *de negot. gestis.* Quod si extraneus subministrarit alimenta, si protestatus est se velle recuperare, jure repetit, si non, tunc conjecturis res definiri debet. Dives enim potens, liberalis, pius jure non repetit, nisi in casu de quo habetur l. *patrem*, & sic intelligenda glossa dist. 87. cap. ultim. Etsi Pater exponens filium privetur patriâ potestate: non tamen eximitur ab onere eum dotandi, ita Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 167. num. 34. Homobonus de examine Eccles. pract. 10. cap. 4. quæst. 14. Barbosa supra num. 146. Ratio est, quia privatur dumtaxat patriâ, potestate, quoad ea, quæ sunt sibi utilia, non circa sibi onerosa, & damnum afferentia.

VI. Porrò quod Parentes etiam qui filios cõmodè alere & nutrire nequeunt graviter peccent, docet Azorius supra quæst 2. Quod si inopiâ, vel ægestate nequeant, aut sine dedecore & ignominiâ, curent saltem ut illi in hospitali aliquâ domo, ad id pietatis officium extructâ educentur. Sic enim de servo etiam decernitur, l. 1. C. *de latina liber. tollen.* §. *sed scimus. Si Dominus servum suum ægritudine periclitantem habeat, quem neque ipse curare possit, neque alteri commendare in Xenodochium eum mittat, vel quo poterit modo adiuvet.* Barbosa supra casu 10. hoc crimen parentum exponentium prolès annumerat casibus, qui possunt reservari ab Episcopo. Alios casus his omitto.

CAPUT

CAPUT XVI.

De enormitate Incestus.

I. SAnctus Chrysostomus in Catenâ aureâ ad cap. 4. Lucæ vers. 25. vocat Prophetam Eliam Angelum, *Elias terrestris Angelus, homo cœlestis.* Si terrestris quomodo cœlestis? si homo quomodò Angelus? Erat terrestris origine, cœlestis conversatione. *Homo similis nobis passibilis* (inquit S. Jacobus cap. 5. epist. can.) Angelus puritate mentis & corporis. Vel si vis. Elias est ignis. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Cornelius. *Surrexit Elias quasi splendor.* Quia quemadmodum ignis non tantum purus est, sed etiam omnia metalla purificat, splendor cæli omnes tenebras, omnem caliginem dissipat. Sic Elias quasi ignis calidissimus ac splendor fulgentissimus omnia vitia concremat, omnem errorum caliginem dissipat. Lib. 3. Regum cap. 18. vers. 38. ad ejus orationem. *Cecidit ignis Domini & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens.* Vel dicitur ignis splendens, quia (inquit Palatius in cap. 48. Eccles.) *Sicut ignis illuminat & calefacit, Elias sua vita, sua doctrina, & exemplo totum orbem illuminavit, & omnium corda in amore Dei inflammavit.* Vel denique Angelus est, ignis est, splendor est; quia Jezabelis impudicitias & impietates ferre non potuit. Quod Rupertus in cap. 17. lib. 3. & in cap. 2. Apocalypsis colligit ex ejus nomine. *Iezabel interpretatur nomen ejus fluxus sanguinis.* Statim ut apparuit Elias in eam aciem suam direxit, eique S. Joannes Evangelista querulus comparat comitem Episcopi Thyatiræ Jezabeli. Apocal. cap. 2. vers. 20. *Habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ seducit Prophetam docere, & seducere servos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Syrus. *Sinis uxorem tuam Iezabel, & docet, & seducit servos meos ad scortandum & edendâ, quod idololatra, &c.* OEcumenius *Decet ut scortentur & edant de his, quæ idolis immolata sunt.* Sic Christus castitatem ac virginitatem ita amavit, ita coluit, ut ab utero materno bellum indixerit voluptatibus carnalibus, Cantic. cap. 3. vers. 7. *En* (inquit Sapiens) *lectulum Salomon sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum.* Quis est ille lectulus Salomonis? Sanctus Bernardus, Rupertus, & alii accipiunt B. Virginem in cujus utero divinitas Verbi se concluſit, ac humanam naturam sibimet conjunxit in unitate personæ. Ab eo lectulo, ab ipso Matris utero bellum indixit impudicitiæ, habuit sibi astantes militares copias, milites armatos gladiis, & ad prælia exercitatissimos ad bellandum adversus carnales voluptates, & castitatem acerrimè propugnandam. Accipe verba nostri S. Cyrilli Hierosol. Catechesi 12. *Decebat sanè purissimum puritatis Doctorem ex purissimis prodire thalamis.* Si dux est, quomodò vocat doctorem? Dux est, quia omnium virginum & pro tuendâ castitate præliantium est antesignanus. Doctor, quia ostendit quibus armis carnis illecebras debellare oporteat. Uterus Virginis lectulus Salomonis est, quia (inquit Angelomus apud Canisium lib. 2. de Mariâ Deiparâ cap. 6.) sine nuptiali opere apparens intra Mariæ viscera Dei Filius totus puritatem halans, totus castimoniam intra carnalia Mariæ viscera positus efflans, nihil cogitat, nihil machinatur, quàm ut carnis opera reprobet ac destruat.

Ecclí. 48 vers. 1.

Lib. Reg. 18. v. 38

Palatius.

Rupert.

Apoc. 2. vers. 20.

II. Si alicubi appareat, si cum aliquibus conversetur, societas ejus casta est, lib. 3. Regum cap. 19. vers. 5. Sanctus Pater Elias fugiens Jezabelis furorem. *Projecit se & obdormivit in umbra juniperi.* Hebræus & Septuaginta, pro *Juniperi*, habent *Rochem*, vel *Rusham.* Versio Complutensis. *Rathmon* alii *Rhammum.* Cur Sanctus Propheta quiescat, sedet, & dormit sub Junipero, sub Rhamno? Quid per Rhamnũ intelligit? S. Methodius tract. de castitate apud Photium in bibliothecâ. *Rhamnus* (inquit) *virginitatem denotat.*

l 3. Reg. *c* 19 *v.* 3

Method.

Ideſt typus eſt vitæ aſperæ & mortificatæ, quæ caſtitatem generat & fovet. *Rhamnus arbor caſta eſt, & fortaſſe ex ſimili quodam cum virgine natura ſtirps hæc agnos appellatur. Rhamnus quidem propter robur & fortitudinem contra voluptates, agnos verò quod omni ex parte caſta & pura ſit.* Hinc concludit non abſque ratione Prophetã Eliam ſub junipero, ſeu Rhamno quieviſſe. *Unde & Eliam ferunt à facie Iezabelis mulieris fugientem ad Rhamnum primùm veniſſe, atque exauditum fuiſſe, cibumq; accepiſſe; qua fugientibus ſtimulum carnis & fœminam, & voluptatem, perfugium & tegmentum caſtitatis lignum, quod ab auctore Chriſto plantatum eſt iis, qui virginitatem complectuntur.* His ultimis verbis, *ab auctore Chriſto plantatum, &c.* innuit Chriſtũ eſſe caſtitatis parentem, eamque delineaſſe ſeu produxiſſe. Cùm è medio rubo apparuit Moyſi, Exodi cap. 3 *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ut ſignificaret ex virgineo utero Chriſtum hominibus appariturum, qui Pharaoni ac impuriſſimæ Ægypto bellum indiceret. *Rubus* (inquit Eucherius) *Mariæ Virginis præfiguratio eſt, eo quod quaſi de humani corporis rubo Salvatorem tanquã ro, am emiſerit, aut quod vim divini fulgoris ſine viri aſſumptione pertulerit.* Dicit Salvatorem, quia præcipua armatura ejus fuit caſtitas. Non igitur abſque myſterio Parens meus Elias fugiens impuriſſimæ, impiiſſimæ, ac crudeliſſimæ Jezabelis illecebras, idololatriam ac tyrannidem ad rubum, ſeu rhamnum confugit, ut inſtar Chriſti non cum impuris, ſed caſtis converſari velle ſignificaret. Suam in caſtos propenſiorem amorem ſignificavit, dum in monte glorioſus apparuit Matth. cap. 17 verſ. 3. *Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Cur Moyſes potius quam alius Patriarchã apparuerit; Præcipua ratio eſt, quia Moyſes Legiſlator fuit. At cur S. Elias, potius quàm Iſaias, Jeremias, Ezechiel, vel alii Prophetæ glorioſi illi apparitioni aſſiterit? S. Chryſoſtomus, Theophilactus in Matthæum, S. Thomas 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 3. adſcribunt ejus zelo, primò, quia gloriam Dei æmulatus eſt. Secundò, D. Hieronymus, lib. 2. contra Jovinianũ, & Tertulianus lib. adverſus Psychicos illud conſortium refundunt in jejunium. Tertiò, Toſtatus ait S. Eliam fuiſſe conſortem gloriolæ Transfigurationis ob analogiam & ſimilitudinem, quam habet cum Chriſto. Si enim Chriſtus jejunavit 40. diebus, & 40. noctibus Matthæi cap. 4. Sic & Parens meus Elias lib. 3. Regum cap. 19. Si Chriſtus idololatriam delevit, ſic & S. Elias lib. 3. Regum cap. 18. Pſeudoprophetas Baal. Si Chriſtus Regibus Herodi & aliis reſtitit, ſic S. Elias Ochoziæ, &c. Si Chriſtus legem tulit, illam S. Elias propugnavit. Seu potius in illud theatrum gloriolæ Transfigurationis convocatur ob ſingularẽ mentis & corporis caſtimoniam. Ut elegantèr docet S. Ambroſius libr. de Virginibus. *Elias nullius corporeæ coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus invenitur, ideò ergò curru raptus in cœlum, ideò cum Domino apparet in gloriâ,* ſcilicet Thaboris. Seu ideò S. Elias adhuc vivens & vegetus Chriſto tranſfigurato adeſt, ut innuat caſtimoniam immortalitatis pretium eſſe, Deoque gratiſſimum.

Exod. c. 3

Eucher.

S. Ambr.

III. Econtra carnalis voluptas ita Deo diſplicet, ut vitâ longiore ſit indigna. Id inſinuiſſe videtur S. Elias Regi Ochoziæ ægrotanti, & de ſanitate ipſum Prophetam conſulenti lib. 4. Regum cap. 1. verſ. 3. & 4. *Nunquid non eſt Deus in Iſrael ut eatis ad conſulendum Beelzebuth Deum Accaron, quamobrem de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Septuaginta vertunt. *Baal muſcam.* Hinc *Myodes*, erat Deus muſcarum, ſeu qui invocabatur ad abigendas muſcas, à quibus Accaronitæ moleſtabantur ob humiditatem & calorem terræ, & ob vicinum mare. Unde Plinius lib. 29. cap. 6. vocat Myodem Achorem, forſan quia colebatur ab Accaronitis, ſicut ad abigendos mures Deus Smintheus adorabatur, & ad abigendas parnopas ſeu culices, vel ſecundùm alios apud Pauſaniam in Allicis Gentiles Parnapio aras & templa extruebant. Nam ſecundùm S. Auguſtinum

4. Reg. c. 1. v. 3. & 4.

gustinum lib. 4. de Civit. cap. 16. & 23. Veteres omnibus rebus Deos assignabant Beelzebub igitur sivè Baal, vel Beel, & Bel, & Zebub idest musca erat simulachrum efformatum instar muscæ. Ex S. Gregorio Nazianzeno lib. 2. contra Julianum, & ex Theodoreto quæst. 3. in cap. 1. lib. 4. Regum. Undè Philastrius hæresi 13. numerat inter hæreses *Myolatras*, sivè *Musicçaronitas*, idest, adoratores Muscæ. Cornelius in cap. 10. vers. 25. Matthæi existimat Beelzebub habuisse cantum muscæ, sicut Ægypti Apum Deum specie & capite bo is. Anubin capite canis, Hammonem arietis, vel hirci, Æsculapium serpentis, & alios Deos ac idola equi, leonis, aquilæ, & aliarum volucrum formâ pingere ac colere consueverunt. Nomen Beelzebub Judæi Christo attribuerunt contumeliosè & sacrilegè. Undè Christus discipulos suos ad tolerandas injurias hortans, ait. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum, sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus & servus sicut dominus ejus. Si patrē familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus.* Idest si Judæi vocaverint me Beelzebub, qui sum Christus, Magister & Dominus, imò Paterfamilias respectu vestri, & hanc contumeliam patienter tuli, quantò magis vos, qui me sanctiores non estis. Muscam fuisse typum libidinis venereæ, & Beelzebub Deum vel Deam impudicitiæ, ob libidinem in muscis notam docent Interpretes. Quibus arridet Lucianus in encomio Muscæ, tradens olim meretrices quasdam fuisse vocatas muscas. Alii comparant dæmones muscis, ob multitudinem, insolentiam, impudicitiam, mordacitatem, sordes, fœtorem. Undè refert Cornelius in cap. 1. lib. 4. Reg. quod hoc sæculo dæmon specie magnæ muscæ vel crabronis involans in eum, qui relictâ religione Catholicâ, Anabaptismum profitebatur statum, eum quasi possidens effecit, sacræ Scripturæ peritum & eundem hac peritiâ privavit, quando veram fidem iterùm amplexus est. Quia igitur Rex Ochozias Beelzebub Deum libidinosum pro sanitate consuluit, ideò sanitatem non recuperavit. Quamobrem (inquit Sacer Textus) *Hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes sed morte morieris.* Scilicet (inquit Lyranus) *per divinam sententiam.*

Quod regio nomine luxuria indignos efficiat, patet ex eâdem historiâ Elianâ lib. 3. Regum cap. 18. ubi sanctus Propheta Achabum ita affatur, vers. 18. *Non ego turbavi Israel, sed tu & domus patris tui. &c.* Cur Propheta tam intrepidè, audacter, irreverenter Achabum affatur? cur non attentâ dignitate, omisso regis titulo ait: *Non ego, sed tu?* Quia fœmineis Jezabelis illecebris erat irretitus. Ingenuosè Sanctus Chrysostomus homilia 8. ad populum. *Elias non spectabat ademata & exteriorem regis apparentiam, sed animam sordibus imbutam, squallentem, sordidam & omni reo miserius affectam respiciebat, & ipsum intuens captum esse, & vitiorum servum ipsius principatum contempsit. Etenim tanquam in scena, sed non in veritate regem sibi cernere videbatur muliebres illecebræ tantam in eo Metamorphosim effecerant; ut non amplius verus rex, sed scenicus, non in palatio & throno, sed in theatro appareret.* Quippè ille verus Rex, qui luxuriæ flammas in se extinguit, illi apparens est & scenicus, qui illis flagrat, æstuat: Non Rex, sed mancipium est. Sanctus Ambrosius lib de Nabuthe cap. 5 muliebria studia depingens ait. *Mulier magis hortabitur, ut invidum muliebrem conferas. Undè potes, vel parvo tempore pauperem liberare. Delectantur & compedibus mulieres dum modo auro ligentur. Non putant onera esse si pretiosa sunt, non putant vincula esse, si thesauri coruscant.* Seipsos quidem aureis vinculis ligant, & corporeis compedibus vinciunt amasios autem ita & interius & exterius illaqueant, ut nulla mentis facultas, nulla corporis sit pars, quæ vinculis luxuriæ non sit constricta. Undè Varro lib. 4. de linguâ Latinâ ait vocabulum *venus*, derivari à *vincere*, seu potius *vincire*, ait enim. *Venus dicitur, non quod vincere velit, sed quod vincire & vinciri ipsa.* Undè non imme-

IV. 4. Reg. 18. v. 18

S. Chrys.

ritò Doctor Angelicus vocat mentem lascivientem, adhærentem. Quia tanta est animi libidinosi adhærentia & captivitas, ut ab objecto amato non tantùm animus, sed etiam caro, sensus corporei dissolvi & separari nequeant. Thomas *Luxuria* (inquit 1 2. quæst. 75. art. 5.) *Est maxima adhærentia, & difficile ab eâ potest homo eripi. Insatiabilis est enim delectabilis appetitus.* Vocat maximam adhærentiam, quia nihil magis vincit & ligat, & animos & sensus humanos sicut ipsa luxuria. Ejusmodi adhærentiam S. Chrysostomus oportunè comparat inferno S. Chrys. homil. 80. in Joannem. *Muliebre genus temerarium est, & inferno eius similatur cupiditas, &c.* Quare inferno? quia sicut in inferno nulla est redemptio, sic carnis vinculis constricti vix liberari possunt. Esto mulier sit in agro & ruri, vir in arce fortissimâ, in urbe inexpugnabili, hic ab illâ superabitur, & vincietur. Idem S. Chrysostomus, licet alio sensu, homil. 30. in cap. 12. ad Hebræos. *Attende mulieres, quæ in agris agunt vitam: fortiores namq; viris sunt, qui sunt in civitatibus constituti. Et si eas permittas cum illis athletico more certare multos hujusmodi viros sine dubio superabunt.* Et si Herculeis, vel Samsoniticis viribus prævaleas, tamen muliebri fortitudini cedere te oportebit, & ad ejus nutum in horrenda flagitia præcipitari. Quid mollius & delicatius lecto muliebri? & tamen nihil nisi funes, nisi laqueos nisi vincula circumspicio, ut ipsamet mulier fatetur Proverbior. Proverb c. 7. v. 16 cap. 7. vers. 16. *Intexui funibus lectulum meum, &c.* Septuaginta habent. *instratis.* Versio Græca, & Complutensis. *Funibus tetendi lectulum meum.* Videre vis in quæ horrenda flagitia luxuria suum captivum præcipitet. Propone tibi ante oculos Jezabelem, qui Achabum affatur, quasi captivum 1. 3. Reg. 21. v. 7. & vinctum suum lib. 3. Regum cap. 21. vers. 7. *Grandis auctoritatis es, & benè regis, surge & comede panem, &c.* Ejus annulum seu sigillum accipit, regioque illo annulo munitas litteras mittit ad judices Jezraelitas, mandat ut Naboth quasi blasphemum saxis obrui curent, ejusque stirpem omninò deleant, denique negatam vineam possidendam Achabo tradit. Undè non casu, sed divino consilio & providentiâ factum est, ut ejus sanguis pro aquâ lavandis meretricibus inserviret, lib 3 Regum cap. 22. vers. 38. *Laverunt currum ejus in piscinâ Samariæ.* Dionysius. *Et laverunt mulierculæ.* Septuagintâ. *Meretrices lotæ sunt in sanguine ejus.* Josephus. *Meretrices post hæc ex eo fonte aquabantur.* Rationem addit Serarius ex Procopio & Theodoreto. *Noctem flumine purgant, dum mane se lavant.* Quid per mulierculas & meretrices intelligit? voluptatem carnalem. S. Ambrosius libr. de Abel cap. 4. relatus à Salazar. in cap. 7. Proverb. *Quid tam meretricium, quàm sæcularis voluptas?* Quæ sanguinem regium adhibet ad lavandum se. Quid communius aquâ, quid nobilius sanguine regio? hunc venerea libido ita abjicit, ut illo utatur ad expurgândas sordes suas. 3. Reg. cap. 22. vers. 38.

Incœstus inter peccata carnis tam enorme peccatum est, ut nefandum, impium, & concilium peccatorum nuncupetur, Levitici cap. 18. vers. 17. *Filiam filii eius, & filiam filiæ eius non sumes, ut reveles ignominiam eius, quia caro illius sua, & talis incæstus coitus est.* Hebræus *Nefas est.* Septuaginta. *Impietas est* Chaldæus. *Concilium peccatorum.* Non tantùm nefas est, impietas est, sed *concilium peccatorum*, congeriem, congregationem peccatorum cujuscumque sint naturæ, speciei, enormitatis. Undè videtur magis opponi castitati quàm ullum aliud peccatum carnis, incœstus enim dicitur quasi non castus. Undè S. Augustinus lib. 32. quæst. 7. cap. *adulterii*, existimat incœstum adulterio multò esse enormius. S. Aug. *Adulterii malum vincit fornicationem. Vincitur autem ab incæstu, pejus est enim cum matre, quàm cum alienâ uxore concumbere.* Aliæ carnalis cupiscentiæ species aliquod pudoris specimen præ se ferunt. At incœstus omninò inverecundus est, pudore excutit, id patet Genesis cap. 19. vers. 36 ubi filiæ Loth Sodomis egressæ, Patrem vino, somnoque sopitum ad concubitum provocarunt, filius ex illo procreatus quomodo vocatur. V. Lev. c. 18. v. 17

Conceperunt

Conceperunt ergò (inquit sacer Textus) *duæ filiæ Loth de patre, peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab.*

Hieron. Quid illud vocabulum Moab significat? S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis *Moab* (inquit) *interpretatur ex patre, & totum nomen etymologiam habet.*

Cornel. Cornelius. *Impudens fuit hæc filia in congressu, impudentior in nomine prolis, quo crimen suum publicat.* Quibus arridens Cajetanus non minus appositè. *Inverecunda satis fuit puella prima pubicans incæstum in nomine filii, ex hoc autem insinuans quàm audax, prius consulendo sibi & sorori incæstum paternum.* Illud monstruosum scelus Ammonis opprimentis sororem suâ Thamar ubi ad aures Davidis patris pervenit hic maximo mœrore affectus est lib. 2. Regum cap. 13. versu 13. de illo incæstu *Prævalens viribus oppressit eam & cubavit cum ea.*

S. Chrys. Sanctus Chrysostomus lib. 3. de providentiâ ait Davidem hoc facinus acerbius tulisse, quàm ullam aliam calamitatem. *Fabulas omnes, omnemq; tragediam vicerunt Regis Davidis clades adeò illi monstruosa & invicem sibi succedentia adversa domui suæ contigerunt, cùm clades cladibus succedere pergerent. Consitera quæso adamavit sororem Thamar Ammon, frater Amatam vi oppressit, eamq; violationem, nefariumq; concubitum prior ipse patefecit.* Non ipsa patefecit, non ancillæ, non domestici, sed ipse tam inverecundus, tam impudens fuit ut proprium scelus propalarit; quod Patri maximum attulit dolorem. Undè Sanctus Doctor opportunè ait. *Considera quæso, &c.* Quasi diceret, quemadmodum incœstus ille Ammonis cœtera peccata enormitate superat, sic & graviorem dolorem Regi Davidi caulavit.

VI. Quomodò olim Deus incœstus punierit pœnâ orbitatis, igne & aliis suppliciis, vide Cornelium in cap. 20. Levitici. De enormitate illius differunt nostet Joannes Boets cap. 5. in septimum præceptum, S. Thomas 2. 2. quæst. 150. art. 9. Gradum incœstus exprimendum esse in confessione docent Clavis Regia lib. 8. cap. 4. num. 3. Didacus Nugnus, Rodriguez, Bonacina, Valentia, Suarez de pœnitentiâ, Coninck contra Cajetanum 2. 2. quæst. 154. art. 9. & aliquos alios. Ratio est, quia quamvis ex nonnullorum mente circumstantia aggravans non sit necessariò exprimenda in confessione, tamen qualitas personæ cum quâ commissa est copula, non est circumstantia actus, seu peccati, sed potius illius objectum, & quid spectans ad substantiam actus consideratâ in individuo; Circumstantia enim propriè est illa, quæ advenit actui constituto in suo esse Gradus autem propriè non advenit actui constituto in suo esse, sed est quid cõstituens actum in suo esse individuali, ut patet de quantitate furti. Nec refert quod secundùm aliquos omnes incœstus sunt ejusdem speciei, tamen illud peccatum gravius est, quò persona cum quâ habetur est magis conjuncta. Undè cæteris paribus gravius est peccatum incœstus cum consanguineâ quàm cum affine, & gravius si perpetretur in primo, quàm in secundo gradu. Quare jure optimo hoc peccatum est casus reservatus Episcopo in Diœcesi Leodiensi, & quibusdam aliis, si perpetretur cum consanguineâ pro quo cõsulendus Chapeauville de casibus reservatis. Copulam etiam habens cum virgine sacrâ, seu moniali professâ committere sacrilegium Episcopo Leodiensi reservatum asserit etiam præfatus Chapeauville, Ratio est, quia violat rem seu personam Deo sacram.

CAPUT XVII.

De enormitate Raptus.

I. Si vineæ Nabuticæ violenta ablatio ita Deo displicuit, tantasque pœnas promeruit, sanè magis odiosus est raptus, quo persona aliqua invita, vel resistentibus parentibus ejus, seu illis sub quorum tutelâ est abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium cõtrahendum, patet ex 36. quæst. 1. cap. *lex illa*, nostro Joanne Boets in 6. præcept. Decalogi expositi 3. cap. 3. Julio Claro lib. 3. sentent. §.

Aptas

§. *aptas*, Molina tomo 4. disp. 105. & alius communiter. Undè ad raptum primò requiritur vis. Quod si nulla vis inferatur abducendæ, sed ipsa sponte, aut quasi rogans discedit cum amasio nescientibus parentibus, non fit propriè raptus, sed fuga voluntaria, ita Sanchez lib 7. disp. 13. numer. 9 Gutierez cap 86. numer. 12. Bonacina supra puncto 18. numer. 5. Ratio est, quia nemini vis infertur, secus dicendum quando parentes sciunt & renuunt, Tuschus tomo 6. verbo *raptor* concl. 5. num. 4. Gutierez cap 86 num. 17. contra Coninck Sanchez, & alios. Ratio est, quia vis infertur parentibus. Vel quando discedit precibus adeò importunis, ut æquiparentur violentiæ (inquiunt Sanchez loco citato, Guitierez num. 14. Bonacina supra.) Vel quando dolo, qui æquivaleat violentiæ, ut notant præfati Auctores. Ad raptum requiritur secundò, ut fiat intuitu libidinis, vel matrimonii, ita Bonacina. Undè si fœmina non abducatur causa libidinis vel matrimonii, sed ut in servitutem redicatur, non dicitur raptus, sed plagium. Si igitur fœmina solis precibus, vel promissis, vel dolo abducatur è domo paternâ non erit propriè raptus. Ratio est, quia non fit violentia.

II. Raptus non tantùm committitur, quando fœmina per vim abducitur, sivè sit virgo, sivè corrupta, sivè conjugata, sed etiam quando eo fine abducitur, ita Rebellus, Sanchez, Guitierez, Bonacina, Henriquez. Ratio est; quia in raptu viri duo illa concurrunt scilicet vis & abductio causa libidinis vel matrimonii. Existimat tamen Bonacina cum citatis Auctoribus pœnas per Concilium Tridentinum latas non incurri per raptum viri. Ratiò est, quia Concilium Tridentinum, videtur tantùm de raptu fœminæ.

III. Ut raptus propriè censeatur debet fieri traductio de loco ad locum, ita de his verbis Concilii Tridentini sessione 24. de reformatione cap. 6. *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*, asserunt Navarrus consil. num. unico sub titulo *de raptoribus*, Franciscus in summa tomo 1. cap. 232. numer. 2. Bonacina, Coninck. Undè Bonacina post Tuschum, Guitierez, Sanchez, Molinam, animadvertit quod raptus non perpetretur ab eo, qui virginem repertam in domo patris, vel aliâ, non illam educit de câ domo, sed dumtaxat opprimit, vel trahit de uno cubiculo ad aliud, ut eam ibi commodius violet. Idem affirmat de virgine in agro repertâ, & indè extractâ ad aliquos passus, ut abutretur. Secus si illam deducat ex agro in aliquam domum, vel alium locum.

Concilii Trident.

Bonacina supra puncto 8. num. 7. Valerius Reginaldus, Sanchez, Barbosa in collect. ad Concil Trident. sess. 24 cap. 6. affirmant raptum, quo fœmina corrupta, meretrix, inhonesta rapitur dirimere matrimoniũ, non tamẽ dirimere si rapiatur propria sponsa invita, ita Lessius de justit. lib. 4. cap. 3. dub. 3. n. 70. vers. *tertium*, Henriquez in summa lib. 12. cap. 14. §. 4. Franciscus Emmanuel, Joseph Sesse Arragon. Marcus Antonius Genuensis, Farinacius, Rebellus, Molfesius, Barbosa contra Sanchez lib. 7. disp. 13. num. 15; Gasparum Hurtadium qui existimant sub hoc decreto comprehendi raptum, quo maritus propriam uxorem rapit. IV.

Pœna à jure civili præscripta raptori est pœna capitis & amissionis bonorum, ita Joannes Boets supr. Menochius, Cardinalis Tuschus, Julius Clarus, Molina, Azorius. V.

Alias pœnas ordinat Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformatione. Prima est, raptorem & omnes consilium, auxilium, favorem præbentes esse ipso jure excommunicatos, vide Bonacinam supr. puncto 18. num. 9. Farinacium, Sanchez, qui asserunt non esse de casibus reservatis Pontifici. Esse tamen reservatum Episcopo Leodiensi docet Chapeauville tract. de casibus reservatis. Gaspar Hurtado addit excommunicatos manere absque aliâ declaratione quamvis postea ducant raptam. Secunda pœna est perpetua infamia ex eodem Concilio Tridentino Tertia est omnium dignitatum incapacitas. Quarta VI.

obligatio

obligatio dotandi raptam sivè eam ducat, sivè non. Quinta est privatio gradus clericalis, si raptor aut fautor sit clericus. Consule Bonacinam supra numer. 10. Henriquez supra cap. 14. §. 5. Sanchez disp. 13. num. 3. & 4. Farinacium quæst. 145. num. 57. Hujus declarationis meminit noster Joannes Boers supr. Plura apud Bonacinam supr. Henriquez supr. Menochium, Franciscum Emmanuelē, Ledesmam, Molfesium, Farinacium, Tuschum, supr. Coninck, & alios. Ludovicus Correa in relect ad cap. *inter alia*, de immunitate Ecclesiæ part. 3. num. 16. Barbosa ad ordin. Lusitaniæ tomo 2. lib. 2. tit. 5. §. 2. num. 3. negant gaudere immunitate si raptor ad Ecclesiam confugiat, sed affirmant Abbas, Archidiaconus, Hostiensis, Bellamera, omnes Canonistæ & Casuistæ, præcipuè Farinacius in appendice de immunitate cap. 6. num. 88. Tutchus verbo *Ecclesia*, conclus. 11. numer. 35. & 16. Guttierez, Fagundez, Diana, Peregrinus, Layman. Ratio est, quia præfatus casus non est inter exceptos a Gregorio XIV.

CAPUT XVII.

De enormitate Stupri.

1. NOster Joannes Patriarcha Jerosolymitanus lib. de institut. Monachorum cap. 9. expendens illa verba lib. 3. Regum cap. 17. vers. 3 *Abiit ergò Elias & fecit juxta verbum Domini, cumq; abiisset sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane similiter panem & carnes vespere, & bibebat de torrente.* Egregiam hanc explicationem affert, singulaque illius textus verba expendit. *Abiit, quò abiit? contra Orientem, hoc est contra originalem suæ carnis cupiditatem, quia enim in carne ejus non inhabitabat, bonum arbitratus fuit se esse debitorem non carni, ut secundùm carnem viveret. Quia sicut Apostolus inquit Roman. cap. 8. vers. 13. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ideò Elias, ut in spiritu perfectè Deo viveret, crucifixit carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, mortificans membra peccati, quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, immunditiam & concupiscentiam malam, altiori quodam modo antecessoribus suis, quoniam ut per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis æquaretur Angelis ad conversationis imitationem seipsum propter Deum virginitate perpetuâ primus hominum sponte decoravit.* Expende illa verba. *Se ipsum propter Deum virginitate perpetuâ primus hominum sponte decoravit.* Ideſt, corpus & animam suam singulari decore insignivit, dum non ob humanū respectum, sed Dei amorem & honorem, non coactè sed liberè non instar alicujus hominis, sed primus hominum voto libavit, & obligavit dicens cum Vate Regio. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum est.* Psalm. 53. vers. 6. In cujus sacrificii sponte oblati compensationem Deus non permisit puriſſimam illam victimam igne concupiscentiæ, imò nec terreno labefactari, deflorari, stuprari, contingi. Accipe mentem S. Ambrosii de virginibus. *Elias nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inveniatur: ideò ergò curru raptus in cælum.* S. Ambr.
Quo curru raptus? igneo. Lib. 4. Regum cap. 2. vers. 11. *Ecce currus igneus & equi igneiq; diviserunt utrumque* 4. Reg. c. 2, v. 11
Undè Siracides sic illum affatur Ecclesiastici cap. 48 vers. 9. *Qui receptus es in curru ignis, in curru equorum igneorum.* Qui equi ignei à terrenis cupiditatibus omninò defœcatum nullo modo contaminarunt, nequidem pilum capitis adusserunt, vel ullum nocumentum attuletunt. Audiamus aurea verba Sancti Chrysostomi tomo 1. homil. 3. de Eliâ. *Omnipotens Deus, Rex Regum, & Dominus dominantium est, Eliam suum, totâ se corporis & animæ devotione zelantem post multorum laborum sordes, post diarum persecutionum gravissimas fatigationes, post tantorum bellorum magnas, illustrissimas victorias, optima de mundo & diabolo spolia referentem igneo curru, atque* S. Chrys.

l. 3. Reg. c. 17. v.

equis flammantibus impositum triumphali gloriâ perfulgente ad sua regna voluit pervenire. Intra. *Igitur postremò currus igneus simul & equi profecturum de seculo Prophetam præstolantur intenti.* Et nonnullis interjectis ita currus & equorum igneorum ascendentium velocitatem, Prophetamq; illætum, stantemq; intrepidè ita describit. *Solio autem equi subitò veniunt. Etiam ut viderunt, subsistunt, & ut ascensuro currum præberent, terga sponte convertunt. Statim verò pio onere suscepto in auras, ventosq; prosiliunt, & rapidis per inane passibus aeris spatia corripiunt. Hoc illis aër quod campus erat, hoc mare quod terrenum. Vos rogo alternos figunt pedes, dum citis saltibus glomerant cursus? Quod est in aere solum, quod duro calcibus cornu feriunt. Ubi rotarum instabilis illa sic currit inversio, ut impetu globoso continuo in semet volubilitate redeunte radiorum tibi discrimine velox vertigo confusâ luce surripiat, ut omninò dubitare possis an currat. Mirùm prorsus & incredibile penè spectaculum, equis currere supinis utique ad regna cælestia tendentibus. Stat secus auriga, nec fundi ur sed omnia ignis erat, qui levitate naturæ, & per inane discurrit, & ad superna semper insurgit. Hoc ipsum magis mirum est tenue ac liquidum corpus ignis solidum auferre potuisse, at immutare non potuisse.* Quasi diceret in hoc triumphali ascensu Eliæ duo mira conspicio. Primum, quod corpus ignis quod est tenue & liquidum, corpus Eliæ solidum efferre & auferre potuit. Secundum, quod illud corpus Prophetæ passibile, simile nostro lædere, & adurere, imò nec immutare ullo modo potuit, vel illi ullum læsionis futuræ timorem incutere. Conspicite quæso illum (inquit Aureus Doctor) *Stat intrepidus super ignem & rotam, nec incalescunt omnino vestigia, totum corpus ignis ambit, nec laditur per colla, per latera flamma, discurrit innoxia. Mira prorsus ratio, hominem & illicita itinera petentem ignis evehit & munit.* Nonne S. Propheta attento hoc singularis ac cœlestis protectionis portento illud Ecclesiastici cap. 51. vers. 6. effari poterat. *Liberasti corpus meum, &c. à pressura flamma quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Syrus. *A flammâ ignis, &c.* Græcus. *A suffocatione flammæ in circuitu, & de medio ignis, ubi non sum æstuatus.* Vel (ut alii) *Non exarsi.* Vatablus. *Ex igne suffocationem undique minanti ex igne quem non accenderam.*

Eandem illæsionem experti sunt II.
tres adolescentes casti Danielis cap. 3. in fornacem Babylonicam projecti. *Nam Angelus Domini descendit cum Azariâ & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristavit, nec quicquam molestiæ intulit.* Sanctus Augustinus sermon. 240. de tempore hæc castissimorum puerorum incontaminata ab igne corpora ita graphicè delineat. *In fornacem missi sunt Sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt, ostendunt justorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet Sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Accipe hostis à suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes justos, quos injustè damnasti, damnant hostes, & absolvunt ignes, Chaldæi adjiciunt, & pœna defendunt, homines sæviunt, & supplicia venerantur.* Brevius S. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 2. *Cantaverunt Hebræi, cùm vestigia eorum tactu flammæ vorantis humescerent, & intus extraq; ardentibus omnibus, solos tamen innoxius ignis lambeberet, nec adureret.* His arridens sanctus Chrysostomus homiliâ 3. ad populum hæc aurea verba profert. *Ignis murus justis factus est, & vestis flamma, & ligatos capiens solutos reddidit. Mortalia excepit corpora, & tanquam in mortalibus abstinuit, non agnovit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit. Vinxit pedes tyrannus & ignis vinipedes vinxerunt. O rem admirabilem! vinctos solvit flamma, & ipsa à vinctis vincta est, &c.* Cur Deus eos ita illibatos ab igne dimittit? Sanctus Damascenus lib. 4. de fide cap. 25. illud miraculum ascribit virginitati & puritati, & rectè.

Quemadmodum in novâ lege III.
S. Pater

Dan. c. 3 vers. 49.

S. Aug.

S. Ambr.

S. Chrys.

S. Pater Elias, & hi tres adolescentes sui imitatores in castimoniæ custodiâ sedulò servandâ habuerunt, sic eandem incontaminationem & illæsionem experti sunt, Deo ignis actionem suspendente, seu suum concursum ei denegante, sine quo ignis nequit ardere. Sanctus Victor Martyr cùm Mediolani sub Maximiano Imperatore plumbo liquefacto toto corpore perfunderetur, hanc orationem fudit. *Domine Jesu Christe, propter cujus nomen hæc patior, adjuva me, & libera me, sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino, & confudisti tyrannum, ita & me quoque nunc libera, ut erubescat Maximianus cum satellitibus suis.* His dictis illicò affuit Angelus Domini, qui plumbum ita refrigeravit, ut esset instar aquæ è fonte manantis, nec ulla pars corporis Martyris aduста est, undè Martyr in Dei laudes erumpens, prædixit consequenter Imperatorem Maximianum eo anno moriturum. Oculatus testis in ejus vitâ id refert. Sic S. Polycarpus discipulus S. Joannis Evangelistæ ita illæsus ab igne mansit, ut instar venti flamma circumdaret, apud Eusebium. Refert Joannes Vasæus in Chronicis Hispanicis ad annum 530. quod Toleti sub Amalarico Rege Cōcilium celebratum est, cui præfuit Montanus, qui teste Isidoro post Celsum fuit Metropolitanus Episcopus Sedis Toletanæ, vitâ & eruditione clarus. Hic ad propulsandam coniugalis conversationis infamiam candentes prunas tamdiu tenuit in veste, donec Sacrum perageret, eoque peracto, nec pruna ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Simile ferè refert Gregorius Turonensis de gloriâ Cōfessorum cap. 76. *Simplicius* (inquit) *perpetuam cum uxore castitatem servaverat: electus autem in Episcopum, domi virginem adhuc uxorem fovebat, uti sororem. Die igitur Natalis Domini commotis cervibus adversus virginem per inanem suspicionem, sic ad illam locuti sunt. Incredibile est mulierem viro junctam pollui non posse, sed nec poterit artubus junctus à coitu abstinere. Nec commota virgo sanctissima adit Pontificem simili castitate pollentem, arculamq; tunc, ut fieri solet pro rigore hyemis carbonibus plenam penes se habens, accitâ famulâ, expansoq; pallio, prunas ardentes suscepit, & ferè horæ unius spatio tenens, sacerdoti postea sic ait: Accipe & tu mitiorem solutò ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum. Suscipiente verò Pontifice nihil offensum est, velamen ejus ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque supra mille sacro baptismate sunt initiati.* Sanctus Britius Turonensis Episcopus eâdem ignis suspensâ activitate suam castitatem probavit. Hic enim trigesimo tertio tuæ ordinationis anno infantem triginta dierum quem ex Episcopo natum æmuli calumniabantur, palam loqui, seque suum patrem non esse testificari fecit. Populo autem persistente, ut quisnam ejus pater esset puerum interrogaret, Sanctus respondit, quod ad me pertinet scisciatus sum, hoc autem quod meum non est, sciscitari non licet. Et ut ostenderet se concupiscentiæ igne non fuisse combustum, prunas ardentes ad sepulchrum Beati Martini in vestimento incombusto detulit. Eodem modo præsentem & futuram suam castimoniam probavit S. Lambertus, ut testantur Norgerus, Chapeauville, Robertus, Fizen, & alii. Mediâ hyeme, domi fortè nihil ignis erat, cùm ad Lambertum Landoaldus. Puer (inquit) nobis è vicinâ domo ardentes prunas affer. Lubenter ait Lambertus, & promptè fecero: verum quo vase deferam? in promptu nullum est. Ille adolescentis animum fortasse periclitaturus. Tuâ veste potius defer, quam ut præceptoris tui mandato morem injicias, exemplo paruit à rustico tuguriolo prunas rogavit. Ridere primùm qui ad ignem circumsedebant, & quærere cœperunt veste nè esset deportaturus? Ille verò seriò vestis sinum colligit, prupasque petit infundi. Rustici simplicitatē irridentes adolescentis, infundunt tamen, infusas illic brachiis hinc indè, nè diffluerent, constringit, & properè ad ad Landoaldum defert. Qui excusso igne, cùm vestes nihil omninò læsas deprehendissent, adolescentis sanctitatem & castimoniam admiratus Deo

gratias egit, qui eum ut probabili colligebat argumento, inter tot vitia præcipuè carnalia, quorum fœdo ardore hominum animi passim turpiter inuritur, non minus quàm inter flammas vestem illæsam integramque servaret.

IV. Non minùs est admiratione dignus, quàm præteritorum firmativum, quod narrat Cassianus collat. 15. c. 10. de Paphnutio Abbate, qui cum casu flamma ejus manum corripiens combussisset, indoluit, quod flamma ei non parceret, nec cederet cui dæmones cedebant, quos ille ab obsessis expellebat. Cui Angelus apparens dixit. *Cur Paphnuti tristis es quod necdum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cùm adhuc resideas in membris tuis carnalium motuum ad purum excocta commotio: cujus radices donec in tuis vivunt medullis ignem istum materialem nequaquàm pacificum esse permittent. Vade, apprehende virginem pulcherrimam, & si illam tenens tranquillitatem tui cordis immobilem, attusq; carnales pacificos in te senseris perdurasse, hujus quoque visibilis flammæ mitis atque innoxius in modum illorum trium in Babylonicâ puerorum te allambet attactus.* Leontius in vitâ sancti Joannis Eleemosynarii aliquid consimile refert. *Porphyria* (inquit) *prius fornicaria, cùm ab Abbate conversa, et quasi in quodam sanctis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerariæ plebis, quasi ab Abbate filium genuisset, quem nec ipsa genuerat, sed abjectum collegerat. Coram igitur centum & eo amplius testibus Abbas in sinu ac mulieris castitatis testimonium, afforri prunas jussit, evolvit autem eas in proprium vestimentum, quod nullâ prorsus parte combustum est, omnibus id admirantibus.* Scribit Ferrarius in Catalogo Sanctorũ Italiæ ad diem 16. Maii ex monimentis Ecclesiæ Anconitanę de sancto Peregrino Diacono Ecclesiæ Anconitanæ, & Martyre sub Diocletiano Cæsare, cùm in craticulâ ferreâ igne subiecto extenderetur, oleoque perfunderetur, Deum hisce verbis precatus. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas & libera me à pressurâ flammæ, quæ circumdedit me.* Illud incendium absque ullâ læsione superavit. Legimus in vitâ Sancti Joannis Gualberti Fundatoris Ordinis Vallis Umbrosæ, quod ut Petrus Abbas castissimus probaret & coargueret simoniam Archiepiscopi Florentini, invocato prius Deo veritatis, religionis, & castitatis vindice, per medios flammarum globos intrepidus & illæsus pertransit. Sanctus Gregorius lib. 3. dialog. cap. 18. scribit de quodam singularis castitatis sectatore, qui vocabatur Benedicto, quem Gothi tempore Totilæ cum telâ comburere tentarunt, sed frustra. In vita S. Viti pueri 15 Junii habetur quod cùm hic puer cum Sociis Modesto & Crescentio Diocletiano (cujus filium à dæmone liberavit) ingrato Imperatore missus in fornacem ardentem plumbo, resinâ, & pice, cùm diceret Diocletianus, *Nunc videbo si Deus tuus possit te de manu mea liberare.* Vitus facto signo sanctę Crucis fornacem ingressus, instar trium puerorum, stetit ab igne illæsus, cantans cum duobus sociis hymnos, & laudes Dei, atque purior indè exiit, perindè ac si in suavissimo balneo stetisset. Simile refrigerium expertus Theodorus Adolescens Antiochenus quipropter Psalmorum cantũ, cùm à Juliani Apostatæ Præfecto excrucietur, rogatus à Russino historiæ Ecclesiasticæ Scriptore, an non in illis cruciatibus maximum sensisset dolorem, respondit (inquit Socrates lib. 3. histor. cap. 16.) *Non multùm acerbitatis & tormenti accidit mihi, astitit enim mihi adolescens, & sudorem quietè conflictione oriebatur, abstersit, animum confirmavit, fecitq;, ut tempus, quo cruciabar, voluptati potius esset, quàm angori.* Undè dolebat se cruciatibus eripi, ut rediret illa consolatio.

V. Gretserus memorabile exemplum recenset de sanctâ Cunegunde Augustâ, quæ cum Henrico II. Imperatore vixit in continentiâ. Eam tamen Imperator semel suspectam habuit, quasi cuidam famulo esset familiarior. Illa, ut suam virginitatem probaret, nudis plantis super candens ferrum ambulavit illæsa. Quare mortuo Henricus illud omnibus æratibus

admirabile

admirabile edidit. *Recipite quam mihi tradidistis virginem vestram. Eam accepi virginem, virginem vobis reddo.* Cæsare defuncto Cunegundis purpuram cum cilicio commutavit, habitumque religiosum in Monasterio Confrigiensi à se extructo induit, ubi mirâ humilitatis, pietatis, castimoniæ, aliarumque virtutum dedit documenta, ac rursum ignem noctu paleas corripientem signo Crucis facto extinxit. Amphilochius in vitâ S. Basilii refert de sanctâ Theogenâ, quæ secreto cum marito Anastasio per annos 46. in continentiâ vixerat, jussa est à S. Basilio ardentes prunas in sinum infulas gestare, quod præstitit absque ullâ læsione. Sancta Anges non tantum ignem concupiscentiæ, sed etiâ corporeum superavit, undè in mediis flammis exultans, ita Christum orans affata est, ex S. Ambrosio sermone 90. *Te deprecor omnipotens adorande, colende, Pater metuende, quia per sanctum Filium tuum evasi minas sacrilegi tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transivi, & ecce veni ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi, te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco.* Ado, & alii scribunt quod cum Paschasius Præfectus trahi jussisset ad lupanar, ut ibi ejus virginitas violaretur, divinitus factum est, ut firma Virgo sta consisteret, ut nullâ vi de loco dimoveri posset. Quamobrem Præfectus circum ipsam picem, sebum, ac terebenti oleo perfusam ignem accendi imperavit, sed cùm nec flamma quidem eam læderet, tandem multis excruciatæ caput gladio transfigi jubet. Omitto Sanctam Teclam, & innumeras alias Virgines & Martyres, quas in medijs ignibus Deus illæsas servavit.

VI. Quod si Deus tanti facit virginitatem, eamque tot miraculis ac speciali protectione propugnavit, non miror si stuprum, defloration em Monialis, imò & virginis tam indignè ferat. Stuprum enim strictè & propriè sumptum ex Gratiano cap. *lex*, 36. quæst. 1. D. Thomâ 2. 2. quæst. 154. art. 6. ad 2. Laymeo, Bonacinâ, *est virginum illicita defloratio.* Undè multi Theologi asserunt stuprum specie distinctum à fornicatione necessariò exprimendum in confessione, sivè puella consentiat, sivè sit invita, ita D. Thomas in 4. distin 41. quæst. unicâ artic. 4. quæstiunculâ 2. & 2. 2. quæst. 154. art. 6. Cajetanus ibidem, & in summa verbo *stuprum*, S. Antoninus part. 2. tit. 5. §. 1. Sylvester, Armilla, Navarrus, Toletus, Azorius, Valentia, Grassius, Suarez, & alii. Maximè noster Joannes Boets in 6. præcept. Decalogi cap 3. contra Scotum in 4. dist. 18. quæst 2. artic 1. Vasquez, Sanchez, Lessium, Coninck & alios apud Salas, Layman. Varias rationes affert Boets. Prima est secundum D. Thomam 2. 2. quæst 54. art. 6. ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua deformitas, ibi debet esse determinata species vitii. At luxuria est peccatum circa venerea existens. In virgine autem sub custodiâ patris existente occurrit quædam deformitas si corrumpatur; tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur nullâ pactione conjugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio contrahendo, & ponitur in viâ meretriçandi, à quâ retrahebatur nè signaculum virginitatis amitteret. Deformitas etiam specialis ex parte patris, qui de ejus custodiâ sollicitudinem gerit. Ecclesiastici cap. 42. vers. 9. 10. 11. *Filia Patris abscondita est, vigilia & sollicitudo ejus aufert somnum, ne forte in adolescentiâ juâ adulta esse tatur, & cum viro commorata odibilis fiat. Nè quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida efficiatur, ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certè efficiatur super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat se in opprobrium venire inimicis à destractione in civitate & objectione plebis, & confundat te in multitudine populi.* Idest debet primò (inquit Cornelius) pater clàm vigilare in statum & mores filiæ, tantaque debet esse hæc vigilia, vigilansque & perpes sollicitudo, ut congrua ætate tradatur nuptui, nec ab ullo juvene decipiatur, vel quid parvi hauriat & addicat; & hæc sollicitudo ita patrem coquit & affligit, ut

Eccli. 42. v. 9. 10. & 11.

plures noctes insomnes traducat. Loco *adulta efficiatur*, Græcus habet, *nè fu. eradolescat*. Tigurina, *Ne maturitas ætatis ejus exolescat*. Romana. *Ne fiat superadulta*. Palatius, Jansenius, & alii *Nè efficiatur adultera*. Complutensis, *Nè fortè abutatur flore ætatis*. Idest, nè flore juventutis præterito, & ætatis vigore defloreſcente, minus speciosa, minùsque gratiosa ipontium sibi parem nequeat invenire. Veretur etiam pater nè filia sua adulta cum viro commorata fiat illi odibilis, ab eoque repudietur. Nam frequenter transeunte flore juventę pariter amor transit, & quæ juvenculæ erant viris in deliciis, sunt grandevæ fastidio. Secundo, pater debet vigilare, nè filia ante conjugium virgo in paternâ domo degens ab aliquo adolescente decipiatur, imprægnetur, quod ipsi, & Patri ignominiosum ac damnosum erit. Quis enim honestus volet ducere vitiatam. Unde hæc verba. *Nè forte cum viro commorata transgrediatur, aut certè sterilis efficiatur*. Idest Pater sit sollicitus de filiâ nè ante cõjugium, dum in paternâ domo degit, à quodam adolescente decipiatur, & imprægnetur, quod non tantùm ipsi, sed etiam Patri ignominiosum ac damnosum erit, quia nemo honestus vir defloratam ducere volet. Unde Tigurina habet. *Ne forte polluatur in suâ virginitate, neve in domo paternâ fiat gravida*. Monet etiam Syracides. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, &c.* Tigurina habet. *Esto verecunda custodiam adhibe, nete in ridiculum facias inimicis, tam atrig, fabulam, ne famosum in populo, neve in vulgus reddat ignominiosum*. Syrus. *fili mi, super filiâ tuâ confi tue custodiam, ne faciat tibi nomen malum, & fabulam, & oblocutionem in populo & in congregatione civitatis tuæ ignominiam inducas tibi, in oblocutionem populi*. Idest, firmam custodiam adhibe, nè filia tua lasciva, in libidinem prona liberè cum juvenibus agat, eis se prostituat, & patrem probro afficiat, eumque detractioni vicinorum & civium reddat obnoxium, & ei ob negligentem custodiam obtrectent, tacitum consensum improperent, & in os objiciant & vocent patrem meretricis. Igitur stuprum, seu illicita defloratio virginum sub curâ parentum existentium est derivata species luxuriæ. Secunda ratio est Bonacinæ, Si filia nubat inconsulto patre absque justâ causâ, peccat graviter contra pietatem paternam, ergò multò magis peccat, quando consentit se violari, & consequenter violans virginem consentientem committit novum peccatum ultra peccatum simplex fornicationis. Primò, quia puella non habet dominium suæ integritatis corporalis, sicut neque habet dominium suæ vitæ. Secundò, quia Pater videtur habere specialem curam corporis filiæ ex Ecclesiastico citato. Fit igitur per stuprum paternæ pietatis injuriæ, sivè filia consentiat, sive dissentiat, cum filia per suum consensum non subtrahatur à curâ & pietate paternâ, vel tutorum qui Patris vices gerunt. Hinc sequitur explicandam esse circumstantiam virginitatis fœminæ, quia præter malitiam fornicationis, habet malitiam stupri. Verum tamen est fœminam, quæ se primùm pollnit non teneri exprimere in confessione circumstantiam suæ virginitatis. Ratio est, quia non committit speciale stuprum, sed peccatum contra naturam, per quod non perdit virginitatem naturalem, sed virtuosam. Vir etiam perdens suam virginitatem per voluntariam delectationem, vel per copulam illicitam non tenetur exprimere in confessione circumstantiam amissæ virginitatis, ut docent Navarrus cap. 16. num. 2, Azorius, Cajetanus, Bonacina, Vasquez contra Sotum & alios. Ratio est, quia hoc peccatum non habet malitiam stupri propriè accepti, sed est peccatum cõtra naturam, licet tunc amittatur virginitas.

VII. Boeri.

Noster Joannes Boets quædam alia recenset, quæ aggravant peccatum stupri. *Primò* (inquit) *aggravat hoc peccatum, quod stuprum committentes faciunt contumeliam, primò Spiritui sancto, cujus habitationem polluunt, & etiam ei, qui pascitur inter lilia, & requiescit super florem de radice Jesse, idest in mentem virgineam, quæ ac radice*

incendii

incendii divini amoris servatur. Iesse enim interpretatur incendium. Secundò, contumeliam etiam facit Reginæ Cœlesti, quæ est Virgo virginum & Domina, cujus ducatum fregit, dum virginem sibi commendatam subripit, & eam corrumpit de societate Reginæ Cœlestis eam ejiciens. In signum enim illius, quod Maria est custos virginum, non solùm ipsi Ioanni Evangelistæ, sed etiam Ioannes virgo sibi commendatur. Tertiò, contumeliam etiam facit Cœli civibus, & sanctis eorum gaudium diminuendo, quod habuissent de fructu centesimo virginitatis ejus quam corruperunt. Quartò, Angelis faciunt contumeliam, qui custodes sunt virginum & fratres, juxta illud Hieronymi: Virginitas est soror Angelorum, & in carne præter carnem vivere Angelicæ naturæ est, non humanæ. Aliud gravamen subjicit. *Aggravat hoc peccatum, quod illis inferunt, quas corrumpunt. Spoliant enim eas flore virginitatis, quæ est bonum irrecuperabile, & irrecompensabile. Votum enim virginitatis secundum aliquos non recipit dispensationem, quia nec recompensationē, quia non est digna ponderatio continentis animæ. Spoliant etiam eas fructu centesimo, & coronâ aureolâ, idcò de eis intelligitur illud Isaiæ cap. 27. Væ coronæ superbiæ, & flori decidenti gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ. De Beato Bernardo legitur quod cum hospita sollicitaret eum de stupro, clamavit ter latrones, & sic eam ter à lecto fugavit. Cùm autem socii quærerent ab eo quos latrones somniaverat, ait: In veritate, non in somno latronem inveni, qui mihi volebat furari impretiabilem & irrecuperabilem thesaurum virginitatis.* Aliam gravitatem in stupro deprehendit. *Aggravat hoc peccatum, quod est causa & occasio multorum malorum culpæ & pœnæ. Sicut enim, qui rumpit murum, vel sepem, vel clausuram alicujus horti vel vineæ, ut intret ibi. Primò est occasio omnium malorum, quæ faciunt postea intrantes. Sic qui corripit virginem est causa omnium malorum sequentium, & omnium fornicationum, adulteriorum, & bellorum quæ sequuntur propterea Iob cap. 31. dicitur, Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem de virgine. Ecclesiastici cap. 9. Nè respicias virginem, nè scandalizeris in decore ejus.* Denique addit. *Sequitur etiam quandoq́, quod illa, quæ corrumpitur, eaeò vilis reputatur, quod postea non invenit virum volentem contrahere cum eâ, & ex hoc quandoq́ quasi desperans efficitur meretrix.*

VIII. Hinc fit ut ejusmodi flagitium, si sit violenta virginis defloratio, & sit in aliquibus Diœcesibus, præcipuè Leodiensi reservatū, ita Chapeauville. Secundò, cùm violentum illud stuprum sit contra justitiam, omne damnum, quod indè provenit, tam ipsi quam parentibus ejus in foro conscientiæ cogatur restituere. Idemque dicendum esse, si eam per fraudem induxit, verbi gratiâ, falsis promissionibus, vel importunis precibus cōjunctis minis, ita docent Navarrus cap. 16. num. 17. & Layman. Quæ damnorum compensatio ordinariè sic facienda est. Primò, ut stuprator puellâ in uxorem ducat, si ipsa velit. Secundò, vel illi offerat tantam dotem, ut æquè honestas nuptias sortiatur, ac si non fuisset corrupta. Et cum in alternativis debitoris sit electio, si malit tali modo dotare, non tenetur eam in uxorem ducere ante sententiā judicis, quamvis ipsa cum parentibus suis vivere cupiat, præterquam si eam sub matrimonii promissionibus veris vel fictis ad consensum stupri induxit. Ita Lessius lib. 2. cap. 10. dubio 2. Vasquez de restit. cap. 3. §. 2. dub. 1. Molina tomo 4. disp. 206. Salonius 2. 2. quæst. 62. num. controv. 5. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 13. num. 3. Bonacina supra quæst 4. puncto 17. num. 7. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 5. Guitierez, Julius Clarus, Navarrus, Rebellus, & alii. Ratio est, quia stuprator damna fœminæ intulit, igitur tenetur ex justitiâ illud damnum reparare: sed non potest aliâ ratione damnum reparare, quàm illam ducendo in matrimonium, vel commodè illam dotando, vel saltem curando, ut aquè benè nubat, vel restituendo valorem damni æstimati judicio prudentis viri. Dixi si defloratio fuerit violenta vel fraudulenta. Quia (inquiunt Sotus lib. 4. de justitia quæst. 7. artic. 1. ad 2. Navarrus

cap. 16

sint minæ vel metus, & modò fœmina non concesserit copiam sui animo repugnante, & quasi coacta. Est contra Cordubam lib. 1. quæst. 13. Cajetanum 2. 2. quæst. 154. art. 6. Navarrum cap. 16 num. 16. & alios asserentes teneri, eo quod preces importunæ æquivaleant coactioni. Ratio est, Primò quia qui muneribus vel precibus obtinet aliquod officium vel obsequium, non tenetur ad restitutionem. Igitur nec ad restitutionem tenetur qui copulam extorsit precibus vel muneribus. Secundò, quia tales preces non tollunt voluntarium, licet enim puella non contentiret, nisi positis precibus, vel muneribus, non sequitur indè ipsam non contentire voluntariè, sicut is voluntariè consentit, qui alicui confert beneficium muneribus. Nec patri debet fieri restitutio, si sic, vel absolutè puella consenserit, ita Salonius 2. 2. quæst. 62. art. 2. Vasquez, Molina, Emmanuel Sa verbo *restitutio*, num. 14. Azorius, Petrus Navarrus, Rebellus, & alii contra Navarrũ cap. 16. num. 16. Sylvestrum, & alios apud Clavẽ Regiam, Molinam. Ratio est, quia obligatio restituendi non oritur ex solâ injuriâ, sed ex injuriâ cum damno alterius. At licet stuprator intulerit injuriam patri puellæ defloratæ, tamen damnum illatum est puellæ, cujus claustrum virginale violavit, nec ipsa puella tenetur patri, vel fratribus restitutionem facere: igitur nec stuprator qui non majorem injuriam patri intulit, quàm puella intulerat. Quod si dicas damnum illatum esse patri, quia cogitur augere dotem ut puella æquè benè nubat. Respondent Vasquez, Molina, Clavis Regia, & alii citati illud damnum esse per accidens. Primò, quia puella potest remanere innupta. Secundò, quia puella stuprata non minùs causa est illius damni, quàm stuprator. Quemadmodum igitur puella censetur causa per accidens illius damni, nec tenetur ad restitutionem, ita nec tenetur stuprator, nisi fortè stuprator injustè detexerit stuprum, & fuerit causa injusta, ut manifestaretur, tunc obligaretur ad restitutionem, non ob stuprum præcisè, sed ob injustam detractionẽ. Nam ex Molinâ supr. Rebuffo quæst. 8. num. 17. & aliis, detractor tenetur ad restitutionem damnorum quæ ex illâ detractione provenerunt.

Pœna tertia stupri ex jure Civili est relegatio, & confiscatio medietatis bonorũ, quando est absque violentiâ, si autem cum violentiâ est pœna mortis. Ita Clarus §. *stuprum*, numer. 3. verbo *de jure autem civili*, ubi tamen addit quod pœna confiscationis & relegationis medietatis bonorum non est in usu quando fit absque violentiâ. Idem docet in §. *final.* quæst. 79. in princip. Et ibi apostil. quæ dicit esse pœnam mortis, quando est cum violentia, allegatque Alexand. consil. 229. per totum, lib. 6. Pœna stupri in viduâ est amissio legati mariti defuncti, quæ à Fisco aufertur, Clarus §. *stuprum*, numer. 6. in fine Est etiam amissio dotis, idem Clarus numer. 5. sed non est in usu. Tuschus tomo 9. verbo *stuprum*, num. 12. post Clarum, Socinum Jun. Rolandum à Valle. Nihilominus Castrensis consil. 147. lib. 2. Boerius, decis. 338. num. 1. & alii ab iis citati tenent contrariam opinionem esse communem. Addit Rolandus, quod si intra annum vidua committat stuprum puniatur; aliàs non. Pœna stupri in infantem commissi est pœna mortis, si fecit fracturam. Quod si tantùm attentavit, est pœna extraordinaria triremium perpetua, vel ad tempus attentâ qualitate delicti, Clarus §. *stuprum*. numer. 9. vers. *fust aliquando*. Ubi refert exempla. Stuprum cum vili persona non esse punibile docet Alexander consil. 13. num 6. lib. 7 Angelus, Cranetus, Gozad. Parisius, Rolandus, Grammaticus, Grilandus. Limitant tamen Menochius de arbitr. casu 203. num. 3 Angelus in l. *inter liberos*, ff. *de adultiis*, Alexander apostil. ad Bartol. Boerium, Grilandum. In vili personâ, ab alio cognitâ, id verum esse, aliàs non. Ratio est, quia si aliter diceremus sclava esset melioris conditionis, quam serva libera, & tamen in sclavâ competit actio injuriarum & pœna extraordinaria, Alexander consil. 53. numer. 4. resolvit quod si mulier erat

XI.

virgo, vel vidua honesta persona, stuprator meretur pœnã, non autem si sit mulier inhonesta, si non adfuerit violentia aliqua. Ratio est quia tunc eodẽ modo judicatur ac de coitu cum meretrice. Ut censeatur autẽ mulier honestæ vitæ (inquit Alexander d. cons. *attentis*, num. in fine & seq. verbo *& quia in consilio*, lib.) de jure cõmuni sufficit in genere probare per testes singulares, quorũm unus de uno actu deponat, alius de alio. Vel si probetur quod vita sit sola cum solo osculante, vel tangente, vel quod ejus domus omnibus pateret, vel quod deriderer juvenes more inhonestarum, vel si aliqui deponãt se coivisse cum eâ. Quia etiam tocii criminis admittuntur.

XII. Pœna mulieris committentis stuprum est detrusio in Monasterium, Alexander consil. 13. num. 9. & seq. verbo *pro hoc facit*, lib. 7.

XIII. Pœnæ Ecclesiasticæ stupri variæ sunt. Prima est, quod Clericus deponitur, ita Clarus §. *stuprum*, numer. 3. verbo *sed quaero*, Tuschus supr. numer. 25. quam opinionem ait est cõmunem. Laicus autem vel tenetur dotare virginem stupratam, vel eam in conjugem accipere, si ipsa & pater voluerint, si renuant tenetur dotare. Quod si stuprator recusaverit, excipitur verberibus, & in monasterium detruditur, cap. 1. & 2. de adult. Clarus §. *stuprum*, numer. 3. verbo *laicus autem*. Quæ pœna dotandi vel ducendi in uxorem quamvis tantùm locum habeat in terris Ecclesiæ, quia est pœna juris canonici; tamen de consuetudine quasi ubique servatur in stupro non violento, vel alternativè ut ducat uxorem vel dotet, ita Alexander consil. 229. verb. *nec etiam obstat*, lib. 6. Corradus de stupr. Clarus §. *stuprum*, num. 3. verbo *laicus autem*, per text. in cap. 1. & 2. de adult. Addunt Joannes Andræas, Cardinalis Zabarella & Abbas in cap. 1. de adult. Bojoch tenet quod stuprator debet copulativè ducere & dotare. Alii tamen ut Jacobus Graffius lib. 2. decis. 79. tit. *de stupro*, & Alexander de Nevo sumi alternativè dotet vel ducat. Nihilominus Clarus §. *stuprum*, verbo *laicus autem*, Albericus in l. *quamvis*, C. *de adult.* num. 3. docent consuetudinem generalem esse quod in stupro non violento, vel ducat vel dotet. Quoad stuprum violentum maximè cum raptâ, vel cum immaturâ impubere, aut puero omnes consentiunt injunctam esse pœnam mortis. Gandi de mulctis, quæst. 19. & 20. Cuma consil. 95. Carret in praxi criminali fol. 103. numer. 5 & seq Tuschus consil. 710. verbo *stuprum violentum ex quibus dicatur*, Castro in l. *raptores*, numer. 4. C. *de sacr. Eccles.* Adeò stuprum illud odiosum & horrendum est, ut Barbosa ad Ordin Lusitaniæ tomo 2, lib. 2. tit 5. § 2. num. 3. Ludovicus Correa in select ad cap. *inter alia*, de immunitate Ecclesiæ, part. 3. num. 16. dicãt defloratorem & raptorem non gaudere immunitate Ecclesiæ, quod etiam extendunt ad defloratrem Monialem. Illis arridere videtur Portellus in dubiis regularibus verbo *Ecclesia immunitas*.

XIV. Cæterùm quanta mala in orbem invexerit stuprum & raptus, testatur apud prophanos bellum & excidium Troianum ob raptam Helenam, testatur stuprum Lucretiæ Romanæ à Sexto Tarquino filio Tarquinii superbi regis, ob quod Tarquinus cum suis urbe pulsus est, & pro Regibus Consules surrogati sunt Junius Brutus, & L. Collatinus Lucretiæ maritus. Testatur in sacris Codicibus rapta & violata Dina à Sichem Genesis cap. 34. vers. 2. Cum quo filii Jacob dolosum fœdus inierunt, exigentes ut ipse cum suis circumcidatur, & ita Dinam ducat, cui consentiens Sichem circumcisus est, vers. 25. *Et Ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filii Iacob Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis ingressi sunt urbem confidenter, interfectisq; omnibus masculis Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis irruerunt super occisos cæteri filii Iacob, & depopulati sunt urbem in ultionem stupri, oves eorum, & armenta & asinos, cunctaq; vastantes, quæ in domibus, & in agris erant parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.* Quam Gen. 34. vers. 25.

Dei

Dei justitiam Judith cap. 9. vers. 2. laudare videtur permittendo trucidari impudicos Sichimitas, non autem perfidiam Simeonis & Levi, nec eorum mendacium & scelus, ut notat Cornelius cum aliis. Testatur tertiò strages totius tribus Benjamin ob corruptam uxorem Levitæ, Judicum cap. 20. Non enim tantùm urbes eorum incendio absumptæ sunt, viri cæsi, sed etiam parvuli & uxores tam in Gabaa, quàm in omnibus aliis urbibus & viculis Benjamin. Et licet Israelitæ vindictæ metas & modum excesserint occidendo mulieres & parvulos innocentes, tamen id divinâ providentiâ permissum est ad plectendam effrænam Gabaonitarum libidinem. Testatur denique ab Amnon vis illata Thamar sorori Absalonis, ob quam Amnon & vitâ & regno privatus est, lib. 2. Regum cap. 13.

CAPUT XVIII.

De Sodomiæ enormitate.

I. TAm horrendum est peccatum Sodomiæ, ut vix quidquam de eo effari liceat, undè peccatum indicibile dicitur hujus enormitatem probè noscens Loth, ut averteret à suis concivibus pœnas obtulit suas filias, Genesis cap. 19. vers. 7. *Nolite quæso* (inquit) *Fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis.* Gen 19. vers. 17. S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. D. Thomas quæst. 1. de malo art. 5. ad 14. Soto lib. 4. de justitiâ quæst. 7. art. 3. & plures alii Theologi excusant hoc dictum & factum Loth, quasi existimarit licere volenti facere majus crimen, suadere minus. Undè sic volenti committere Sodomiam, vel stuprum, licet suadere illi minus, scilicet, ut eat potius ad meretrices in lupanari expositas, & latroni volenti occidere viatorem licet suadere, ut potius eum spoliet. Hoc modo Loth concivibus suis perpetrare tentantibus flagitium Sodomiticum, potuit licitè suadere fornicationem. Enormitatem hujus vitii Matthæus de Afflictis Constitut. Neapol. lib. 3. rub. 41. num. 11. probat ex eo, quod dæmon fugiat quando illud committitur. Et D. Hieronymus in Isaiam, & Job. ex eo quod illâ nocte quâ Christus natus est omnes Sodomitæ obierunt, inter quos etiam Virgilius, ut tradunt Cevallos commun. contra commun. quæst. 248. numer. 10. Salzedo, Marius Alterius, Emmanuel de Valle Moüra. Illud tamen de Virgilio improbat Melchior Lotterius de re benef lib. 3. quæst. 31. num 65. Addit Orero de interpret. in cap. *final.* de consuetud. num. 18. Sodomiam vocari per antonomasiam crimen non tantum contra naturam hominum, sed etiam contra naturam generalem ut innuit Apostolus Rom. cap. 1. vers. 26.

II. Nefandi hujus flagitii gravitatem probat S. Chrysostomus homil. 4. in epistolam ad Romanos exemplo infamis Pentapolis, quæ pœnam gehennalem acceleravit, maturavit, & ante tempus in hâc vitâ existere coegit, dum illud incendium sulphureum è cœlo evocavit, additque. *Quot tandem obsecro, gehennæ his plectendis sufficerint.* Idem sermone de Adam, Sodomitis, Achab, pœnitentiâ tomo 1, pateticè docet quomodò ejusmodi contra naturam peccata debuisse igne diluvi, & deleri, non tantum quia Sodomorum incolæ divinis beneficiis ingrati erant, sed etiam quia ejusmodi peccatum non poterat alio diluvio purgari quàm igneo. *Dederat* (inquit) *ad usurum Sodomitis terram in illorum usum, creaturas in agriculturam conduxerat. Illi autem neque mercedis, neque vitæ concessæ curam habentes, dispersérunt in luxum tempus, insumpserunt in delicias, dies prodegerunt, vitam in voluptates luxuria impenderunt vivendi statuta tempora. Bonus autem fœnerator adhuc ferebat ingratitudinem, & mittit Loth ad eos, ut memores faciat debitorum. Loth enim erat pietatis memor, operibus suis docens quantùm debebant Deo. Ut autem ulcus luxuriæ mansit immedicabile pharmaco longanimitatis, candenti ferro* S. Chrys.

quasi putredo ejguit, & omnem ignem statim & flammam suscepit. Fumigabat cœlum igniferum, fluebant ex aere scintillæ, incendebant fulgura quidquid tangebant, strepebat fundamentum tactum, in carbones redigebantur tecta, strutatio plebat fundamentorum, fugiebat, occurrebat ignis, latentium vestigia investigabat Oblambebat undique agros, pecora tota incendebat, devorabat pueros, incinerabat adolescentes, omnium erat incendium quasi lignorum, spectabile horribile & admirabile. Ignis eructans imbrem, imber caminum permanans, flamma in flumen solvebatur, & pluvia flamma reaccendebatur, retributionem enim erroris sui in seipsis recipiebant. Erat autem justa quædam retributio his, qui naturæ subverterant leges, fœminis in masculis quærentes, ut invertatur & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne quasi ex aquâ. Illius porrò peccati gravitas ex eo ponderanda est, quod non solos Sodomorum incolas, sed etiam eorum bona, terras, imò omnium rerum naturas Deus incendio cremare voluit, & ob peccatum contra naturam, universam naturam igneo naufragio perdere. *Idq; futurum erat igne, quasi succedente Sodomitas, cùm non solum hi, qui tunc erant perderentur, sed & locus in perpetuum corrumperetur. Devorat enim omne quod videtur. Terra uteros perdit, tantum sibi usurpans profunditatis, quantum quis fodiendo capiat. Non solum solidat fundamentum ædificijs, ita ut ubicumque est Sodomitarum terra non possit agricultura esse, ut potè cinerosâ terrâ, neque domus fundamentum ad ædificium non habente.* Sed cur Sodomitas ignis potiùs quam aliud supplicium absumit? quia peccatum istud infandum eradicat & evellit ex animabus omnem stirpē, radicem, fundamentum pietatis ac virtutis, ideò debuerunt etiam ex eorum terris omnia domorum fundamenta erui, omnes radices extirpari. *Quia enim incultas animas ad pietatem præbuere, quia ad virtutem visi sunt inædificabiles, ea ipsa passi sunt, quæ fecerunt, & ob sua mala condemnati sunt. Unicuique enim Deus, quam seminavit messem reddit.* Id probat exemplo Regis Achabi. *Rapuit Achab vineam & alienos vindemiavit labores Vidit injustitiam Deus, tulit misericorditer. Nam qui correptus deploraverat, & ut lacrymavit veniam obtinuit, contentus enim est judex misericors & lacrymis, sed Achab conversus est ad cœnum pristinum. Quid igitur qui cum innocente innocens, cum perverso perverteris, conversus est ipse in vindictam? Et vide quomodo retributio peccatis par.* Lib. 4. Regum cap. 10. vers. 7. *Filii* (inquit) *Achab erant septuaginta viri, & occiderunt septuaginta, & posuerunt capita eorum in corbes, & miserunt eos in Israel, Profectò justus es Domine, & rectum judicium tuum. In Israel Nabutha occisus est, in eundem locum occidentis genus occisum est in sportis. Achab Nabutha peccavit botris aliquibus in corbes conjectis.* Quasi diceret quemadmodum necem ab Achabo in Nabuthem jussam, vel saltem permissam Deus ultus est nece universæ sobolis Achab, & ob botros vineæ Nabuthicæ missos in corbes Deus punivit permittendo ut capita filiorum Achab mitterentur in corbes, & in eodem locò generis Achabi sanguis effunderetur, ubi uvæ expressę fuerunt, ita idem Deus voluit, ut Sodomitarum mentes erant ad virtutem steriles, sic eorum agri ad segetes sterilescerent; sicut illæ erant ardore cōcupiscentiæ carnalis exutæ, sic eorum terra igne cœlesti ita conflagraret, ut ulteriοris seminis & segetis omninò incapax redderetur per imbrem igneum cœlis demissum, Geneseos cap. 19. vers. 24. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Non dicit, misit, jaculatus est ignem, instar fulguris effudit per breve aliquod tempus, sed *pluit*, ideſt, tamdiu & tam abundanter donec terra eorum sterilis effecta est ad segetes, sicut mentes eorum ad virtutes erant infœcundæ: ita ut quemadmodum mentes eorum per peccatum contra naturam in malitiâ obduratæ erant: sic agri eorum suscipiendi aratri & seminis omninò incapaces per pluviam sulphuream cœlitus demissam redditi sunt. Accipe antea verba sancti Chrysostomi homiliâ 43. in Genes. *Non solùm civitates subvertit*

l. 3. Reg. cap. 21.

S. Chrys

subvertit, & omnem circa regionem, & omnes inhabitantes, sed & quæ exoriuntur de terrâ abolevit. Quia enim homines, qui tantam civitatem inhabitabant multos impietatis fructus protulerunt, idcircò (inquit) & inutiles fructus terræ facio, ut & illis abolitis perpetuum sit monumentum sequentibus generationibus: omnes per suam sterilitatẽ docens quanta fuerit inhabitantium malitia. Hujus enormis flagitii malitia adhuc ex eo colligitur, quod non homo, non dæmon, non Angelus, sed Deus ipse auctor & executor pœnæ condignæ esse voluerit. Quando duo Quinquagenarii sanctum Parentem Eliam per contemptum, & ironicè virum Dei appellarunt lib. 4. Regum cap. 1. vers. 9 *Homo Dei Rex præcepit, ut descendas.* Vers. 10. *Respondens Elias dixit, si homo Dei sum descendat ignis de cælo & devoret te, & quinquaginta tuos.* Ad nutum, & quasi imperium Eliæ ignis cœlitus emittitur & absumit duos illos Quinquagenarios. Ecclesiastici cap. 48. vers. 3. *Qui dejecit de cælo ignem ter.* Vatablus. *Ignem de cælo ter deduxit.* Syrus. *Et descendere fecit tribus vicibus ignem de cælo.* Elias igitur fuit bellator ignipotens, non fulmina ignea, sed ignem vibrans. Eadem potestate pollebit tempore Antichristi. Nam (inquit S. Joannes Apocal. cap. 11. vers. 5. *Si quis voluerit eis nocere ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum.* Primasius. *exiit ignis comburens inimicos eorum.* Noster Sylveira ibi quæst. 20. numer. 145. *Hoc est ex imperio oris eorum. Ignis immittetur in adversarios, & alluditur ad duos Principes Quinquagenarios, super quos Elias ignem de cælo ejecit, si homo Dei sum, descendat ignis de cælo. Qui ignis videtur è cælo evocatus ab Eliâ non precibus, sed potiùs imperio.* At ignis in Pentapolim non ab homine etiam justissimo, zelosissimo, non ab Angelis licet igneis Psalm. 103. vers. 5. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Non à dæmonibus, qui igne infernali contitorrentur, uruntur, sed non consumuntur. At Deus ipse auctor, ipse vindex, ipse minister est. Ipse mandat ut illæ maledictæ Civitates incendio cœlesti absumantur. Ipse suum mandatum exequitur, illas incendit, ac in cinerem redigit. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignis à Domino de cælo.* Cur repetit *à Domino*? Non sufficiebat *Dominus pluit*. S. Chrysostomus supra respondet. *Ut doceat quod Dominus pœnam induxat*, non tantùm imperio, sed etiam executione. Innocentius III. hanc responsionem aurcam ingeniosè deducit, lib. de contemptu sæculi cap. 25. *Noluit Dominus cuiquam Angelorum, vel hominum executionem hujus pœnæ committere, sed sibimet vindictam hujus sceleris reservavit, secundùm illud mea est ultio, & ego retribuam Deuteronomii cap. 31. vers. 31. Et ideò pluit Dominus à Domino, videlicet à seipso non imbrem vel rorem, sed sulphur & ignem, sulphur super fœtorem luxuriæ, ignem super ardorem libidinis, quatenus pœnæ similis est culpa. Nec misisse dicitur, sed pluisse, quatenus ipso verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ notaret.* Aliam causam hujus punitionis immediatè à Deo factæ suggerit Mendoza in cap. 5. vers. 6. lib. 1. Regum septimâ ratione numer. 46. scilicet: *Noluisse Deum, ut tam invisum scelus ab aliquo puniretur, nè fortè, vel ipso respectu Angelus vel homo, si ultores essent quodammodo inficerentur.* Quasi diceret, malitia hujus flagitii est tam enormis, fœtida, ut Deus noluerit illam puniri per Angelum vel hominem, nè ejus aspectus illos contaminaret, talia peccata contactu inficiunt, Ecclesiastici cap. 13. vers. 1. *Qui tetigit picem inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Syrus. *Qui accedit ad picem ipsa adhæret manui ejus, & qui communicat iniquo induit mores ejus.* Idest, quamdiu pix contacta manui tangentis adhæret, & ei partem sui applicat, & agglutinat: sic iniquitas, præcipuè superbia, superbi adhæret eam tangenti, cum eoque conversanti partem sui applicat, & agglutinat, ac per eam velut picem eum maculat & inquinat, non tantùm in conscientiâ, sed & in famâ, ut patet in Lucifero. Hæc ex Cornelio. At peccatum contra naturam tam horridum & fœtidum

3. Reg. c. 1. v. 9.
vers. 10.
Eccli. 48 vers. 3.
Apoc. 11 vers. 5.
Sylveira.
S. Chr
Innoc. 3.
Mendoz.
Eccli. 13 vers. 1.

fœtidum est, ut se aspicientes inficiat: adeò ut de eo illud Ovidii canere liceat.

Dum spectant oculi læsos, lædantur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

S. Cy. Undè optimè hic adjicere licet illud sancti Cypriani libr. de spectaculis. *Oculi nostri & aures custodiendæ sunt: Cito enim in hoc assuescimus, quod audimus scelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant, miraculo erant inter incendia vel non consumi, vel certe non incalescere.*

III. Ex hoc divino supplicio ignis colligunt Juristæ in peccato Sodomitico deprehensos pœnam ignis promereri, Farinacius in praxi crimin. quæst. 148. num. 1. & 4. Menochius de arbitr. casu 286. num. 2. Gomez l. 80. *Tauri*, num. 32. Marta, Aloysius Riccius, Barbosa, Salzedo, Emmanuel de Valle, Azorius, eamque pœnam esse in usu apud Hispanos, & Lusitanos refert Barbosa, & meritò. Si enim in naturæ legis alumnos tam severè Deus animadvertit, quantò magis in modernæ legis observatores. Nam (inquit S. Petrus Damianus opusculo 7. explicans illa verba Jeremiæ Thren. cap. 4. vers. 6. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento*) optimè subjiciens *Iniquitas Christianæ animæ superat peccatum Sodomorum, quia unusquisque tantò deterius delinquit, quanto & ipsa Evangelicæ gratiæ mandata contemnit, &c.* Et ante illum Anastasius Nyssenus quæst. 8. in sacram Scripturam. *Si illi, qui legem non didicerunt, neque prophetas legerunt propter execrandam illam operationem consumpti sunt à sulphure, quanto nos majori digni sumus supplicio, qui legem, & Prophetas, & Apostolos assiduè legimus, deteriora facimus.* Hoc ignis supplicium non tantùm lege divinâ olim, vel lege Ecclesiasticâ, & Civili præscriptum est, sed etiam gentili. Nam Plato apud Cælium lib. 15. cap. 16. censuit ignis supplicio animadvertendos ejusmodi flagitiosos, tanquâ naturæ jura pervertentes.

Thren. c. 4. v. 6.

IV. Illud peccatum turpissimum & abominabile est (ut loquitur Imperator) horribili etiam pœnâ capitis plectitur in jure Civili l. *cùm vir*, C. *de adulterio*, & in authent. *ut non luxurientur*, collat. 6. Cald. consil. 125. circa princip: verbo *Et ideò fortè*. Quod supplicium applicandum esse tam agenti, quàm patienti, Clarus in § *Sodomia*, num. 4. verbo *sed quare*, docet esse communem opinionem, modo patiens illud crimen perpetrarit, & non coactè.

V. Illud vitium meretur separationē ità ut si maritus sit Sodomita mulier potest petere separationem, ita Clarus § *Sodomia*, numer. 7. verbo *item propter*, Tuschus tomo 7. Conc. 316. verbo *Sodomitum crimen detestabile, operatur multa mala, & ejus pœna*, num. 13.

VI. De ejusmodi crimine convicti redduntur infames Decianus consil. 90. verbo *vitio*, Donellus com. juris Civilis lib. 18. cap. 7. Cardosius, Farinacius, Aloysius Riccius.

VII. Eos amittere nobilitatem, ait Avendano respons. 39. num. 9. Thomas Valascus, Oralota, & præcipuè Barbosa de officio & potest. Episcop. allegat. 44. num. 9.

Bona eorum confiscari docet Menochius de arbit. casu 286. numer. 9. Gomez. l. 80. *Tauri*, numer. 32. Peregrinus de jure Fisci lib. 5. tit. 1 num. 169. Farinacius supra quæst. 148. numer. 12. Armendariz, Barbosa. Hi duo postremo intelligunt cum Salzedo de bonis acquisitis quæ possidebant tempore commissi criminis, non vero de acquisitis post perpetratum.

VIII. Testandi facultate privari resolvunt Decianus l. 1. num. 9, C. *de secundis nuptiis*, Menochius de arbitr. casu 286. numer. 60. & casu 360 numer. 59. & 60. Covarruvias, Guilelmus, Farinacius, Armendariz, Barbosa, Avendano. Franciscus Marcus Delphin. Extendit etiam ad eos, qui non essent condemnati. Cui subscribit Aloysius Riccius, etiam ad mortuum Farinacius in praxi criminal. part. 1 quæst. 10. num. 44. Campanile, Barbosa. Ratio est, quia hoc

crimen

crimen non præscribitur, ut tradit Hippolytus l. *qui falsam*, §. 1. num. 4. & 5. ff. *ad legem canon.* de falsis, Thomas allegat. 13. num. 24. Gregorius Lopez.

X. Fertur lib. 4. Regum cap. 2. vers. 23. quod S. Propheta Elisæus ascendens in Bethel, *Pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei dicentes, ascende calve, ascende calve.* Vers. 24. *Qui cùm respexisset, maledixit eis in nomine Domini, egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos.* Cur tam sanctus Vir ita sævit in illos pueros, qui adultam ætatem necdum attigerunt? Dionysius varias rationes affert. Hanc unicam producam. *Ne alii pueri similia facere attentarent.* sic ideò tenera ætas committentis Sodomiæ crimen non excusat à pœnâ. Bajardus ad Clar. §. *Sodomia*, num. 13. Florinus de casibus reservatis part. 1. cap. 3. num. 3. Homobonus, Barbosa. Ut abominabile illud vitium etiam ipsi pueri detestentur. Puerum ante 14. annum completum laptum in illud crimen non incurrere tales pœnas, nec casus reservationem tenent Barbosa, & alii ibidem.

XI. Contra Clericos committentes hoc immane flagitium Pius V. in extravagant. apud Navarrum cap. 27. num. 249. ordinavit, ut Clericus cujuscumque sit dignitatis id committens, privetur omni privilegio Clericali, omni beneficio & dignitate Ecclesiasticâ. Ex eodem decreto meretur etiam pœnam degradationis, & traditionis Curiæ sæculari, ut ab eâ plectatur, ita Navarrus cap. 27. num. 249. Barbosa de officio & potestate Episcopi cap. 3. allegat. 110. num. 19. Hunc casum esse Episcopo reservatũ docet Gambarupta de casibus reservatis, alii negant. Quid quid sit in nostrâ Diœcesi Leodiensi est inter reservatos. Vide Chapeauville casu 15.

XII. Ad pœnas externas incurrendas in bullâ Pii V. latas, requiritur primò, ut peccatum sit in suâ specie consummatum, ita Chapeauville de casibus reservatis casu 15. quæst. 3. part. 2. Aloysius Riccius, Alterius, Corio lanus, Ugolinus, Suarez, Bonacina de matrimonio, Fineilius, Julius Clarus, Navarrus cap. 27. numer. 249. Rodrigaez part. 2. cap. 209. Quaranta verbo *Sodomia*. Ratio est, quia lex puniens delictum postulat, verbi gratiâ, delictum sit consummatum, præsertim quando verba legis sunt generalia & absoluta de illo delicto. Eandem consummationem necessariam esse ad incurrendum casum reservatum ab aliquo Episcopo docet Bonacina supra. Quia res odiosa strictè explicanda est, & consequenter debet supponere peccatum in se cõpletum cum effusione seminis intra vas illius delicti. Quæ reservatio ad agentem & patientem extenditur, primò juxta illud in correlativis dispositum in vas censetur etiam dispositum in alio. Secundò, argumento legis *Cùm vir nubit in fœminam*, C. *de adulteris*. Tertiò, quia tam peccatum agentis, quàm patientis dicitur propriè Sodomiticum. Noster Pater Lezana tomo 1. quæst regul. cap. 5. numer. 11. & Rodriguez in odium tanti criminis existimant sufficere copulam seu conjunctionem contra naturam cum alio, habere etiam absque seminis effusionẽ Consentit tamen non sufficere ad incurrendas pœnas latas à Pio V. saltem quoad forum conscientiæ. Rationem affert numer. 13. quia leges pœnales maximè cùm graves pœnas infligunt, non debent ampliari ultra id, quod sonant. In his autem sanctionibus tantùm fit mentio de iis, qui actum Sodomiticum cõmittunt, non verò de iis qui tantùm perpetrare attentant. At quoad forum exterius secus dicendum videtur, maximè si usus patriæ ita ferat, & citat Rodriguez supra Prosperum de Augustino in addit. ad Quarantam in summa Bullarii verbo *Sodomia*. Probatur primò ex l. *si quis non dicam*, C. de Episc. & Cleric. Secundò ratione, quia in delictis atrocissimis punitur affectus & conatus, quamvis effectus non sequatur.

XIII. Ut quis præfatas pœnas incurrat, non iteratum ac frequentem actum & usum requiri resolvunt Laertius Cherubinus tomo 2. bullarum in bullam

bullam Pii V. schol. 2. Aldrete de religiosâ disciplinâ lib. 2. cap. 15. §. 15. numer. 18. Salzedo, & Joannes de Valle apud Cevallos quæst. 228. numer. 4. Ratio est, quia contenduntid declaratum fuisse a Pio V. At requiri è contra actuum multiplicationem resolvunt Navarrus in manuali cap. 27. num. 249. versu *tertio die*, Novarius in lucernâ regul. verbo *Sodomia*, num. 4. Homobonus de casibus reservatis part. 1. quæst. 4. sect. 5. casu 3, Belloch in simili tract. part. 1. quæst. 2. num. 117. Emmanuel de Valle de incant. & enfuit. sect. 3. cap. 1. Campanile, Nicolaus Garcias, Marta de jurisd. Lotterius, Bonacina, Marchinus, Barbosa, Petrus de Ledesma, Alterius, Franciscus Leo, Aloysius Riccius, Marcus Antonius Genuen's, Majolus, Sayrus, Avila. Quibus arridet Suarez, Henriquez in summa. Quibus favere videtur noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 10. num. 8. Probant ex verbo *exercentes*, in bullâ Pii V. Item ex lege, l. *Iulia* institut. de public. judic. Ubi verbum *exercere* sumitur pro frequenti usu, & quasi consuetudine.

XIV. Præfatis pœnis subiacent notorii, non autem occulti, ita Finellus de casibus reservatis casu 9. num. 6. Floronus in simili tract. part. 2, casu 7. §. 1. num. 7. Campanile supr. cap 22. Avilla de censuris, part. 7. disput. 4. concl. 7. Lotterius supr. Ugolinus, Graffis in decis. aureis, Barbosa, Diana contra Covarruviam in Clement. *si furiosus*, part. 2. §. 1. num. 6. Clarum §. *Sodomia*, num. 5. Libertinum de jure patron. part. 1. lib. 2. quæst 2. art. 28. num. 4. Salzedo in addit. ad pract. crimin. Foller. in praxi crimin. canon. part. 6. cap. 36. art. 11. Franc. Martha part. 2. decis. 657. numer. 16. Bernard. Diaz. & alios citatos ab Henriquez & Petro Cevedo asserentes incurri tales pœnas non ob canones cùm nulla jura eas judicant, sed ob enormitatem & gravitatem criminis. Hanc rationem refellunt auctores primæ sententiæ, quia nulla pœna præcipuè irregularitatis potest induci, nisi inveniatur expressa in jure. cap. *is qui* de sentent. excommunic. in 6. Sed nullum crimen inducit irregularitatem etsi enorme, nisi notorium sit, excepto homicidio, ut patet ex cap. *ex tenore*, de temp. ordin. Ubi dicitur ex nullo crimine quantumcumque gravi etiam degradatione digno induci suspensionem, vel irregularitatem in susceptis, vel suscipiendis ordinibus, Patet etiam ex cap. final. eodem tit. ubi dicitur, quod propter gravissima crimina, ut adulterium, perjurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab usu vel susceptione ordinis impediri, nisi in judicio comprobata, vel aliàs notoria fuerit Undè Sanctus Joannes Climacus gradu 15. Scalæ refert hæreticos quosdam ex instituto Ecclesiæ post unius anni pœnitentiam ad Sacramenta suscipienda solitos restitui. At eos qui in hoc enorme crimen lapsi essent per plures annos sacris mysteriis communicandis fuisse privatos. Et S. Petrus Damianus libr. 7. qui liber Gomorrhianus inscribitur, cap. 13. refert antequam Ecclesiæ decretum, ita sancivit, ut qui ante vigesimum ætatis annum tale flagitium perpetrarit non admittatur ad suscipienda Sacramenta, nisi post decennium in verâ pœnitentiâ tractum, in quo major prudentia, & consequenter major malitia præsumitur, in tale crimen lapsus fuerit, nonnisi post vigesimum annum in pœnitentiâ exactum ad sacra mysteria revocetur: intelligitur de ejusmodi facinoroso notario non in foro interiori tantùm, sed exteriori, Graffis supra cap. 90. num. 13. Ugolinus de irregul. cap. 43. §. 2. num. 4, Campani supra cap. 22. num. 12. Lotterius supra quæst. 33. num. 67. Henriquez, Avila, Finellus, Floronus, Belloch. Et sic constitutionem Pii V. & pœnas in eâ contentas fuisse dumtaxat receptas quantùm ad forum externum non verò esse in usu quoad forum interius censent Sanctarellus de apostasiâ cap. 4. dubip 17. concl. 9. num. 14 Diana supr. Undè Clericus quamdiu factus est occultum nullam suspensionem incurrit, ita Diana supr. Bonacina supr. num. 2. Navarrus in manuali cap. 27. numer. 29. Novarius

verbo

verbo *Sodomia*, num. 6. Marchinus, Sanctarellus, Azorius, Ugolinus, Henriquez, Lazarius, Aldrete, Valentia, Campanile, Nicolaus Garcias, Toletus, Petrus Ledesma, Avila contra Covarruviam in Clement. *si furiosus*, part. 1. §. 1. num. 6. Fredericũ in praxi crim. canon. part. 6. cap. 37. num. 11. Franciscum Marcum, Alterium, Cavalcanum, Funz, Clarum. Nec ob occultum ejusmodi flagitium Clericus prohibetur ordines suscipere, vel beneficium acquirere, si crimen sit occultum, nec deductum in judicium, Campanile supr. cap. 22. num. 19. Barbosa, Achilles de Grassis decis. unic. num. 3. sub titulo *de pœnis*. Quod si (inquit Bonacina de censuris disp. 7. part. 3. puncto 1. num. 19. Barbosa proximè citatus, & alleg. 43. crimen sit notorium, & consequenter Clericus infamis infamiâ juris non potest ad ordines promoveri, collatioque beneficii erit invalida, ita decisum fuisse refert Diana part. 2. tract. 17. resol. 67. & alii ab eo citati. Quod autem non teneatur in conscientiâ dimittere beneficium ante sententiam declaratoriam judicis docent idem Diana supra citatus Marchinus, Barbosa, Homobonus de examine Eccles. Campanile, Ugolinus, Didacus Sahagum, Morla in Emporio juris post Vasquez, Lessium, Henriquez, Guitierez, Franciscum Emmanuelem, Molinam, Azorium, Suarem, Petrum de Ledesma, & alios.

XV. Illius nefandi sceleris notitiam & judicium esse mixti fori, seu posse puniri non tantùm à judice Ecclesiastico, sed etiam sæculari resolvunt Caldar. consil. 117. verb. *ad nos per Ioannem Monarchum*, Tuschus tomo 7. conclus. 317. verbo *Sodomiticum crimẽ est mixti fori*, Clarus §. *Sodomia*, num. 3. verbo *hoc crimen*, & Clarius in §. *final.* quæst. 37. verbo *item quare*, quod omne delictum contra naturam possit puniri per judicem Ecclesiasticum etiam inter laicos docet Abbas in cap. *Clerici*, de excessibus prælat. Tuschus proximè citatus num. 3.

XVI. Non esse credendum ei, qui affirmat aliquem secum voluisse illud crimen perpetrare, docent Armendariz, Bajardus. Non esse credendum dicto minoris attestantis se fuisse attentatum de hoc facinore, nec facit judicium contra attentantem, nisi aliæ conjecturæ & judicia concurrant, ita Marcus Antonius Genuensis in in praxi Archiepisc. cap. 67. numer. 2. Marta Pisana decis. 138. Gaspar Antonius, Thesaurus Taurin. decis. 15. Thomas Trunsanus Venetiæ decis. 14 part. 2. Resolvunt Bajardus supra numer. 3. Cavalcanus consil. 109. Grammaticus decis. 40. num. 14. Barbosa. In nullo credendũ alicui puero affirmanti se fuisse ad illud abominabile scelus inductum, nihilominus Cardinalis Tuschus tom. 7. conc. 317. num. 4. post Plot. consil. 50. num. 22. & seq. affirmant, quod probant, puer vim passus, vel puella contra Sodomitam, &c. facit judicium ad torturam, & ratio est, quia si non sponte sustinuit, non meretur pœnam, nec efficitur infamis; secus, si sponte, quia non probat, nisi torqueatur, eo quod dicatur socius. Ratio bona est, quia esset vis aperta huic crimini, si vim passus non admitteretur, & est consil. criminale 132. numer. 13. & seq. lib. 1. Vide *Testis sortis criminis non est idoneus testis, & quando secus*, conclus. 127. Quare Tuschus num. 1. ait Marsilium consil. 20. num. 13. & seq. contrarium & pessimè dicere, quod puer nihil probat: quia minor, & quia socius criminis, sed ibi fortè in eo qui sponte fuit suppositus, licet fortè non sit verum, quia à communiter contingentibus ista fiunt in discreto. Quod si mulier conqueratur de virio nefando, separatio thori decerni non debet, ita Aloysius Riccius in decis. part. 1. decis. 71. Barbosa. Ratio est, quia hæc querimonia non est sufficiens, imò nec fides adhiberi debet uxori dicenti se fuisse à marito provocatam, ita Hortensius Cavalcanus de brachio sæculari part. 10. numer. 282. versu *in summa*, Barbosa proximè citatus. Multò minus credendum meretrici tale quid dicenti, ita Barbosa, Armendariz, Decianus consil. 83. per totum. Hujus flagitii testis admitti potest absque citatione partis, ita Salzedo ad Bernardum numer.

mer. 88. quod incipit *Nefandi criminis*, vers. *& in Sodomia*, Suarez de pace in praxi tomo 1. temp. numer. 55. Barbosa num 19. Quod si testis alterat se audivisse, nihil probat, Hippolytus consil. 28. num. 4. & 5. Cassaneus, Barbosa.

XVII. Quod si coitus ille abominabilis fiat inter masculos in primo & secundo gradu, habet vim incestus in confessione aperiendus, ita Azorius parte 3. lib. 3. cap. 18. quæst. 5. Graffius de arbitr. Confessar. lib. 2. cap. 34. num. 3. ubi sic ait. Est incœstus quando coitus Sodomitici fiunt inter masculos in primo & secundo gradu, vel coit masculus cum masculo Sodomiam perpetrans, & masculus est cognatus. Licet non sit incestus quantum ad matrimonium cõtrahendum, impediendum, aut dirimendũ. Cui favet Cajetanus 2 2. quæst. 154 art. 11. Tamen actiones incestuosæ rectè dicuntur, quoniam sunt perpetratæ contra pietatem debitam cognatis, & quoniam sunt abusus luxuriosi inter cognatos. Quare cùm habeant specialem deformitatem & malitiam, præter malitiam sodomiticam, exprimendum est in confessione, non solùm quod fuerit perpetratum Sodomiticũ crimen, sed quod fuerit etiam cum fratre in primò & secundo gradu, vel cum cognato, vel cum cognatâ; imò coitus Sodomitici inter masculos, qui sunt cognati inter tertium gradum consanguinitatis etiam habent specialem deformitatem & malitiam præter Sodomiticam, Graffio & Azorio subscribit Sylvius 2. 2. quæst. 154. art. 12. At quod incestus non sit inter tertium & quartum gradum asserunt Homobonus tract. de casibus reservatis part. 2. casu 4. in 2. edit. Bellochius in praxi Theologiæ moralis part. 2. quæst. 1. núm: 210. Imò quod ex copulâ illâ nefandâ nulla contrahatur affinitas, nec consequenter incœstus committatur, nec ratione incœstus reservatum esse abusum fratris aut sororis per actum illum horrendum inter gradus prohibitos existimant Floronus de cas. reser. part. 2. cas. 6. n. 31. Diana tract. de Sacramen. resol. 101. Sinellus. Addit tamen hic quod circumstantia personæ conjunctæ reddat gravius ipsum crimen, sed Diana supra existimat contra Bonacinam de matrimonio quæst. 4. punct. 11. num. 7. Azorium, Graffium, circumstantias aggravantes intra eandem speciem non esse in confessione aperiendas, sicq; probabiliter aliquẽ in tali casu se posse accusare de actu Sodomitico dumtaxat perpetrato cum consanguineo, vel affine, absque explicatione primi, secundi gradus, cum quibus fuit coitus. Subditque Diana quod Giptius de casib. reservat. cap. 8. num. 5. Megala in part. 1. lib. 5. Id etiam probabiliter docuerunt de copulâ Sodomiticâ cum muliere affine & consanguineâ. Idem etiam se sustinere in tract. de circumstantiis affirmat Diana. Ratio ejus est, quia incestus non differunt specie. Putant Jacobus de Graffis in praxi de casibus reservatis lib. 1. cap. 13. num. 9. Diana proximè citatus, & tract. 1. miscell. resol. 1. contra Floronum de casibus reservatis part. 2. casu 6. numer. 28. impuberes se commiscentes cum consanguineis vel affinibus non esse inclusos in casu reservato incœstus.

In infando crimine Sodomiæ non comprehendi peccatum horrendum bestialitatis; saltem quoad pœnas ipso jure impositas tenet Nicolaus Garcias de benef. part. 11. cap. 10. numer. 204. Ratio est, quia licet bestialitas sit gravissimum crimen, & contra naturam, gravioresque Sodomiâ; tamen non est Sodomia, sed species distincta à Sodomiâ: sed verior est opinio Francii. Emmanuelis in summâ tomo 1. cap. 208. num. 2. Farinacii in praxi criminali quæst. 148. num. 47. Prosperi de Augustino ad summam Bullarii Quarantæ verbo *Sodomia*; ampl. 2. asserentium peccatum illud comprehendi in Sodomiâ, bestialitatemque esse reservatam sicut est Sodomia, quamvis nulla fiat mentio. Quibus arridet Homobonus in examine Ecclesiast. part. 2. tract. 11. cap. 12. num. 26. Bellochius de casibus reservatis part. 2, quæst. 2. numer. 26. Aloysius Riccius, Rodriguez. Quibus subscribo maximè in Diœcesi Leo- XVIII.

diensi

dicensi, in quâ concubitus contra naturam, Sodomia, & ejus generis graviora crimina reservantur Episcopo. At bestialitas est gravius Sodomiâ, quare minimè audiendos in hoc censeo Bonacinam de matrimonio quæst. 4. puncto 12. numer. 3 Novarium contendentes bestialitatem non esse reservatam. Plura de hac materiâ apud alios Auctores.

XIX. Unicum tantùm adjiciam in detestationem hujus flagitii Episcopum nullo modo posse dispensare cum convictis de hoc nefando flagitio, nec posse eos promoveri ad ordines, vel post promotionem permittere, ut in illis ministrent, ita Navarrus in manuali cap. 24. numer. 248. Barbosa. Ratio est, quia cùm juridicè sint infamati de crimine enormi, ipso jure sunt irregulares, in quâ irregularitate secundum Ludovicum Mirandam in manuali prælator. tomo 2. Summus Pontifex totus dispensare potest. Quæ facultas dispensandi cum convicto de illo nefando crimine, non competit etiam Prælatis Religionum Ratio fundatur in enormitate delicti, in infamia delinquentis, & scandalo, quod inde oriri potest si videatur ejusmodi delinquens celebrare, quare hanc irregularitatem esse reservatam Papæ resolvunt Alzedo de potestate Episc. dignit. part. 2. cap. 6. numer 67 Barbosa. Aliqua tamen sunt loca in quibus Inquisitores & Episcopi non tantum absolvunt ab eo crimine, sed etiam in irregularitate ex eo procedente dispensant, ita Freitas in addit. ad tract de confess. sollicit. quæst. 24. num. 136. Castrus Palaus in summâ, Narbona, Salzedo ad Bern rd. in pract. cap. 86. Sousa in aphoris. inquisit. Emmanuel. Cæterùm Episcopum vel Confessarium maximè sæcularem unius Diœcesis non posse absolvere pœnitentem alterius Diœcesis a prætatis casibus, vel aliis reservatis docent Chapeauville tract de casibus reservatis part. 1. cap 4. difficult. 9. Sotus in 4. dist. 18. quæst 2. art. 4 Ugolinus de potest. Episc. cap. 36 num. 3. Floronus de casibus reservatis part. 1. cap. 45 11. num. 4. Bellochius, & alii. E contra posse absolvere asserunt Henriquez libr. 3. de pœnitent. cap. 14 num. 8. Villalobos, Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis. Hæc omnia à fortiori procedunt in Confessariis regularibus, modò pœnitentes id non faciant in fraudem proprii Ordinarii, ut infert idem Diana citatus.

CAPUT XIX.

Litterarum Apostolicarum, etc. falsificatio, quantum crimen.

INter Jezabelis impietates hæc recensetur, l. b. 3 Regum cap. 21. 1.

vers. 8 *Scripsit litteras ex nomine Achab & signavit eas annulo ejus, & misit ad Majores natu, & Optimates, qui erant in civitate ejus & habitabant cum Naboth, etc.* Quibus mandat, ut de blasphemiâ in Deum & Regem composita damnent, & lapidibus obruant. Quæritur quid per illa verba *Nomine Achab* intelligatur? Aliqui asserunt illas litteras conscriptas fuisse scientè & consentiente Achabo, ita Lyranus & nonnulli alii. At Petrus Comestor histor. Eccles. lib. 3. Regum cap. 39. contendit ejusmodi litteras à Jezabele fuisse conscriptas secretò, ex quo quantas pœnas promeruerit, liquet maximè cùm ex eis tanta mala processerint, ut patet ex Textu. Quantùm etiam noceat Reipublicæ Christianæ, Sedi Apostolicæ, & aliis personis & statibus tum Ecclesiasticis, tum politicis falsificare litteras Apostolicas colligitur ex Bullâ Cœnæ Domini. *Excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in formâ brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem, de Romani Pontificis signaturatum, necnon falsò fabricantes Litteras Apostolicas, etiam in formâ brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices*

l. 3 Reg. c. 21. v. 8.

prædictorum. Contra eosdem falsarios, vel habentes penes se litteras falsas Romani Pontificis, vel aliorum Officialium Curiæ expressorum fit mentio cap. *ad falsariorum*, cap. *dura*, de crimine falsi Differuntque Farinacius in praxi crimin. part. 6. de falsitate, quæst. 111. num. 7. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verbo *falsarii*, Lavorius de indulgentiis part. 2. cap. 21 num. 10. Filliucius tract. 15. num. 46 vers. 2. & num 49. Gambacurta de casibus reservatis cap 6 num. 1. Salzedo & Bernardus in pract. cap 119. Antonius de Sosa de relect. de censuris bullæ Cœnæ cap. 7. disput. 41. Aloysius Riccius in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. part. 1. decis. 36. Bonacina de excommunicatione particulari extra bullam Cœnæ disput. 2. quæst. 3. puncto 4. & in bullâ Cœnæ disp 1. quæst. 7. Vinaldus, Sayrus, noster P. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *falsarius*, num. 2 & tomo 4. verbo *Litteræ Apostolicæ*. Ut præfata censura melius intelligatur, quædam hic præmittenda sunt. Primò, Litteras Apostolicas illas esse, quæ in Curiâ Romanâ expediuntur per Romanum Pontificem, & ipsius Officiales ejus nomine, ita Filliucius tomo 1. tract. 6. cap. 8. numer. 184 Gratius part. 1. decis. lib. 4. in explicat. Bullæ Cœnæ cap. 6. num. 88. Lezana supra verbo *littera Apostolica*, num. 1. Inter has litteras Apostolicas quædâ sunt, quæ cùm expediuntur cum bullâ plumbeâ pendente circa gravia negotia quæ generali vocabulo dicuntur bullæ Aliæ autem, quæ pro parvis negotiis expediuntur cum sigillo cereo per annulum Piscatoris, quo creditur à sancto Petro fuisse usitatum, & dicuntur brevia. Aliæ sunt litteræ signaturæ, & hæ sunt supplicationes, seu petitiones inscriptis, porrectæ Pontifici, vel ejus ministris, quibus Pontifex subscribit per *fiat*, vel simile verbum Non tamen sunt sigillo munitæ, ita Gratius supr. numer. 9. & num. 91. Rebuffus in praxi benefic. tit. *de bullâ*, tit. *de brevibus*, tit. *de signaturâ*, Petrus Gregorius in Syntagm. lib. 17. cap. 15, Lezana supr. Aliæ, mandata Apostolica nuncupantur, quæ sunt rescripta, quibus Summus Pontifex mandat & præcipit alicui, ut alicui de beneficio provideatur, Rebuffus in concordiâ, tit. *de Mandatis Apostolicis*, Staphilæus tract. *de gratiis expectativis, & mandatis de privil.* Petrus Gregorius supr. cap. 11. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 32. Lezana jam citatus, & alii plures apud quos videre licebit quot modis præfata Mandata Apostolica expediantur.

II. Inter præfatas litteras Apostolicas quædam reperiuntur subreptitiæ, aliæ obreptitiæ, aliæ falsæ, seu falsificatæ. Subreptitiæ impetrantur narrando falsitatem, seu vel silendo veritatem, seu ea quæ secundùm jus & stylum Curiæ exprimenda sunt. Obreptitiæ impetrantur a Romano Pontifice supplicato sic invulatè, seu sub involucro verborum, ut veritatem non perceperit. Falsæ illæ dicuntur, quæ à Sede Apostolicâ nunquam sunt concessæ, sed quidam privatus illas formavit. At litteræ falsificatæ nuncupantur, quæ à Summo Pontifice veræ emanarunt, sed sunt immutatæ, vel alteratæ ab aliquo privato, ita Gratius supr. numer 88. Jason lib. 2. num. 1 Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22 num. 4. Lezana supr. num. 3.

III. Qui Litteras Apostolicas impetrant subreptitiè vel obreptitiè, peccant mortaliter, ita Gratius supr. numer. 89. Lezana supr. numer. 4. Probatur ex cap. *ad aures*, cap. *constitutus* cap. *super litteras*, de rescript. cap. ultimo *de filiis presbyterorum*, in 6. Ratio est quia illis decipitur Papa. Undè ejusmodi litteræ sunt ipso jure irritæ, & invalidæ. Nec refert quod subreptio vel obreptio contingat per ignorantiam & bonam fidem. Nam (inquiunt Thesaurus in praxi part. 2. verbo *gratia*, cap. 8. §. *amplia quod subreptio*, Sanchez lib. 8 de matrimonio disp. 21. num. 19. Lezana supr. num. 4. Hoc non est pœna sed provenit ex defectu voluntatis vel intentionis Papæ. Loquor autem de litteris Apostolicis, quæ gratiam continent. si enim contineant justitiam, seu si sint ad lites forenses non sunt ipso jure irritæ, sed irritandæ sunt à parte, seu

seu adversario, contra quem sunt impetratæ per exceptionem allegatæ subreptionis, vel obreptionis, ita Sanchez supr. num. 3. Nicolaus Garcias de benef. part. 8. cap. 3. numer. 1. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22. numer. 17. Lezana loco citato. Et ante illos Abbas cap. *caterum*, de reservat. Ratio est, quia licet rescriptum justitiæ ex errore proveniat, cùm tamen versetur circa media, sivè modum litis terminandæ, tamen potest causa justè terminari. Cùm verò rescriptum gratiæ versetur circa finem, scilicet gratiam obtinendam, si ex errore proveniat evertitur plane principalis intentio concedentis, ut animadvertit Coninck tomo 2. in 3. part. disp. 33. dubio 6. num. 56. Quomodo autem, vel quando sanetur ejusmodi vitium, refert Thesaurus supr. §. *amplia quod si gratia*, & §. *limita etiam*. Quod talis impetrans litteras Apostolicas subreptitiè non incurrat excommunicationem bullæ Cœnæ supr. relatam, resolvunt Navarrus in manuali cap. 27. num. 62. Toletus in summâ lib. 1. cap. 22. num. 4. §. *tertiò impetrantes*, Grathus sup. num 89, Lezana citatus. Ratio est, quia præfata censura est solùm imposita cõtra falsificantes litteras Apostolicas. Titius autem non falsificat illas, sed impetrat modo doloso & fraudulento. Incurrit nihilominus pœnas taxatas in cap. *ad falsariorum*, in fine, de crimine falsi, de quo infra. Ita Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 5. tom. 1. in principio. Ubi distinguit falsificantes litteras ab impetrantibus litteras falsas, idest qui impetrant litteras Apostolicas subreptitiè, vel obreptitiè. Quod tamen subripientes expeditionem litterarum Apostolicarũ gratuitam faciendo in eis exprimi, quod impetrans habeat illas qualitates, ob quas solent litteræ Apostolicæ ejusmodi gratis concedi, ut esse commensalem, vel nepotem Cardinalis, vel Abbreviatorem, & scriptorem litterarum Apostolicarum incurrant excommunicationem latam ab Innocentio VIII. constitutione 7. vel 11. quæ incipit. *Cùm sicut*, & Leone X. constit ut. 27. quæ incipit *inhærendo*, docent Filiucius tract. 15. numer. 98. & 99. Raynerus, Lavorius, Gambarupta, Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 50. numer. 118. Lezana supr. Quibus favet constitutio Urbani VIII. apud Thesaurum sup. §. *hodie*, quæ subreptio vel obreptio tunc dumtaxat contingit, quando (ut dictum est) aliquid veri siletur, vel aliquid falsi exponitur Ita ut aliàs Summus Pontifex judicio prudentium, non conferret illam gratiam, vel non eodem modo, vel cùm etiam jura aut stylus Curiæ volunt talem circumstantiam exprimi, sine quâ non. Ita Covarruvias resolut. 1. cap. 20. num. 5. §. *verum*, Guitierez lib. 1. cap. 15. num. 12. & lib. 2. cap. 15. num. 38. Abbas in cap. *dudum*, num. 1. de præsumpt. Mascardus de probat. concl. 846, numer. 2. Emmanuel Sa verbo *gratia*, numer. 10 Garcias, Coninck, Sanchez citatus, Layman. Ratio est, quia in his casibus præsumitur concessio irrita, quia involuntariè concessa propter errorẽ, ut patet exemplis relatis à Laymã & aliis.

IV. Is falsarius vel falsificans censetur, qui pervertit veritatem cum dolo, vel jacturâ alterius, ita Sylvester in summâ verbo *falsarius*, numer. 1. Lezana tomo 4. quæst. regul. numer. 1. Qui de hoc crimine juridicè condemnatus est, meretur depositionem, infamiam juris incurrit, & secundum Thesaurum in praxi part. 2. verbo *falsum*, cap. 1. Lezanam tom. 4. quæst. regul. verbo *falsarius*, num. 1. & tomo 3. verbo *infamia*. Insuper falsarii, seu falsificantes litteras Apostolicas quaslibet incurrere excommunicationem Papalem expressam in bullâ Cœnæ Domini, patet ex verbis ipsius bullæ supra relatis. Circa quæ notat Lezana supr. num. 2. Primò, quod in antiquis bullis apud Navarrum cap. 27. num. 62. & aliis, hic casus erat magis extensus, quàm in modernâ bullâ Urbani VIII. cui inhærendum est. Secundò, quod in cap. *ad falsariorum*, de crimine falsi, vetitum etiã erat sub excommunicatione reservatâ falsare litteras Apostolicas per se, vel per alios, quæ etiam excommunicatio extenditur ad fautores & defensores. Ita ut etiam Clerici falsarii

deprehensi, perpetuò priventur omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis. Item mereantur degradationem, & postea traditionem brachio sæculari, qui nō secùs ac laici corrigantur. Idem dicendum de Clericis, qui falsis litteris utuntur: hi enim beneficiis & officiis Ecclesiasticis spoliandi sunt, & laici excommunicandi donec satisfecerint, ita cum Thesauro sup. num. 4. Lezana loco citato. Quartò distinguitur falsificatio litterarum a falsâ fabricatione, ut dictum est, nam falsificare est veras litteras Apostolicas immutare contra sinceram earum utilitatem: fabricare autem est eas confingere. In cap. *ad falsarios*, prior actio fuit prohibita sub pœnâ excommunicationis nulli reservatâ, sed in bulla Cœnæ utraque est prohibita (inquit Suarez tomo 5 in 3. part. S. Thomæ disp. 21. sect. 2. num. 44 & quidem sub excommunicatione reservatâ) *Caterùm* (inquit) *à prædictis sententiis nullus per aliam, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam nisi desistendo Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolvi possit etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis ordinantium, etiam Mendicantium, ac militarium regularibus, seclusis Episcopis, vel aliâ majori dignitate præditis, ipsisq; ordinibus & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus ac Capitulis Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, & Locis Piis necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus per nos, & dictam sedem, ac cujusvis Concilii decretum, verbo, litteris, aut aliâ quacumq; scripturâ ingenere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum ac innovandorum, &c.* Quartò animadvertit Lezana, ad incurrendam prætatam excommunicationem debere spectari mentem Pontificis: si enim in immutatione unius litteræ vel puncti, aut apicis mutetur sensus intentus à Pontifice, dicta excommunicatio incurritur. Quod si sensus à Pontifice idem semper maneat non incurritur censurâ. Huic explicationi arridet Naldus in summâ verbo *falsum* num. 4. Suarez supra num 45 Quintò notat post Navarrum & Naldum supra; sub hâc censurâ non comprehendi utentes falsis litteris, quemadmodum continetur in cap. *ad falsariorum*, imò in cap. *dura* 5 *ad finem*, de crim. falsi. præcipitur promulgatio excommunicationis in eos, qui litteras falsas apud se habere cognoscuntur, nec eas resignant, vel destruunt ante viginti dies, quæ censura est Papæ reservata (inquunt Suarez supr num. 49. & Lezana supr.) Sextò. Navarrus, Lezana supr. Suarez numer. 50. docent non contineri sub hâc excommunicatione bullæ Cœnæ, qui impetrarunt litteras falsa subreptitiè, vel obreptitiè: Ratio est, quia bulla Cœnæ tantùm excommunicat falsificantes, vel falsò fabricantes illas Nihilominus eadē pœnas incurrunt cum iis, qui falsis utuntur. cap. *ad falsariorum*, carentque omni utilitate litterarum, ita Lezana & Suarez. Et probatur ex cap. *ex tenore*, cap. *super literis*, de rescriptis. Navarrus & Lezana existimant Septimò, quod falsarii litterarum Episcopi, vel Nuncii non incidant in excommunicationem bullæ Cœnæ, nec in eam. quæ ponitur cap. citato *ad falsariorum*. Denique Naldus in summâ verbo *Bulla Cœnæ* numer. 33. Lezana supr. aiunt, quod censuratham bullæ Cœnæ incurrant tales falsarii, etiam non utentes prædictis litteris, vel licet erroris pœnitentes, contendant illas reducere ad statum pristinū. Ratio est, quia actio ibi vetita est falsificantibus, & fabricantibus dictas litteras falsas. Addunt Farinacius in praxi crimin. part 6. de falsit. quæst. 151. num. 9. Antonius de Sousa, Barbosa. Prædictam censuram procedere contra fautores & defensores falsariorum. Tamen Jacobus de Graffis in aureis decis. part 1. lib. 4, cap. 19. num. 95. Suarez sup. disp 21. sect. 2. num. 48. Antonius supr. docent non procedere in mandantibus falsificari, nec ad fautores præstantes auctoritatem hujusmodi falsificationibus. Ratio est, quia de iis nulla fit mentio. Nihilominus illa incurritur, de quâ

cap.

cap. *ad falsariorum.* Vide plura apud Cardinalem Tuschum tomo 3. conclus. 41. usque ad 62.

IV. Ex quibus infero primò, quoad rescriptum, quod si in rescripto opponatur unica causa, illa finalis, & non motiva censenda est, ideoque si falsa sit, vitiabit rescriptum, ita Castro Palao in opere morali tomo 1. tract. 3. disp. 6. puncto 16. §. 3. numer. 1. Sanchez de matrimonio tomo 3. lib. 8. disp. 21. num. 41. Guitierez canon. quæst. lib. 2. cap. 15. Diana part. 4. resolut. 53. Ratio est, quia Summus Pontifex censetur privilegium & dispensationem velle concedere ex causâ allegatâ: licet dicat se concedere motu proprio, & ex causâ scientiæ. Infero secundò illorum silentium impedire concessionem, quæ jurè, stylo, consuetudo mandat exprimi, & falsam eorum expressionem vitiare concessionem, quibus secundùm jus, stylum, & consuetudinem Pontifex, vel Princeps in rescripto concedendo non annuit, adeò ut jure cautum sit, quod scis expressis Papa vel Princeps gratiam non concessisset, ita Castro Palao, Diana, Salas de legibus disp. 20. Garcias de beneficiis tomo 2. Basilius Pontius de matrimonio libr. 8. Infero tertiò, quod si plures causæ proponantur, si utraque est per se insufficiens, unam causam sufficientem non integrant, & corruit dispensatio, ita Pontius jam citatus; Suarez de relig. tomo 2 lib. 6. de voto cap. 27. num. 11. Sanchez Ratio est, quia in illis fundatur voluntas dispensantis. Tunc autem utraque censebitur insufficiens, si ex qualibet illarum seorsim non soleat dispensatio concedi. Quod si una causa sit sufficiès ex consuetudine, & stylo, & ea vera, alia quæ additur sit falsa, communis est opinio, quod dispensatio valeat, nec rescriptū vitietur. Vide Suarem de Religione tomo 2. & alios citatos. Addit Portellus in resp. moral. part. 3. casu 8. num. 2. Quod quando in rescripto plures causæ copulativæ narrantur, quarum aliæ veræ sint, aliæ falsæ, debet spectari causa, in quâ rescriptum fundatur. Quod si illa sit vera, quamvis cœteræ sint falsæ valet; concludit quod cùm causæ disjunctivæ narrantur sufficit quod una sit vera, ut non reddatur rescriptum subreptitium. Infero ultimò, quod si dubitetur, an sit finalis causa, in rescripto seu dispensatione expressa spectans ad ipsam dispensationem intrinsecè, an verò sit tantùm impulsiva & motiva, nec finalis, extrinsecè dispensationem concernens, debet censeri motiva, & non finalis, ita contra Molinam, & Villalobos, Castro Palao supra §. 5. num. 3. Portellus supra citans Sanchez de Matrimonio lib. 8. disp. 21. num. 20. & 25.

V. Possunt Episcopi sibi reservare crimen falsariorum, seu falsificantium litteras alicujus Prælati, qui sit inferior Papâ. Probatur ex praxi Diœcesis Leodiensis, in quâ Episcopus Leodiensis talem casum sibi reservat, ut docet Chapeauville de casibus reservatis, casu 17. quæst 1. Ubi per Prælatos inferiores Papâ intelligit Patriarchas, seu Primates, Archiepiscopos, seu Metropolitanos, Episcopos, Generales Religionum, Provinciales, Priores Conventuales, Abbates, Archidiaconos, Decanos, Primarii, & Secundarii Cleri Leodiensis. & quæst. 3. ostendit ad quid obligari debeant ejusmodi falsarii. Deindè ex Concil. Tridentino session. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 7. *Episcopis omnibus in suâ cuique Diœcesi in ædificationē tamen, non in destructionem licebit, pro illis in subditos traditâ supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est.* Circà hoc vide resolutiones Zerolæ in praxi Episcop. part. verbo *casus reservati*, Molfesium in summâ Theolog. moral. Bartholomæum à S. Fausto tomo 3. tract. de Pœnitentiâ, & de jubil. extra. Fernandez de examine Theolog. moral. Aloysium Riccium, Homobonum de Bonis de humanæ vitæ statibus, de casibus reservatis. Præterea Concilium subdit. *Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externâ politiâ: sed etiam coram Deo vim habere.* At maximè consonum est auctoritati divinæ etiam coram Deo, ut in externâ Ecclesiæ

politiâ

politiâ ab omni fraude & falsitate abstineatur. S. Ambrosius lib. offic. cap. 11. de homine justo hæc pronunciat.

S. Ambr. *Regula justitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, damno injusto afficere quemquam, nec doli aliquid annectere, fraudisq; componere.* Idest à viro justo omnis dolus, fraus, & falsitas abesse debet, ut potè externæ politiæ maximè conforme est, ut tum in verbis, tum in rebus, tum in scriptis veritas ac sinceritas præsideat. Id patet nonnullis exemplis, cùm Genesis cap. 27. vers. 19. Jacob fratri suo Esau dolosè benedictionem præripuisset, ubi Isaac pater

Gen. 27. vers 19. vers 33. fraudem cognovit, vers. 3. *Expavit Isaac stupore vehementi.* Miratus est se fuisse deceptum à filio suo Jacob cujus hactenus optimam opinionem conceperat, & concessam benedictionem revocasset, nisi Deus indicasset Isaaco factum Jacob divino nutu & instinctu editum quoad substantiam, subreptionem, præventionem, & suppositionem sui in primogenitum, non quoad modum seu mendacium. Undè Septuaginta vertunt. *Raptus est Isaac in extasim magnam vehementer.* Idest (inquit S. Augustinus quæst. 80. in Genesim) in hoc pavore & admiratione raptus est in extasim, in quâ Deus illi prohibuit, nè mentem mutaret, & Jacobo irasceretur ob benedictionem fraude surreptam, sed eam confirmaret. Ab hac fraudulentiâ abhorruisse Raguelem testatur Sacer Textus, habebat enim filiam Saram, cujus septem viri in nocte nuptiarum à Dæmone interempti sunt. Ut audivit eandem filiam a Tobiâ in uxorem

Tob. c. 7 vers. 11. postulari, Tobiæ cap. 7 numer. 11. *Expavit sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit, nè forte & huic similiter contingeret.* Cur expaves, & formidas ô bone senex, cùm audis filiam tuam postulari in matrimonium ab hoc adolescente tam ingenuo, tam probo? Hæc petitio potius materiam gaudii & tripudii, quàm stuporis ac mœroris debet subministrare. Undè ergò iste stupor? Non vult falsarii ac fraudulenti notâ inuri. Optimè noverat quid maritis cunctis filiæ suæ contigisset, idem periculum Tobiæ imminere sciebat, quod celare non erat congruum, quare illi sincerè exposuit quàm fatales sint nuptiæ cum filiâ suâ: Cujus septem viri in limine nuptiarum ita pericrunt. Quare Celada notat Raguelem potius elegisse ut Sara innupta remanere, quàm Tobiæ fraudulenter ac dolosè nuberet. Cui arridens S. Ambrosius lib. 3. offic. cap. 14. ait. *Raguel, cùm rogaretur filiam suam dare in conjugium, vitia quæque sua non tacebat, nè circumvenire petitionem videretur tacendo, dedisse eam sex viris, omnes eos fuisse mortuos. Quam breviter absolvit omnes quæstiones Philosophorum. Illi de vitiis tractant Demorum tegenda, an prodenda à venditore videantur. Hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est.* Existimavit indecorum omninò esse in familiâ suâ nobili dolum ac fraudulentiam reperiri. Undè Sacer Textus subdit vers. 12. *Et cùm nuptiæ essent, & non daret petenti ullum responsum, dixit Angelus: Noli timere dare eam.* Lyranus. *Cùm hæsitaret de responsione dandâ, quia erat ei grave denegare, eo quod esset filius optimi viri, & etiam concedere propter casus præcedentes, dixit ei Angelus ipsũ assecurando de concessione.* Ut spiritum illos errores & fraudes detegendi haberet & non tantùm in regendâ familiâ. Eliseus in regimine ordinis sui & populi Israel, quorum præfecturam erat susceptorus, enixè rogavit Patrem suum Eliam, lib. 4. Regum cap. 2. vers. 9. & 13. *Postula* (inquit S. Elias) *quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Cui respondens Elisæus ait. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus* Quis est iste duplex spiritus tuus? Spiritus unus est scientia regendi homines, & agendi cum illis absque fuco, dolo, & fallaciâ, vel adulatione. Aliter spiritus est gratia detegendi omnes fraudes, dolos, eosque debitis pœnis afficiendi. Talis erat S. Pater Elias. Vide quàm intrepidè absque fuco, adulatione, dissimulatione Regem Achabum alloquitur. *Vivit Dominus in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Quomodò ô Elia loqueris? Rex est, cùm quo agis?

4. Reg. c. 2, v. 9. & 13

cui

cui hoc funebre oraculum prænuncias. Cur instar Prophetæ Nathan aliquam figuram vel parabolam nō præmittis? Non. E contra liberè, apertè, absque fictione & tropo. *Dixit Elias Thesbites ad Achab, vivit Dominus, &c.* Nullâ præmissâ excusatione, vel regiæ dignitatis respectu. Elias (inquit Dionysius) zelo justitiæ ex plenissimâ quam habebat ad Deum fiduciâ, quia amicus Dei erat, & quasi *Consiliarius & Secretarius ejus, vel ex instinctu divino, & inspiratione Spiritus sancti impellentis sanctum virum ad ista dicenda.* Quasi diceret, quemadmodum Consiliarius principis principi suo fidelissimus est, & ejus nutum & edictum sincerè & fideliter membranis mandat, & refert. Sic S. Elias quidquid cœlitus divino instinctu & inspiratione percepit edidit Eundem cap. 18 vers. 18 ita affatur. *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Regi caulam siccitatis & famis à se inductæ in faciem objectat. Lyranus. *Propter malitiam tuam Dominus misit plagam istam.* Cap. 21. ubi percepit mortem Naboth, & ejus vineā fraudulenter occupatam, illum adit, & absque tremore ipsius & Jezabelis uxoris exitium denunciat, Vers. 19. *Hæc dicit Dominus: Occidisti insuper & possedisti, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Præmittit hæc verba. *Dicit Dominus*, ut innuat se mentem divinam, ejusque placitum usque ad ultimum apicem referre. Indecorum enim est in Ecclesia Dei fallitates & dolos superiorum edictis involvere ad falsum oraculum pronunciandū Propheta Michæas inductus à nuntio lib. 3. Reg. cap. 22. v. 13. *Ecce sermones Prophetarum ore uno regi bona prædicant, sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona* Vers. 14 *Cui Michæas ait, Vivit Dominus quia quodcumq; dixerit mihi Dominus hoc loquar.* Dedecet Propheram Domini mendacium confingere, licet sint circiter quadringenti & omnes uno falsū annuntient, ego veritatem proferam: Non proferam quæ Regi sunt placita, sed quæ vera, & quæ divinis inspirationibus sunt conformia. Undè postea adjuratus in Dei nomine, quidquid prosperum ironicè prædixerat, sincerè & seriò retractat, Regique sinistra prædicit, quo audito, vers. 14. *Accessit Sedecias, & percussit Michæam in maxillam.* Pro veri, sed non placentis oraculi præmio seu stipendio alapam recipit. Tostatus ibi quæst. 7. ponderans consilium nuncii. *Ecce quàm stultè loquebatur iste nuncius, putabat enim quod ex voluntate Michæa penderet bonum vel malum quod eventurum erat, ideò quod posset prænunciare quidquid vellet, & non putabat, quod à Deo omnia ista eveniant, & si Propheta aliter dicere conetur quàm Deus inspiret, dictum suum inane erit.* Addam, non erit Propheta Domini, sed Diaboli, qui est pater mendacii, ideoque & prophetiæ dono & titulo privandus Quia in Ecclesia Dei Pseudo-Prophetæ & fallarii non sunt tolerandi. Gratiam vera prænunciandi postulavit Elisæus, insuper in populo fideli ac præcipuè in suâ filiorum prophetarum familiâ fraudulentos ac fallaxios castigandi. Nec votum ejus fefellit eventus, nam libr. 4. Regum cap. 3. vers 14. ita Regem Israel coram Josaphat Rege Juda affatur. *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat Regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem, nec respexissem.* Quomodò ô Propheta loqueris, Rex est cur non dissimulas, cur non placentia verba, & adulatoria pronuncias? Dionysius. *Non ex elatione, sed zelo justitiæ dixit hoc sanctus vir, abominans impium, ut talem, quemadmodum de viro justo fertur in psalm. 14. ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Hinc & Philosophus in Ethicis de proprietatibus magnanimi loquens, inter cætera ait, quod sit aspernativus vitiosos in quantùm tales.* Et probat Elisæanam illam audaciam ac libertatem auctoritate Siracidis Ecclesiastici cap. 48. vers. 13. *In diebus suis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.* Græcus. *In diebus suis non est commotus à principe, & non subegit eum quisquam.* Vatablus. *In temporibus suis non est permotus ob principes, nec imperium cujusquam*

l. 3. Reg. 17. v. 7.

Dionys.

Cap. 18 vers. 18.

Lyranus.

l. 3. Reg. 22. v. 13

Tostatus

l. 4. Reg. c. 3. v. 14

Dionys.

Eccli. 48 vers. 13

pertulit. Idest prophetavit liberè, veri Dei cultum constanter prædicavit, non est veritus Regum Idolatrarum & impiorum offensam, minas, cædes; sed absque adulatione & dissimulatione, sed intrepidè ac in barbam eis restitit, eos redarguit. Quod autem mendaces ac falsarios in suâ congregatione ferre noluerit testatur Giezi lib 4. Regum cap. 5. qui cùm persuasisset Naamano se missum, & mendose dixisset. vers. 22. *Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices, &c.* Et reversus negasset se quoquam ivisse, vers. 25. *Non ivit servus tuus quoquam.* In pœnam sui falsi nuncii, & avaritiæ, prædixit vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, usque in æternum, & egressus est ab eo leprosus.* Idest exiit, & mansit ieorsum.

l. 4. Reg. 5. v. 22.

vers. 25.

vers. 27

VI. Quod etiam in Ecclesia non debeant tolerari fraudulenti & falsarii patet non tantùm exemplis veteris, sed etiam novæ legis. Libr. 1. Regum cap. 22. ubi Doeg prodidit Sauli Davidem, & Abimelech Sacerdotem, de quo proditore ait David psalmo 51. vers. 4. *Sicut novacula fecisti dolum.* Quæ verba ponderans S. Ambrosius lib 3. offic. cap. 11 subdit. *Nequitia arguens proditorē, eo quod instrumentum hujusmodi ad hominis adhibetur ornamentum, & plerumq; ulcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat Doeg proditoris exemplo, ut eum quem cesare & protegere debeat prodat ad mortem instrumenti istius comparatione censetur quod ebria mentis & titubantis vitio manus vulnerare consuevit. Sic & iste malitia ebrius vino per funesta proditionis indicium Achimelech Sacerdoti necem detulit eo quod prophetam hospitio suscepisset, quem Rex invidiæ accensus stimulis persequebatur.* Quod fraudulentia sit in novâ lege maximè Deo odiosa etiã in minimâ re, patet Actor. cap. 5. ubi S. Petrus Ananiam & Saphiram morte punivit ob fraudatum agri pretium, subdens vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Pro tantillâ re defraudatâ cujus ante habebant dominium liberum, ô quàm severum supplicium, quam funesta sententia! *Quid evidentius* (inquit S. Ambrosius supra,) *eo, quod Ananias, quia fraudavit de pretio agri, sed quem ipse vendiderat, & portionem pretii tanquam summæ totius numerum ante pedes posuit Apostolorum, sicut reus fraudis interiit. Licuit utique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset, sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportavit, sed fallacia pœnam exsolvit.* S. Augustinus in Ananiâ & Saphirâ, non tantùm fraudem deprehendit, sed etiam sacrilegium. *Dum* (inquit sermon. 27. de verbis Apostoli) *ex eo quod promiserat partem substrahit sacrilegii damnatur, & fraudis sacrilegii quod Deum in pollicitatione fefellerat fraudis, quod integris muneribus portionem quandam putaveris substrahendam.* Hanc fraudulentiam Christus satis patenter se detestari manifestavit, dum Scribæ seu Legisperito ac Doctori dicenti, *Magister sequar te quocumque ieris.* Idest cupio numero Discipulorũ tuorum ascribi respondit, Matth. cap. 8. vers. 20 *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Cur Christus vulpium mentionem facit? videtur ista responsio planè incongrua & exotica. Respondet sanctus Augustinus his verbis, Christum ostendere homines dolosos, fraudulentos, ac falsarios suæ disciplinæ esse incapaces, & à suâ familiâ omninò eliminandos. *Elatus* (inquit de verbis Domini) *& dolosus non me sequeris.* S. Ambrosius supra eandem rationem tangit. *Quoniam in simplicitate cordis & in innocentia nos iubet vivere.* Quibus subscribens S. Gregorius Papa lib. 19. moral. cap. 1. *Vulpes* (inquit) *fraudulenta in specubus absconduntur, & tortuosis infractibus currunt, Aves volatu se sublevant. Significantur ergò fraudulenta & elata dæmonia in illius corde habitare, nec posse Christi humilitatem in superbâ mente quiescere.* Ingeniosè ait fraudulentos esse receptacula dœmoniorum: & falsarios esse serpentis fraudulenti imitatores. Ille enim ad primos parentes perdendos fraude usus est Genesis cap. 3. vers. 4.

S. Ambr.

S. Aug.

S. Aug.

S. Ambr.

S. Greg.

Nequaquam

Nequaquam morte morieminí, &c. Quod hæc verba ex callido & doloso spiritu processerint, patet ex vers. 1. *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus.* Per serpentem S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. S. Chrysostomus, Procopius intelligunt verum serpentem, in quem dæmon ingressus est, potius quam in equum, leonem, ovem, &c. quia serpens est animal natura suâ vafrum callidum. Secundò, quia serpens est naturaliter homini contrarius, eique insidiatur ut clanculum & dolosè mordeat. Tertiò, quia serpentis est repere, venenum diffundere, hominem interficere. Quartò, toto corpore terræ adhæret. Talis est dæmon, primò enim callidus est. Secundò, homini contrarius. Tertiò, homicida est, Joannis cap. 8. vers. 44. *Ille homicida erat ab initio* Quartò dæmon ad corporales delicias & voluptates hominem inducit. Undè S. Gregorius in cap. 40 Job. ait quod *Fideli famulo Domini unctæ hosti callidi machinationes insinuat, scilicet quod opprimendo rapit, insidiando circumvenit, minando terret, fallendo blanditur, deprædando frangit, promittendo decipit.* Tales sunt homines fraudulenti, & fallaces teste Vate Regio psalmo 13. vers. 3. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebãt.* Titelmannus. *Eorum guttur quasi sepulchrum semper est apertum, dum intolerabilem fœtorem malitiæ suæ interiores sine intermissione exhalant, & ad vorandum innoxios semper parati existunt, linguas suas mollificant, & blandis, mollibusq; verbis componunt ad decipiendum proximos suos, &c.* Quamvis supra satis fusè ostenderimus quàm abominabiles sint Deo viri dolosi & fraudulenti, tamen adhuc Davidicam hic adjiciendam existimavi mentẽ psal 5. vers. 6 ita Deum affatur. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Ubi Titelmannus. *Abominaris, semp iternâ damnatione perire facies eos omnes qui fraudem & mendacium loquuntur, vel agunt ad deceptionem proximorum suorum. Hominem sanguinis appetitorem qui oblectatur in sanguinis effusione & nece hominum. Item & cum, qui fraudibus ac dolis occupatur ad insidiandum proximis, & inferenda quælibet nocumenta per astutiam suam, hujusmodi detestatur atque execratur Deus, qui ex suâ naturâ clementissimus est, &c* Psal. 14. Petit quinam futuri sunt alumni Ecclesiæ militantis & triumphantis. *Quis habitabis in tabernaculo tuo? &c.* vers. 1. Vers. 3. ipse respondet. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ.* Noster Michael de Bonnoniâ subdit de veritate cordis *Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Est secundò veritas oris, quæ scilicet stat in verbo veritatis Ezechiel cap. 8 Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Et de hac veritate subdit dicens, qui non egit dolum in linguâ suâ. Dolus in lingua est, quando lingua cordi discordat, & cum unum dicitur aliud habetur in pectore, contra quod Psaltes orabat Psalm. 118. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, &c.* Clarius Titelmannus. *Quasi per linguas suas dolosum & fraudulentum nihil contra proximos loquuntur, quo eos circumvenire aut decipere conentur. Sed linguâ quemadmodum & corde veraces.* Eodem modo respondet Psalm 23. vers. 1. *Qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Quibus subdit. *Quia etiam non jurant in dolo, non pejerant & omninò, non mendaciter neque dolosè agunt, cùm proximis sinceriter absque fraude & dolo peragunt in justitiâ.* Ejus filius Salomon Proverb. 26 vers. 26. docet viros dolosos non tantùm esse Deo abominabiles, & ab Ecclesiâ triumphante & militante excludendos, sed etiam eorum crimẽ palam totâ Ecclesiâ propalandũ. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.* Hebræus. *Operiet se odium in detestatione, manifesta erit malitia illius in contione.* Symmachus. *Qui occultat odium per captiones, revelabitur malitia ejus in Ecclesia.* Idest fraudulentus & fallacius traducetur, fietque omnium fabula proborum, non tantùm in cœtibus popularibus & civilibus, sed etiam Ecclesiasticis: abeatque plectetur ut gravissimi sceleris reus

Psal. 14. vers 3.

Michael de Bonn.

Titelmannus.

Psal. 5. vers. 6.

mer. 88. quod incipit *Nefandi criminis*, vers. *& in Sodomia*, Suarez de pace in praxi tomo 1. temp. numer. 55. Barbosa num 19. Quod si testis allegat se audivisse, nihil probat, Hippolytus consil. 28. num. 4. & 5. Cassaneus, Barbosa.

XVII. Quod si coitus ille abominabilis fiat inter masculos in primo & secundo gradu, habet vim incestus in confessione aperiendus, ita Azorius parte 3. lib. 3. cap. 18. quæst. 5, Graffius de arbitr. Confessar. lib. 2. cap. 34. num. 3. ubi sic ait. Est incœstus quando coitus Sodomitici fiunt inter masculos in primo & secundo gradu, vel coit masculus cum masculo Sodomiam perpetrans, & masculus est cognatus. Licet non sit incestus quantum ad matrimonium cõtrahendum, impediendum, aut dirimendũ. Cui favet Cajetanus 2. 2. quæst. 154 art. 11. Tamen actiones incestuosæ rectè dicuntur, quoniam sunt perpetratæ contra pietatem debitam cognatis, & quoniam sunt abusus luxuriosi inter cognatos. Quare cùm habeant specialem deformitatem & malitiam, præter malitiam sodomiticam, exprimendum est in confessione, non solùm quod fuerit perpetratum Sodomiticũ crimen, sed quod fuerit etiam cum fratre in primò & secundo gradu, vel cum cognato, vel cum cognatâ; imò coitus Sodomitici inter masculos, qui sunt cognati inter tertium gradum consanguinitatis etiam habent specialem deformitatem & malitiam præter Sodomiticam, Graffio & Azorio subscribit Sylvius 2. 2. quæst. 154. art. 12. At quod incestus non sit inter tertium & quartum gradum asserunt Homobonus tract. de casibus reservatis part. 2. casu 4. in 2. edit. Bellochius in praxi Theologiæ moralis part. 2. quæst. 1. núm. 210. Imò quod ex copulâ illâ nefandâ nulla contrahatur affinitas, nec consequenter incœstus committatur, nec ratione incœstus reservatum esse abusum fratris aut sororis per actum illum horrendum inter gradus prohibitos existimant Floronus de cas. reser. part. 2. cas. 6. n. 31. Diana tract. de Sacramen. resol. 101. Sinellus. Addit tamen hic quod circumstantia personæ conjunctæ reddat gravius ipsum crimen, sed Diana supra existimat contra Bonacinam de matrimonio quæst. 4, puncto 11. num. 7. Azorium, Graffium, circumstantias aggravantes intra eandem speciem non esse in confessione aperiendas, sicq; probabiliter aliquẽ in tali casu se posse accusare de actu Sodomitico dumtaxat perpetrato cum consanguineo, vel affine, absque explicatione primi, secundi gradus, cum quibus fuit coitus. Subditque Diana quod Giptius de casib. reservat. cap. 8. num. 5, Megala in part. 1. lib. 5. Id etiam probabiliter docuerunt de copulâ Sodomiticâ cum muliere affine & consanguineâ. Idem etiam se sustinere in tract. de circumstantiis affirmat Diana. Ratio ejus est, quia incestus non differunt specie. Putant Jacobus de Graffis in praxi de casibus reservatis lib. 1. cap. 13. num. 9, Diana proximè citatus, & tract. 1. in decal. resol. 1. contra Floronum de casibus reservatis part. 2. casu 6. numer. 28. impuberes se commiscentes cum consanguineis vel affinibus non esse inclusos in casu reservato incœstus.

In infando crimine Sodomiæ non comprehendi peccatum horrendum bestialitatis; saltem quoad pœnas ipso jure impositas tenet Nicolaus Garcias de benef. part. 11. cap. 10. numer. 204. Ratio est, quia licet bestialitas sit gravissimum crimen, & contra naturam, gravioque Sodomiâ; tamen non est Sodomia; sed species distincta à Sodomiâ: sed verior est opinio Francii. Emmanuelis in summâ tomo 1, cap. 208. num. 2. Farinacii in praxi criminali quæst. 148. num. 47. Prosperi de Augustino ad summam Bullarii Quarantæ verbo *Sodomia*, ampl. 2. asserentium peccatum illud comprehendi in Sodomiâ, bestialitatemque esse reservatam sicut est Sodomia, quamvis nulla fiat mentio. Quibus arridet Homobonus in examine Ecclesiast. part. 2. tract. 11. cap. 12. num. 26. Bellochius de casibus reservatis part. 2, quæst. 2. numer. 26. Aloysius Riccius, Rodriguez. Quibus subscribo maximè in Diœcesi Leodiensi XVIII.

dicensi, in quâ concubitus contra naturam, Sodomia, & ejus generis graviora crimina reservantur Episcopo. At bestialitas est gravius Sodomiâ, quare minimè audiendos in hoc censeo Bonacinam de matrimonio quæst. 4. puncto 12. numer. 3 Novarium contendentes bestialitatem non esse reservatam. Plura de hac materiâ apud alios Auctores.

XIX. Unicum tantùm adjiciam in detestationem hujus flagitii Episcopum nullo modo posse dispensare cum convictis de hoc nefando flagitio, nec posse eos promoveri ad ordines, vel post promotionem permittere, ut in illis ministrent, ita Navarrus in manuali cap. 24. numer. 248. Barbosa. Ratio est, quia cùm juridicè sint infamati de crimine enormi, ipso jure sunt irregulares, in quâ irregularitate secundùm Ludovicum Mirandam in manuali prælator. tomo 2. Summus Pontifex solus dispensare potest. Quæ facultas dispensandi cum convicto de illo nefando crimine, non competit etiam Prælatis Religionum Ratiò fundatur in enormitate delicti, in infamia delinquentis, & scandalo, quod inde oriri potest si videatur ejusmodi delinquens celebrare, quare hanc irregularitatem esse reservatam Papæ, resolvunt Alzedo de præeminentiâ Episc. dignit. part. 2. cap. 6. numer 67 Barbosa. Aliqua tamen sunt loca in quibus Inquisitores & Episcopi non tantum absolvunt ab eo crimine, sed etiam in irregularitate ex eo procedente dispensant, ita Freitas in addit. ad tract de confess. sollicit. quæst. 24. num. 136. Castrus Palaus in summâ, Narbona, Salzedo ad Bernard. in pract. cap. 86. Sousa in aphoris. inquisit. Emmanuel. Cæterùm Episcopum vel Confessarium maximè sæcularem unius Diœcesis non posse absolvere pœnitentem alterius Diœcesis a prætatis casibus, vel aliis reservatis docent Chapeauville tract. de casibus reservatis part. 1. cap 4. difficult. 9. Sotus in 4. dist. 18. quæst 2. art. 4. Ugolinus de potest. Episc. cap. 36 num. 3. Floronus de casibus reservatis part. 1. cap. 44 11. num. 4. Bellochius, & alii. E contra posse absolvere asserunt Henriquez libr. 3. de pœnitent. cap. 14 num. 8. Villalobos, Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis. Hæc omnia à fortiori procedunt in Confessariis regularibus, modò pœnitentes id non faciant in fraudem propriì Ordinarii, ut infert idem Diana citatus.

CAPUT XIX.

Litterarum Apostolicarum, &c. falsificatio, quantum crimen.

I. INter Jezabelis impietates hæc recensetur, lib. 3 Regum cap. 21. vers. 8 *Scripsit litteras ex nomine Achab & signavit eas annulo ejus, & misit ad Majores natu, & Optimates, qui erant in civitate ejus & habitabant cum Naboth, &c.* Quibus mandat, ut de blasphemiâ in Deum & Regem composita damnent, & lapidibus obruant. Quæritur quid per illa verba *Nomine Achab* intelligatur? Aliqui asserunt illas litteras conscriptas fuisse sciente & consentiente Achabo, ita Lyranus & nonnulli alii. At Petrus Comestor histor. Eccles. lib. 3. Regum cap. 39. contendit ejusmodi litteras à Jezabele fuisse conscriptas secretò, ex quo quantas pœnas promeruerit, liquet maximè cùm ex eis tanta mala processerint, ut patet ex Textu. Quantùm etiam noceat Reipublicæ Christianæ, Sedi Apostolicæ, & aliis personis & statibus tum Ecclesiasticis, tum politicis falsificare litteras Apostolicas colligitur ex Bullâ Cœnæ Domini. *Excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in formâ brevis, ac suppositionum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eorumdem: de Romani Pontificis signaturatum, necnon falsò fabricantes Litteras Apostolicas, etiam in formâ brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices eorum* l. 3 Reg. c 21 v. 8.

seu adversario, contra quem sunt impetratæ per exceptionem allegatæ subreptionis, vel obreptionis, ita Sanchez supr. num. 3. Nicolaus Garcias de benef. part. 8. cap. 3. numer. 1. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22. numer. 17. Lezana loco citato. Et ante illos Abbas cap. *caterum*, de reservat. Ratio est, quia licet rescriptum justitiæ ex errore proveniat, cùm tamen versetur circa media, sivè modum litis terminandæ, tamen potest causa justè terminari. Cùm verò rescriptum gratiæ versetur circa finem, scilicet gratiam obtinendam, si ex errore proveniat evertitur planè principalis intentio concedentis, ut animadvertit Coninck tomo 2. in 3. part. disp. 33. dubio 6. num. 56. Quomodo autem, vel quando sanetur eiusmodi vitium, refert Thesaurus supr. §. *amplia quod si gratia*, & §. *limita etiam*. Quod talis impetrans litteras Apostolicas subreptitiè non incurrat excommunicationem bullæ Cœnæ supr. relatam, resolvunt Navarrus in manuali cap. 27. num. 62. Toletus in summâ lib. 1. cap. 22. num. 4. §. *tertiò impetrantes*, Gratius sup. num 89. Lezana citatus. Ratio est, quia præfata censura est solùm imposita cõtra falsificantes litteras Apostolicas. Titius autem non falsificat illas, sed impetrat modo dolo-so & fraudulento. Incurrit nihilominus pœnas taxatas in cap. *ad falsariorum*, in fine, de crimine falsi, de quo infra ita Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 5. tom. 1. in principio. Ubi distinguit falsificantes litteras ab impetrantibus litteras falsas, id est qui impetrant litteras Apostolicas subreptitiè, vel obreptitiè. Quod tamen subripientes expeditionem litterarum Apostolicarũ gratuitam faciendo in eis exprimi, quod impetrans habeat illas qualitates, ob quas solent litteræ Apostolicæ ejusmodi gratis concedi, ut esse commensalem, vel nepotem Cardinalis, vel Abbreviatorem, & scriptorem litterarum Apostolicarum incurrant excommunicationem latam ab Innocentio VIII. constitutione 7. vel 11. quæ incipit, *Cùm sicut*, & Leone X. constit. 27. quæ incipit *inhærendo*, docent Filiucius tract. 15. numer. 98. & 99. Raynerus, Lavorius, Gambarupta, Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 50. numer. 118. Lezana supr. Quibus favet constitutio Urbani VIII. apud Thesaurum sup. §. *hodie*, quæ subreptio vel obreptio tunc dumtaxat contingit, quando (ut dictum est) aliquid verè siletur, vel aliquid falsi exponitur. Ita ut aliàs Summus Pontifex judicio prudentium, non conferret illam gratiam, vel non eodem modo, vel cùm etiam jura aut stylus Curiæ volunt talem circumstantiam exprimi, sine quâ non. Ita Covarruvias resolut. 1. cap. 20. num. 5. §. *verum*, Guitierez lib. 1. cap. 15. num. 12. & lib. 2. cap. 15. num. 38. Abbas in cap. *dudum*, num. 1. de præsumpt. Mascardus de probat. concl. 846. numer. 2. Emmanuel Sa verbo *gratia*, numer. 10 Garcias, Coninck, Sanchez citatus, Layman. Ratio est, quia in his casibus præsumitur concessio irrita, quia involuntariè concessa propter errorẽ, ut patet exemplis relatis à Laymã & aliis.

IV. Is falsarius vel falsificans censetur, qui pervertit veritatem cum dolo, vel jacturâ alterius, ita Sylvester in summâ verbo *falsarius*, numer. 1. Lezana tomo 4. quæst. regul. numer. 1. Qui de hoc crimine juridicè condemnatus est, meretur depositionem, infamiam juris incurrit, & secundùm Thesaurum in praxi part. 2. verbo *falsum*, cap. 1. Lezanam tom. 4. quæst. regul. verbo *falsarius*, num. 1. & tomo 3. verbo *infamia*. Insuper falsarii, seu falsificantes litteras Apostolicas quaslibet incurrere excommunicationem Papalem expressam in bullâ Cœnæ Domini, patet ex verbis ipsius bullæ supra relatis. Circa quæ notat Lezana supr. num. 2. Primò. quod in antiquis bullis apud Navarrum cap. 27. num. 62. & aliis, hic casus erat magis extensus, quàm in modernâ bullâ Urbani VIII. cui inhærendum est. Secundò, quod in cap. *ad falsariorum*, de crimine falsi, veritum etiã erat sub excommunicatione reservatâ falsare litteras Apostolicas per se, vel per alios, quæ etiam excommunicatio extenditur ad fautores & defensores. Ita ut etiam Clerici falsarii

deprehensi, perpetuò priventur omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis. Item mereantur degradationem, & postea traditionem brachio sæculari, qui nō secùs ac laici corrigantur. Idem dicendum de Clericis, qui falsis litteris utuntur: hi enim beneficiis & officiis Ecclesiasticis spoliandi sunt, & laici excommunicandi donec satisfecerint, ita cum Thesauro supr. num. 4. Lezana loco citato. Quartò distinguitur falsificatio litterarum a falsâ fabricatione, ut dictum est, nam falsificare est veras litteras Apostolicas immutare contra sinceram earum utilitatem: fabricare autem est eas confingere. In cap. *ad falsarios*, prior actio fuit prohibita sub pœnâ excommunicationis nulli reservatâ, sed in bulla Cœnæ utraque est prohibita (inquit Suarez tomo 5. in 3. part. S. Thomæ disp. 21. sect. 3. num. 44 & quidem sub excommunicatione reservatâ) *Caterum* (inquit) *à prædictis sententiis nullus per aliam, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam sunt nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ absolvi possit etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis ordinantium, etiam Mendicantium, ac militarium regularibus, etiā Episcopis, vel aliâ majori dignitate præditis, ipsisq; ordinibus & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus ac Capitulis Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, & Locis Piis necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumq; scripturâ in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum ac innovandorum.* & Quartò animadvertit Lezana, ad incurrendam præfatam excommunicationem debere spectari mentem Pontificis: si enim in immutatione unius litteræ vel puncti, aut apicis mutetur sensus intentus à Pontifice, dicta excommunicatio incurritur. Quod si sensus à Pontifice idem semper manet non incurritur censura. Huic explicationi arridet Naldus in summâ verbo *falsum* num. 4. Suarez supra num. 45 Quintò notat post Navarrum & Naldum supra; sub hâc censurâ non comprehendi utentes falsis litteris, quemadmodum continetur in cap. *ad falsariorum*, imò in cap. *dudum* 5 *ad finem*, de crim. falsi. præcipitur promulgatio excommunicationis in eos, qui litteras falsas apud se habere cognoscuntur, nec eas resignant, vel destruunt ante viginti dies, quæ censura est Papæ reservata (inquiunt Suarez supr num. 49. & Lezana supr.) Sextò. Navarrus, Lezana supr. Suarez numero 50. docent non contineri sub hâc excommunicatione bullæ Cœnæ, qui impetrarunt litteras falsas subreptitiè, vel obreptitiè. Ratio est, quia bulla Cœnæ tantum excommunicat falsificantes, vel falsò fabricantes illas. Nihilominus eadē pœnas incurrunt cum iis, qui falsis utuntur, cap. *ad falsariorum*, carentque omni utilitate litterarum, ita Lezana & Suarez. Et probatur ex cap. *ex tenore*, cap. *super litteris*, de rescriptis. Navarrus & Lezana existimant Septimò, quod falsarii litterarum Episcopi, vel Nuncii non incidant in excommunicationem bullæ Cœnæ, nec in eam, quæ ponitur cap. citato *ad falsariorum*. Denique Naldus in summâ verbo *Bulla Cœnæ* numer. 33. Lezana supr. aiunt, quod censuratim bullæ Cœnæ incurrant tales falsarii, etiam non utentes præfatis litteris, vel licet erroris pœnitentes, contendant illas reducere ad statum pristinū. Ratio est, quia actio ibi vetita est falsificantibus, & fabricantibus dictas litteras falsas. Addunt Farinacius in praxi crimin. part. 6. de falsit. quæst. 151. num. 9. Antonius de Sousa, Barbosa. Præfatam censuram procedere contra fautores & defensores falsariorum. Tamen Jacobus de Grafiis in aureis decis. part. 1. lib. 4. cap. 19. num. 93. Suarez sup. disp. 21. sect. 2. num. 48. Antonius supr. docent non procedere in mandantibus falsificari, nec ad fautores præstantes auctoritatem hujusmodi falsificationibus. Ratio est, quia de iis nulla fit mentio. Nihilominus illa incurritur, de quâ

cap.

cap. *ad falsariorum.* Vide plura apud Cardinalem Tuschum tomo 3. concluſ. 41. usque ad 62.

IV. Ex quibus infero primò, quoad reſcriptum, quod ſi in reſcripto opponatur unica cauſa, illa finalis, & non motiva cenſenda eſt, ideoque ſi falſa ſit, vitiabit reſcriptum, ita Caſtro Palao in opere morali tomo 1. tract. 3. diſp. 6. puncto 16. §. 3. numer. 1. Sanchez de matrimonio tomo 3. lib. 8. diſp. 21. num. 41. Guitierez canon. quæſt. lib. 2. cap. 15. Diana part. 4. reſolut. 53. Ratio eſt, quia Summus Pontifex cenſetur privilegium & diſpenſationem velle concedere ex cauſâ allegatâ: licet dicat ſe concedere motu proprio, & ex causâ ſcientiæ. Infero ſecundò illorum ſilentium impedire conceſſionem, quæ jure, ſtylo, conſuetudo mandat exprimi, & falſam eorum expreſſionem vitiare conceſſionem, quibus ſecundùm jus, ſtylum, & conſuetudinem Pontifex, vel Princeps in reſcripto concedendo non annuit, adeò ut jure cautum ſit, quod ſciis expreſſis Papa vel Princeps gratiam non conceſſiſſet, ita Caſtro Palao, Diana, Salas de legibus diſp. 20. Garcias de beneficiis tomo 2. Baſilius Pontius de matrimonio libr. 8. Infero tertiò, quod ſi plures cauſæ proponantur, ſi utraque eſt per ſe inſufficiens, unam cauſam ſufficientem non integrant, & corruit diſpenſatio, ita Pontius jam citatus, Suarez de relig. tomo 2 lib. 6. de voto cap. 27. num. 11. Sanchez Ratio eſt, quia in illis fundatur voluntas diſpenſantis. Tunc autem utraque cenſebitur inſufficiens, ſi ex qualibet illarum ſeorſim non ſoleat diſpenſatio concedi. Quod ſi una cauſa ſit ſufficiens ex conſuetudine, & ſtylo, & ea vera, alia quæ additur ſit falſa, communis eſt opinio, quod diſpenſatio valeat, nec reſcriptũ vitietur. Vide Suarem de Religione tomo 2. & alios citatos. Addit Portellus in reſp. moral. part. 3. caſu 8. num. 2. Quod quando in reſcripto plures cauſæ copulativæ narrantur, quarum aliæ veræ ſint, aliæ falſæ, debet ſpectari cauſa, in quâ reſcriptum fundatur. Quod ſi illa ſit vera, quamvis cœteræ ſint falſæ valet; concludit quod cùm cauſæ diſjunctivæ narrantur ſufficit quod una ſit vera, ut non reddatur reſcriptum ſubreptitium. Infero ultimò, quod ſi dubitetur, an ſit finalis cauſa, in reſcripto ſeu diſpenſatione expreſſa ſpectans ad ipſam diſpenſationem intrinſecè, an verò ſit tantùm impulſiva & motiva, nec finalis, extrinſecè diſpenſationem concernens, debet cenſeri motiva, & non finalis, ita contra Molinam, & Villalobos, Caſtro Palao ſupra §. 5. num. 3. Portellus ſupra citans Sanchez de Matrimonio lib. 8. diſp. 21. num. 20. & 25.

V. Poſſunt Epiſcopi ſibi reſervare crimen falſariorum, ſeu falſificantium litteras alicujus Prælati, qui ſit inferior Papâ. Probatur ex praxi Diœceſis Leodienſis, in quâ Epiſcopus Leodienſis talem caſum ſibi reſervat, ut docet Chapeauville de caſibus reſervatis, caſu 17. quæſt. 1. Ubi per Prælatos inferiores Papâ intelligit Patriarchas, ſeu Primates, Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos, Epiſcopos, Generales Religionum, Provinciales, Priores Conventuales, Abbates, Archidiaconos, Decanos, Primarii, & Secundarii Cleri Leodienſis. & quæſt. 3. oſtendit ad quid obligari debeant ejuſmodi falſarii. Deindè ex Concil. Tridentino ſeſſion. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 7. *Epiſcopis omnibus in ſuâ cuique Diœceſi in ædificationẽ tamen, non in deſtructionem licebat, pro illis in ſubditos traditâ ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa quibus excommunicationis cenſura annexa eſt.* Circà hoc vide reſolutiones Zerolæ in praxi Epiſcop. part. verbo *caſus reſervati*, Molfeſium in ſummâ Theolog. moral. Bartholomæum à S. Fauſto tomo 3. tract. de Pœnitentiâ, & de jubil. extra. Fernandez de examine Theolog. moral. Aloyſium Riccium, Homobonum de Bonis de humanæ vitæ ſtatibus, de caſibus reſervatis. Præterea Concilium ſubdit. *Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantùm in externâ politiâ: ſed etiam cõram Deo vim habere.* At maximè conſonum eſt auctoritati divinæ etiam corã Deo, ut in externâ Eccleſiæ

politiâ

politiâ ab omni fraude & falsitate abstineatur. S. Ambrosius lib. offic. cap. 11. de homine justo hæc pronunciat.

S. Ambr. *Regula justitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, damno injusto afficere quemquam, nec doli aliquid annectere, fraudisq; componere.* Idest à viro justo omnis dolus, fraus, & falsitas abesse debet, ut potè externæ politiæ maximè conforme est, ut tum in verbis, tum in rebus, tum in scriptis veritas ac sinceritas præsideat. Id patet nonnullis exemplis, cùm Genesis cap. 27. vers. 19. Jacob fratri suo Esau dolosè benedictionem præripuisset, ubi Isaac pater

Gen. 27. vers 19. vers 33. fraudem cognovit, vers. 33. *Expavit Isaac stupore vehementi.* Miratus est se fuisse deceptum à filio suo Jacob cujus hactenus optimam opinionem conceperat, & concessam benedictionem revocasset, nisi Deus indicasset Isaaco factum Jacob divino nutu & instinctu editum quoad substantiam, subreptionem, præventionem, & suppositionem sui in primogenitum, non quoad modum seu mendacium. Undè Septuaginta vertunt. *Raptus est Isaac in extasim magnam vehementer.* Idest (inquit S. Augustinus quæst. 80. in Genesim) in hoc pavore & admiratione raptus est in extasim, in quâ Deus illi prohibuit, nè mentem mutaret, & Jacobo irasceretur ob benedictionem fraude surreptam, sed eam confirmaret. Ab hac fraudulentiâ abhorruisse Raguelem testatur Sacer Textus, habebat enim filiam Saram, cujus septem viri in nocte nuptiarum à Dæmone interempti sunt. Ut audivit eandem filiam a Tobiâ in uxorem

Tob. c. 7 vers. 11. postulari, Tobiæ cap. 7 numer. 11. *Expavit sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit, nè fortè & huic similiter contingeret.* Cur expaves, & formidas ô bone senex, cùm audis filiam tuam postulari in matrimonium ab hoc adolescente tam ingenuo, tam probo? Hæc petitio potius materiam gaudii & tripudii, quàm stuporis ac mœroris debet subministrare. Undè ergò iste stupor? Non vult falsarii ac fraudulenti notâ inuri. Optimè noverat quid maritis cunctis filiæ suæ contigisset, idem periculum Tobiæ imminere sciebat, quod celare non erat congruum, quare illi sincerè exposuit quàm fatales sint nuptiæ cum filiâ tuâ: Cujus septem viri in limine nuptiarum ita perierunt. Quare Celada notat Raguelem potius elegisse ut Sara innupta remanere, quàm Tobiæ fraudulenter ac dolosè nuberet. Cui arridens S. Ambrosius lib. 3. offic. cap. 14. ait. *Raguel, cùm rogaretur filiam suam dare in conjugium, vitia quæque filiæ non tacebat, nè circumvenire petitionem videretur tacendo, dedisse eam sex viris, omnes eos fuisse mortuos. Quam breviter absolvit omnes quæstiones Philosophorum. Illi de vitiis tractant Dæmonum tegenda, an prodenda à venditore videantur. Hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est.* Existimavit indecorum omninò esse in familiâ suâ nobili dolum ac fraudulentiam reperiri. Undè Sacer Textus subdit vers. 12. *Et cùm nutares, & non daret petenti ullum responsum, dixit Angelus: Noli timere dare eam.* Lyranus. *Cùm hæsitaret de responsione dandâ, quia erat ei grave denegare, eo quod esset filius optimi viri, & etiam concedere propter casus præcedentes, dixit ei Angelus ipsũ assecurando de concessione.* Ut ipsi tum illos errores & fraudes detegendi haberet & non tantùm in regendâ familiâ. Eliseus in regimine ordinis sui & populi Israel, quorum præfecturam erat susceptorus, enixè rogavit Patrem suum Eliam, lib. 4. Regum cap. 2. vers. 9. & 13. *Postula* (inquit S. Elias) *quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Cui respondens Eliseus ait. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus* Quis est iste duplex spiritus tuus? Spiritus unus est scientia regendi homines, & agendi cum illis absque fuco, dolo, & fallaciâ, vel adulatione. Aliter spiritus est gratia detegendi omnes fraudes, dolos, eosque debitis pœnis afficiendi. Talis erat S. Pater Elias. Vide quàm intrepidè absque fuco, adulatione, dissimulatione Regem Achabum alloquitur. *Vivit Dominus in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Quomodò ô Elia loqueris? Rex est, cùm quo agis?

4. Reg. c. 2, v. 9. & 13

cui

cui hoc funebre oraculum prænuncias. Cur instar Prophetæ Nathan aliquam figuram vel parabolam nō præmittis? Non. E contra liberè, apertè, absque fictione & tropo. *Dixit Elias Thesbites ad Achab, vivit Dominus, &c.* Nullâ præmissâ excusatione, vel regiæ dignitatis respectu. Elias (inquit Dionysius) zelo justitiæ ex plenissimâ quam habebat ad Deum fiduciâ, quia amicus Dei erat, & quasi *Consiliarius & Secretarius ejus, vel ex instinctu divino, & inspiratione Spiritus sancti impellentis sanctum virum ad ista dicenda.* Quasi diceret, quemadmodum Consiliarius principis principi suo fidelissimus est, & ejus nutum & edictum sincerè & fideliter membranis mandat, & refert. Sic S. Elias quidquid cœlitus divino instinctu & inspiratione percepit edidit. Eundem cap. 18 vers. 18 ita affatur. *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Regi caulam siccitatis & famis à se inductæ in faciem objectat. Lyranus. *Propter malitiam tuam Dominus misit plagam istam.* Cap. 21. ubi percepit mortem Naboth, & ejus vineā fraudulenter occupatam, illum adit, & absque tremore ipsius & Jezabelis uxoris exitium denunciat, Vers. 19. *Hæc dicit Dominus: Occidisti insuper & possedisti, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Præmittit hæc verba. *Dicit Dominus*, ut innuat se mentem divinam, ejusque placitum usque ad ultimum apicem referre. Indecorum enim est in Ecclesia Dei fallitates & dolos superiorum edictis involvere ad falsum oraculum pronunciandū Prophetā Michæas inductus à nuntio lib. 3. Reg. cap. 22. v. 13. *Ecce sermones Prophetarum ore uno regi bona prædicant, sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Vers. 14 *cui Michæas ait, Vivit Dominus quia quodcumq; dixerit mihi Dominus hoc loquar.* Decet Prophetam Domini mendacium confingere, licet sint circiter quadringenti & omnes uno falsū annuntient, ego veritatem proferam: Non proferam quæ Regi sunt placita, sed quæ vera, & quæ divinis inspirationibus sunt conformia. Undè postea adjuratus in Dei nomine, quidquid prosperum ironicè prædixerat, sincerè & seriò retractat, Regique sinistra prædicit, quo audito, vers. 14. *Accessit Sedecias, & percussit Michæam in maxillam.* Pro veri, sed non placentis oraculi præmio seu stipendio alapam recipit. Tostatus ibi quæst. 7. ponderans consilium nuncii. *Ecce quàm stultè loquebatur iste nuncius, putabat enim quod ex voluntate Michæe penderet bonum vel malum quod eventurum erat, ideò quod posset prænunciare quidquid vellet, & non putabat, quod à Deo omnia ista eveniant, & si Propheta aliter dicere conetur quàm Deus inspiret, dictum suum inane erit.* Addam, non erit Propheta Domini, sed Diaboli, qui est pater mendacii, ideoque & propheticæ dono & titulo privandus. Quia in Ecclesia Dei Pseudo-Prophetæ & fallarii non sunt tolerandi. Gratiam vera prænunciandi postulavit Elisæus, insuper in populo fideli ac præcipuè in suâ filiorum prophetarum familiâ fraudulentos ac fallarios castigandi. Nec votum ejus fefellit eventus, nam libr. 4. Regum cap. 3. vers. 14. ita Regem Israel coram Josaphat Rege Juda affatur. *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat Regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem, nec respexissem.* Quomodò ô Propheta loqueris, Rex est cur non dissimulas, cur non placentia verba, & adulatoria pronuncias? Dionysius. *Non ex elatione, sed zelo justitiæ dixit hoc sanctus vir, abominans impium, ut talem, quemadmodum de viro justo fertur in psalm. 14. ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. Hinc & Philosophus in Ethicis de proprietatibus magnanimi loquens, inter cætera ait, quod sit aspernativus vitiosos in quantùm tales.* Et probat Elisæanam illam audaciam ac libertatem auctoritate Siracidis Ecclesiastici cap. 48. vers. 13. *In diebus suis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.* Græcus. *In diebus suis non est commotus à principe, & non subegit eum quisquam.* Vatablus. *In temporibus suis non est permotus ob principes, nec imperium cujusquam*

l. 3. Reg. 17. v. 7.

Dionys.

Cap. 18 vers. 18.

Lyranus.

l. 3. Reg 22. v. 13

Tostatus

l. 4. Reg. c. 3. v. 14

Dionys.

Eccli. 48 vers. 13

pertulit. Idest prophetavit liberè, veri Dei cultum constanter prædicavit, non est veritus Regum Idolatrarum & impiorum offensam, minas, cædes; sed absque adulatione & dissimulatione, sed intrepidè ac in barbam eis restitit, eos redarguit. Quod autem mendaces ac falsarios in suâ congregatione ferre noluerit testatur Giezi lib 4. Regum cap. 5. qui cùm persuasisset Naamano se missum, & mendosè dixisset, vers. 22. *Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices, &c.* Et reversus negasset se quoquam ivisse, vers. 25. *Non ivit servus tuus quoquam.* In pœnam sui falsi nuncii, & avaritiæ, prædixit vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, usque in sempiternum, & egressus est ab eo leprosus.* Idest exiit, & mansit leprosus.

l. 4. Reg. 5. v. 22.

vers. 25.

vers. 27

VI. Quod etiam in Ecclesia non debeant tolerari fraudulenti & falsarii patet non tantùm exemplis veteris, sed etiam novæ legis. Libr. 1. Regum cap. 22. ubi Doeg prodidit Sauli Davidem, & Abimelech Sacerdotem, de quo proditore ait David psalmo 51. vers. 4. *Sicut novacula fecisti dolum.* Quæ verba ponderans S. Ambrosius lib 3. offic. cap. 11 subdit. *Nequitia arguens proditorem, eo quod instrumentum hujusmodi ad hominis adhibetur ornamentum, & plerumque ulcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat Doeg proditoris exemplo, ut eum quem cæsare & protegere debeat prodat ad mortem instrumenti istius comparatione censetur quod ebria mentis & titubantis vitio manus vulnerare consuevit. Sic & iste malitia ebrius vino per funestæ proditionis indicium Achimelech Sacerdoti necem detulit, eo quod prophetam hospitio susceptisset, quem Rex invidia accensus stimulis persequebatur.* Quod fraudulentia sit in novâ lege maximè Deo odiosa etiã in minimâ re, patet Actor. cap. 5. ubi S. Petrus Ananiam & Saphiram morte punivit ob fraudatum agri pretium, subdens vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Pro tantillâ re defraudatâ cujus ante habebant dominium liberum, ô quàm severum supplicium, quam funesta sententia! *Quid evidentius* (inquit S. Ambrosius supra,) *eo, quod Ananias, quia fraudavit de pretio agri, sed quem ipse vendiderat, & portionem pretii tanquam summæ totius numerum ante pedes posuit Apostolorum, sicut rem fraudis interiit. Licuit utique illi nihil offerre, & hoc sive fraude fecisset, sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportavit, sed fallaciæ pœnam exsolvit.* S. Ambr. S Augustinus in Ananiâ & Saphirâ, S. Aug. non tantùm fraudem deprehendit, sed etiam sacrilegium. *Dum* (inquit sermon. 27. de verbis Apostoli) *ex eo quod promiserat partem subtrahit sacrilegii damnatur, & fraudis sacrilegii quod Deum in pollicitatione fefellerat fraudis, quod integris muneribus portionem quandam putaveris subtrahendam.* Hanc fraudulentiam Christus satis patenter se detestari manifestavit, dum Scribæ seu Legisperito ac Doctori dicenti, *Magister sequar te quocumque ieris.* Idest cupio numero Discipulorũ tuorum ascribi respondit, Matth. cap. 8. vers. 20 *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Cur Christus vulpium mentionem facit? videtur ista responsio planè incongrua & exotica. Respondet sanctus Augustinus his verbis, Christum ostendere homines dolosos, fraudulentos, ac fallarios suæ disciplinæ esse incapaces, & à suâ familiâ omninò eliminandos. *Elatus* (inquit de verbis Domini) *& dolosus non me sequeris.* S. Aug. S. Ambrosius supra eandem rationem tangit. *Quoniam in simplicitate cordis & in innocentia nos iubet vivere.* S. Ambr. Quibus subscribens S. Gregorius Papa lib. 19. moral. cap. 1. *Vulpes* (inquit) *fraudulenta in specubus abscondunturs, & tortuosis infractibus currunt, Aves volatu se sublevant. Significantur ergò fraudulenta & elata dæmonia in illius corde habitare, nec posse Christi humilitatem in superbâ mente quiescere.* S. Greg. Ingeniosè ait fraudulentos esse receptacula dæmoniorum: & falsarios esse serpentis fraudulenti imitatores. Ille enim ad primos parentes perdendos fraude usus est Genesis cap 3. vers. 4.

Nequaquam

Ne quaquam morte moriemini, &c. Quod hæc verba ex callido & dololo spiritu processerint, patet ex vers. 1. *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus.* Per serpentem S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. S. Chrysostomus, Procopius intelligunt verum serpentem, in quem dæmon ingressus est, potius quam in equum, leonem, ovem, &c. quia serpens est animal naturâ suâ vafrum callidum. Secundò, quia serpens est naturaliter homini contrarius, eique insidiatur ut clanculum & dolosè mordeat. Tertiò, quia serpentis est repere, venenum diffundere, hominem interficere. Qnartò, toto corpore terræ adhæret. Talis est dæmon, primò enim callidus est. Secundò, homini contrarius. Tertiò, homicida est, Joannis cap. 8. vers. 44. *Ille homicida erat ab initio* Quartò dæmon ad corporales delicia & voluptates hominem inducit. Undè S. Gregorius in cap. 40. Job. ait quod *Fideli famulo Domini uncta hosti callidi machinationes insinuat, scilicet quod opprimendo rapit, insidiando circumvenit, minando terret, suadendo blandi tur, desperando frangit, promittendo decipit.* Tales sunt homines fraudulenti, & fallaces teste Vate Regio psalmo 13. vers. 3. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebāt.* Titelmannus. *Eorum guttur quasi sepulchrum semper est apertum, dum intolerabilem fœtorem malitiæ suæ interiorsfine intermissione exhalant & ad vorandum innoxios semper parati existunt, linguas suas mollificant, & blandis, mollibusq; verbis componunt ad decipiendum proximos suos, &c.* Quamvis supra satis fusè ostenderimus quàm abominabiles sint Deo viri dolosi & fraudulenti, tamen adhuc Davidicam hic adiiciendam existimavi mentē psal 5. vers. 6 ita Deum affatur. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Ubi Titelmannus. *Abominaris, semp ternâ damnatione perire facies eos omnes qui fraudem & mendacium loquuntur, vel agunt ad deceptionem proximorum suorum. Hominem sanguinis appetitorem qui oblectatur in sanguinis effusione & nece hominum. Item & eum, qui fraudibus ac dolis occupatur ad insidiandum proximis, & inferenda quæ libet nocumenta per astutiam suam, hujusmodi detestatur atque execratur Deus, qui ex suâ naturâ clementissimus est, &c* Psal. 14. Petit quinam futuri sunt alumni Ecclesiæ militantis & triumphantis. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.* vers 1. Vers. 3. ipse respondet. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ.* Noster Michael de Bonnoniâ subdit de veritate cordis *Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Est secundò veritas oris, quæ scilicet stat in verbo veritatis Ezechiel cap. 8 Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Et de hac veritate subdit dicens, qui non egit dolum in linguâ suâ. Dolus in lingua est, quando lingua cordi discordat, & cum unum dicitur aliud habetur in pectore, contra quod Psaltes orabat Psalm. 118. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, &c.* Clarius Titelmannus. *Qui per linguas suas dolosum & fraudulentum nihil contra proximos loquuntur, quo eos circumvenire aut decipere conentur, sed linguâ quemadmodum & corde veraces.* Eodem modo respondet Psalm 23. vers. 1. *Qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.* Quibus subdit. *Quia etiam non jurant in dolo, non pejerant & omninò, non mendaciter neque dolosè agunt, cùm proximis sinceriter absque fraude & dolo peragunt in justitiâ.* Ejus filius Salomon Proverb. 26 vers. 26. docet viros dolosos non tantùm esse Deo abominabiles, & ab Ecclesiâ triumphante & militante excludendos, sed etiam eorum crimē palam totâ Ecclesiâ propalandū. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.* Hebræus. *Operiet se odium in detestatione, manifesta erit malitia illius in concione.* Symmachus. *Qui occultat odium per captiones, revelabitur malitia eius in Ecclesia.* Ideſt fraudulentus & fallarius traducetur, fietque omnium fabula, proborum, non tantùm in cœtibus popularibus & civilibus, sed etiam Ecclesiastici is abeitque plectetur ut gravissimi sceleris reus

Psal. 14. vers 3.

Michael de Bonn.

Titelmannus.

Psal. 5. vers. 6.

maximè si alicujus Magnatis, ac Prælati Ecclesiastici litteras ac chirographa falsificaverit, ita ac si Romani Pontificis, &c. litteris Apostolicis aliquid addiderit, &c. Si ejusmodi sceleus soli Papæ reservatur, sic aliorum Prælatorum inferiorum Papâ, similes casus possit ab Episcopis reservari. Ratio est, quia Episcopus non minore pollet auctoritate in sacerdotes sibi subditos, quàm superior regularis. At Clemens VIII. permisit superioribus regularibus inter undecim casus hunc septimum sibi specialiter reservare scilicet falsificationem manus aut sigilli Officialium Conventus, ita scilicet (inquit Quaranta verbo *casus reservati*,) *quod sit mutatio veritatis, & quod fiat cum dolo, ideſt animo inferendi damnum, licet non sequatur jactura.* Igitur à fortiori, Episcopus potest sibi reservare falsitatem circa litteras Prælati inferioris Papa. Cur enim poterit superior regularis sibi reservare falsitatem litterarum Officialium Monasterii, ideſt Generalis, Provincialis, Socii Generalis, Secretarii Generalis, Prioris, Supprioris, Procuratoris, sacristæ, &c. Ex Suare tomo 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 8. Peirinis tomo 2. de Prælato. Vel secundùm Portellum in dubiis regularibus verbo *falsarius*, Lezanam quæst. regul. tomo 3. verbo *falsarius*, numer. 4. Hæc reservatio fieri potest de Officialibus Monasterii vel Conventus in quo falsarius commoratur, non aliorum. Cur (inquam) hæc potestas reservandi falsificationem præfatam competit superiori regulari & non Episcopo, cùm in Diœcesi æquè graves difficultates, & casus æquè atroces occurrant ad ædificationem, non in destructionem, quam in Monasteriis. Notat Lezana contra Peirinis supra litteras præfatas censeri falsificatas, etiamsi fallarius illis nō utatur, & ideò casum esse reservabilem. Ratio est (inquit Lezana sup. & Naldus in summâ verb. *bulla Cœnæ*, n 33.) actio ibi adæquatè prohibita tantum est ista. Econtra existimat cum Bufdono resol. 46. num. 7 quod uti litteris ab alio falsificatis non sit casus hic comprehensus. Ratio est, quia hoc non est falsificare. Idem censet cum Peirinis supra hunc casum non incurri à consulentibus, auxiliantibus, suadentibus, & similibus. Ratio est quia est materia odiosa & cōsequenter restringi debet, Pontifex autem loquitur de fallario seu falsificante. Denique Suarez supra num. 9. Bordonus num 2. Lezana loco citato, per falsificationem manus aut sigilli officialium nō intelligunt quamcumque falsificationē manus aut sigilli officialium, sed eam per quam falsæ litteræ consignantur, Falsificatio etiam manus aut sigilli non extenditur ad res & negotia spectantia ad personas officialium (ut arbitrantur Suarez numer 10. Portellus numer 8.) sed dumtaxat ad res pertinentes ad monasterium, adeò ut particula *Officialium*, accipiatur formaliter, ut sunt Officiales. Eodem modo concludendum de simili casu reservato ab Episcopo.

CAPUT XX.

Solemne Perjurium.

I. Iuramentum esse licitum patet ex historia nostrâ, in quâ Sanctum Prophetam Eliam aliquando juratè per vitam Dei, innuit lib. 3. Reg. cap 17 vers. 1. *Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto.* Cap. 18. vers. 15. *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto.* Abdias Probus Vir Regis Achab Œconomus eodem cap 18. vers. 10. ait Eliæ. *Vivit Dominus Deus tuus quia non est gens.* Cap. 17 Vidua Sareptana inculpatè ac irreprehensibiliter jurat vers. 12. *Vivit Dominus Deus tuus quia, &c.* Michæas cap. 22. vers. 14. similiter. *Vivit Dominus, quia quodcumq; dixerit Dominus hoc loquar.* S. Eliseus lib. 4. Regum cap. 2. vers. 2. dixit Eliæ, *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Idem repetit vers. 6. Cap. 3 vers. 14. dixit Regi Israel. *Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto, &c.* Cap. 4. vers. 30. Mulier Sunamitis ait Eliseo. *Vivit Dominus, & vivit anima tua.* Cap. 5. vers. 16. idem Propheta dixit Naaman offerenti munera. *Vivit Dominus ante quem sto, &c.*

l. 3 Reg. c. 17. vi

&c. Ut licitum sit juramentum exigit veritatem, justitiam & judicium, ut patet ex Jeremiæ cap. 4. vers. 2. *Jurabis, Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitiâ.* Qui textus refertur cap *& jurabunt*, 2. 2. quæst 1. cap. *animadvertendum*, 2. 2. quæst. 2. cap. *etsi Christus*, vers *Iacobus*, de jure jurando. Ex Theologis D. Thomas 2. 2. quæst. 89. num. 3. Sotus libr. 3. de justitiâ quæst. 1. art. 8. Navarrus in manuali cap 42. numer. 3. & alii apud Sayrum in clavi regiâ lib. 5. cap 4.

II. Econtra periurium est mendacium juramento formatum, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 1. docent falsitatem esse de intrinsecâ ratione perjurii, Suarez, Covarruvias, Sayrus, Sotus & alii. Periurium est casus reservatus Episcopo Leodiensi, quando quis in testem vocatus, tactis sacrosanctis Evangeliis, vel sanctâ Cruce asserit sub juramento esse verum, quod scit esse falsum, aut dubitat esse verum, vel silet verum, cùm possit & debeat absque periculo illud dicere, ita Farinacius in praxi criminpart. 2. quæst. 67 Tiraquellus de pœnis tempor. causâ 44. Lælius Zechius Decianus, Mascardus, Aloysius Riccius, Chapeauvillus, & alii. Probatur primò ex cap. *de crimine falsi*. Ratio est, quia solemne periurium committit, quod verum est quamvis timore probabili damni magni temporalis vel spiritualis, bonorum temporalium honoris, imò & vitæ id fecerit. Licet enim justus timor possit excusare à non testificando, ut resolvit Navarrus cap 25. num 40 Non tamen à testificando falso. Incurritur etiam hic casus ab eo, qui interrogatus à suo judice, servato ordine juris medio juramento non fatetur verum, quamvis crimen cōmiserit morte puniendum. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. Navarrus cap. 25. numer. 35. Chapeauvillus casu 18 & alii. Quem casum Confessarius in foro conscientiæ nequit absolvere, nisi delinquens, id præstare velit, prudenter tamen agere debet, & abstinere à signis exterioribus, ex quibus posset judex id suspicari, ità Navarrus sup. Chapeauvillus, Sotus lib. 5. de justitiâ & jure, quæst. 6. art. 2. Existimat Navarrus eodem cap. 25. numer. 38. quod reus non tenetur confiteri in foro exteriori illud crimen, quod ritè a suo judice interrogatus negavit, & tenebatur confiteri & tamen ducitur ad supplicium, maximè si non sequatur ex illa reticentiâ ullum damnum notabile. Ratio est, quia contrarium nullo modo convinci potest; & ad animæ salutem sufficit justa confessio. sacramentalis cum absolutione. Incurritur etiam casus Episcopo Leodienti reservatus ab eo, qui contra se crimen fuerit confessus in judicio, & sub solemni juramento interrogatus de eodem non vult eos accusare, præcipuè si tales sint, ut debeat probabiliter credere illos non pœnitere criminum præteritorum, nec Evangelicâ correctione posse corrigi, sed potius esse paratos ad patranda graviora flagitia cum magno damno privato vel publico. Cujusmodi sunt regulariter hæretici, monetarum falsarii, latrones, malefici, venefici, & similes. Vide Navarrum cap. 17. num 38. nostrum Joannem Boeis in octavum præceptum, & alios.

III. Cæterùm quamvis periurium simplex & solemne non differant spe ie, non sufficit tamen dicere in confessione periurium commisi, sed debet Confessarius inquirere an solemniter. Primò, quia solemne est multò gravius, & circumstantia peccati notabiliter aggravans saltem de congruo est confitenda, & communiter resolvunt Doctores. Secundò, quia expedit, ut Confessarius cognoscat reservationem Episcopo Et quo ad absolutionem debet Confessarius simpliciter videre an periurius fecerit restitutionem damni, quod suo juramento falso intulit, ita Navarrus cap. 18. num. 2. & cap. 25. num 41. & 45. & alii communiter. Idem cap. 18 numer. 2. docet, quod si quis testatus aliquid esse verum, nesciens illud esse tale, sed credens alicui illud affirmanti, & tantæ probitatis, ut ei frequenter confitenti, communicanti, Christianè viventi, possit merito credi, non tenetur restituere illud, quod

quis ob id condemnatus solvit, ita Glossa singularis l. *Titio* fundus ornat. à Felino in cap. *cùm contingat*, de rescriptis. Ratio est, quia potest iustè credere se nemini injuriam intulisse. Plura apud Layman lib. 4. tract. 3, cap. 14. & alios. Perjurium est tam grave crimen, ut Sayrus lib. 5. cap. 4. post Richardum, Gabrielem, Angelum existimat esse gravius adulterio. Idem Sayrus loco citato post D. Thomam, Sotum, Sylvestrum, Menochium, Covarruviam, Suarem, Sanchez, Azorium existimat esse gravius homicidio. Quas pœnas jus Canonicum & Civile perjurio imposuerit, vide Petrum Gregorium, Menochium, Joannem Vela, Avendano, Barbosam, & alios.

CAPUT XXI.

Gravis contumelia illata Venerabili Eucharistiæ Sacramento, Sacrisq; Sanctorum Reliquiis.

I. Contumelia secundùm Ulpianum, l. 1. ff. *eodem*, dicta est a contemnendo, & definitur, *Injusta honoris imminutio scienter facta.* Quam odiosa sit Deo contumelia patet ex antiquâ lege, lib. 4. Regum cap. 2. ubi Sancto Prophetæ Eliseo ascendenti in Bethel vers. 23 *Pueri parvi egressi de civitate illudebant dicentes, ascende calve, ascende calve.* Non ob ætatem, vel senium, sed Nazaræorum & Religiosorum ritum: solebant (sicut nunc Religiosi) Nazaræi caput radere, qui ritus Bethelicis, sicut nunc hæreticis odiosus erat. Quod verò prætati pueri istam offensam non impunè tulerint, patet ex vers. 24. *Qui cum respexisset vidit eos, & male edixit eis in nomine Domini, egressiq; sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex iis quadraginta duos pueros.*

4. Reg. c. 2, v. 23

vers. 24.

II. In novâ lege Christus Matthæi cap. 5. vers 22. ait *Qui dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ.* Sanctus Hieronymus, Chrysostomus, Albertus Magnus, S. Thomas, Cajetanus, Tostatus, noster Sylveira, dicunt hæc verba esse contumeliosa. Nam (inquit S. Hieronymus) apud Hebræos & Syros *Raca* significat hominē vacuum, & absque cerebro. Gregorius Michaelis Minorita ait in proœmio Grammaticæ Syriacæ, cap. *de præstantiâ linguæ Syriacæ*, Raca significare virum vilibus vestibus indutum, vel despectum vilem, contemptum, ideoque dignum ut sputis appetatur. Vel significat testudinem, quod animal est deforme, detestatione & horrore dignum. Undè cùm tam graves pœnæ contumeliosis irrogarentur, satis colligitur contumeliam esse grave peccatum. Uno verbo Apostolus Roman. cap. 1. vers. 30. vocat contumeliosos Deo odibiles, seu à quibus Deus abhorret, seu quos *Deus in reprobum sensum dedit.*

III. Contumelia differt à detractione, primo objecto: nam detractione lædituri fama, contumelia honor (inquit D. Thomas) Secundo modo, quia cōtumelia manifestè & præsenti infertur, detractio verò furtim in occulto & abienti, saltem frequenter. Contumelia est casus reservatus, qui incurritur ab iis, qui Sacratissimam Eucharistiam vocant Joannem Album, vel qui porcis & canibus impiè objiciunt, vel conculcant pedibus, vel alio modo viliori conculcant. Item qui sacras Reliquias in mare, vel ignem projiciunt, vel in pulverem redactas ventis exponunt, uti hæretici moderni sæpius fecerunt. Dum denique milites Catholici hujus temporis sacris templis non parcentes asportant ex eis sacra vasa aurea & argentea, quibus Venerabile, & Reliquiæ asservabantur, & infundunt indignissimè in terram. Non tamen incurrunt, qui Sacram Eucharistiam laceris & sordidis pannis involvunt, & absque justâ causâ, lumine, clerico deferunt ad infirmos. Nec qui sacras Reliquias circumferunt absque reverentiâ, ut ex illis quæstum faciant quamvis hoc sit vetitum. Nec qui communicant in statu peccati mortalis? Quamvis enim peccatum

sit

sit notum & publicum, tamen non constat an non pœnituerit, cùm possit brevissimo tempore actus Contritionis elici, & possit omitti confessio ob justam causam.

IV. Non satisfacit qui in confessione exponit se contumeliosè tractasse sacram Eucharistiam, vel sacras Reliquias, sed est explicanda specialis contumelia, ut cognoscatur casus reservatus. Secundò debet explicari an contumelia processerit ex errore intellectus, an ex passione, spe lucri, &c. Prior enim est excommunicatio Papalis in Cœnâ Domini, non autem posterior. Deindè si insigni injuriâ affecit Venerabile Sacramentum coram multis, debet (si fieri potest) coram eisdem honorem Sacramento restituere, verbi gratiâ, caput discoperiendo, genu flectendo, & aliâ honoris & reverentiæ signa exhibendo.

CAPUT XXII.

Abusus Sacrosanctæ Eucharistiæ, Reliquiarum, vel Scripturæ Sacræ in exercitio artis magicæ.

I. QUi ad veneficia & superstitiones suas abutuntur Sacrâ Eucharistiâ, S. Reliquiis, vel Scripturâ sacrâ, incurrunt casum Leod. Episcopo reservatũ, & non tantùm offendunt Deum mortaliter, sed etiam hæresim sapiunt; ita Farinacius in praxi crimin. quæst. 20. & de hæresi quæst. 181. Sousa in aphorismis, Chapeauvillus casu 21. Probatur ex glossa verbo *saperent*, in cap. *accusati*, § *Sanè*, de hæretic. in 6. Ratio prima est, quia magia superstitiosa prohibetur primo præcepto. Secundò; adversatur Religioni, quæ est præcipua inter virtutes morales, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 1. nam exhibet dæmoni cultum & reverentiam, ob pactum expressum, vel tacitum quod habet cum illo. Tertiò patet ex pœnis, nam abutentes Venerabili Eucharistiæ Sacramento, traduntur Curiæ sæculari, ita Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. decis. 671. & resolut. 432. vers. *Eucharistia*, & vers. *utentes*, Diana part. 4. resol. moral. tract. 7. resolut. 10. Marcus Antonius Genuensis in praxi Archiepisc. cap. 68. Alias pœna refert Chapeauvillus casu 21. Camillus Gallin, de verb. significat. lib 1, cap. 15. & 16. Horatius Gambarupta de casibus reservatis. Hanc piam exclamationem facit quam Trulench lib. 1. cap. 10. dub. 3. laudat. *O dignum facinus! eò ergo processit hominis furor, ut quod ipsi dæmones verentur; creatura & contremiscat, quod ipsi dæmones aspicere non audent, homo dæmone ipso (quantum ad hoc) pejor fiat, ut sanctosanctâ esâ, potu vitali, cœlesti alimonia, pane vitæ, vitâ ipsâ, poculo æternæ salutis convivio Dominico, viatico tuto peregrinationis nostræ paschate Christianorum, manná abscondito, pane cœli, pane Angelorum, Sacramento sacramentorum abutatur superstitionibus. O bone Jesu, iterùm ludam? adhuc satellites? & carnifices crucifigentes? etiamnùm membra in sanctissimam carnem & pretiosum sanguinem tuum sævientes sustines? quam verè scriptum est miserationes tuæ super omnia opera tua.*

II. Hic casus incurritur primò ab iis, qui in pulveres redigunt hostiam cõsecratam, vel minutim scindunt, & quibusdam impiis verbis partim sumunt, partim sumendum in cibo vel potu porrigunt illi, à quo volunt amari. De quibus vide Grillandum tract. de sortilegiis quæst. 3. num. 16. post Glossam cap *accusatus*, §. *sanè*, de hæretic. in 6. Secundò incurritur à Sacerdotibus, qui induti veste lugubri celebrant Missas mortuorum pro viventibus, ut hi citius moriantur. Talia agentes privantur gradu proprii ordinis, & perpetuis carceribus mancipantur. Vide cap. *Quicumque sacerdotum*, 26. quæst. 5.

III. Non verò hic casus incurritur ab iis, qui deferunt collo appensas sacras Reliquias, vel sacra verba ut à malis corporis vel animæ præserventur. Vel qui gestant hunc versum Psalmi 115. *Dirupisti vincula mea.* Nam Cassiodorus ait hæc verba multùm pro-

desse iis qui in extremis illum recitant. Vel hunc versum Joannis cap. 1. *In principio erat verbum*, modò absit superstitio, modò non adhibeantur dictiones, vel orationes nihil significantes. Secundò si dictiones aliquid significantes, sed nihil ad propositum non adhibeantur. *Est enim* (inquit Cajetanus in summulâ) *dæmonum opus quasi manifestum.* Tertiò, si non addantur certæ figuræ, circuli, characteres, præter signum Crucis, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 4. Navarrus cap. 11. num. 30, Quartò si non adhibeantur ignota nomina præcipuè Angelorum, ut notant Sanctus Chrysostomus homil. 43. in Matthæum in opere imperfecto, & præsertim dæmonum, ut Acharon, quod est nomen Beelzebub principis dæmoniorum, ut habetur lib. 4. Regum cap. 1. ubi S. Propheta Elias ab Angelo monitus reprehendit Regem Ochoziam vers. 3. *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Deum Accaron.* Vers. 6. *Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis ut consolatur Beelzebub Deus Accaron.* Vers. 16. *Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, &c.* De his verbis scribunt Grillandus supra num. 23. & quæst. 11. numer. 24. Chapeauvillus cap. 8, quæst. 1.

IV. Non incurritur etiam ab iis, qui abuntuntur verbis Scripturæ fabulosis, vanis, libellis famosis, adulationibus, detractionibus inserentes, licet peccent graviter, & ab Episcopo debeant puniri ex Concilio Tridentino sess. 4. de editione & usu librorum sacrorum sub finem. Nec item incurritur ab iis qui admiscent magiis suis aquam, vel candelam benedictas, vel Agnos Dei consecratos, vel ramos olivarum, vel frondes palmarum. Ratio est, quia licet offendant Deum mortaliter: tamen reservatio nō facit horum mentionem. Licet si alicui noceant incurrant casum maleficii vel veneficii, ita Grillandus supra quæst. 11. num. 21. Confessarius examinare debet si sit abusus præfatis ex errore intellectus, an solâ passione ductus, idest an usus fuerit Sacramento Eucharistiæ, vel Reliquiis, vel verbis sacris, quasi causis ad producendos magicos effectus, an autem quasi signis, quibus prolatis ex pacto inito cum dæmone, dæmon ipse operatur, quæ aliàs non operatus esset, quia in casu primo est hæresis cum excommunicatione Papali adjunctâ, sed non in secundâ. Deindè quia Magi ad impudicum amorem mulierum sibi conciliandum, ferè semper abuntuntur Eucharistiæ Sacramento, ut notat Grillandus supra quæst. 3. num. 18. Debet Confessarius examinare qualium mulierum, an virginum, vel Deo consecratarum vel conjugatarum amorem studuerit sibi conciliare, quia differunt specie illi amores.

CAPUT XXIII.

Omnes Casus occulti Sedi Apostolicæ reservati, excommunicatio etiam, suspensio, irregularitas ex his provenientes possunt absolvi, vel dispensari ab Episcopo Leodiensi.

HOrum casuum absolutionem omnibus Episcopis concessit Sacra Synodus Tridentina sess. 24. de reformatione cap. 6. *Liceat Episcopis in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiã Apostolicæ Sedi reservatis, delinquentes quoscumque subditos in Diœcesi suâ per seipsos, vel Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere. idem & in hæresis crimine, in eodem conscientiæ eis tantùm, & eorum Vicariis sit permissum.* Quia innumeri sunt Episcopatus in Ecclesiâ, & relatio casuum à singulis reservatorũ esset nimis onerosa & parùm utilis, ideò à vicinis Episcopis nostris casus reservatos breviter recenlebo, deindè qui I.

sint

sint à Sede Apostolicâ reservati, denique qui sint occulti, postremò ad suspensionis & aliarum censurarum explanationem deveniemus.

II. Archiepiscopus Colonienſis sibi reservavit ex Patre Joanne à Sancto Thomâ in compendio doctrinæ Christianæ part. 3, cap. 1. §. 16. Primò Voluntarium homicidium. 2. Sacrilegium. 3. Ecclesiæ incendium deliberatâ voluntate procuratum. 4. Sodomiam. 5. Stuprum. 6. Raptum virginum. 7. Incestum cum consanguineâ, aut moniali. 8. Injectionem manus violentæ in parentes. 9. Sortilegia, & veneficia. 10. Perjurium manifestum. 11. Violationem fidei & votorum. 12. Blasphemiam magnam, serioque probatam. Archiepiscopus Trevirensis hos, primò, Peccatum Clerici, propter quod incurrit irregularitatem. 2. Votorum violationem maximè post votum castitatis matrimonio contracto. 3. Crimen incendiarii. 4. Omne peccatum propter quod solemnis pœnitentia infligenda sit. 5. Omnem majorem excommunicationem ab Archiepiscopo, vel ejus Officialibus latam. 6. Susceptionem tonsuræ vel alicujus ordinis ab alieno Episcopo absque facultate Archiepiscopi, tanquam Ordinarii. 7. Homicidium voluntarium facto, vel præcepto, vel consensu, vel consilio, vel exhortatione, vel quocumq; modo procuratum. 8. Machinationem in mortem proprii mariti, vel cõjugis propriæ. 9. Crimen falsariorum tam monetæ, quàm litterarum & instrumentorum publicorum. 10. Violationem Ecclesiasticæ libertatis, & Immunitatis. 11. Sacrilegium, divinationem, incantationem, & similia magica. 12. Ministrationem & executionem ordinis sacri non suscepti. 13. Celebrationem Missæ à non jejuno, sinè vestibus sacris in altari non consecrato, loco aut tempore interdicto scienter factam. 14. Abusum Hostiæ, Chrismatis, Olei sacri, vel cujusvis rei sacræ. 15. Omnem inhonestatem circa Sacramentum Eucharistiæ, vel culpâ, vel negligentiâ commissam. 16. Secundarum nuptiarum benedictionem. 17. Sepulturam hæreticorum, & publicè excommunicatorum in loco sacro. 18. Perjurium Clericorum attactis sanctis Evangeliis. 19. Percussionem parentum, vel injuriam illis irrogatam. 20. Crimina latrocinantium, & insidiantium viatoribus, & itinerantibus. 21. Defloration em violentam virginum, & earum raptum. 22. Matrimonium cum aliquo vel aliquâ initum vivente adhuc conjuge. 23. Matrimonium contractum cum illâ, quam vivente marito per adulterium cognovit. 24. Conceptum prolis ex alieno quam maritus nescius pro suâ educat. 25. Oppressionem prolis studiosam, vel ex negligentiâ, tam ante partum, quam post partum. 26 Procurationem sterilitatis, vel abortus. 27. Coitum cum Moniali, vel consanguineâ, vel Judæâ, & è contra. 28. Sodomiam, & cum brutis congressionem. 29. Commixtionem sacerdotis cum filiâ suâ spirituali, quam vel baptisavit, vel confessionem excepit 30. Omnem errorem, blasphemiam in Deum, vel in Sanctos. 31. Crimen hæresis ex Concilio Tridentino sessione 24. cap. 6. de reformatione.

III. Archiepiscopus Mechlinienſis hos reservavit. Primò, Raptum Virginum. 2. Homicidium. 3. Incendium voluntate deliberatâ procuratum, 4. Simoniam. 5. Sodomiam. 6. Hæresim. 7. Apostasiam. 8. Incestum cum consanguineâ aut Sanctimoniali. 9. Injectionem manus violentæ deliberato proposito cum læsione in parentes. 10. Sacrilegium. 11. Adulterium notorium. Et omnia crimina quæ habent annexam excommunicationem majorem, & quæ sunt præfatis graviora.

IV. Archiepiscopus Cameracensis hos reservavit in Synodo habitâ 1604. tit. 8. de Sacramentis Pœnitentiæ cap. 1. & reseruntur in manuali Parochorum istius Diœcesis, hæresim non tantùm externam, sed etiam internâ quocumque signo manifestatam, sub quâ continetur dubium in fide, si voluntariè vel pertinaciter & praviter, sciens & prudens dubitet de veritate, quam novit esse de fide, illudque

suum dubiũ prodat exterius, secus si ex infirmitate vel ignorantiâ dubiter. 2 Apostasiam à fide quidem, si animo simul & exterius ab eâ ex toto deficiat. Item à Religione, si professus Religionem approbatam, illam absque licentiâ deserit, animo non revertendi ad illam, vel ad aliam, sed viyendi sæculariter. Item ab Ordine, si in maioribus Ordinibus constitutus propriâ authoritate redit ad statum sæcularem, & uxorem ducit, excommunicationem etiam incurrit ex Clement. tit. de consang. 3. Publica & enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos: Est autem enormis, quæ ex odio & deliberatè fit, vel affectu detestandi, contemnendi, vel deridendi Deum vel Sanctos, Sacramenta, Imagines, vel Sacras Reliquias, quod judicandum est ex qualitate personarum, locotum, temporum aliarumque circumstantiârum. Enormis autem non censetur, licet sit peccatum mortale, quæ fit subitò (cum advertentiâ tamen) ex aliquâ passione & consuetudine. Dicitur publica, quæ fit coram pluibus, & innotescit majori parti viciniæ, Collegii, vel cujuscumque Congregationis, in quâ sunt ad minus decem personæ. Debet igitur blasphemia reservata esse simul publica & enormis. 4. Homicidium voluntarium reipsâ patratum, & si sit Clerici solus Pontifex absolvere potest, vel ab eo habens potestatem delegatam. 5. Incestum cum patre vitrico, cum matre novercâ, filio, filiâ, privigno, privignâ, fratre, sorore, & cum mulieribus Religiosis professis. 6. Maleficia, quibus maleficus pacto expresso vel implicito cum dæmone immediatè vel mediatè, seu per tertiam personam nitro alicui in animâ, corpore, famâ, honore, & quibuscumque aliis reipsâ nocet, quocumque modo id fiat, sivè signis, ligaturis, characteribus, imaginibus, verbis, seu quibuscumque rebus. 7. Simoniam realem quâ res temporalis verè traditur vel accipitur pro spirituali. 8. Sodomiam cum eodem sexu, bestialitatem, & ejusmodi graviora reipsâ consummata. 9. Incendium Ecclesiæ, domorum, frugum, aut aliarum rerum ex proposito factum. 10. Peccata mandantium, consulentium, auxilium & favorem præstantium in hæresi, homicidio, incendio, maleficiis præfatis. 11. Injectionem violentam manus in Patrem, Matrem, Avum, Aviam, Proavum, Proaviam, Vitricum, Novercam. 12. Crimen falsarii, si scripturæ sint publicæ, ut Regis, Principis, Magistratus, Judicis de publico tractantes. 13. Violationem Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis scilicet, verbi gratiâ, qui edicta illi contraria faciunt, servant, servari curant, scribunt, prohibentque subditis, nè personis Ecclesiasticis vendant, vel ab eis emant, delinquentem extrahunt ab Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Capellis ab Episcopo ad ibi celebrandum deputatis, cœmiterio, domo Episcopi, Hospitali, alio loco privilegiato.

V. Episcopatus Suffraganei Archiepiscopatus Mechlinicnsis scilicet Antuerpiensis in Brabantiâ, Gandavensis in Flandriâ, Brugensis in Flandriâ, Ruremundensis in Gueldriâ, eosdem casus reservatos habent, eodemque munere pastorali ad usum totius Provinciæ utuntur, cui præfati casus inserti sunt. Iprensis habet etiam cosdẽ, quibus addit casum sacrilegii.

VI. Cameracensi Archiepiscopatui subsunt Atrebatensis, cui hi casus reservati sunt, primò Homicidium voluntarium. 2. Libido nefanda, scilicet cum personâ ejusdem sexus, vel cum bruto si consummatum fuerit. 3. Excommunicatio major tam quæ de jure, quàm ab homine lata est. Quæ autem sint excommunicationes præter eas, quam sibi Summus Pontifex reservat, Episcopus Atrebatensis has reservat. Primò contra eos qui maleficiis impediunt usum matrimonii. 2. Contra eos, qui contrahere præsumunt contra aliquod impedimentum matrimonii dirimens. Comprehendit etiam eos, qui ejusmodi matrimonia scientes celebrant. 3. In Clericos beneficiatos, aut Sacerdotes tenentes publicè concubinam, aut continuò mulierem in domo suspectam. 4. In Usurarios publicos,

quorum

quorum etiam familia, uti hactenus Ecclesiastico interdicto subjecta permanebit: ita ut nec ad communionem debeat admitti, nec gaudere sepulturâ Ecclesiasticâ. 5. Contra Clericos, sivè Sæculares, sivè regulares bona Ecclesiastica in perpetuum alienantes, & laicos cum iisdem contrahentes. 6. Contra Clericos, qui in sacro ordine constituti fide jubent, vel aliàs se obligant cum renunciatione privilegii Clericalis. 7. Contra Clericum sacri ordinis, qui alium vel alios etiam in sacro ordine constitutos facit convenire coram judice laico actione personali. 8. Contra eos, qui cum excommunicato excommunicatione Episcopo reservatâ communicant in crimine criminoso, idest propter quod erat antea excommunicatus. 9. Reservatur excommunicatio specialiter lata per sententiam Episcopi, vel ejus Officialis in personas determinatas, verbi gratiâ, Petrū, Joannem, &c. secus verò decâ, quæ generaliter & indeterminatè fertur in eos, qui hoc vel illud fecerint, Episcopus permittit pœnitentem absolvi à Confessario inferiore semel tantùm quando Confessionem generalem facit ad seriam vitæ emendationem.

VII. Cameracensi Archiepiscopo subest etiam Episcopatus Tornacensis, apud Nervios, cui sequentes casus reservati sunt. Primò Hæresis. 2. Homicidium. 3. Excommunicati suspensio, Episcopali auctoritate interdictum, vel pœnitentia solemnis imponenda. 4. Apostasia. 5. Sacrilegiū factum cum Sacrâ Eucharistiâ, vel Chrismate. 6. Perjurium solemne. 7. Violatio voti solemnis. 8. Injectio violenta manus in parentes, deliberato proposito cum læsione. 9. Veneficium. 10. Procuratio sterilitatis vel abortus. 11. Sacrilegium excedens 40 solidos. 12. Usura notoria. 13. Incendium voluntate deliberatâ procuratum. 14 Adulterium. 15. Incestus cum consanguineâ intra tertium gradum, vel cum Sanctimoniali. 16. Sodomia. 17. Raptus. 18. Falsum testimonium datum in judicio. 19. Crimen falsi. 20. Simonia realis, & prædictis graviora in eodē genere peccati.

VIII. Subest etiam Cameracensi Archiepiscopo Namurcensis Episcopus, cui hi casus reservantur. Primò, Hæresis. 2. Apostasia. 3. Homicidium voluntarium. 4. Incendium procuratum voluntate deliberatâ. 5. Concubitus contra naturam. 6. Raptus virginum. 7. Incestus cum sanctimoniali, consanguineis, affinibus in primo vel secundo gradu. 8. Manifestum adulterium. 9. Violenta injectio manuum in parentes. 10. Veneficium. 11. Sortilegium. 12. Ligatura, & omne maleficium, in quo impeditur actus matrimonialis inter conjuges. 13. Oppressio tenellorum negligentiâ qualibet proveniente facta. 14. Simonia realis, & omnia prædictis graviora in eodem genere peccati.

IX. Ejusdem Cameracensis Archiepiscopi Suffraganeus est Episcopus Audomarensis, cui hi casus reservantur. Primò, Usus malarum, seu Diabolicarum artium. 2. Solemne perjurium. 3. Manus violentæ injectio in patrem vel matrem. 4. Incendium procuratum deliberatè. 5. Apostasia. 6. Homicidium. 7. Congressus cum bestiâ. 8. Sodomia. 9. Adulterium notorium. 10. Concubinatus notorius. 11. Violatio sanctimonialis. 12. Incestus in primo & secundo gradu tam consanguinitatis, quàm affinitatis. 13. Raptus virginum. 14. Exercitium publicum usuræ.

X I. Præfati casus explicatione non indigent, vel quia per se satis noti sunt, vel quia eorum elucidatio satis patet ex superioribus. Ultimò tamen noster P. Franciscus Bonæ Spei tract. 5. de Pœnitentiâ disp. 10. dubio 3. in fine scribit monendos esse Parochos, aliosque Confessarios inferiores, quod quamvis possint absolvere à peccatis, quibus est annexa aliqua suspensio, irregularitas, vel interdictum, nisi ea aliundè reserventur, non posse hujusmodi impedimenta ab ipsis tolli, vel in iis, sicut nec in votis, aut juramentis dispensare, nisi id concedatur à Superiore.

XII. Casus Sedi Apostolicæ reservati, seu Bullæ Cœnæ, sunt litteræ Apo-

stolicæ cum sigillo plumbeo Summi Pontificis in Cœnâ Domini promulgari solitæ, in quibus sunt variæ excommunicationes, mandatque Sedes Apostolica, apud Navarrum ut harum copiam habeant omnes Confessarii. Has breviter accipe. Prima, excommunicantur Hæretici. 2. Eorum receptatores, fautores, & eorum defensores, libros hæresim continentes legentes, retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes. Schismatici etiam, seu qui se subtrahunt ab obedientiâ Sedis Apostolicæ. 2. Appellantes à Papâ ad futurum Concilium Generale. 3. Piratæ, Cursarii latrunculi maritimi, eorum receptatores, eique dantes auxilium & favorem. 4. Rapientes bona Christianorum naufragantium, vel scienter accipientes ab eis rapta. 5. Qui imponunt nova pedagia & gabellas, & eas augent nullam ad id potestatem habentes, seu exigentes prohibita augeri vel imponi. 6. Falsificantes litteras Apostolicas, vel supplicationes signatas Apostolicâ auctoritate, vel Cancellarii Romanæ Ecclesiæ, vel ipsius vices habentis. 7. Deferentes ad Turcas, Saracenos, & alios hostes nominis Christiani arma, equos, ferrum & alia metalla usui militari accommodata, quibus Christianos & Catholicos impugnant, & eos qui per se vel per alios de rebus statum Christianum concernentibus, Turcas faciunt certiores in damnum & perniciem Christianorum, & illis præstant quomodolibet auxilium, consilium, vel favorem. 8. Impedientes & invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Curiæ Romanæ adducunt, vel pro eis solvere faciunt, & fieri curant, seu defendunt hæc facientes. 9. Qui ex proposito Romipetas, peregrinos devotionis causâ, vel alio prætextu ad urbem venientes, ab eâ recedentes spoliant, lædunt, vel offendunt, dantes illis Consilium, &c. Vel absque jurisdictione ordinariâ vel delegatâ illam sibi vindicant. 10. Offendentes, interficientes, mutilantes, vel hostiliter insequentes Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, vel Nuncios Romanæ Sedis, vel eos ejicientes è suis Diœcesibus, territoriis, vel talia mandantes, rata habentes, seu dantes eis auxilium, &c. 11. Qui per se vel per alios occidunt, percutiunt, bonis spoliant, vel quovis modo directè vel indirectè auxilio &c. personas Ecclesiasticas, vel sæculares ad Curiam Romanam recurrentes pro suis negotiis, vel in eâdem Curiâ prosequentes, procurantes, Advocatos, negotiorum, Procuratores, Auditores, Judices, præfatis negotiis deputatos. Item qui impediunt executionem litterarum Apostolicarum, vel decretorum Apostolicorum, seu Nunciorum, Legatorum. 12. Officiales Principum sæcularium, & Prælati Ecclesiastici, qui avocant causas Ecclesiasticas ab Apostolicis Judicibus, & compellunt actores ad impetrata revocanda. 13. Qui per se vel per alios propriâ auctoritate, & facto avocant ad se causas Ecclesiasticas, vel eorum executionem, personas, capitula, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, & de illarum cognitione, quasi judices prætextu exemptionum, vel Apostolicarum litterarum interponunt, vel ad id præstant auxilium, &c. etiam prætextu violentiæ vel aliarum prætensionum, seu donec ipsi ad suos infamandos (ut aiunt) supplicaverint, nisi tales supplicationes legitimè prosequantur coram Sede Apostolicâ. 14. Illi qui prætextu frivolæ appellationis ad Curias sæculares recurrunt in causis Ecclesiasticis ad impediendâ executionem litterarum Apostolicarum. 15. Judices sæculares, vel Officiales Principum sæcularium, qui ad instantiam partis, vel aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, &c. coram se, ad suum tribunal, &c. retrahi faciunt directè vel indirectè. 16. Impedientes Prælatos Ecclesiasticos directè vel indirectè, nè utantur suâ jurisdictione Ecclesiasticâ contra quoscumque juxta Canones & Decreta Concilii præsertim Tridentini. 17. Usurpantes jurisdictionem, fructus, reditus Sedis Apostolicæ & quarumcumque Ecclesiarum, vel eos ex quavis causa sequestrantes sine licentia Papæ.

18. Im-

18. Imponentes decimas, tributa, &c. Prælatis, Clericis, Monasteriis, & eorum bonis, proventibus sine speciali Papæ licentiâ, imò qui recipiant à dantibus sponte, vel dant ad hoc consilium, favorem, &c. 19. Judices sæculares se interponentes causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas processando sine sanctæ Sedis expresâ licentiâ, quicumque illi fuerint. 20. Qui directè vel indirectè quovis prætextu invadunt, destruunt, detinent in partem, vel totum, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardaniæ, & alias terras, seu jura Romanæ Ecclesiæ, &c. 21. Raptores supellectilis, librorum Cameræ & Palatii Apostolici, ex eodem Palatio dum Papa ægrotat, vel Sancta Sedes vacat. 22. Hæ omnes offensæ & censuræ reservantur Sedi Apostolicæ. Ex Navarro præcipitur Confessaris sæcularibus & regularibus harum excommunicationum copiam habere. Potest tamen (ut dixi) ab iis absolvere Episcopus, modò sint occultæ. Nomine *occulti* Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *occultum*, num. 5. credit intelligi id, quod etsi possit probari per testes idoneos, tamen non est de facto probatum, publicatum, vel diffamatum. Ratio est, quia Concilium id satis clarè denotat. *Liceat* (inquit) *Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus omnibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, exceptis deductis ad forum contentiosum.* Igitur potest absolvere quæ non sunt deducta ad forum contentiosum. Vide graves auctores ab eo citatos pro hâc suâ opinione.

CAPUT XXIV.

Suspensio.

I. AD suspensionem eædem ferè causæ concurrunt, quæ ad pœnam Giezi à S. Prophetâ Eliseo impositâ. Suspensio nequit inferri nisi ob peccatum, quia suspensio est pœna spiritualis Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 3. numer. 2. Ex nostris, Corneio tomo 2. in 3. part. tract. 5, de censuris disp. 1. dubio 2. Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *Censura Ecclesiastica*, numer. 10. & tomo 4. verbo *suspensio quoad regulares*, numer. 5. Et quidem peccatum externum Suarez de censuris disp. 4. sect. 2. Lezana sup. Corneio sup. dubio 3. Quia potestas Ecclesiastica non est circa merè interna. Imò peccatum perfectum & consummatum Suarez sect. 3, Lezana supr. quia cum suspensio sit pœna & quidē odiosa restringi debet. Requiritur ut sit peccatum mortale, Bonacina sup. num. 6. Lezana loco citato. Et proprium non verò alienum, si feratur non in communitatem, vel capitulū, sed in personam, Corneio supr. dubio 2. Lezana tomo 4. verbo *suspensio quoad regulares*, post D. Thomam, Sylvestrum, & alios. Licet suspensio levis, verbi gratiâ ab uno actu eligendi, vel non recipiendi, distribuendi distributiones unius horæ, &c. possit infligi pro peccato veniali secundum mentem Cajetani in summâ verbo *suspensio*, Dianæ part 5. tract 10. resol. 19. Lezanæ tomo 4. quæst. regul. verbo *suspensio quoad regulares*, num. 3. Toleti in summa cap. 2. num. 1. Corneio sup. dubio 1. Layman. Sic peccatum Giezi postulantis munera à Naaman, quia nomine Eliśei postulavit lib. 4. Regum cap. 5. vers. 22. *Dominus meus misit me ad te, dicens modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Cùm tamen Eliseus illa recusasset. Vers. 16. *Vivit Dominus ante quem sto, quia non accipiam.* Cornelius. *Esto sim cum meis discipulis in summâ egestate & paupertate, tamen iuro me tua munera non accepturum, ut ostendam hoc miraculum non esse meum, sed Dei, ut qui illud me purè ex amore Dei, non ob munera patrasse demonstrem. Vt quæ tu dicas servos Dei, non munera hominum, sed Dei ambire.* Undè aliqui contendunt Giezi commisisse peccatum Simoniæ, quia cùm S. Eliseus sanitatem ei gratis contulisset, petiit Giezi præfata in pretium, mercedem, & stipendium sanitatis restitutæ, (inquit Sanctus Ambrosius

4. Reg. c. 5, v. 22.

vers. 16. Cornel.

lib. de dignitate sacerdotali cap. 4.) Secundò peccavit graviter peccato inobedientiæ, quia invito & inscio Sancto Eliseo ista munera postulavit. Tertiò peccavit peccato avaritiæ. Lyranus. *Multiplex ejus peccatum in facto isto. Quoniam primum fuit cu-*
Lyranus. *piditas, quæ est radix omnium malorum, ut dicit Apostolus 1. Timoth. cap. 6. Et hoc notatur cùm dicitur, pepercit Dominus meus, &c. Licet enim Propheta non acceperint aliquid quasi pretium Prophetiæ, quia tamen pauperes erant, vivebant de oblatis sibi civiliter & devotè.* Quartò peccavit peccato mendacii. *Dominus misit me ad te, &c.* Dionysius
Dionys *Ex cupiditate finxit mendacium.* Et
vers. 25. vers. 25. *Non ivit servus tuus quoquam, mentiebatur* (inquit Lyranus.) Quintò S. Prophetam diffamavit. Nam ab omni rerum mundanarum cupiditate defœcato & abstracto notam cupiditatis inussit, quæ ejus sanctitati & honori plurimum derogavit. Cùm enim Naaman respuentem munera virum devotum & prophetam existimasset, istâ petitione munerum potuit censeri avarus, ac rerum terrenarum cupidus, & similis Pseudoprophetis, qui pro suis vaticiniis munera accipiebant. Undè ex istâ opinione potuit in Naaman ingeri dubium, imò abjuratio veræ Religionis antea professæ. Vers. 15. *Verè scio quod nõ sit alius Deus*
vers. 15. *in universâ terrâ, nisi tantùm in Israel.* Dionysius. *Scio quod nulla gens colat verum Deum nisi plebs Israel. Quamvis enim in aliis gentibus fuerint aliqui boni Deum colentes secundùm legem naturæ cum fide Christi venturi implicitâ vel explicitâ: illi tamen erant paucissimi, sed in Israel sub Eliseo fuerunt multi. Et quod ait in Israel non est intelligendum tantùm de tribubus decem, sed & de regno Iudæ, quod tunc sub Iosaphat pro majori parte coluit Deum quam populus decem tribuum. Itaque quod ait scio quod non sit Deus in universâ terrâ nisi in Israel, non est intelligendum, quod Deus omnipotens & immensus erat terminis Israel circumscriptus, cùm ipse ubique per essentiam, præsentiam, potentiamq; existat, sicut per Ieremiam cap 23. Nunquid non cœlum & terram ego impleo. Sed quod in populo Israelitico præcipuè colebatur secundùm sensum prahabitum.* Eandem fidei professionem confirmavit vers. 17. *Obsecro concede mihi* vers. 17.
servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terrâ. Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Dionys.
Diis alienis nisi Domino. Dionysius, *Idest, solo universorum dominatori, vero Deo, ac si dicat de terrâ istâ ædificabo Altare, super quod vero Deo deinceps sacrificabo.* Refertque aliorum opinionem asserentium, quod Naaman detulerit secum terram illam, ut sterneret in phanis idolorum, quatenus super eam stans, *Deum Israel adoraret.* Quæ opinio etsi parum probabilis videatur, tamen ex eâ conjicere licet Naaman fuisse veri Dei cultorem, quem Giezi turbare potuit. Sextò, Giezi peccavit peccato furti, quia Giezi in suos usus convertit munera quæ Naaman mittebat Eliseo. Undè ea abscondit nè Eliseus quidquam de iis sciret, vers. 24. *Cumq; jam venissent vesperi, tulit de manu eorum & reposuit in domo, dimisitq; viros & abierunt.* vers. 24.
Lyranus. *Nè Eliseus eos videret, &* Lyranus
perciperet quod Giezi aliquid à Naaman accepisset, & sic commisit quartum peccatum, scilicet furtum rei notabilis. Quod furtum ei exprobrans Eliseus, ait vers. 26. *Nonnè cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi. Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, boves, & servos, & ancillas.*

II. Quo ad formalem causam suspensionis, seu formam ipsius, non est determinata in jure, ac consequenter ea, quâ significetur sufficienter species, seu effectus illius, ita Toletus in summâ lib. 1. cap. 44. Suarez supra sect. 5. Navarrus in manuali cap. 27. num. 161. Lezana supra. Sanctus Eliseus in pronunciandâ suâ suspensione hac formâ usus est, vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Idest (inquiunt Tostatus, Sanchez, Serarius, Cornelius) ad longissimum & immemorabile tempus, verbi gratiâ, per trecentos annos, sivè in tertiam & quartam generationem. Addo, nisi pœnitentiam agas, ut patebit infra.

Causa

III. Causa finalis suspensionis est emendatio delinquentis, seu talus ac resipiscentia illius in quem censura fertur, ita Toletus in summa cap. 4. Lezana supr. verbo *suspensio*, numer. 3. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto ultim. num. 1. Et communiter Doctores juxta illud 1. Corinth. cap. 5 ubi ait excommunicationem fieri (idem dicendum de suspensione) *Vt spiritus salvus fiat.* Idest anima per hanc pœnam resipiscat, humilietur, veniamque pro delicto roget. Id patet in Giezi, qui à ministerio Eliseano suspensus, secundum Serarium pœnitentiam egit, Deum & Eliseum placavit, & à leprâ liberatus est. Undè lib. 4. Regum cap. 8. vers. 4. Rex Joram locutus est cum Giezi, ab eoque summariè didicit miracula ab Eliseo patrata *Rex loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia miracula, quæ fecit Eliseus. Cumq; ille narraret Regi quomodò mortuum suscitasset, apparuit mulier cujus vivificaverat filium, clamans ad Regem pro suâ domo, & pro agris suis, dixitq; Giezi, Domine mi Rex, hæc est mulier, & hic est filius ejus quem suscitavit Eliseus.* Hoc colloquium contigisse post curationem lepræ etiam refert Dionysius. *Aliqui* (inquit) *putant quod Eliseus ex pietate Giezi istum curaverit, nonobstante quod dixerat lepram Naaman ei perpetuò adhæsuram.*

4 Reg c. 8. v. 14

IV. Causa efficiens suspensionis est is, & solus qui potest excommunicare, ita Sylvester, Angelus, & alii Summistæ verbo *suspensio*, Sayrus de censuris lib. 4 cap. 2 Toletus, Lezana, & alii. Omnis enim & solus Prælatus Ecclesiasticus, seu Clericus in foro externo habens jurisdictionem potest ordinario jure ferre excommunicationem in subditos, ut patet ex cap. *Cùm ab Ecclesiarum*, de offic. Ordinarii, D. Thoma in 4. distin. 18. quæst. 2. artic. 2. Paludano ibid. quæst. 2. artic. 2. Richardo. Ex nostris Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *suspensio*, numer. 3. Cornelio tomo 2. in 3. part. tract. 5. de censuris disput. 2. dubio 1 & seq. post Suarem, Valentiam, & in controversiis lib. unic. de efficacia excõmunicationis, Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 15. & alios. Pro cujus intelligentiâ notat idem Cornelio duplicem potestatem esse à Christo traditam S. Petro & Apostolis. Unam Ordinis, quando eos sacerdotio initiavit, & hæc est impertinens ad censuras ferendas: quia nec sola sufficit ad censuras ferendas, ut aliàs diximus, & infra dicemus. Alia potestas est jurisdictionis expressa illis verbis Matthæi cap. 16. & 18. *Quidquid ligaveris, quæcumque ligaveritis*, quæ duplex est. Alia est ligandi in foro interiori & pœnitentiali, in quo agitatur causa inter Deum & hominem coram Confessario, ita secretè, ut Confessarius nihil verbo, vel signo manifestare queat, quod spectat ad integrum bonum animarum. Secunda potestas jurisdictionis est ligandi & solvendi in foro externo contentioso & publico, in quo agitatur causa hominis ad hominem, & hæc est collata fidelibus, seu Ecclesiæ ad externum illorum regimen per pœnas, & supplicia, aut præmia & indulgentias, & ad hanc refertur potestas ferendi censuras Quæ posterior potestas probatur primo ex citatis verbis Apostoli Matthæi, quibus nõ tantùm datur potestas ligandi & solvendi in foro interiori, sed etiam exteriori, ut patet ex illis verbis Matthæi cap. 18. vers. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Idest ut separatus à consortio fidelium, vel suspensus ab officio, aut beneficio Ecclesiastico. Alias rationes, doctissimas ibidem refert noster Cornelio, S. Antoninus 3. part. titul. 28. cap. 4. not. ultim. Navarrus cap. 27. num. 159. Sylvester verbo *suspensio*, Suarez disp. 28. sect. 1. Non tantùm pœna Giezi imposita fuit suspensionis Ecclesiasticæ figura, sed etiam S. Eliseus fuit judicis Ecclesiastici typus. Non enim S. Elias *Misit super eum pallium suum, & ita elegit eum in discipulum qui per impositionem pallii par boum mactans convivium populo fecit & tunc relictis Patre, Matre, & terrenis omnibus Eliam sequens, & ei ministrans Monasticam & Prophetalem vitam imitatus est.* (Inquit Joannes 44. Patriarcha Jerosol. de instit. Monachor. cap. 13.

3. Reg. 19. Joan. 44.

cap. 13.) sed etiam duplicem Eliæ spiritum, religionisque ab Eliâ institutæ regimen suscepit, in eâ jurisdictionem quasi Clericalem exercens: quod insinuat Joannes Patriarcha supra cap. 23. explicans illa verba Ecclesiastici cap. 48. vers. 13. *Elias in turbine rectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus.* Quibus subdit. *Elias videns discipulum suum Eliseum suo spiritu plenum, novit eum à Deo factum idoneum ad regendum suos discipulos Prophetarum. Propter quod totius Religionis per eum institutæ commisit illi tunc regimen ac magisterium. Et in hujus rei signum tradidit tunc Eliseo insignem suæ Religionis habitum, relinquens pallium suum, dum ferebatur in cælum. Quo se operiens Eliseus, abjecit à se vestimenta sua scindens ea in duas partes, ut filii Prophetarum videntes eum habitu Eliæ sudatum agnoscerent eum spiritu Eliæ repletum, & sic reciperent eum promptius pro Eliâ in Patrem & Magistrum,* jurisdictionemque ordinariâ pollentem more Prælatorum. De quibus noster Lezana quæst. regul. tomo 4. verbo *suspensio*, & tomo 1, cap. 18. num. 22. & tomo 3, verbo *censuræ Ecclesiasticæ*, numer. 2, Cornelio supra dubio 3. & 4. Præfatus Patriarcha ejusmodi jurisdictionem describit verbis sequentibus. *Cernentes ergò filii Prophetarum Iordanem miraculosè cessisse Eliseo, agnoverunt eum succedere Eliæ in duplici spiritu prædicto.* Quod probat ex lib. 4. Reg. cap. 2. vers. 15. *Propter quod ad invicem dixerint, Requievit spiritus Eliæ super Eliseum, & venientes in occursum eius adoraverunt eum pronì in terram?* Quibus subjicit. *Recipientes eum pro Eliâ in præcipuum eorum Patrè & Magistrum, quem videbant habitu Eliæ, & spiritu dotatum. Præbuerunt autem ex hoc actu formam suis successoribus, quando ab eis erat ablaturus Pater eorum præcipuus, illum loco ejus in Patrem similiter super se suscipiant.* Et cap. 24. ita auspicatur. *Suscepto igitur regimine Prophetiæ Religionis per Eliâ institutæ sollicitus fuit Eliseus cunctos Monachorum filiorũ Prophetarum sigillatim visitare. Quos cupiens consolari de absentiâ Eliæ operabatur coram eis miracula & virtutes, nè in vacuum videretur gratiam Dei recepisse, tùm ut per hoc eis ostenderet se gerere vices Eliæ, tùm etiam ut sic eos solidaret in perseverantiâ vitæ Monasticæ.* Quod probat reliquo illo capite, & sequenti. Sicut autem Abbatissa non est capax jurisdictionis spiritualis, ita nequit ferre censuras, ita Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 1. noster Lezana tomo 3, verbo *Abbatissa*, num. 16. & tomo 4. verbo *suspensio*, num. 1. Et licet possit conferre Capellanias, Beneficia, Pastoratus annexos Monasteriis quibus præest, instar aliorum Prælatorum, Rodriguez tomo 1. quæst. 17. art. 12, Miranda de sanctimonialibus quæst. 6. art. 5. Id tamen facit designando materiam, vel personam. Non exercendo actus jurisdictionis, ita Suarez tomo 4. de relig. tract. 8. cap. 9. num. 13. Lezana tomo 1. cap. 26. num. 2. & tomo 3. verbo *Abbatissa*, num. 16. Quibus favent duæ Rotæ decisiones apud Duranum. Quod si quædam Abbatissæ dicuntur suspendisse aliquos Clericos, illa suspensio non est censura, ob cujus transgressionem incurritur irregularitas, quia cum careant jurisdictione nequeunt propriè suspendere. Suspendunt ergò impropriè prohibendo nè exerceant aliquod officium, vel beneficium, ita Lezana post Bonacinam de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 2. num. 4. Layman lib. 1. tractat. 5. part. 1. cap. 3. num. 3.

Ecclesiastici 48 vers. 13.

l. 4. Reg. c. 2. v. 15

V. Suspensionis soli Clerici capaces sunt excepto summo Pontifice, idest Personæ Ecclesiasticæ, seu ministri Ecclesiastici possunt suspendi, ita Navarrus in manuali cap. 27, numer. 167. Sayrus, Filiucius, Suarez, Cajetanus, Coninck, S. Antoninus. Ex nostris Cornelio de suspensione disp. 3. dubio 1. Lezana tomo 4. verbo *suspensio*, & alii, qui addit Religiosum (qui non est ad minus primâ tonsurâ mitiatus) non posse suspendi, citatque Sayrum sup. cap. 1. num. 17. Thesaurum in praxi part. 2. verbo *Monialis*, cap. 2. Probabiliter existimat Henriquez Abbatissæ posse suspensionis censuram imponi, cui arridet Tamburinus de jure Abbatissarum. Sed Testatur sic resolutum in

unâ

unâ Burgensi 4. Decembris. 1627. Quibus favet Concilium Tridentinũ sess. 25. cap. 17. ubi de professandâ Moniali. *Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.* Vide Campanile sup. cap. 16. n. 17. Barbosa part. 3. alleg. 100. n. 17. Idem censent Zerola, Azorius, Piacesius, Fusigno, Fr. Emmanuel, Ludovicus Miranda, Armendariz, Campanile, Sanchez, Hieronymus Venero, Laurentius de Peirinis, Gavantus, Hieronymus Rodericus. Existimat tamen noster Lezana præfatam suspensionem contra Præfectam Monasterii, quæ non monet Episcopum, aut professionem Novitiæ non esse propriè censuram. Ratio ejus est post Thesaurum in praxi part. 2. verbo *Monialis*, cap. 2. quia caret tonturâ. Est tamen similis suspensioni quæ est censura, ferturque instar illius, incurriturque in conscientia ante omnem declarationem. Accedit ratio, nam suspensio est censura, quâ minister Ecclesiæ, seu Ecclesiastica persona impeditur nè functiones exerceat sui officii, beneficii, vel ordinis.

VI. Suspensio generaliter non comprehendit Episcopum, ita Suarez, Layman, noster Cornelio supra disp. 3. dubio 1. Probatur ex cap. *quia periculosum*, de sentent. excommun. in 6. quo statuitur generali statuto, vel sententiâ interdicti, vel suspensionis, non comprehendi Episcopos, nisi eorum fiat expressa mentio, idque *propter executionem Pontificalis officii, quæ frequenter incumbit.* Addit Layman hanc causam impulsivam quidem esse, sed non principalem, & adæquatam, quæ potius esse videtur Episcopalis dignitas, ut apertè innuitur cap. *si compromissurus*, §. *huiusmodi*, de elect. in 6. Ubi Bonifacius ex eodem illo Canone concludit Episcopos non incurrere censuram suspensionis à beneficio, nisi eorum expressa habeatur mentio, Suarez, Layman, Cornelio inferunt dictum privilegium competere Episcopo electo & confirmato, etiam ante consecrationem. Ratio prima est, quia Episcopalem dignitatem habet, sicut alia privilegia, ut eligendi Confessarium cap. ultim. de pœnitentiis & remissionibus, item utendi altari portatili, cap. ultim. de privileg. in 6. Ratio secunda, quia privilegia à Principe concessa, si nemini præjudicent, sunt amplè interpretanda, quatenus verborum proprietas permittit. Cornelio citatus, Henriquez lib. 13. cap. 34. num. 2. Layman sup. dicunt hoc privilegium etiã extendi ad S. R. E. Cardinales, quamvis non sint Episcopi, probatur ex praxi Ecclesiæ quæ Cardinalibus eadem privilegia attribuit, quæ Episcopis concessa sunt ob eminentiorem dignitatem eorum.

Suspensio lata in Clericos comprehendit clericos laicos, & regulares, ita Suarez disp. 28. sect. 2 num. 8 & 9. noster Cornelio supr. numer. 2. nisi ex verbis aut aliis circumstantiis limitetur ad solos sæculares. Ratio est, quia cùm verba sint generalia debent comprehendere eos, qui sunt verè Clerici, seu Ecclesiastici. Non tantùm sæculares personæ, seu etiam universa Clericorum communitas, verbi gratiâ, Capitulum, Monasterium, Collegium suspendi potest, ita Navarrus in manuali cap. 27. numer. 165. Suarez, Layman sup. noster Cornelio loco citato. In quo convenit cum interdicto, quoad suspensionem ab officio, eo quod actus conferendi beneficia exprimitur in cap. *unico*, de Sede vacante in 6. cap. *Romana*; cap. *si sententia excommunicationis*, eodem lib. Concilio Tridentino sessione. 21. cap. 13. de suspensione à beneficio, & colligitur ex cap. *quia quis*, de elect. in 6. & extravagante 1. de electione. VII.

Quoad suspensionem ab officio & beneficio fit mentio in cap. *quia sæpè*, de electione in 6. Ubi non tantùm suspenditur Capitulum in sensu, de quo loquimur, ut est unum corpus politicum habens actiones proprias, officia ac beneficia, quæ ita ad communitatem spectant, ut ad singulas personas de communitate per se non pertineant, sed etiam comprehenduntur singulæ personæ de Capitulo, à propriis & particularibus officiis & beneficiis. Ratio est, quia humana communitas est capax culpæ in actio-

nibus quas exercet ut unum corpus politicum. Cum igitur sit capax officii ac beneficii, erit etiam in communi capax suspensionis. Discrepat autem ab excommunicatione, eo quod cõmunitas nequit hanc incurrere, primò ex cap. *Romana*, secundò, quia excommunicatio afficit animam quoad bona interiora, quæ per se spectant ad bonum propriæ animæ, sicque est censura personalis, at suspensio non privat his bonis, sed ministeriis per se spectantibus ad bonum commune, quæ possunt optimè exerceri à communitate. Idem Cornelio supr. notat, quod quando suspensio fertur simul in communitatem, & in singulas personas juxta cap. *quia sæpè*, in 6. Si talis suspensio lata ob culpam membrorum, eo quod major pars efficit communitatem, tunc qui est innocens à culpâ excusatur à suspensione personali, quantum ad proprium officium & beneficium, ad functiones proprias, quæ à communitate non pendent. Secundò notat quod quando suspensio de facto simpliciter & absolutè fertur in communitatem, non extenditur distributivè ad singulas personas, quantùm ad proprias & peculiares functiones, sed dumtaxat ipsam cõmunitatem, ut de se unum corpus. Ratio est, quia communitas, verbi gratiâ, Capitulum, Monasterium, Collegium, non significat propriè singulas personas de Capitulo, &c. seorsim, sed ipsam universitatem. Igitur suspensio Capituli ligat solam communitatem, ut est unum corpus, nisi aliud exprimatur.

VIII. Non potest quis suspendi absque culpâ, ut patet ex dictis supra, & Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 3. num. 2. Cornelio supra dubio 2. Lezana tomo 3. quæst. regular. verbo *censura Ecclesiastica*, num. 10. Ratio est, quia suspensio est pœna spiritualis. Undè suspensio ob solam infirmitatem corporis, non est propriè suspensio. Quandò suspensio non fertur directè in personam, sed in totam communitatem, potest contrahi ob peccatum alienum, ita D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 3. quæstiun. 2. ad 2. Sylvester verbo *suspensio*, numer. 2. Cornelio sup. dubio 2. Lezana verbo *suspensio*, num. 3. & alii, contra Cajetanum verbo *suspensio*, Navarrum cap. 27. num. 151. Sayrum, Suarem. Hujus propositionis egregiam figuram nobis subministrat sacra Eliæi historia lib. 4. Regum cap. 5. ubi ob avaritiam, fraudem, mendacium, sacrilegium, simoniam Giezi tota ejus posteritas leprâ laboravit juxta Prophetæ sententiam, vers. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum.* Dionysius. *Lepra similis lepræ illius inficiet te, & posteros.* Per posteros Cornelius intelligit progeniem naturalem Giezi. At Dionysius explicat de imitatoribus. *Imitatores tuæ iniquitatis fœdabit, & respergit lepra ac facinus simoniæ per lepram Naaman figuratæ. Undè qui spiritualia vendunt, propriè Geitæ vocantur similiter, qui sine prævio pacto post spiritualium exhibitionem temporale quid exigunt in novo testamento à Simone Mago, ita in lege Mosaicâ à Giezi hoc scelus videtur sumpsisse exordium.* Quibus subjungit. *Et ecce si tam graviter est punitus qui spirituali prius exhibito gratis, petiit temporale, qualis erit illorum damnatio, qui nondum factâ exhibitione gratuitâ pactiscuntur.* Probatur secundo, ex cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renunciavit, ubi, qui ignoranter & sine culpâ a tali Episcopo ordinatur, ob ejus culpam suspenditur. Cap. 1. *non est compos*, de temporibus ordinationis, ubi puer ordinatus in ætate 13. annorum suspenditur ob injuriam ordinationis. Ex quibus juribus concludo suspensionem ferri posse directè in personã ob peccatum alienum. Probatur tertiò, cùm suspensio non privet bonis spiritualibus propriæ animæ suspensi competentibus, sicut excommunicatio, sed privet per se spectantibus ad bonum commune, potest occurrere causa per quam expedit aliquem absque culpâ propriâ privari exercitio sui muneris. Quod si dicas neminem posse puniri ob crimen alterius, quo ipse caret, ex regulis cap. 2. de constitutionibus, & cap. 2. de his quæ fiunt à majori parte Capituli, l. *sancimus*, C. *de pœnis*, & toto titulo eodem, C. *de*

l. 4. Reg. 5. v. 27.

Dionys.

nè filius pro patre, quod maximè verum est in pœnis spiritualibus. Respondet Corneio, id verum esse, quando quis suspenditur specialiter & seorsim. Tunc enim nemo suspendi potest pro culpâ alterius, secus autem si suspendatur Collegium non pro culpâ unius, quia tunc non requiritur culpa in singulis, sed sufficit culpâ plurium, vel superioris. Sic potest superior in inferioribus puniri, ut diximus in Giezi, & communitas in membris, juxta ea quæ habentur in cap. *si sententia*, de sententiâ excommunicationis in 6. Et licet pœna suspensionis sit spiritualis, quia tamen ex dictis, non privat bonis spiritualibus ad propriam animam, potest optimè infligi pro peccato alieno, quia suspensio non habet propriè rationem pœnæ respectu inferioris, cui imponitur. Undè suspensiones impositæ cap. *de ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui*, & cap. *vel non est compos*, de temporibus ordinationum, non sunt propriè censuras, nec pœna: sed quædam impedimenta inculpabiliter cõtracta, sicut suspensio quę provenit defectũ ętatis & ratione infirmitatis, ut notant Suarez & Corneio. Atqui nunquam potest incurri personalis suspensio, quæ sit censura aut pœna absque peccato proprio, nisi cùm fertur generaliter in communitatem.

IX. Episcopus vel alius judex qui tulit censuram suspensionis, potest ex justâ causâ illam suspendere ad tempus, & permittere exercitium interdictorũ, ut tunc temporis non incurratur irregularitas, ita Bonacina disput. 3. de suspensione, puncto 1. numer. 4. Tabiena, Sayrus, & alii. Ratio prima est quia censura non ligat ultra intentionem judicis; cap. *veniens*, de testibus. Secundò, quia videtur id à jure concessum, cap. *dilectis*, de appellationibus. Tertiò, patet ex praxi & usu. Quod si dicas inferiorem non posse suspendere effectus censuræ, qui sunt à jure communi, non enim potest dispensare in jure communi. Respondetur inferiorẽ Summo Pontifice posse in hoc casu dispensare in jure communi, & suspendere effectus censuræ, ita jure sibi permittente. Vel secundò judex inferior non dispensat in jure communi, nec ita suspendit effectus censuræ, ut ipsa censura perseveret, sed tollit censuram ad reincidentiam. Præfata suspensionis pœna, seu dispensatio colligi videtur ex cap. 8. lib. 4. Reg. vers. 4. ubi Giezi narrat Regi Joram miracula Elisei, quomodo Giezi leprosus regem affari potuit, cùm ex lege Levitici cap. 13 & 14. leprosus humanam societatem vitare debeat? Tostatus & Salianus existimant esse hysterologiam. Non improbabile videtur fuisse tunc cùm Giezi dispensatum. *l. 4. Reg. c. 8, v. 4.*

§. I.

Suspensionis partitio.

SUspensio alia est ex parte rei, à quâ fit suspensio, alia ex parte durationis, alia ex parte ejus à à quo imponitur. Suspensio ex parte rei à quâ quis suspenditur triplex est, una ab officio tantùm, sivè officium sit ordinis, sivè jurisdictionis. Altera à beneficio tantùm, sivè sit beneficium, sivè dignitas, sivè Episcopatus, Prioratus, Provincialatus. Tertia ab officio & beneficio simul. De suspensione ab officio habetur in cap. *fanè*, de officio delegati cap. 2. eodem tit. in 6. & cap. *quia in omnibus decisionibus*, & Clement. 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*. De suspensione à beneficio tantùm fit mentio cap. *cum in cunctis* §. *final.* cap. *nihil*, de election. 1. Clementinâ 1. de vitâ & honestate Clericorum. De suspensione ab utroque habetur in Clementinâ 1. de decimis, & cap. *tuarum*, de privilegiis. Rursus suspensio dividitur in totalem & partialem. Totalis vel est *simpliciter talis*, vel *secundum quid*. Simpliciter est, quæ ab officio & beneficio, & absque limitatione imponitur. Secundum quid fit in certo genere, scilicet officii vel beneficii Ecclesiastici. Per totalem ab officio impeditur eb omni spirituali officio tam ordinis, quàm jurisdictionis, ac administrationis Ecclesiasticæ, licet tamen possit interesse cum aliis

divinis officiis, possit orare, cohabitare ministrare sacrificanti, baptisare in necessitate, mortuos sepelire, quæ etiam laicis possunt competere, ita Avila part. 3 disp. 2 dubio 1. concl. 6 Coninck lib. 2. concl. 1. Vasquez num. 2. Layman lib. 1. tract. 5. part. 3 cap. 1. num. 2. [Per totalem suspensionem à beneficio suspenditur quis ab omni Ecclesiastico Beneficio administratione, & fructuum perceptione ad tempus. Per suspensionem partialem aliquis ab ordine tantùm suspenditur, vel ab aliquo actu ordinis, ut à celebratione Missæ, vel ab actu ordinandi. A jurisdictione tantùm suspenditur, quando ab aliquo actu jurisdictionis, vel quasi jurisdictionis suspenditur, verbi gratiâ, à collatione beneficii, vel à certo beneficio, vel parte beneficii, putà lucrandis distributionibus, aut mediâ parte fructuum ad tempus, vel semper.

II. Ex parte durationis suspensio triplex est. Prima est suspensio quæ fertur simpliciter & absolutè, nullâ factâ mentione temporis, ut in juribus supra relatis. Secunda fit ad tempus limitatum, ut ad mensem vel annum. Cujusmodi est, quæ fertur in cap. *cum in cunctis*, §. ultim. de electione, & cap. 2. de sentent. excommunic. in 6. & in cap. 2. de temporibus ordinandorum, eodem libr. & Clement. 1. § penult. de hæreticis, & Clement. 2. de pœnis. Tertia suspensio durationis fit cum expressâ inclusione temporis scilicet in perpetuum, ut habetur in decreto Pii II. & Xisti contra malè promotos. Hæ suspensiones differunt primò quod suspensio ad tempus determinatum lata in prætatis juribus, non est censura, sed pœna privata. Ratio est, quia non fertur ut à contumaciâ recedatur, sed præcisè ad puniendum debitum, sicque non respicit resipiscentiam futuram, sed culpam præteritam. At aliæ duæ suspensiones sunt censuræ. Differt secunda suspensio ad tempus, quod hæc possit imponi absque prævia monitione: eo quod dumtaxat feratur ad puniendam culpam præteritam, cujusmodi est illa quæ fertur cap. *tam litteris*, de testibus. Aliæ duæ prærequirunt semper monitionem, saltem illam generalem, quæ includitur in istâ conditione, si hoc feceris, vel nisi hoc facias. Tertiò, suspensio quæ est pœna ad certum tempus posita, solo temporis lapsu tollitur absque aliâ absolutione. At quando est alia censura, indiget absolutione ut tollatur. Quartò, licet suspensio expressè perpetua, & simpliciter lata sit de se perpetua, tamen suspensio simpliciter lata est perpetua, quasi negativè in hoc sensu, ut perpetuò duret, quamdiu absolutione non tollitur. At suspensio expressè perpetua, est perpetua positivè. Quoad suspensionem ex parte imponentis, dividitur in eam, quæ est jure, & in eam quæ est ab homine.

§. 2.

Suspensionis effectus.

I. Suspensio ab officio lata simpliciter & absolutè privat *quantum est de se* omni usu ordinis & jurisdictionis, & quibusvis alterius simplicis administrationis Ecclesiasticæ, ita communiter Doctores. Ratio nostri Corneio est, quia qui absolutè prohibet totum, prohibet omnes ejus partes, sicque suspensio ab officio comprehendit omnes actus cujuscumque officii Clericalis, sivè ordinis sivè jurisdictionis, sivè simplicis administrationis. Dixi *quantum est de se*, quia per accidens ex parte subjecti fieri potest, ut tantùm privet usu ordinis, & non jurisdictionis, vel simplicis ministerii: vel è converso, ut si ita suspensus ordinem dumtaxat habeat, & non jurisdictionem, vel lata à pluribus, incursa poterit inæquales effectus habere. At hoc etiam per accidens ratione subjecti. Violare suspensionem est peccatum mortale ex genere suo, ita Corneio supr. disp. 2, dubio 1. num. 4. Ratio est, quia est directè contra præceptum Ecclesiæ, potest ex levitate materiæ esse veniale, verbi gratiâ, si suspensus à jurisdictione recipiat depositionem unius testis, vel concedat terminum, vel suspensus ab ordine exerceat unum actum

annexum

annexum ordini minori. Violans suspensionem, & actum ordinis exercens fit irregularis, exercens autem actum jurisdictionis, vel alterius ministerii nullam pœnam à jure impositam incurrit, sed ex solo judicis arbitrio.

II. Discrimen est inter Giezi & alios leprâ infectos & suspensos, quod leprosi vitandi erant, & à societate humanâ separati, ut patet lib. 4. Regum cap. 5. vers. 2. fertur quod Giezi *egressus est ab Eliseo leprosus*, juxta legem latam Levitici cap. 13. vers. 46. *Solus habitabit extra castra*. Primò, nè scilicet alios inficerent. Secundò, ut in hâc solitudine ab omnibus destituti discerent ad Deum recurrere, & ei dicerent. *Tibi derelictus pauper, orphano tu eris adjutor.* At ex vi præcepti Ecclesiastici suspensus non est vitandus, ita Suarez tomo 5. in 3. part. disp. 26. sect. 2. num. 7. Henriquez, Avila, ex nostris Cornelio supr. dubio 1. Lezana quæst. regul. tomo 4. verbo *suspensio*, num. 15. Ratio est, quia tale præceptum nullibi extat, sicut extat præceptum prohibens cõmunicare cum excommunicatis. Fieri enim potest, ut suspensio non respiciat per se communicationem cum fidelibus, sicut excommunicatio. Undè Cornelio & Lezana inferunt quod secluso scandalo non erit peccatum etiam veniale communicare cum suspenso, etiam in actibus à quibus suspensus est, nisi quando ejusmodi cõmunicatio esset quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo usu ministerii. Tunc enim erit peccatum contra legem naturalem & divinam, Quia cooperari peccato alterius est intrinsecè malum, ita Tannerus tomo 4. disp. 6. quæst. 10. dubio 7. numer. 139. Suarez, Cornelio, & Lezana sup. Tunc verò quis dicitur cooperari peccato suspensi, quando suspensum non toleratum inducit extra casum extremæ necessitatis ad usum actus prohibiti. Vel si sit toleratus, tamen absque ullâ prorsus necessitate, vel utilitate, cùm aliàs non esset paratus, nec ex officio vel dignitate obligatus, excitat illum ad talem usum, vel ei inservit ad exercitium actus prohibiti. Quare solâ assistentiâ (quæ est pura communicatio) aliquis non peccat, nec tenetur egredi si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, illam ingrediatur, ut audiat divina officia, Sayrus de censuris lib. 2. cap. 11. nostri Cornelio & Lezana supra. Imo si suspensus ab ordine & denunciatus missam celebret poterit eam alius licitè audire modò non ministret altari, ita Lezana contra Navarrum supr. num. 136. Bonacinam supr. de censuris disp. 3. puncto 4. numer. 4. Quidquid sit certum est (inquiunt Suarez supra num. 8. Cornelio, & Lezana) quod, licet quis cooperetur peccato suspensi, non ideò incurrit aliquam pœnam jure latam, nec illam censuram excommunicationis vel suspensionis minoris. Ratio est, quia nullo jure ejusmodi pœna exprimitur, sicut communicantibus cum excommunicatis imponitur.

III. Actus ordinis facti à suspenso sunt validi, ita Cornelio supra. Ratio est, quia Ecclesia nequit invalidare actus characteris exercitos à ministro circa debitam materiam & formam, licet prohibitione reddantur illiciti. Actus jurisdictionis facti à suspenso sunt invalidi. Ratio est, quia suspensus ab officio non toleratus seu denunciatus, est privatus actuali jurisdictione, seu usu ejus. Quod si non sit denunciatus quamvis suspensio sit publica, ejus actus erunt validi. Suspensus absolutè ab officio poterit fructus beneficii percipere, si per alium inserviat beneficio. Ita Arriaga tractat. de suspensione difficult. 1. num. 7. & alii. Suspensus absolutè ab officio potest suscipere Sacramenta, præter ordinem, ac divinis interesse officiis, ita Cornelio supra. Ratio est, quia suscipere Sacramenta, & interesse divinis officiis, & lucrari indulgentias, non est exercere actum alicujus officii Ecclesiastici, Christianisq; convenit, ut sunt membra Ecclesiæ, non autem Clericis ut Clerici sunt. Undè suspensus celebranti missam potest inservire, Psalmos & Horas Canonicas cum aliis in Choro canere, Epistolam absque sacris vestibus legere, imò etiã actum minoris ordinis solemniter exercere, ita Sotus, Navarrus apud

Corneio. Ratio est, quia hęc laicis sunt permissa, ideòque à Clericis nō ex officio, sed more Laicorum exercentur. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ prohibetur celebrare divina officia, & ea audire, non autē extra. Ita Arriaga sup. num. 12. Episcopus suspensus à Pontificalibus nequit exercere quemcumque actum ordinis Episcopalis, ut ordinare & consecrare altaria, &c. non autem exercere actus jurisdictionis adhuc Episcopalis, nec actus ordinum inferiorum Episcopali, ita communiter Doctores apud Arriaga sup. Conveniunt Doctores apud eundem Arriaga loco citato, quod suspensus ab aliquo officio determinato, non tantùm est illi prohibitum exercere actus illius officii, sed etiam actum alterius officii includentē illum, verbi gratiâ, si quis est suspensus ab Ordine Diaconatus, non tantùm prohibetur exercere Ordinem Diaconatus, sed etiam celebrare. Ratio est (inquit Arriaga) quia actus celebrandi includit actum seu usum Diaconatus. Non tamen prohibetur exercere actus alterius officij, licet supponentis illud officium à quo determinatè est suspensus, ut multi docent, quos refert Suarez sect. 4. verbi gratiâ, suspensus ab ordine inferiore non est prohibitus exercere actum superioris, non includentem actus inferioris. Sic suspensus ab ordine Diaconatus potest excipere confessiones. Ratio est, quia officia Diaconatus, & Sacerdotii distincta sunt, & actus audiendi Confessiones non includit, nec supponit actum Diaconatus, quamvis officium Sacerdotii supponat officium Diaconatus quoad celebrationem.

IV. Arriaga supra existimat quod suspensus ab officio possit alterum beneficium consequi, probat primò ex cap. *vel non est compos*, 14. de tempore ordinat, Sed contrarium tenent Ægidius disput. 15. dubio 1. Suarez disp. 26. sect 3. num. 7. noster Corneio supra disp. 2. dubio 2. Ratio est, generalis regula tradita cap. *finali* de Clerico excommunicato ministrante, sed tamen qui est privatus aliquo munere, vel actu, est etiam privatus acceptatione omnium eorum, quæ ad tale munus ordinantur, sicque cum beneficium Ecclesiasticum ordinetur ad officii, aut Ecclesiastici Ordinis ministerium eo ipso quando quis est suspensus ab officio, est etiam suspensus à consecutione novi beneficii de novo suscipiendi, virtualiter tamen fit ejusmodi prohibitio, & meritò; quia esset contra rationem, si Ecclesia novum beneficium conferret ei quem ab officio suspendit. Dices suspensio ab officio non est suspensio à beneficio jam obtento, igitur nec ab obtinendo. Negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia suspensus ab officio est etiam suspensus à beneficio obtento, nec in jure expressum est, nec ex aliquo juris principio colligitur, sicut quod sit suspensus à beneficio obtinendo. Suarez num. 8. notat hanc electionem vel collationem nō esse ipso jure irritam, sed irritandam. Sicut neque electio facta in personam excommunicatam majori excommunicatione. Cujus ratio applicari potest electioni suspensi. Undè Avila part. 3 disp. 2. minus benè dixit ejusmodi electionem esse nullam ex cap. *Cùm dilectus*, de consuetudine, & cap. *diversitatem*, de concessione præbendæ. Ratio est, quia cap. *electus*, procedit de electione factâ activè à suspenso.

§. 3.

Quædam Suspensiones ipso jure latæ.

QUi ordinatur ab Episcopo I.
Hæretico, vel Schismatico, excōmunicato, non tolerato, vel à simoniaco juridicè declarato suspensus est, Suarez disp. 31. sect. 1. num. 61. Sayrus lib. 4. cap. 14. num. 1. Arriaga tract. de suspensione diffic. 13. num. 33. noster Corneio supra. disp. 4. casu 12. Probatur ex cap. 1. & 2. *Schismaticus*. Nihilominus ab incurrendâ ejusmodi suspensione excusat ignorantia, quando recipiens ordines ignorat Episcopum esse excommunicatum, & Simoniacum, ita Rodriguez tomo 2. cap. 19. Coninck

disp. 15.

disput. 15. dubio 5. num. 32. & seq. ubi de hac re fusè tractat post Innocentium & Abbatem. Ratio est quia toties quis excusatur à pœnâ suspensionis, quoties excusatur à culpâ, sed recipiens ordines ab excommunicato vel simoniaco ignorans talem esse, excusatur à culpâ, igitur etiam excusatur à pœnâ suspensionis. Sed contrarium tenent Suarez supra num. 62. Avila, Sayrus supra, Filiucius tract. 17. cap. 5. quæst. 4. num. 81. & alii, scilicet non excusari: Ratio est, quia Ecclesia id statuit, non ob culpam ordinati, sed ordinantis, cujus acta vult esse invalida quantùm potest. Et cum possit in hoc casu facere invalida quoad executionem ordinum in ipso suscipiente, vult ipsum suscipientem remanere suspensum ab executione ordinum. Navarrus cap. 7. Sylvester, Avila, & alii existimant suspensionem non incurri ab eo qui suscipit ordinē à præfato Episcopo per metum cadentem in virum constantem: Sed contrarium videtur probabilius, Suarez, & Bonacina supra.

II. Recipiens Ordines Majores ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, seu loco & dignitati, seu jurisdictioni & officio Episcopi, necnon potestati ordinis, seu potius usui, est suspensus suspensione reservatâ Papæ, ita Navarrus cap. 27. num. 241. Henriquez cap. 39. num. 1. Sayrus cap. 14. num. 7. Filiutius tract. 19. num. 56, Suarez, Bonacina.

III. Ordinatus ab alieno Episcopo absque licentiâ proprii, manet suspensus ab ordine sic suscepto ad beneplacitum proprii Episcopi, ita Suarez supra num. 13. Sayrus num. 7. Avila part. 3. disp. 5. dubio 7 vers. 3. Arriaga supra num. 34, noster Corneio casu 7. Probatur ex cap. *solemnit.* dist. 63. in antiquo jure, & in jure novo, ex Pio II. 1. extravag. *cùm ex sacrorum*, & Concilio Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat. *Ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire sit suspensus.* Quem locum explicat Flaminius Paris. de resignat. beneficiorum lib. 4. quæst. 2. num. 89, Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiast. part. 3. cap. 8. num. 3. Coninck de Sacramentis & censuris tomo 2. disp. 15. dubio 5. num. 35, Salzedo, Zerola, Guitierez, Cevedo, Valerius, Reginaldus, quos sequitur Bonacina de censuris disp. 3. quæst. 6. puncto 5. num. 5. Barbosa part. 2. de offic. & potest. Episc. alleg. 17. num. 9. An suspensus juxta bullam Pii II. *cùm ex sacrorum*, possit ab ab Episcopo dispensari, consule Aloysium Riccium in decision. Curiæ Archiepisc. Neap. decis. 93. part. 4. Non comprehendi in præfatâ Bullâ, qui minores ordines suscipiunt, docent Toletus in summâ lib. 3 cap. 49. numer. 5. Campanile in divers. juris canon. rub. 6. cap. 2. num. 24. Zerola, Henriquez, Bonacina de suspensionibus omnibus in particulari disp. 3. quæst. 1. puncto 11. num. 17. Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 8. num. 11. Et hanc suspensionem durare quamdiu Episcopo proprio, vel ejus Successori placuerit, innuit Concilium Tridentinum supra *Quamdiu* (inquit) *proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.* Vide Suarem supra disput. 31. sect. 1. num. 20. Maacellum Vulpe, Ciarlinum, Petrum Ledesma.

IV. Suspensionem incurrit, qui ordinatur cum litteris dimissoriis obtentis à Capitulo Sede vacante, infra annum vacationis nisi in casu, quo beneficii recepti, vel recipiendi necessitas cogat. Ita Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 10. *Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quàm etiam cujuscumq; privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui qui vigore beneficii Ecclesiastici recepti, sivè recipiendi occasione artatus non fuerit concedere.* Vide Navarrum consil. 19. aliàs 27. consil. 20. aliàs 28. Homobonum de Bonis de examine Ecclesiast. part. 1. tract. 2. cap. 1. quæst. 6. Marcellum Vulpe in praxi judic. Ecclesiast. cap. 8. num. 34. & cap. 40. num. 20. Cardosium in praxi judic. verbo *Capitulum*, num. 6. Monetam de commut. ultim. voluntatum, Nicolaum Garciam de benef.

Bonacinam

Bonacinam de suspensionibus in particulari, & de Sacramentis, Ragucium, Aloysium Riccium, Campanile, Franciscum Leonem, Quarantam, Rendinã, Fornarium, Piacesium, Thomam Valascum, Franciscum Emmanuelem, Salzedo, Zerolam, Rebuffum, Sayrum, Petrum de Ledesma, Emmanuelem Sa, Tolètum, Henriquez, Sanchez, Azorium, Suarem, Molinam, nostrum Cornelio supra casu 8. Quod si dimissoriæ ritè, & rectè dentur à Capitulo Sede vacante non expirant per ingressum novi, seu Successoris Episcopi, ita Alzedo part. 1. cap. 5. num. 95. Marcellus Vulpe cap. 27. num. 13. Thomas Valascus alleg 5. num. 13. Moneta, Bonacina, Bonacina, Fagundez, Gonzalez, Molina, Petrus de Ledesma, Quaranta, Barbosa. Non posse à Capitulo, seu ejus Vicario Sede vacante, concedi dimissorias etiam ad primam tonsuram resolvunt Franciscus Emmanuel in summâ tomo 2. cap. 14. num. 6. Majolas de irregul. lib. 4. cap. num. 5, Quaranta, Barbosa in collectaneis DD. ad Concil. Trident. sess. 7. cap. 10. Quod Capitulum, seu Vicarius Capituli Sede vacante concedens litteras dimissorias intra annum incurrat pœnam interdicti docent Molina supra tract. 5. disp. 11. num 4 Franciscus Leo in thesauri fori Ecclesiast. cap. 8. num. 48. Barbosa. Et patet ex Concilio Tridentino sess. 7. cap. 10. *Capitulum contraveniens subjaceat interdicto.* Ordinatos verò ad minores ordines de licentiâ Capituli vacante Sede nullo privilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudere idem Concilium innuit. *Et sic ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint nullo privilegio clericali præsertim in criminalibus gaudeant.* Hujus pœnæ mentionem faciunt Navarrus consil. 20. aliàs 20. sub tit. *de tempore ordinationis*, Quaranta in summa bullarii verbo *ordo*, versu *secundò limita*, Sayrus in floribus decis. sub tit. *de tempore ordin.* decis. 22. Campanile in diverf. juris canon. rub. 9. cap. 2. num. 9. Franciscus supra part. 3. cap. 8. numer. 47. Thomas Valascus tomo 1. alleg. 45. numer. 19. & 20. Lessius de justitiâ lib. 2. cap. 34. num. 94. Marta, Toletus. Addit Franciscus Leo hanc privationem privilegii clericalis hodie non incurri, nisi post judicis declarationem, ut patet ex constitutione Urbani VIII. contra malè promotos, & probant Navarrus consil. 28. Sanchez de matrimonio disp. 46. num. 18. Ex particulâ *gaudeant*, quæ futurum tempus denotat, ac proindè pœna ipso jure infligi non potest. Quod autem initiati majoribus ordinibus sint ipso jure suspensi ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati decernit Concilium Tridentinum supra. De quâ suspensione scribunt Petrus de Ledesma part. 1. tract. de Sacramento Ordinis cap. 8. concl. 5. Suarez tomo 5. de censuris disp. 31. sect. 20. Bonacina, & alii.

IV. Qui ordinatur à proprio Episcopo in alienâ Diœcesi absque licentia Episcopi localis suspensionem incurrit, ita noster Cornelio supra casu 9. Quod à fortiori intellige de Episcopo titulari, ut decernit Concilium Tridentin. sess. 14. cap. 2. *Taliter promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sit suspensus.* Hujus ordinationis explicationem vide apud Salzedo ad Bernardum cap. 26. verbo *sine licentia*, versu *tertius casus est*, Thomam Valascum tomo 1. alleg. 45. n. 18. Henriquez in summâ lib. 13. cap. 38. versu 2. *Episcopus.*

V. Suspensionem incurrit, qui Ordinem Sacrum suscipit extra tempora à jure constituta, ita Navarrus cap. 27. num. 141. Quaranta verbo *ordo*, Sayrus, Suarez, Bonacina, Filiucius, Avilà, Cornelio supr. cap. 10. Probatur ex extravagante Pii II. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, & Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & salutare.*

VI. Item qui ordinatur in majoribus ante legitimam ætatẽ, ita Bonacina proximè citatus, Sayrus lib. 4. cap. 14. num. 11. & seq. Suarez disput. 31. sect. 1. numer. 22. noster Cornelio supra casu 3. Probatur primò ex jure antiquo cap. 1. *non est compos*, de temporibus ordin. Item ex jure novo in extravagante Pii II. citat. Discrimen

est

est inter jus antiquum & novum, quod per antiquum jure esset suspendendus at per jus novum ipso facto sit suspensus scilicet ab ordinibus sacris. Avila supra, vers. *pro intelligentiâ*, excusat si per ignorantiam etiam invincibilem fecerint absque dolo. Quæ suspensio durat etiam post annum completum, relaxatur autem per Summum Pontificem, vel Episcopum si suspensio sit occulta aut etiam in foro conscientiæ per bullam. Notat noster Corneio', quod licet sic ordinatus ante ætatem completam ab hac suspensione sit absolutus, non potest tamē in ordine suscepto ministrare. Quod si quæras quid igitur præfata absolutio operetur? Dico duo: primum quod reddatur habilis ut completa ætate possit exercere illum ordinem. Alterum, quod si ante ætatem illum exerceat non incurrit irregularitatem, licet mortaliter peccet. Manet igitur promotus ante ætatem suspensus ab ordine suscepto. Undè potest ritè in aliis ministrare cap. *propter*, ex dictâ extravag. Quod si tempore suspensionis actum ordinis ob quem suspensus est celebrare, verbi gratiâ præsumpserit, incurret irregularitatem, ita cap. *Non est compos*. Plura apud Bonacinam supra num. 2.

VII. Qui per saltum suscipit ordinem superiorem suspensus est, ita Canon. *Sollicitando*, 52. dist. & cap. unic. *de Clerico per saltum promoto*, Tridentino sess. 23. cap. 14. ita ut si in illis ministret, fiat irregularis; ita Abbas cap. *unico*, num. 4. & 5. *de Clerico per saltum promoto*, ubi Hostiensis num. 4. Navarrus in manuali cap. 27. num. 241. Campanile in diverſ. juris canon. rub. 10. cap. unic. num. 4. Filiucius in quæst. moral. tract. 17. cap. 5. quæst. 8. num. 92. Barbosa de officio & potest Episc. part. 2. alleg. 47. numer. 1. Bonacina tract. de censuris disp. 7. quæst. 3. puncto 4. numer. 5. & de suspensionibus in particulari disput. 3. quæst. 1. puncto 2. numer. 1. Alterius, Avila, Suarez, Franciscus Emmanuel in summâ, Toletus, Henriquez, Arriaga. *Cum promotus per saltum si non ministraverint, Episcopus ex legitimâ causâ possit dispensare*, ita decernit Concilium Tridentinum supr. sivè cum promotis per saltum sivè aliquo Sacrorum Ordinum omisso, sivè omnibus, si non ministraverint, tenent Bonacina de suspensionibus, puncto 2. num. 12. Molfesius in summâ Theologiæ moralis tract. 2. cap. 3. num. 26. Armendariz in recop. ad leg. Navarræ lib. 1. tit. 18. lib. 7. de Episcopis num. 53. versu *item*, Alterius. Quod intelligit sivè scienter, sivè ignoranter fuerint promoti. Cui arridet Marcellus Vulpe in praxi judic. fori Eccles. cap. 8. numer. 15. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 2. alleg 47. num. 6. & 7. Diana moral. resol. part. 5. tract. 10. resol. 29. Cōcilium ait, *si non ministraverint*. Quia (inquit Arriaga supra) si ministravit incurrit irregularitatem per violationem suspensionis, in quâ solus Papa potest dispensare. Porrò dum Concilium præfato cap. 14. concedit facultatem dispensandi cum promotis per saltum, non intendit, ut ordinatus ascendat ad ordinem omissum suscipiendum, ac deindè ad ministrandum in suscepto per saltum, & ascendendum ad superiorem, ita Barbosa supra num. 12. Aloysius Riccius, Alterius, Campanile, ab Ordine verbi gratiâ Diaconatus incurrat irregularitatem si promoveatur ad Ordinem superiorem, verbi gratiâ, Præsbyteratus Negat Suarez de censuris disp. 42. sect. 3. n. 2. Sayrus, & alii. Ratio est, quia ejusmodi censura nō est expressa in jure. Contra objiciunt Navarrus lib. 1. consil. 26. num. 2. de tempore ordin. Henriquez lib. 14. cap. 6. numer. 4. in glossa litt. C. quod ascensus ad ordinem superiorem est quasi exercitium ordinis inferioris à quo suspensus est. Igitur si Diaconus ab ordine suspensus, ordine Sacerdotali initietur exercebit actum Præsbyteratus quia sacrificabit cum Episcopo. Item Subdiaconus cantando solemniter Evangelium, &c. Respondet Diana part. 4. tract. 2. resol. 92. Susceptionem ordinis superioris tantùm impropriè & abusivè posse dici exercitium ordinis inferioris. Cui favent Henriquez in summâ lib. 14. cap. 3.

num. 6. Medina in summâ cap. 11. §. 8. Avila de censuris part. 3 disp. 5. dubio 7. assert. 3. & alii, asserentes primum sacrificium non esse actum illum quo suscipiens ordinem Sacerdotalem concelebrat cum Episcopo, pro cuius intelligentiâ ad comprimendos multos scrupulos, optimè notat Layman lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 5. *Ex consuetudine fermè ubique receptâ, ut Sacerdotes noviter ordinati*
Layman. *cum Episcopo in Missarum solemnitis consecrent. Ubi vides plures Sacerdotes tanquam causas totales concurrere ad idem Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, inter quos principalis est Episcopus, veluti dux & pædagogus aliorum. Quare curandum illi est ut non prius alio verba consecrationis finiat. Nam si alius quisquam absolutam consecrandi intentionem habens ante alios, ipsumq; principalem sacrificantem Episcopum verba consecrationis finiat, solus is consecrat. Quod incommodum ut evitetur, monent Doctores concelebrantes oportere habere intentionem conditionatam videlicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba cõsecrationis absolvant, non itẽ si præveniant.* Magis tamen illi arridet opinio Cajetani part. 3. quæst. 8. art. 2. Suarez 3. part. disp. 61. sect. 4. Henriquez lib. 8, cap. 18. numer. 2. *Monentium* (inquit) *ut novi Sacerdotes, servent generalem intentionem proferendi verba secundum voluntatem Ecclesiæ, quia non desunt qui existiment illa verba consecrationis non dicere formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantùm recitative ac materialiter, in signum potestatis sibi concessæ, & in memoriam Cœnæ ultimæ, in quâ Christus coram Apostolis Missæ sacrificium instituit.* Cui sententiæ favet Richardus in 4. distinct. 13. art. 2. quæst. 1. Ratio est, quia cum sit moraliter impossibile, ut cum Episcopo celebrante concelebrantes eodem instanti temporis verba consecrationis finiant, non apparet alius modus defendendi dictam consuetudinem ab Incommodis quæ contra eam objiciuntur. Quam improbant Durandus in 4. dist. 13. quæst. 3. Angelus verbo *Eucharistia*, 2. §. 3. Cœterùm quod nihil obstet eundem effectum divinâ virtute à duabus causis totaliter produci docet Cajetanus supra quæst. 67 art. 6. ad penult. quæst. Scotus in 4. dist 6. quæst. 2. art. 1. Suarez disp. 23 sect. 3. Coninck. Quod facile explicari potest in sententiâ eorum qui asserunt Sacramenta moraliter operari ob Christi institutionem, ac promissionem. Eodem modo differendum est de duobus vel pluribus ministris simul applicantibus unico homini baptisando formam & materiam baptismi. Observant Covarruvias in Clement. 1. §. 1. num. 1. Sylvester verbo *suspensio*, quæst. 5. Avila de censuris part. 7. Diana supra. Episcopum suspentum à pontificalibus non incurrere irregularitatem si missam celebret cum apparatu Episcopali. Ratio est, quia non est suspensus ab actu celebrandi secundum substantiam, sed dumtaxat secundùm solemnitatem accidentalem. Contrarium sustinet Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 6. Ratio ejus est, quia per illam suspensionem directè illi prohibetur usus insignium Episcopalium, scilicet mitræ, baculi, pallii. Per accidens autem, & consecutivè omnia solemnia officia Episcopalia, quæ absque ejusmodi insignibus fieri non debent, ut sunt Ordines dare, confirmare virgines, Ecclesias, Altaria consecrare, & citat glossam in extravag. *suscepti regiminis*, verbo *à Pontificalibus*, Sayrus lib. 4, cap. 4. num. 14. Ita ut Episcopo sic suspenso liceat tantùm missam privatam celebrare, confessiones excipere, jurisdictionem forensem exercere. Cui suffragantur Avila loco citato, Diana supra, docentes suspensum & excommunicatum non fieri irregularem, si exerceat ea, quæ spectant ad jurisdictionem fori exterioris, verbi gratiâ, absolvat à censurâ suspendat absque solemnitate, verbi gratiâ, absque stolâ, orationibus, &c.

VIII. Suspensionem incurrit Clericus in Sacris constitutus, qui notoriè est concubinarius, vel saltem fornicarius, sivè crimen sit notorium juris, sivè facti, ita Sayrus lib. lib. 4, cap. 15 num. 14. noster Corneio supra casu 1. Notorium juris est, quando aliquis

in

in judicio de crimine suo confessus est. Notorium facti, quando crimen est notum populo, ut nullâ tergiversatione possit celari, cap. *Sacerdotes*, dist. 50. cap. *finali*, 15. quæst. 8. Probatur hic casus ex cap. *finali*, de cohabitatione Clericorum & mulierum ubi absolutio suspenditur, & cap. *nullus*, & cap. *propter eandem distinctionem*, ubi ei interdicitur missam celebrare, Evangelium, vel Epistolam cantare, & cap. *Si quis*, dist. 81. ei prohibetur ingressus Ecclesiæ donec pœniteat, ubi ex Sylvestro verbo *concubinarium*, 4. Et idem est Pontificem dixisse his verbis *interdicimus*, ac si dixisset *suspendimus* Hæc retolutio nō est extendenda ad Clericos minorum ordinum, ut probat Suarez disp. 31. sect. 4. num. 8. contra Navarrum cap. 25. num. 76. ubi id probat ex cap. *ministri* dist. 81, Et tamen in cap. *vestra*, de cohabitatione Clericorum & mulierum videtur fieri mentio de omnibus ministris Ecclesiæ. Notat noster Corneio hanc suspensionem esse latā ipso jure, ita communiter Doctores, excepto Suare loco citato num. 11. & seq. asserente oppositum posse probabiliter defendi. Sed non plenè satisfacit, ut patet ex textibus supra relatis. Quod si dicas ex Concilio Tridentino sess. 25. de reformatione cap. 14. necessariam esse præviam Prælati monitionem. *Quod si à superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, &c. à beneficiorum ipsorum administratione quo ad Ordinarius etiam nti Sedis Apostolicæ Legatus arbitrabitur suspendantur.* Respondent primò Bellettus disquisit. cleric. part. 2. tit. *de disciplina Clericorum* §. 5. numer. 45. Nicolaus Garcias de beneficiis part. 7. cap. 14. num. 11. & 15. Armendariz textum illum non loqui de Clerico notorio. Hic enim est ipso jure suspensus ab officio & beneficio absque aliquâ præviâ monitione superioris, itaut si celebret incurrat irregularitatem. Respondet secundò noster Corneio hanc monitionem non requiri, ut attentâ jurisdictione Clericus sit ipso facto suspensus ab ordine, sed ut incurrat alias pœnas â Concilio inflictas, ut patet ex verbis citatis. *Quod si à superioribus moniti.* Inter illas pœnas hanc addit Farinacius in praxi criminali part. 5. quæst. 138, num. 41. Quod si Clericus concubinam retinens bis aut ter monitus induratus in concubinatus permaneat per suum Episcopum Curiæ sæculari tradatur, cùm ipsemet se Sacerdotio indignum judicet, Authent. de Sanctiss. Episcopis, §. *Præsbyteros*, collat. 9. cap. *Præsbyteris* dist. 27. Quæ jura ipse Farinacius intelligit de traditione Curiæ sæculari, quatenus importat verbalem derogationem, non autem actualem. Undè qnando Concilium infra circa finem loquendo de Clericis non habentibus beneficium, vel pensionem, ait, *juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta sacros Canones puniantur.* Non sequitur, quod si ab Episcopo puniendi sunt suspensione ab ordine; non erant antea suspensi ipso jure juxta sacros Canones, sed Concilium loquitur de sententiâ declaratoriâ suspensionis jam ipso facto incursæ. Vel (inquit Corneio) ideò Concilium dixit puniendos esse suspensione ab ordine, quia tempore Concilii Tridentini illa jura erant contraria consuetudine abrogata, quæ hanc suspensionem ipso facto inducebant. Hanc tamen suspensionem esse abrogatam per desuetudinem tenent Soto in 4. dist. 1, quæst. 5. art 6. ad 2. & dist. 13. quæst. 1 art. 9. circa finem. Henriquez lib. 13. cap. 36. Guitierez, Medina, noster Corneio supr. Quibus arridet Concilium Tridentinum citatum, ubi innuere videtur quod jus antiquum sit revocatum, & novum introductum, eo quod antiquum contrariâ consuetudine cessaverit. Undè modò Clerici publici concubinarii non sunt ipso jure suspensi, nec fideles tenentur abstinere ab audiendâ eorum Missâ. Contrarium tamen docet Navarrus cap. 25. num. 77.

IX. Suspensionem incurrit qui suscipit ordinem per Simoniam etiam occultam, ita Bonacina disp. 3. puncto 5. §. 1. num. 9. Probatur ex cap. penult.

de simoniâ, & cap. *per tuos*, de suspensionibus ab omnibus ordinibus habetur in extravagante Pii II. de simoniâ. Quam suspensionem esse reservatam Episcopo ait Bonacina supr. Quod si ignorante eo, qui ordinem suscipit simonia sit commissa ab amico, vel parente dante, vel promittente Episcopo pecuniam, ut illi conferat ordines. Respondet noster Cornelio supra casu 2. post D. Thomam 2, 2, quæst. 100. art. ult. ad 3. Arragonio ibi Sylvestro verbo *suspensio*, sic ordinatum manere suspensum, licet illa suspensio non habeat tunc rationem censuræ vel pœnæ, cùm nulla propria culpa præcesserit. Ratio est, quia jura absolutè loquuntur de eo qui ordinatur per simoniam, modò promissio non sit facta fraudulenter ab inimico, tunc enim non incurret suspensionem, nisi in casu, quod sic ordinatus cõsentiret postea pacto solvendo quod promissum erat, ita D. Thomas supra. Ad quod necessarium est, ut non solùm solvat pecuniam se ignorante promissam, sed etiam ut ratificet pactum & promissionem factam, ut probat Navarrus consil. 10. de simoniâ, num. 7. Nam in hoc casu ratihabitio comparatur, non solùm quoad culpam simoniæ, sed etiam quoad pœnam. Et cap. penult. *de simoniâ*, juxta Glossam ad cap. penult. de electione verò ratum non habente. Opinio cõtraria mihi magis placet, scilicet sic promotum non incurrere suspensionem, ita Sayrus lib. 4. cap. 14. num. 6. Henriquez cap. 37. num. 4. Suarez disp. 31. sect. 1. Coninck, Bonacina, & alii, etiam quamvis ille, qui ignoranter ordinatus est per simoniam postea ratificet promissionem factam ab amico. Nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis nisi in jure exprimatur. Præfatam suspensionem incurri etiam ab iis, qui committunt simoniam in dimissoriis asserunt Henriquez cap. 37. num. 3. Avila part. 3. disp. 5. dubio 9. Filiucius num. 128. Suarez disput. 31. sect. 4. Bonacina. Ratio est, quia hæc censetur simonia in ordine. Suarez etiam intelligit de conferente & præsentante per simoniam.

X. Suspensionem incurrit, qui quomodocumque per dolum, & fraudem facto titulo, verbi gratiâ, patrimonio vel beneficio ordinatur, ita Quaranta verbo *Ordo*, Filiucius num. 89 Suarez disp. 31. sect. 2. num. 35. Bonacina, & alii contra Toletum lib. 1. cap. 14. num. 16. Sayrum lib. 4. cap. 14. numer. 16. Probatur ex cap. *neminem*, cap. *Sanctorum*, dist. 7. Quæ jura quò ad non sunt revocata ut docet Suarez disp. 31. sect. 1. num. 33. ex Navarro consil. 45. de temporibus ordinandorum. Licet cap. 27. num. 158. id doceat ex cap. *perpetuas*, & cap. penult. *de simoniâ*, Quæ jura loquuntur in alio casu, ut benè animadvertit Avila part. 3. disp 5 ad 1. propter quod ipse sequitur oppositâ opinionem existimans illum non incurrere suspensionem, sed patet ex cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum*, illum falli. Præfatam suspensionem Episcopo reservatâ docet Bonacina supra.

XI. Incurritur etiam suspensio à Clerico incunte pactum cum Episcopo ordinante ante ordinationem, vel cum patrono præsentante non petendi victum, alimenta, aut provisionem, Navarrus supra numer. 118. Sayrus cap. 15. num. 22, Avila dubio 4. Henriquez, Suarez, Bonacina, & alii. Probatur ex cap. penult. *de simoniâ*, in quo habetur Episcopum & Patronum præsentantẽ suspensos esse per triennium, ipsum verò Clericum suspensum esse donec absolvatur. Eâdem suspensione ligatur Beneficiarius præsentans aliquem Clericum, ad titulum sui beneficii, ut illi conferantur ordines, cum pacto non petendi fructus ad sustentationem, ita Avila dubio 5. concl. 1. ad 1. arg. Bonacina supr. Probatur ex cap. penult. *de simoniâ*. Dixi *facientes pactum cum Episcopo*, quia si nullum extet pactum, vel non insit deceptio, seu falsitas, non incurritur suspensio, ita Filiucius supra num. 87. Quaranta verbo *Ordo*, Bonacina supra, Sayrus num. 16. noster Cornelio. Patet primò, ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. & ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium docet Emmanuel Sa verbo *suspensio*. Patet secundò ratione, quia

quia pœna ista suspensionis cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum*, quantùm ad eum qui absolutè & absque titulo ordinatur sublata fuit postea per Alexandrum III cap. *Episcopis*, cap. *secundùm Apostolorum*, de præbendis, ubi dumtaxat statuit, quod Ordinarius, vel ejus successor alat ordinatum, donec habeat beneficium Ecclesiasticũ. Quod intelligendũ est, quando non est præsentatus ab aliquo parrono. Nam tunc ab eo alendus est, ut innuitur cap. *si Episcopus*, de præbendis in 6. Deindè pœna irregularitatis ablata est contra eos qui fatendo se nullum habere titulum ab Episcopo ordinantur. Non autem quantùm ad eos, qui ficto titulo decipiunt Episcopum, alioqui sine causâ imponeretur Episcopo onus alendi ejusmodi ordinatos, quando potuit decipi absque suâ culpâ. Contra hanc doctrinam opponuntur Navarrus tomo 1. consil. de constitutionibus, consil. 1. quæst. 16. num. 45. & consil. 45. de temporibus ordinandorum, num. 30. Major lib. 14. de irregularitate cap. 25. asserentes hos etiam esse irregulares, & Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reformatione. ubi innovantur & confirmantur pœnæ antiquorum canonum contra Ordinatos absque titulo. Sed refellit Corneio dicens Concilium non innovasse pœnam suspentionis latam cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum* dist. 70. Quia ante Concilium erat jure communi sublata per alios canones cap. *Episcopos*, cap. *cum secundum Apostolum*, de præbendis, sed tantùm confirmasse, innovasse, ac stabilisse pœnas duorum jurium. Et docet Sayrus supra num. 17. ex communi sententiâ, & mente Sacræ Congregationis, ac Pii V. cujus bullam editam anno 1568. quæ incipit *Romanus Pontifex*, explicatq; Sayrus supra numer. 17. Addunt Navarrus cap. 27. num. 158. vers. 2. & consil. 22. de temporibus ordinandorum, Stephanus Grátianus disceptat. foren. cap. 159. num. 16. & 17. Sayrus, Valerius Reginaldus, Barbosa de off. & potest. Salzedo, Guitierez, Cevallos, Nicolaus Garcias de benef. Graffis, Avila, Bonacina, Franc. Emmanuel, Sanchez post Toletum, Suarem, Ledesma, & alios, quod ordinatus ad titulum patrimonii, qui post ordinationem illud retrodonat, seu renuntiat, vel alienat non incurrit ullam suspensionem, licet peccet mortaliter. Eoquod faciat contra prohibitionem Concilii, sicque potest puniri ab Episcopo. Non incurrit etiam prætatam suspensionem, sed puniendus ab Episcopo Clericus, qui sine ullo pacto cum ordinante, vel præsentante prævio ordines suscipit absque titulo, confingendo, mentiendo veluti titulum matrimonii, vel falsò probando se habere, quod non habet, vel plus habere quàm habeat, cùm tamen id quod habet non sufficiat ad sustentationem, aut fictam donationem ab aliquo accipit, ita Tolerus lib. 1. cap. 48 num. 5. Coninck de Sacramentis disput. 16. dubio 5. num. 38. Henriquez lib. 13. cap. 37. num. 2. & in litt. G. Emmanuel Sa, Emmanuel Rodriguez, Guitierez, Gonzales, Diana resolut. moral. part. 2. tract. 2. in miscellan. resol. 5. & tract. 4. de Sacram. resol. 184. Barbosa de officio & potest. parte 2. alleg. 20. num. 33. Avilá, Squillante Homobonus de Bonis, Nicolaus Garcias. Ratio est, quia secundùm declarationem Sacræ Congregationis, Concilii, & usum Pœnitentiariæ, ordinatus absque titulo; non est suspensus. Nec etiam Tridentinum innovat pœnam illam suspensionis in cap. *neminem*, jure antiquo latam cõtra ordinatos absque titulo, quæ pœna lata est ante Tridentinum per alios Canones, scilicet Alexandri III. cap. *Episcopi*, & Innocentii III. cap. *cum secundum Apostolum*. Sed (ut supra dictum est) innovat pœnas horum duorum canonum, in quibus stabilitur, ut Episcopus suis sumptibus alat eos, quos sine titulo ac beneficio ordinaverit, donec de beneficio, vel titulo sufficienti ad vitæ sustentationem sit eis provisum. Notat Avila cum aliis quod quamvis in foro conscientiæ sic ordinatus teneatur restituere illud patrimonium, sic conditionaliter donatum: tamen in foro exteriori potest rescindi talis retrodonatio, & hoc in pœnam donationis, quia voluit deci-

pere Ecclesiam & Episcopum. Auctores contrariæ sententiæ scilicet Navarrus consil. 14. & 48. de tempor. ordin. & in manuli cap. 27. num. 158 Majolus de irregularit. lib. 4. cap. 15. Jacobus de Graffis in decis. aureis lib. 2. cap 97. num, 56. Alterius tract. de censuris tomo 2. disput. 20. cap. 3. Suarez de censuris disput. 1. sect. 1. num. 31. & seq. Sanchez, Bonacina, Filiucius, Joannes de la Cruz, Scortia, Valerius Reginaldus existimant sic ordinatum incurrere suspensionē ab ordine suscepto ipso facto. Reginaldus sic probat, quia est ordinatus sine dimissoriis litteris. Nam Episcopus concedens hujusmodi litteras titulo patrimonii, non daret illas si sciret patrimonium esse fictum. Igitur dictæ litteræ sunt subreptitiæ, & cōsequenter censentur nullæ, & nullius effectus. Ad hanc rationem respondet Henriquez, quod qui ob fictum matrimonium initiatur non incurrit suspensionem latam contra eos, qui initiantur absque reverendis proprii Episcopi, licet enim licentiam & eas reverendas obtineant per fraudem, est tamen vera licentia. Nec refert quod obtinere reverendas ex causâ falsâ, idem est quod illas non haberet, quia (ut notat Avila) Episcopus debet facere sufficientem diligentiam, ut cognoscat an patrimonium sit verum, deindè si fictio patrimonii sufficeret ad illam suspensionem incurrendam, sufficeret etiam falsitas in probatione mortui & generis. Respondeo igitur supradictum Clericum ordinatum sine titulo non fuisse suspensum, atque adeò celebrando non incurrisse irregularitatem. Nec dicas præfatum Clericum incurrisse suspensionem ex bullâ Sixti V. contra Clericos malè promotos, ut notat Gonzales. Respondeo enim illam constitutionem fuisse a Clemente VIII. redactam ad terminos juris communis, ut animadvertit Vivaldus in fine Candelabri; tamen sic promotus debet extraordinariè puniri ut dictum est. Bonacina suam opinionem sic probat, Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reformat. videtur innovare canones antiquos contra eos, qui artibus & fallaciis fingunt se habere sufficientes facultates & canones sicut cap. *neminem*, cap. *Sanctorum*, 70. distinct. in quibus definitur esse suspensum, qui sine beneficio & patrimonio ordinatur. Respondimus supra intentionem Concilii dumtaxat esse, innovare pœnas antiquorum canonum, non autem innovare antiquam suspensionem ut declaravit Sacra Congregatio apud Placesium. Nec obstat Constitutio Urbani VIII. die 11. Decembr. anno 1624. quâ perpetuam suspensionem incurrunt promoti ficto, falso, seu fiduciario patrimonio. *Promoti verò* (inquit) *perpetuæ suspensionis pœnam absque spe dispensationis à Sede Apostolicâ obtinendæ incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis vel fictis, aut etiam fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio nostro & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis, &c.* Ad hoc respondeo Dianam, & alios esse Italos vel Hispanos ac ferè omnes post prætensam bullam Urbani VIII. sua opera edidisse, & tamen negare sic ordinatum esse suspensum.

Secundus casus, qui scienter in excommunicatione ordinem suscipit suspenditur ab ordine suscepto, ita Navarrus in manuali cap. 27, num. 24. Covarruvias cap. *Alma mater*, part. 1. §. 6. n. 6. Avila part. 7. disp. 9. sect. 1. dubio 6 Filiucius tract. 17. cap. 5, numer. 94. Henriquez lib. 14. cap. 6. num. 4. Coninck disp. 14. num. 31, noster Corncio supr. casu 11. Bonacina & alii apud Suarez supra num. 17. & seq. Probatur ex cap, *cum illorum*, de sentent. excommun. Ubi habetur excommunicatum, qui ordinem suscepit si sit sæcularis à suscepto ordine in perpetuum esse deponendum, & dispensationem Papæ reservari. Si verò sit Religiosus ab executione suscepti ordinis & officii manere suspensum. Eodem modo resolvunt de eo, qui suscipit ordinem in suspensione vel interdicto, quamvis ad hoc probandum sufficientem textum non adducant. XII.

adducant. Qui tamen primam tonsurã susciput suspensione non ligatur, ita Suarez, Avila, Navarrus, Bonacina, Filiucius & alii. Primò, quia jura loquuntur de suscipiente ordinem, at prima loquendo strictè non est ordo. Secundò, tonsura non habet proprium actum à quo suspendatur. Secundùm opinionem eorum qui asserunt Episcopatum non esse ordinem ab hac suspensione eximuntur qui Episcopatum recipiunt, dum vinculo censuræ sunt illaquecati. Illâ verò, ligantur ex sententiâ Bellarmini, Medinæ, Valentiæ, Durandi, Mayronis, Rubii, Gabrielis, Cajetani, Petri Soto, Navarri, Valquez, & multorum Canonistarum apud Amicum disp. 22 de naturâ & instit. Ordinis sect. 9. asserentium Episcopatum esse ordinẽ. Notat tamen Bonacina supra post Filiucium sup. Suarem num. 60. Sylvestrum verbo *irregularitas*, & alios, eum non incurrere suspensionem, qui ex probabili ignorantiâ suæ excommunicationis, vel juris susciput ordines. Ratio est quia non expedit eam luere pœnam culpæ, quam non commisit. Dices cap. *cum illorum*, fertur suspensio Papæ reservata contrà suscipientes in excommunicatione, quamvis non recordentur se esse excommunicatos, vel ignorent jus prohibens excommunicatis susceptionem ordinum. Respondet Bonacina illum textum intelligi de ignorantiâ invincibili, ad distinctionem eorum, qui non tantùm præsumunt suscipere ordines, non tantùm ex ignorantiâ vincibili, sed etiam scienter.

XIII. Casus, qui post matrimonium contractum, licet non consummatum, suscipit Sacros Ordines aliter quàm in jure permittitur, manet suspensus ab ordine sic su cepto, & ab iis suscipiendis, necnon à promotione ad beneficia, ita Bonacina supra numer. 13. Arriaga loco citato num. 40. & alii Probatur ex extravagante *antiquæ*, Bonacina ait hanc suspensionem esse reservatam Sedi Apostolicæ etiã matrimonio soluto, nisi fortè solvatur per professionem validè emissam, tunc enim Episcopus potest dispensare, idem asserit Arriaga. Quod si suscipiens Ordines Sacros bonâ fide existimet conjugem esse mortuam, sed postea comperiens adhuc esse superstitem, debet abstinere non per modum censuræ, sed instar simplicis prohibitionis quamdiu uxor est superstes, nisi votum castitatis emittat, & cedat juri suo, ita Filiucius tract. 17. cap. 5. num. 95. Sayrus, Vivaldus, Coninck, Suarez, Bonacina.

Qui omittit celebrare completè XIV. absque gravi causâ, ita Bonacina supra num. 17. Corneio supra casu 20. Ratio est, quia est suspensus à Corpore & Sanguine Christi, cap. *nullus Episcopus*, de consecratione dist. 1. ubi hæc habetur, *à Corpore & Sanguine Christi suspensus sit*. Qui loquendi modus importat censuram ipso facto, & ipso jure latam, non autem ferendam ut putat Filiucius num. 103. Inter graves causas, quibus potest missa inchoato canone est morbus gravis, aut mentis confusio, ita ut nequeat Sacerdos in missa progredi absque periculo, ita Sayrus cap. 17. num. 2. Quod si necdum canon est inchoatus sufficit levior morbus, vel causa, ita idem Sayrus lib. 4. cap. 15 numer. 2. Bonacina supr. Hac suspensione non afficitur, qui relinquit missam imperfectam, ut ab alio suppleatur, ita Bonacina supr. Et colligitur ex cap. *nullus Episcopus*, imo non suspenditur, qui communicat sub unâ specie non intendens Sacrificium quoad sumptionem alterius speciei ab alio perfici, tamen grave sacrilegium committit, ut habetur cap. *comperimus*, 12. dist. 2. in 3. part. decreti, & potest excommunicari, ut habetur cap. *nihil*, contra 7. quæst. 1. Vel saltem potest suspendi, seu arceri à sumptione Corporis & Sanguinis Christi, ex eodem cap. *comperimus*.

Sacerdos tam sæcularis, quàm re- XV. gularis conjungens in matrimonium, vel benedicens subditos alterius Parochiæ absque licentiâ proprii Parochi vel Ordinarii, remanet suspensus ab officio donec ab Ordinario Parochi absolutionem obtineat, ita Sayrus cap. 15. num. 10. Filiucius num 101. Sanchez de matrimonio lib. 3. disp. 52. num. 4.

num. 4. Bonacina, Suarez, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 32. num. 12. Hurtado de censuris diffic. 13. num. 40. versu *novo*, & de matrimonio disput. 5. diffic. 17 numer. 57. & diffic. 23. in fine. Hieronymus Rodericus, Portellus, Emmanuel Rodriguez quæst. regul. tomo 3. quæst. 2. art. 1 Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. de reformatione cap. 1. *Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sivè secularis, sivè regularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochia, ponsos sine illorum Parochi licentiâ matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Hæc verba, *tamdiu suspensus maneat*, denotant sententiam esse latam ipso jure, ita Franciscus Molina de ritu nuptiarum lib. 1. differ. 11. num. 150. Ratio est, quia sunt verba præsentis temporis. Quæ suspensionis pœna extenditur ad officium & beneficium, ita Franciscus Molin citatâ difficult. num. 249. Hurtado de censuris tract. de suspen. diffic. 13. num. 30. versu *novo*. Verba illa *Quamdiu Ordinario*, non tantùm significant Episcopum, sed etiam ejus Vicarium resolvunt Alterius de censuris tomo 2. disp 11. de suspensione cap. 11. Sanchez lib. 3. disp. 53. num. 4 Barbosa in collect. Concil Trident. sess. 24. cap. 1.

XVI. Clericus celebrans, vel celebrare faciens in locis interdictis à jure, vel ab homine est suspensus, ita Bonacina supr. n. 16. Ratio est, quia hic est suspensus ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerit ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit, cap. *Episcoporum*, de privilegiis in 6. Notat tamen Bonacina illud potius dici interdictum, quàm suspensionem.

XVII. Clericus etiam exemptus & religiosus admittens ad Sacramenta, Ecclesiasticam sepulturam, & divina officia publica excommunicatum denunciatum, vel interdictum est suspensus, ita Filiucius num. 99 Suarez disp. 31. sect. 2. num. 5. & alii apud Bonacinam de interdicto puncto 6. Ratio est, quia excommunicatus est suspensus, seu interdictus ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerit ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit, cap. *Episcoporum*, de privilegiis in 6. Emmanuel Sa num. 18. Avila part. 5. disp. 5. dubio 4 Navarrus cap. 27. num 157. Henriquez, & alii arbitrantur illam suspensionem extendi dumtaxat ad Clericos exemptos, privilegiatos, & religiosos. At Bonacina cum aliis probabilius asserit extendi ad quoscumque, etiam non exemptos ut patet ex his verbis. *Clerici seculares, aut regulares, quantumcumque exempti.* Quæ verba cum sint generalia, generaliter sint intelligenda.

Suspenditur Clericus, qui admittit XVIII. ad communionem altaris, ad sepulturam Ecclesiasticam, vel recipit oblationem eorum, qui sunt usuarii manifesti, seu condemnati de usuris, ita Filiucius num. 100. Bonacina numer. 19. Henriquez lib. 13. cap. 38. num. 3. Suarez supr. sect. 2. num. 7. & seq. & alii, scilicet nisi prius usuarii dederint satisfactionem, vel cautionem de satisfactione, quæ Clerici suspensio ab officii executione pendet ab arbitrio Episcopi. Probatur ex cap. *quia in omnibus*, de usuris.

Suspenditur Clericus, qui alienis XIX. debitis Ecclesias sibi commissas gravare sibi præsumit, aut litteras vel sigilla alteri concedere, quibus possit obligari, ita Filiucius cap. 6. quæst. 5. num 107. Angelus verbo *suspensio*, num. 10. Suarez sect. 3. num. 1. Bonacina num. 23. & alii Doctores. Quæ suspensio est Episcopo reservata ex cap. 2. Solutionibus.

Suspensionem incurrit, qui Sede XX. vacante Cathedralis regularis, vel Collegiatæ Ecclesiæ occupat bona spectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ipsam Sedem, vel ad Successorem, ita Filiucius num. 108. & 148. Sayrus lib. 4. cap. 12. num. 14 Suarez supra sect. 3. num. 3. Coninck, Bonacina supr. Suspenditur autem non tantùm ab officio, sed etiam à beneficio, donec integrè restituat, cap. *quia sæpè*, de elect. in 6. Coninck notat ex cap. *præsenti*, de off. ordin. in 6.

in 6. Similem suspensionem ferri in Clericos inferiores Episcopis, quia bona Ecclesiarum vacantium sibi subjectarum convertunt in suos usus. Quod si Episcopi id faciãt ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, ita Suarez disp. 31. sect. 5. num. 11. versu *quarta suspensio*, Sayrus, Coninck, Bonacina, Filiucius, & alii. Probatur ex cap. *præsente*. Et meritò, si enim Giezi, non tantùm à ministerio Elisei, sed etiam ab ejus domo & societate abstinuit ob pecuniam à Naaman fraudulenter & furtivè acceptam, lib. 4. Regum cap. 5. Quantam censuram merentur Ecclesiastici, qualiscumque sint conditionis & dignitatis, qui spiritu avaritiæ bona Ecclesiæ thesaurisant. Accipe stuporem lacrymas perfusum sancti Bernardi sermone 10. in Cantica, ubi describit bonum & malum Prælatum. Bonum ait esse instar sponsæ. *Videas eam* (inquit) *mox plenis uberibus parvulis incubare lactandis, & ex uno quidem consolatoria, ex altero verò exhortatoria uberius ministrare, prout singulis convenire videbit. Verbi causâ, si quem fortè ex his, quem genuit in Evangelio deprehenderit forti aliquâ tentatione concussum, & indè turbatum, tristem, pusillanimemq; factum, non posse jam ferre vim tentationis, quomodò condolet? quomodò mulcet? quomodò consolatur? quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatum. Econtra si promptum, si alacrem, si benè proficientem cognoverit, exaltat, aggreditur salutaribus monitis, accendit amplius, instruit de quibus potest, ut perseveret, utq; in melius semper proficiat, exhortatur. Omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus, matrem se denique probat, non minus deficientium, quàm proficientium.* De malo autem Ecclesiastico seu Prælato hæc ingemiscens pronunciat, *Quanti hodie secus affectos se ostendunt de his dico, qui animas regere susceperunt. Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant.* Ostenditque eos non tantùm Giezi, & Pharisæis, sed & ipso Judâ deteriores. *Hoc solo sanè à Judâ Schariote differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit. Isti voraciori ingluvie lucro infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, his nè amittant, timent, & cum amittunt dolent, harum in amore quiescunt, quantum dumtaxat liberum eis est à servandi vel augmentandi cura animarum, nec reputatur casus, nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Ioseph.* Non tantùm eorum nequitia Judæ nequitiam excedit, quod plus inhient lucro pecuniarum quàm animarum, sed etiam Judas, & Judæi pretium sanguinis Christi propriis emolumentis accommodare pertimescunt. Clerici autem nonnulli in proprios & superfluos usus effundunt. *Vide* (inquit D. Augustinus serm. 128. de tempore.) *quanta vis Dominica sit pecuniæ, quam indè Iudas reijcit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Isti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere.* Etiamsi nefarii illi Sacerdotes & Pharisæi odio capitali Christum prosequerentur, & ejus sanguinem usque ad ultimam guttam effundere conspirassent, tamen pretium ejus in proprios usus convertere ausi non sunt, nec in suos loculos recludunt. Cur hoc? nè damnabiliores reddantur ex cõtactu istius pretii. Sic Sancti Parentis Eliæ hospita lib. 3. Regum cap. 17. vers. 18. videns hunc Prophetam tantâ virtute præditum ac conspicuum, hujus solis meridianam lucem ferre non potest. *Quid mihi & tibi vir Dei ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres meum filium.* Josephus lib. 2. antiquit. cap. 7. *Querebatur de adventu hominis, qui peccata ejus detexisset, ideo mulctatam se filii morte dubitans.* Et Dionysius. *Quid commune est nobis, & quare convenimus? quid tam impares sumus in vitâ, ita quod ex tua præsentia videtur mihi majus incõmodum, quàm commodum contigisse, &c. an idcircò venisti ad me, ut respectu & comparatione sanctitatis tuæ magis apparent*

l 4. Reg. Cap. 5.

S. Bernardus.

l. 3. Reg. 17. v. 5.

Iosephus

Dionys.

pareant, & graviores à Deo judicentur culpæ meæ, sicq; occasione tui propter mea demerita Deus jussit meum filium mori. Quantum etiam ipsi infideles à pretio sanguinis justi abhorruerint testatur historia Esther. cap. 3. ubi cùm Aman hostis Hebræorum infensissimus immensam vim auri & argenti offerret Regi Assuero, ut universum populum Judaicum interimeret, Esther 3. vers 9. vers. 9. *Si tibi placet, decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Idest secundùm Tirinum & alios, quinque ducatorum milliones tradam Præfecto Regiorũ thesaurorum, seu ærarii Regii Præposito. Cui Rex, *Argentum* (inquit) *quod tu polliceris tuum sit, de populo age quod tibi placet.* Cùm Reges gazas suas auro refertas libenter habeant, non ut imitentur Caligulam, qui teste Suetonio in Caligulâ cap. 42 *Contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpè super immensos aureorum acervos patentissimo diffusus loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquando volutatus est.* Sed ut nervum belli habeant, quo hostibus resistere, vel bellum indicere, regnique iura propugnare possint. Cur Rex Assuerus Gentilis tam ingens pondus rejicit? quia erat pretium sanguinis populi fidelis, ex cujus stirpe Dei filius carnem assumpturus erat, ut ingeniosè annotavit Rupertus lib. 6. de victoriâ Verbi Dei cap. 17. *Non parva considerationis est, aut esse debet, quod oblatum fuit ad Iudaicæ gentis universale exterminium contra propositum Dei, contra verbum promissionis.* Rupert. Noluit recipere ingentem illam pecuniam in detrimentum populi fidelis. A similibus etiam pecuniis congerendis abhorrebat Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 2. epist. 25. Cassiod *Detestamur miseros premi, commovemur & non querentium malis. velocius que ad nos pervenit, quod dissimulatio patientis abscondit. Meritò quando cunctorum nos respiciunt avido ore lasiones, dum illud pietati nostræ perire credimus, quod per mediocrium damna sentimus.* Non ait *culmus*, sed *detestamur miseros premi.* Non dicit potestas nostra peribit, si pecunias variis exactionibus & vectigalibus congeramus, sed miseris subditis compatiens, *dum illud* (inquit) *pietati nostræ perire credimus, &c.* Ecce Reges, ecce Gentiles, ipsimet Christi hostes pretium sanguinis in propriam utilitatem convertere non audent, & Clerici, Sacerdotes, Prælati id attentare audebunt? Nonnulli eorum qui præfatum sanguinis fidelis pretium repudiarunt, experti fuerunt quanta mala ejusmodi insana cupiditas procreat: Audierant Achabum Regem Israel ex albo Regum Christi progenitorum deletum fuisse ab Evangelistâ Matthæo, imò solio Regio indignum, eoquod vineam Naboth serviliter concupierit ac violenter occuparit, lib. 3. Regum cap. 21. num. 20. *Occidisti insuper & possedisti, &c. Hæc dicit Dominus, in hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Vers. 21. *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & ultimum in Israel.* Idest, posteritatem tuam funditus evertam. Vineam Naboth esse typum Ecclesiæ sæpè diximus, per Naboth Christum, vel animam sanctam figurari testatur S. Ambrosius de exhortatione ad Virgines. Quàm exitialis sit ejusmodi sordida ac injusta bonorum publicorum & Ecclesiasticorũ occupatio & retentio, patet ex lib. 4. Regum cap. 24. ubi Joackim Rex Juda nunciis Babylonicis regis Nabucodonosor se molestari ac premi videns gazas tum Regias, tum Ecclesiasticas, & templi immensis opibus plenas non exhausit, non impendit ad resistendum Regi infideli, sed eas obseratas ac inclusas servavit. Quid contigit, ipse cum totâ stirpe regiâ, optimatibus, operariis captivus ductus est Babylonem, ac gazæ regiæ & templi asportantur, illustreque palatium in tristem carcerem ad 37. annos commutatur, vers. *Ascenderunt servi Nabucodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & circumdata est Vrbs munitionibus. Venitq; Nabucodonosor Rex Babylonis ad civitatem, ut oppugnaret eam, egressusq; est Ioachim Rex Iuda ad Regem Babylonis ipse, & mater ejus, & servi* l. 3. Reg. 21. v. 20 l. 4. Reg. 24. v. 10

servi eius, & Principes eius, & Eunuchi ejus & suscepit eum Rex Babylonis anno octavo regni sui, & protulit indè omnes thesauros domus domini, & thesauros domus regiæ, & concidit universa aurea quæ fecerat Salomon Rex Israel in domo Domini juxta verbum Domini. Et transtulit omnem Ierusalem, & universos Principes, & omnes fortes exercitus decem millia in captivitatem, & omnem artificem, & clusorem, nihilq; relictum est, exceptis pauperibus terræ. Transtulit quoque Ioachim in Babylonem, & Matrem Regis, & Vxores Regis & Eunuchos eius duxit in captivitatem de Ierusalem in Babylonem, & omnes viros robustos septem millia, & artifices & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores, duxitq; eos Rex Babylonis captivos in Babylonem. S. Ambrosius
S. Ambr. lib. 2. off. cap. 28. totam illam calamitatem refundit in nimiam, ac tenacē regis Joachim parsimoniam, ac avaritiam, ac impietatem. *Itaque Ioachim, qui aurum in thesauris servabat, non dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captivitatem duci. Laurentius autem qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus sacram Martyrii accepit coronam.* Quasi diceret, scire vis cur rex Joachim totâ stirpe regiâ, optimatibus, exercitu suo, bonis omnibus spoliatus ducitur in captivitatem, Laurentius Martyrii coronam adeptus est? Quia ille templi ac palatii regii thesauros non expendit in utilitatem publicam quando & ubi erat. At verò cum tyrannus postulat à Laurentio *immaculato* (inquit S. Leo) *sacrarii Præsule*
S. Leo. *opes Ecclesiasticas quibus avidissimus inhiabat inferri, Levita castissimus, ubi eas repositas haberet ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu, atque vestitu inamissibiles condiderat facultatis, quæ tantò integrius erant salvæ, quantò sacratus probabantur expensæ.* Caveant igitur, caveant fideles præcipuè Ecclesiastici, Prælati, sivè sæculares, sivè regulares nè bonis Ecclesiæ, pauperum, &c. nimis tenaciter inhient, illa diripiant, nimis tenaciter includant, nimis largiter in pravos usus, in epulas, in fabricas superfluas effundant. Caveant etiam Principes, Xenodochorum Præfecti, nè pauperum bona, lacrymas suis patrimoniis immisceant, in sua æraria infundant, nè cum ipsis effundantur, & censuras Ecclesiasticas ipsi raptores, custodes, fautores incurrant. Utrumque illud infortunium & temporale & spirituale pertimescens Sanctus Gregorius Nazianzenus ita Julianum vectigalium exactorem affatur. *Nè divitias* S. Greg. Nazian. *nostras cum aliorum lacrymis misceamus, à quibus tanquam tineâ ac rubigine consumentur, aut ut scripturæ verbo utar, evomentur.* Quæ verba Nicetas sancti Gregorii Scholiastes ita elucidat, ex illis verbis Job cap. 20. *Divitias quas congeravit, evomet.* Quibus optimè subdit. *Vt enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, unà cum eo probos evomit, sic qui iniquè congregandis opibus studet, non solùm ipsas, sed eas etiam quas prius jure possidebat plerumque amittit.* Eandem formidinem Cæsareo suo animo imbiberat Basilius Imperator, ideoque Leonem filium suum monet, apud eundem Gregorium Nazianzenum cap. 14. *Pecunia enim si tuttè colligitur, possidenti multum affert emolumenti, & nervos imperio addit. Quæ verò ex lacrymis subditorum, atque ex iniquitate corrosa fuerit, etiam iustè collectum dissipabit.* Quasi diceret bona malè parta, retenta sunt quasi tinea & rubigo. Undè Jacobus Apostolus cap. 5, vers. 1. avaros (qui undique divitias congerunt per fas, & nefas) ita affatur. *Agite nunc divites plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis, thesaurisatis vobis iram in novissimis diebus.* Quasi diceret ô divites feri instar luporum fame rabidorum ululate, vel quemmodum pueri & mulieres ululant in communi domus & urbis exitio, ita in fletus & ululatus prorumpite ob miserias, quæ à vindice Deo vobis parantur in hoc & futuro sæculo. Vestra frumenta, cerevisiæ, vina, panes, carnes, pisces, ova, &c. quæ in cellis

Nicetas.

Iacob. c. 5. v. 1.

vestris recluſiſtis, putreſcunt, quibus deberetis ſalutem comparare juxta il-
S Ambr. lud ſancti Ambroſii lib. de Nabuthe cap. 14. *Vende aurum, & eme ſalutem, vende lapidem & eme regnum Dei, vende agrum, & eme tibi vitam æternam.* Veſtimenta quibus pauperes nudos veſtire debebatis in die judicii induratam veſtram avaritiam ac rapinam accuſabunt ac damnabunt. Aurum & argentum quod ex ærario Eccleſiæ, Xenodochiorum, Civitatis, &c. furtivè & fraudulenter abſtuliſtis ærugi-nem contraxit. Sicut enim æris vitiũ, & corruptio vocatur ærugo, ſic bona Eccleſiæ, pauperum ſunt hæreditatis paternæ corruptio, illaque ærugo ac corruptio coram Chriſti tribunali erit teſtis, veſtræ crudelitatis & rapinæ, tacitèque vos accuſabit, damnationisque æternæ reos eſſe manifeſtabit. Undè quia vos ex avaritiâ permiſiſtis pecunias veſtras ac bona ab ærugine corrodi, iſta ærugo carnes veſtras vivas in carceribus æternis manducabit. Voluiſtis ſtudiosè conſervare undequaque per ſimoniam, uſuram, fraudem, falſa chirographa, bona pauperum, &c. quæ in theſaurum iræ & vindictæ divinæ commutabuntur. *Ecce* (concludens Jacobus) *merces operariorum, qua meſſierunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Ideſt, tandem aliquando pauperes illi, quos defraudaſtis, Eccleſiæ illæ, quas depopulati eſtis, tantæ rapinæ, tantæ crudelitates, tam atroces injuriæ vindictam à Deo expoſcent. Coloni & ſubditi, quos Magnates cogunt gratis laborare; egeni, quos ſiti, fame, nuditate perire ſinunt ut ſuos equos, canes venaticos nutriant. Milites, quos miniſtri Principum ſinunt ærumnis mori, furari, & opprimere agricolas, vel rebellare, & fortalitia, civitates, provincias prodere, & clamorem eorum Deus exaudit, mittitque in hâc vitâ exercitus grandinum, fulminum, luporum, murium, vermium, febrium, peſtilentiarum, aliarumque creaturarum nocivarum, & in fine vitæ acies dæmonum, qui eos quaſi carnifices plectant. Id ante prænunciavit Siracides Eccleſiaſtici cap. 35. verſ. 17. *Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lacryma viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas, à maxillâ enim aſcendunt ad cælum, &c.* Ideſt viduæ ac pupulli injuſtè vexati, ac ſpoliati à potentibus, pauperes fame & inopiâ pereuntes divinum patrocinium implorant. Deus autem qui ſingularem eorum protectionem ſuſcipit Pſalm. 9. verſ. 24. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Audit eorum querimoniam lacrymis perfuſam, lacrymæ eorum in terram effuſæ in cœlum reſiliunt, & à Deo vindictam extorquent.

XXI. Clericus notorius & publicus concubinarius, vel fornicarius jure antiquo incurrebat ſuſpenſionem totalem quæ perſeverabat quamdiu Clericus permanebat in ejuſmodi delicto, ut patet ex canone *ſi qui ſint*, diſt. 81. cap. *quæſitum*, de cohabitatione Clericorum & mulierum, & cap. *præter*, diſt. 31. At jure novo non incurrit, ita Lazarius verbo *concubinarius*, Avila 3. part. diſt. 5, dubio 2. Suarez diſp. 31, ſect. 4. Henriquez cap. 36, Toletus lib. 1. cap. 47. Filiucius, Bonacina. Probatur ex Cõcilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 14. de reformatione, declarante ejuſmodi clericum eſſe ſuſpendendum ab Epiſcopo præviâ monitione. *Prohibet Sacra Synodus quibuſcumque Clericis, nè concubinas aut mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin in pœnis à Sacris Canonibus, Statutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi à Superioribus moniti ab iis ſe non abſtinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel aliâ fœminâ perſeverantes ſecunda monitioni adhuc non pareant non tantùm omnes fructus, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, prædictis locis applicentur, ſed etiam à beneficiorum ſuorum adminiſtratione. Quod Ordina-* Concilio Trident.

rius

rius; etiam ut Sedis Apostolicæ Legatus, arbitrabitur, suspendantur. Nō dicit sint suspensi, sed *suspendantur*, ut animadverterunt Nicolaus Garcias de beneficiis part. 11. cap. 10. numer. 181. & part. 7. cap. 14. num. 8. Marchinus de Sacramento Ordinis tract. 1. pat. 8. cap. 3. num. 26. Toletus in instructione Sacerdotum, lib. 1. cap. 47. Henriquez in summa lib. 13. cap. 26. §. 1. Avila de censuris part. 3. disp. 5. dubio 2. Bonacina eodem tract. disput. 3. quæst. 6. puncto 5. Contra Belletum, Armendariz. Alii casus referuntur ab Auctoribus citatis, quos consulere licebit.

XXII. Suspensiones contra Religiosos explicant Sayrus cap. 13. numer. 15. Filiucius supra cap. 9. Henriquez lib. 13. 40. numer. 2. Suarez disput. 31. sect. 6. Bonacina disput. 3. puncto 5. §. 4. Portellus, noster Lezana tomo 4. verbo *suspensio*, num. 16. & alii de suspensionibus. Contra Capitula & Conventus agunt Filiucius, Vivaldus. Suspensiones contra Episcopos referunt Sayrus lib. 4. cap. 12. Suarez disp. 31. sect. 5. num. 23. Bonacina supra §. 1. Concilium Tridentinum sparsim.

§. 4.

Quomodò, & à quo tollitur Suspensio.

I. SErarius contendit Giezi fuisse curatum à suâ leprâ postquam ab eo pœnitente Deus & Elisæus fuerunt placati; an autem S. Propheta eum miserit ad Jordanem, ut ibi instar Naaman septies lavaretur, neminem vidi, qui assereret, tamen mihi probabile est, primò quia ex oraculo sancti Elisei lepra Naaman illi adhæsit, *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi*, 4. Reg. 5. v. 27. lib. 4. Regum cap. 5. vers. 27. Congruum igitur fuit, ut eodem remedio tolleretur. Secundò, quia perfecta corporis & animi sanitas ac purgatio optimè per aquam figuratur. Undè Christus instituit Sacramentum Baptismi seu purgationis in aquâ, quia est accommodatissima ad significandum regenerationem & purgationem spiritualem in Baptismo fieri solitam. Undè Poëtæ Oceanum & Thales Milesius teste Diogene Laertio in eius vitâ aquam rerum omnium parentem ac principium constituerunt. Tertiò, quia sicut aqua extinguit ignem, ita congruum fuit ut lepra spiritualis, seu ardor congerendarum divitiarum per aquam cessaret.

Ex his à pari infero censuram latam ab homine per sententiam generalem vel particularem, figuratam per pœnam lepræ inflictam à sancto Eliseo Propheta, jure communi posse tolli ab eo, qui eam tulit, vel per ejus superiorem, vel per successorem, vel per eum, qui specialis facultas fuerit delegata, ita Bonacina disp. 1. quæst. 3 puncto 1. num. 1. de censuris, noster Corneio supra quæst. 3. disput. 5. dubio 2. addens posse tolli per bullam Cruciatæ, quia est privilegium à Supremo Pastore concessum. Resolutio prima probatur ex cap. *per tuas*, cap. *Sacro*, de sentent. excommunic. 2. quia potestas ordinaria ferendi censuram se extendit ad illam auferendam juxta illud Matthæi cap. 18. vers. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælo.* Igitur suspensio & alia censura reservata potest auferri ab eo qui eam potestate ordinariâ tulit, vel per ejus superiorem, vel successorem, per eum qui habet potestatem delegatam, prout sibi concessum fuerit ex voluntate delegantis, cùm ipse careat potestate ordinariâ, sed habeat delegatam, quæ tamdiu durat, quamdiu delegata est. Arriaga tract. de suspensione difficul. 12. num. 30 excipit duos casus, in quibus judex suspendens absolvere nequit. Primus est, quando Clerici suspenduntur à suis Ordinariis ab officio ob porrecta Sacramenta hæreticis denunciatis, vel quia eis Ecclesiasticam sepulturam concesserunt. Ejusmodi enim suspensionis absolutionem esse Papæ reservatam, patet ex cap. *excommunicamus* 13. de hæreticis. Secundus casus est, quando quis non conferens beneficia dignis postquam semel ac iterùm

II. *Matt. 6. 18. v. 18*

admonitus à Concilio Provinciali reperitur culpabilis, suspenditur ab ipso Concilio à collatione beneficiorum, quia ex cap. *nimis*, 29. de præbendis. Iste nequit restitui nisi à Papâ, vel à suo Patriarchâ. Quod ordinariè possit Prælatus superior absolvere à suspensione, vel aliis censuris latis ab inferiore, ut Episcopus à censuris latis ab Archidiaconis, docent Filiucius cap. 9. quæst. 5. & 9. Ugolinus tab. 1. cap. 4. Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 5. Angelus verbo *absolutio*, num. 3. Avila part. 2. cap. 7. dubio 11. Bonacina num. 3. Suarez disput. 7. sect. 2. num. 12. Ratio est, quia jurisdictio competens inferiori non datur illi privativè, sed accumulativè, idest non datur illi privando superiorem jurisdictione, sed illi datur, ut eâ possit uti non ablatâ auctoritate superioris. Est cõtra Covarruviam cap. *Alma Mater*, part. 2. §. 12. Quod possit successor & successores aliorum Prælatorum habentium ordinariam facultatem suspendendi, & alias censuras ferendi. Ratio est, succedit in locum ejus. Quod denique Sede vacante possit Capitulum, patet primò ex cap. 1. de obedient. in 6. Ratio est, quia Sede vacante Capitulũ succedit in jurisdictionem Episcopi ex cit. cap. Collegium Cardinalium potest magnâ ex causâ absolvere, quos Summus Pontifex potuit absolvere, ita Doctores supra citati, & præcipuè Bonacina num. 4. Defuncto Summo Pontifice potest Summus Pœnitentiarius absolvere à casibus Pontificiis, juxta facultatem quam habebat vivente Pontifice, ita Henriquez lib. 13. cap. 17. num. 3. Avila loco citato dubio 5. Bonacina supra, Suarez supra. Probatur primò ex Clementinâ *nè Romani*, de elect. Secundò, hac ratione privilegium non videtur extingui morte concedentis.

III. Suspensio & alia censura non reservata lata per sententiam generalem jure communi auferri potest à quocumque habente potestatem absolvendi à culpis mortalibus, ita Sayrus lib. 5. cap. 15. num. 12. Reginaldus lib. 9. num. 12. Bonacina supra num. 15. Navarrus cap. 27. num. 44. Vasquez, Henriquez, Valentia, Coninck, Sotus, Covarruvias, & alii apud Avilam part. 2. cap. 7. disp. 1. dubio 8. contra Ugolinum tab. 1. cap. 4. Suarem quæst. 7. sect 2. numer. 23. Probatur primò ex cap. *frequentibus*, de institutionibus, cap. *nuper*, de sentent. excommunic. Secundò, quia sententia æquivalet in multis Statuto & Canoni (ut ait Covarruvias) quamvis ipsa cesset per mortem conditoris. At censura Statuti & Canonis jure Communi potest auferri ab eo, qui habet potestatem absolvendi à culpis mortalibus. Igitur suspensio seu censura generalis auferri potest ab eo qui habet potestatem absolvendi à culpis mortalibus. Nam eo ipso, quo superior non reservavit censuram, censetur concessisse aliis potestatem absolvendi, ut patet ex cap. *nuper*. Ideò addidi per sententiam generalem, quia ex Filiucio numer. 303. Coninck num. 25. & 258. Avila supra disp. 3. dubio 10. Bonacina, Valentia, Vasquez supra, Sententia lata per sententiam particularem cõtra aliquam personam particularem auferenda est à superiore, vel habente potestatẽ delegatam, ut dictum est. Addidi de jure communi, quia ex Bonacinâ supr. in aliquibus cautum est nè Confessarii absolvant à suspensione, vel aliis censuris, nisi habeant specialem facultatem suspensionem à jure latam, & reservatam absolvendi, absolvere potest qui eam tulit, vel ejus superior vel successor in dignitate patet ex cap. 18. vers. 18. Matthæi, &c.

IV. A censuris juris nemini reservatis possunt absolvere omnes Prælati habentes jurisdictionem in foro externo, ut Episcopus, Prior, Guardianus, &c. imò & quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à mortalibus, potest jure communi absolvere à censuris juris nemini reservatis, ita Sayrus lib. 5. cap. 15. num. 22. Filiucius cap. 9. quæst. 4. Navarrus cap. 27. num. 39. Henriquez lib. 13. cap. 27. Ugolinus, Reginaldus, Coninck, Bonacina, Suarez. Probatur primò ex cap. *nuper*, de sentent. excommun. ubi datur facultas proprio sacerdoti absolvendi. At qui habet facultatem absolvendi

absolvendi à mortalibus potest dici proprius Sacerdos. Ratio est, quia eo ipso, quo superior non reservat absolutionem, censetur dare facultatem Confessario absolvendi, ut testatur communis continetudo. Dixi juri cõmuni, quia jure particulari in quibusdam locis sancitum est nè Parochi vel alii Sacerdotes absolvant à censuris, nisi ab excommunicatione minori; ita Bonacina num. 9.

XXII. Episcopus potest absolvere à suspensione & aliis censuris ac casibus reservatis Summo Pontifici per se vel Vicarium suum Generalem, aut Pœnitentiarium sivè suspensio sit lata, ut pura pœna, sivè in perpetuum, sivè ad certum tempus: modò proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum, ita Sayrus tract. de censuris, lib. 7. cap. 7. numer. 12. Vivaldus in candelabro aureo tit. de excommunic. num. 24. Avila tract. de censuris part. 7. disp. 1. dubio 11. concl. 3. Jacobus de Graffis in aureis decis. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 43. & tomo 2. consil. sub tit. de homicid. consil. 20. num. 20. Alterius de censuris, cap. 3. versu *postulabit*, Bonacina eodem tract. disp. 1 quæst. 3. puncto 2. num. 2. & disp. 3. puncto ult. num. 5. Marcus Antonius, Emmanuel Rodriguez in summâ tomo 1. cap. 167. num. 4. & tomo 3. cap. 1. num. 10. Vega id summâ, Sigismundus à Bononiâ, Stephanus Gratianus, Novarius, Bartholomæus de Vecchis, Mauritius Alzedo de præcellentiâ Episc. dignitatis, Henriquez, Suarez Campanile, Molina, Sanchez, Arriaga. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 6. *Liceat* (inquit) *Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.* Poterit etiam dispensare, quando deductum fuit delictum ad forum contentiosum. & reus non fuit in eo convictus, sed potius se purgavit, per sententiam absolutoriam censetur innocens, ita Alzedo supra part. 2. cap. 6. num. 11. Bartholomæus de Vecchis supra dubio 16. num. 7. Sanchez de matrimonio lib. 8. disp. 34. num. 57. Molina de justitiâ tract. 3. disp. 59. num. 8. vers. 2. & 3. Avila, Suarez, Jacobus de Graffis, Vivaldus, Joannes Angelus Bossi, Trullench. Quamvis falsis testibus, seu medijs depravatis obtinuerit absolutionem ab objecto crimine, ita Molina tract. 3. disp. 79. Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 27. numer. 12. Bonacina supra num. 2. Suarez sect. 2. num. 6. Avila part. 1. disput. 7. dubio 11. Bartholomæus de Vecchis dubio 16. numer. 7. Sayrus cap. 7. numer. 12. Sigismundus de Bononiâ, Alzedo, Campanile. Ratio est, quia in hoc casu cessat ratio ob quam crimen dicatur deductum ad forum cõtentiosum. Nam perindè est, ac si non fuisset deductum, & censetur occultum consil. 2. de sententiâ, & re judicatâ. Addit Campanile supra, quod si judicium non sit per sententiam terminatum, eo quod accusator per annum siluerit, potest ab Episcopo post annum elapsum dispensari, cui subscribunt Sayrus cap. 7. numer. 11. Marchinus tract. 1. part. 9. difficul. num. 8. & 9. Sigismundus à Bononiâ, Bossi, Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 39. num. 34. Probatur ex gloss. verbo *obrepsit*, & cap. *Omnipotens Deus* de accusat. Dispensare etiam potest, si post aliquod tempus constiterit actorem in probatione non progredi, ita Marchinus supra tract. 1. part. 9. diffic. 4. num. 8. & 9. Bossi sect. 3. num. 45. Barbosa in collect. ad cap. 6 sect. 24. Bartholomæus dubib 16. numer. 6. Potest etiam absolvi cujus delictum non fuit deductum ad forum contentiosum, licet delictum alterius socii seu complicis deductum sit ad forum contentiosum, ita Navarrus lib. 2. consil. 2. de sententiâ & re juditâ, Sanchez loco citato num. 24. Bonacina supra. Ratio est, nam res inter alios acta nequit aliis præjudicium afferre, quibus res judicata non nocet, l. 1. cap. *res inter alios acta*. Potest Episcopus dispensare in suspensione contracta ab eo, qui furtivè, idest, nesciente Episcopo, neque examinante ordines suscepit, si sit occulta, ita Suarez disp. 42. sect. 3. numer. 5.

Conink

Coninck, Bonacina, Henriquez, Ugolinus tract. de potestate Episcopi cap. 57. §. 1. num. 4. versu 4. Potest Episcopus dispensare in suspensione occultâ contractâ in suscipiendis Ordinibus absque litteris dimissoriis, ita Bonacina de Sacramentis disp. 4. quæst. unic. puncto 4. num. 15. Episcopus potest dispensare cum eo, qui ordines suscepit ab eo, qui renunciavit Episcopatui, vel dignitati, aut censurâ irretito, schismatico, hæretico, depositio, vel degradato, dummodò delictum sit occultum, Ugolinus supra §. 1. num. 4. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 39. num. 24. Alzedo. Dubitant aliqui an Episcopus possit dispensare si delictum sit deductum ad forum contentiosum, & jam finito judicio punitum. Negativè respondent Guitierez canon. lib. 1. cap. 3. Stephanus Dalvin de potest. Episc. cap. 21. Sayrus de censuris lib. 4. cap. 17. numer. 23. Garcias, Bartholomæus de Vecchis, Emmanuel in summa part. 1. Suarez de censuris, Barbosa sup. numer. 35. Bonacina, Reginaldus, Avila. Probantque ex decisione Sacræ Congregationis relatâ à Dalvin. *Qui occasione dictorum delictorum occultorum Papæ reservatorum (de quibus intelligitur idem caput liceat) fuerunt inquisiti: sed quia potuerunt delicta probari, rei ipsi non fuerunt quidem absolutè definitivè, nec alio modo, sed simpliciter dimissi receptâ promissione de se repræsentando, non posse hujusmodi uti dicti capitis beneficio: quia in eo scriptum est, exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, sicq; sufficit sola deductio quidquid indè sequatur.* Probat secundò Bonacina supra disp. 7. quæst. 5. puncto 1. Quia Concilium Tridentinum concedit Episcopis facultatem dispensandi in suspensione, &c. proveniente ex delicto occulto, aut non deducto ad forum contentiosum. At in nostro casu suspensio deducta est ad forum contentiosum, nec est occulta, sed omninò publica. Nam quæ probantur in judicio, appellantur publica. Hâc de causâ manifestans delicta delata in judicium, non appellatur injustus detractor famæ, nec ex cõmuni Doctorum sententiâ tenetur ad restitutionem. Sed contrariam opinionem probabiliorem existimo, cum Avila de censuris part. 2. disp. 2. dubio 7. & part. 1. disp. 10. dubio 7. Valerio Reginaldo, Henriquez, Sanchez, Sanctarello, Marchino, Hurtado, Dianâ moral. resol. part. 4. tract. 2. resol. 97. Sebastiano à Bonnoniâ tract. de elect. part. 2. cap. 4. dubio 71. numer. 13. Ratio est, quia in præsenti dispensatione non turbatur tribunal judicis, quod Concilium vitare intendit, & Sacrâ Congregatio dictâ exceptione. Intentum enim Concilii & Congregationis fuit conservare auctoritatem judicum. At in nostro casu nihil detrahitur auctoritati judicis, quia functus est officio suo, igitur, &c. Deindè ideò Concilium requirit, ut delictum sit occultum, ut scandalum publicum vitetur. At hoc cessat per punitionem factam à judice, & humiliter perpessam à delinquente. Undè respondeo ad rationem primę sententiæ cum Riccio in praxi tomo 1. resol. 449. delictum dici deductum ad forum contentiosum adeò ut Episcopus nequeat dispensare super censurâ, quando primùm citatio facta fuit. Vel cum Dianâ delictum dicitur deductum ad forum contentiosum post litis contestationem. Forum enim contentiosum dici nequit, nisi inter partes super delicto commisso contendatur, negando, vel confitendo, quo litis actu contestatio etiã in criminalibus inducitur, ut tenent Vivianus Neapolitanus decis. 310. num. 13. Farinacius in pravi crimin. quæst. 10. num. 35. Deindè forum contentiosum idem sonat quod judicium, at judicium propriè dicitur post litem contestatam, ex Azin in praxi Florentinâ §. 1. cap. 1. numer. 14. & seq. Lancelloto de attent. in præfat. num. 7. Peregrino variar. lib. 2. sub rub. de judic. num. 54. Præterea forum contentiosum nihil differt à lite motâ, quia idem est, si non plus in foro contendere, & in eo litem movere. At lis mota dicitur, postquam litis contestatio fuerit facta cap. *ex parte*, 30. de verbor. signific. Et resolvunt Metanta de ordine judic.

part. 5.

part. 5. tit. *& omnia fiunt durante instantiâ*, num. 64. Georgius de Cabedo part. 2. decis. 15. num. 10. Igitur etiam delictum dicitur deductum ad forum contentiosum post litem contestatam, ut etiam docent Castro-Palao de legibus tract. 3. disp. 6. puncto 15. §. 1. num. 1. & de pœnis hæ-nis hæreticorum tract. 4. disput. 4. num. 14. Trullench in exposit. decalogi lib. 1. cap. 3. dubio 4. numer. 9. Bossi §. 3. numer. 6. Sigismundus, Bonacina, & Gavantus. Finito igitur foro contentioso & habitâ sententiâ resolutoriâ licebit Episcopo dispensare. Has & alias dispensationes exercere potest Episcopus dumtaxat in *quoscumque subditos* (inquit Concilium Tridentinum) idest, qui sibi quomodocumque subduntur; vel qui sunt ordinarii subditi, ut potè, qui ibi habent domicilium, vel quia subduntur quoad solum pœnitentiariæ forum, & quod in suâ Diœcesi inveniuntur quasi advenæ & peregrini, quamvis sint vagabundi, scholares, & mercatores, ita Naldus in summâ verbo *absolutio à peccatis*, numer. 9. Zerola in praxi Episc. part. 1. verbo *Vicarius*, §. 18. dubio 4. Nicolaus Garcias, Bonacina, Duardus in bullâ Cœnæ, Floronus, Bossi, Marchinus, Trullench, Homobonus de Bonis, Barbosa, Novarius, Suarez, Henriquez, Sanchez, & prædicti possunt à suspensione & aliis censuris, in sacramentali confessione & foro conscientiæ absolvi, dispensari verò nequeunt nisi ab habente ordinariam jurisdictionem in eos, ita Barbosa citatâ allegat. 39. num. 6. Conatur Alterius cap. 3, concl. 4. vers. *tertiò notandum* post Suarem tomo 5. de censuris disput. 41. sect. 2. numer. 8. Guitierez canon. lib. 1. cap. 13. num. 29. probat Concilium Tridentinum cap. 6. sess. 24. de reformatione concessisse hanc potestatem dispensandi in suspensione, & aliis censuris solo Episcopo, ita ut per se ipsos illam dispensationem exercere debeant, quasi hoc ministerium sit personale Episcopo, sed id etiam competere ejus Vicario & alteri specialiter deputatis tenent Barbosa alleg. 39. num. 13. post Rebuffum, Narbona, Ugolinum, Suarez, Sbrooz. Episcopus proprius non potest absolvere suum subditum, qui in aliâ Diœcesi suspensus ab Episcopo illius loci, per sententiam particularem, sed absolutio est impendenda ab Episcopo qui eam tulit, vel ejus superiore, aut successore, ita Suarez tomo 5. disp. 7. sect. 2. num. 27. Coninck disp. 14. num. 16. quæst. 15 Hieronymus Lamas part. 1. cap. 6. §. 3. Reginaldus lib. 9. numer. 42. Bonacina disp. 1. quæst. 3. puncto 2. num. 6. Avila. Ratio est quia Episcopus vigore Concilii Tridentini potest suos subditos absolvere à censuris & casibus reservatis Summo Pontifici, vel aliis inferioribus Prælatis modò delictum sit occultum. At quando censura lata est per sententiam particularem, vel delictum agitatur in foro contentioso non est amplius occultum, sed publicatum. Secundò, quia jurisdictio ob causam inchoatam remanet apud illum qui censuram tulit alioqui jurisdictiones confunderentur. Episcopus virtute Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformatione potest de licentiâ superioris regularis absolvere Religiosos exemptos à suspensione, & aliis censuris & casibus, sicut potest suos subditos, si non pateat aditus Religiosis exemptis ad superiorem majorem Religionis habentem facultatem dispensandi, ita Suarez tomo 5. disp. 4. sect. 2. Sanchez in opere morali lib 2. cap. 11. num. 9. & lib. 4 cap. 30. numer. 19. Bonacina de absolutione censuræ disp. 1. quæst. 3. puncto 2. num. 5. & de voto disp. 4. quæst. 2. puncto 7. §. 4. num. 10. & alii. Ratio est quia exemptio est quædam favor, & privilegium concessum Religiosis, ut quietè vivant, & non vexentur ab Episcopis. At potest quilibet cedere favori proprio, potest igitur Religiosus cedere privilegio exemptionis postulando dispensationem ab Episcopo. Licet enim privilegium exemptionis concessum sit toti religioni, & consequenter unus nequeat cedere privilegio toti Religioni concesso, ut passim docent Summistæ de legibus & de censuris. Nihilominus in casibus

gratiosis censetur tota Religio consentire per quandam epicheiam, cùm ex tali consensu reportet commodum & non damnum, nec videatur esse deterioris conditionis, quàm cæteri Religiosi non exempti. Quemadmodum Religiosi non exempti possunt obtinere dispensationem sine recursu ad Sedem Apostolicam, sic exempti poterunt eam obtinere ab Episcopo, in cujus Diœcesi habitant, vel habitare cœperunt, cum animo ibi morandi majori parte anni, vel peragendi negotium, quod ad sui expeditionem majorem anni partem postulat. Nam per hujusmodi habitationem contrahitur parochia & subjectio ad leges, ut docet Bonacina tract. de legibus puncto 6. de matrimonio quæst. 2. puncto 8. de censuris disput. 1. quæst. 3. puncto 2. Potest etiam Episcopus absolvere Religiosos exemptos a suspensione & aliis censuris, quamvis tantummodò reperiantur in Diœcesi per modum transitus, ita Bonacina supra. Ratio est, quia non requiritur eadem subjectio ad obtinendam absolutionem suspensionis, & alterius censuræ, quæ requiritur ad obtinendam dispensationem (inquit idem Bonacina supra, & tract. de irregularitate disp. 7. quæst. 5. puncto 1. numer 4. Ratio est, quia ad recipiendam absolutionem à suspensione & aliis censuris sufficit ea subjectio, quæ sufficit ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ. At ad hæc Sacramenta suscipienda solet subijcere quælibet subjectio etiam per modum transitus ex eodem Bonacina de pœnit. quæst. 7 punct. 2. num. 5. Igitur etiam ad recipiendam absolutionē à suspensione & aliis censuris sufficit quælibet subjectio etiam per modum transitus, & consequenter quilibet extraneus Religiosus potest absolvi ab Episcopo, modò extraneus non accedat malâ fide, & modò petat absolutionem per ordinem ad confessionem, ut fieri solet, & modò habeat licentiam à suo superiore, quâ non præsuppositâ non debet suspensio & aliæ censuræ tolli. Quia tunc non videtur consentire Religio. Si tamen superior injustè deneget facultatem, aut ita procul absit ut nequeat dare facultatē, nec adsit alius qui vices Superioris subeat. Nam per Epicheiā præsumendum est Papam nolle denegare Episcopis facultatem dispensandi cum Religiosis, qui alioqui cogerentur adire Sedem Apostolicam, & fortè vagari cum aliquo dedecore status Religiosi: Quod si dubitetur an Prælatus justè, vel injustè deneget facultatem obtinendæ dispensationis ab Episcopo, præsumendum est justè denegare. Ratio est, quia in dubiis favendum est superioris decreto & judicio. Quod si Religiosus possit obtinere dispensationem à suo Superiore, Religio non videtur consentire ut Religiosus se præsentet Episcopo loci, ita Avila de censuris, part. 2. cap. 1. disp. 1. dubio 6. Sanchez lib. 4. cap. 19. num. 38. Suarez de censuris disp 41. sect. num. 12. Bonacina disp. 4. de voto, quæst. 2. puncto 7. §. 4. num. 10. Molina, Tabiena, & alii apud Doctores citatos. Potest etiā superior seipsum Episcopo subjicere ad obtinendam dispensationem, ita Sanchez supra num. 17, Bonacina loco citato, Henriquez lib. 7. cap. 25. num. 1. Suarez de censuris disp. 11. sect. 2. num. 12. Cum quibus, sicut & cum Religiosis, & cum propriis subditis potest dispensare in voto, irregularitatibus, absolvere à censuris, & casibus concessis Episcopo sess. 24. cap. 6. Concilii Tridentini, ita Henriquez lib. 10. cap. 20. numer. 2. Bonacina loco citato, Sanchez, Suarez, Molina. Quia eadem est omnium ratio cum actus dispensandi, quam absolvendi in subditos exerceri debeat.

§. 5.

Quid requiratur in absolvendo à Suspensione & aliis Censuris.

I. SUbjectum non censetur capax absolutionis, quod non est capax censuræ & suspensionis. ut tamen absolvatur non prærequiritur voluntas ex parte absolvendi, sed potest

potest absolvi à censuris ignorans & non consentiens, imò etiam sciens & posttivè repugnans, ita D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Panormitanus *ab excommunicato*, de rescriptis num. 1, Sayrus lib. 1. cap. 21. numer. 5. noster Corneio tract. 5. de censuris dispnt. 11. dubio 5. & alii Theologi & Canonistæ. Ratio est, quia suspensio & quælibet alia censura non est culpa, sed pœna. Dices, igitur absolutio data pertinaci erit valida, quod absurdum est. Respondeo censurâ innodatum sivè à jure, sivè ab homine posse habere duplicem voluntatem, unam perseverandi in delicto & contumaciâ, alteram discedendi quidem à delicto & contumaciâ, tamen non petendi absolutionem à censurâ incursâ. Insuper vel tale delictum pendet in futurum, ita ut habeat tractum successivum, ut est hæresis, & furtum, quamdiu detinetur res aliena, vel non pendet in futurum, sed postquam semel fuit perpetratum, statim transit quoad actum, ut actus simplicis fornicationis, vel intemperantiæ. Hoc posito dico primò, quod si suspensus vel excommunicatus habeat voluntatem perseverandi in delicto pendente in futurum, verbi gratiâ, hæresi vel furto, si propter illud esset censura lata à jure, tunc non poterit absolvi invitus ab homine non habente potestatem supra tale jus. Ratio est, quia censura, quæ incurritur à jure, semper durat quamdiu culpa durat & contumacia. Cùm igitur jus semper operetur, non poterit tolli censura quamdiu causa perseverat. Dixi, absolvi non posse ab eo, qui non est supra tale jus, quasi potestatem habeat illud derogandi, aut in eo dispensandi, nec propriè poterit absolvi. Ratio est, quia tunc dispensando vel revocando jus non operatur in futurum.

II Quod si tale delictum non pendeat in futurum, talis suspensus vel excommunicatus potest absolvi invitus quamvis non petat absolutionem, nec illius pœnitentiam agere velit, ita noster Corneio supra. Ratio prima est, quia poterat Giezi mundari à leprâ, licet nollet pœnitere. Secunda quia ejusmodi pœnitentia interior vel exterior non exigitur à jure sub censurâ, ut supponimus igitur transacto peccato, pro quo censura erat imposita, jus nihil amplius operatur, & consequenter Episcopus poterit suspensione vel aliâ censurâ innodatum validè absolvere.

III Potest etiam suspensus ab homine vel aliâ censurâ affectus ignorans, vel non cõsentiens, imò etiam sciens, & positivè repugnans absolvi potestate absolutâ, ordinariâ independente à voluntate & consensu innodati. Undè per bullam Cruciatæ, vel per Jubilæum concessum in favorem pœnitentis nequit invitus validè absolvi. Ratio est, quia usus privilegii pendet à voluntate ejus, in cujus favorem concessum est. Quare si nolit eo uti Confessarius non poterit absolvere vigore illius. At secus erit si privilegium non sit in favorem pœnitentis, sed ipsius Confessarii concessum. Quod si censurâ sit innodatus ab homine injustè, Judex cognitâ injustitiâ tenetur etiam invito justitiam relaxare, & nolentem absolvere. Si justè tunc regulariter loquendo non debet absolvi invitus, imò aggravatione censuræ & aliarum pœnarum adjectione coercendus, ut sic dolore & molestiâ affectus citius resipiscat & à contumaciâ discedat, ita Corneio supra, & probat ex cap. *Clerico*, de cohabitatione clericorum & mulierum, & cap *præsenti*, 5. quæst. 2. Ex rationabili causâ poterit licitè absolvi invitus, etiam eo in suâ contumaciâ perseverante, Maximè si adsint istæ conditiones. Prima, quod ejusmodi absolutio non præjudicet proximo: Secunda, quod absolutio non pariat scandalum aut contemptum censurarum, tunc enim talis absolutio foret contra charitatem, & justitiam legalem. Tertia, quod absolutio sit magis medicinalis animæ contumacis, quàm censura, quâ est innodatus, alioqui læderetur censuræ finis, præcipuè si tali absolutione, vel aliis mediis salus ipsius magis promoveatur, quàm per suspensionem, & alias censuras. Suspensus, vel aliâ censurâ innodatus à jure potest etiam

invitus licitè absolvi, primò si talis absolutio non sit per ipsum jus prohibita durante contumaciâ, vel saltem illud jus non præscribat alium ordinē procedendi. Quia nullus judex Summo Pontifice inferior poterit absolvere invitum. Secundò, si adsit causa rationabilis, cujusmodi est illa, si conditiones supra adductæ occurrerint.

§. 6.

Absolutio à Suspensione debet esse libera.

I. SI juxta mentem Serarii Giezi fuit mundatus à leprâ, non est dubium, quin sanitatem recuperarit annuente, vel precante, seu placato S. Eliseo, nè ejus oraculum & ministerium redderetur contemptibile. Sic absolutio à suspensione & aliis censuris debet impendi liberè, & non extorqueri vi & metu, ita Navarrus cap. 27. num. 125. Sayrus lib. 2. cap. 21. num. 30. Cajetanus verbo *excommunicatio*, casu 41. noster Corneio supra dubio 4. Probatur ex cap. unico *de his quæ vi metusq; causa fiunt*, in 6. Ubi absolutio vi & metu extorta declaratur nulla & invalida, non quidem ex naturâ rei, cùm vis & metus non tollant omnem rationem voluntarii, sed ex jure positivo Ecclesiasticæ potestatis. Quod intelligendū est de metu gravi cadente in virum constantem, & incusso ab alio homine ad extorquendam absolutionem. si enim ab intrinseco sit incussus, vel à Deo absolutio non erit irrita, sed valida. Addit Sayrus quod qui per vim & metum extorquet absolutionē ab eo quì censuram imposuit, tantùm abest ut à priori censurâ absolvatur, quin potius aliam incurrit. Patet ex citato cap. unico *de his quæ fiunt*, in 6. Undè in ejusmodi extorquentes ab Episcopis & aliis absolutionem graviter invehitur Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. *Nefas autem sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico judici, nè quem excommunicare, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet sub pretextu quod contenta in præsenti decreto non sint observata, cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos cognitio pertineat.* Azevedo lib. 1. versu *item & decimoquarto*, Barbosa in collect. ad cap. *Ecclesia S. Mariæ*, num. 7. & sequentibus, aliique Doctores ab eo ibidem citati fusè differunt de abusu illo recurrentium ad laicos judices, ut vi comprimant judices Ecclesiasticos, ut vel censuras imponant, vel revocent, quibus adde eos, quos recenset Ludovicus à Saraniâ tract. de jurisdictione adjunct. quæst. 30. num. 1.

Concilium Trident.

II. Sacerdote nolente, vel deficiente, clericus nō Sacerdos & carens jurisdictione ordinariâ validè absolvere non potest à suspensione & aliis censuris in articulo mortis, ita Sayrus lib. 1. cap. 21. num. 3. Paludanus in 4. dist. 20. art. 2. Suarez disput. 7. sect. 6. num. 6. Ratio est, quia nullo jure cōcessa est clericis ejusmodi potestas & jurisdictio, sed solis Sacerdotibus, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. de reformatione. Quod magis urget contra laicos, quàm clericos, qui in Spiritualibus etiam in mortis articulo, nihil nisi præstare possunt quod jus illis expressè concesserit, ut docet Glossa cap. *finali*, verbo *præceperit*. Undè quando Ecclesia permisit laico aliquid Ecclesiasticum facere in casu necessitatis, id expressit, ut patet de Baptismo cap. *necessitate*, de consecratione dist. 4. Cùm igitur nullum jus concedat laicis facultatem absolvendi etiam in articulo mortis, sequitur ab eo absolvi non posse. Confirmatur, quia conceditur absolutio à censurâ in articulo mortis ut possit quis absolvi à peccatis. Cùm igitur laicus nequeat in articulo mortis absolvere à peccatis, nequit etiam absolvere à censurâ. Respondent cōtra ultimam rationem Suarez supra num. 7. Ugolinus tab. 1. cap. 4. §. ultim. num. 7. facultatem absolvendi à suspensione & aliis censuris concedi in casu quo absolutio à peccatis non sit necessaria. Ratio est, quia Pontifex potest hanc absolutionem committere laico. Igitur credendum est id fecisse pro mortis articulo, & extremâ

necessitate

necessitate. Tum quia Ecclesia in articulo mortis concedit cuilibet Sacerdoti facultatem absolvendi à peccatis, quia est capax hujus facultatis. Igitur clerici & laici sunt capaces potestatis absolvendi à censuris ea est concessa pro articulo mortis. Tum quia in cap. *sanctum*, de consecratione dist. 4. narratur, quod quidam censuris innodatus fuerit per laicum in naufragio reconciliatus. Contra noster Cornelio ait primò constare ex jure datam esse de facto Sacerdotibus potestatem ejusmodi. Secundò, homo naufragans agebat publicam pœnitentiam; non autem erat censurâ ligatus. Undè illa reconciliatio nõ fuit absolutio, sed quædam humilis correptio.

§. 7.

Absolutionis partitio.

I. ABsolutio à suspensione, & aliis censuris, alia est conditionata, alia absoluta. Conditionata requirit conditionem, absoluta nullam exigit. Conditio addi potest de præterito, præsenti, & futuro. Si addatur de præterito vel præsenti, est omninò impertinens, nec absque peccato & irreverentiâ potest addi. Quod si sit pertinens potest licitè addi, maximè si res est dubia, verbi gratiâ, *Absolvo te ab excommunicatione si indiges*, vel *si eam incurristi*, vel *satisfeci sti*. Non tamen est necessariò addenda, ita noster Cornelio supra disp. 11. dubio ultimo. Ratio est, quia istæ conditiones sunt intrinsecè inclusæ in absolutione. Quod si conditio sit de futuro, valida & licita est absolutio si prudenter ponatur.

II. Dividitur etiam absolutio in absolutam & ad cautelam. Absoluta datur præviâ cognitione censuræ & non addendo conditionem. Absolutio ad cautelam cum dubio vel ignorantiâ censuræ, verbi gratiâ, *si indiges*, vel *si incurristi*.

III. Absolutio alia est perpetua per quam tollitur censura nunquam redi-

tura, alia est ad reincidentiam per quam tollitur dumtaxat ad certum tempus, vel ad producendum certum aliquem effectum postea iterùm reditura. Quæ absolutio ad reincidentiam vel datur ad cautelam, quando ignoratur, vel dubitatur de tali censurâ, quod accidit cùm quis absolvitur, ut possit validè obtinere beneficium, vel ferre testimoninm in judicio. Alio modo datur ad cautelam quando est certa scientia ejusmodi censuræ. Dices qui sic absolvitur, vel recessit à contumaciâ, vel non, si recessit, erit simpliciter absolvendus, & non ad tempus, vel ad actum exercendum, si non recessit, nullo modo erit absolvendus. Non igitur datur absolutio ad rejncidentiam, Respondet noster Cornelio posse contingere ut actus hominis adhuc pertinacis sit necessarius ad bonum commune, vel particulare alterius, ut quod beneficium hujus Ecclesiæ obtineat. Vel ut testimonium in jndicio proferat, & tunc ad illos actus tantùm poterit absolvi. Quod etiam Ecclesia benigna aliquando præstat pro bono particulari ipsius ligati censurâ, verbi gratiâ, tempore Paschali, vel aliâ justâ causâ ex judicis, vel partis benignitate. Quod si quæras quomodò censura semel ablata possit iterùm redire absque novâ contumaciâ, & sententiâ. Respondet Cornelio iterùm incurri ex vi prioris sententiæ, licet non adsit offensa nova. Ratio est quia cum moralitet loquendo non sit nova censura, non requirit novam, sed præexistentem offensam.

IV. Porrò impletâ conditione suspensus vel aliâ censurâ ligatus non indiget novâ absolutione, sed tollitur censura absque novâ absolutione, ita Covarruvias in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 11. num. 5. Sayrus lib. 4. cap. 17. num. 3. Suarez disp. 7. sect. 1. num. 12. noster Cornelio supra dubio 2. Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *suspensio*, num. 18. Contra Sanctum Antoninum part. 3. tit. 24. cap. 77. §. 1, Sylvestrum, Navarrum in manuali cap. 27. qui cum Sayro supr. excipit excommunicationem, quam asserit solvi debere per absolutionem

Prima ratio nostræ resolutionis est, quia qui ligat conditionaliter implicitè absolvit impletâ conditione, ita ut simul & semel proferat censuram & absolutionem sub conditione de futuro, quâ impletâ tollitur censura, non quidem virtute conditionis seu satisfactionis impletæ, sed absolutionis conditionatæ, quæ transit in absolutam impletâ conditione. Secunda ratio, prohibitio non operatur ultra intentionem prohibentis. Igitur suspensio ex prohibentis intentione procedens ad determinatum tempus, eo tempore lapso cessabit. Tertia ratio specialiter de excommunicatione, quando quis excommunicatur ad reincidentiam elapso termino pro quo fuit absolutus, eo ipso excommunitionem incurrit absque novâ sententiâ, ex cap *veniens*, & cap. 2. *de testibus*, cap. *Apostolica*, de exceptionibus. Igitur idem erit dicendum in casu nostro, qui modus absolvendi quamvis non sit in praxi, tamen quantum est de se non est illicitus (inquiunt Suarez disp. 7. quæst. 8. num. 11. Sayrus, Ugolinus, Corneio supr.) Nec prohibitus aliquo jure. Undè secundùm dictamen prudentiæ attentis omnibus circumstantiis, & urgente necessitate probabili, ac utilitate poterit licitè dari absolutio à cēsurâ sub illâ conditione. Nec ideò verificatur absolutionem fuisse suspensam ante existentiam conditionis: quia ejusmodi absolutio vim dumtaxat habuit quando conditio fuit impleta, & non retrotrahitur ad tempus, quo sub cōditione fuit data. Quod si dicas absolutionem à censurâ sub conditione de futuro esse validam instar absolutionis sacramentalis, quæ datur sub conditione de futuro. Respondet Corneio discrimen esse inter utrumque, quod absolutio Sacramentalis non operatur ex solâ intentione ministri, sed ex institutione Christi, undè ejus effectus nequit suspendi à ministro per conditionem de futuro adjectam, nisi id habeat ex vi & natura sua institutionis à qua tota ejus efficacia pendet, ideoque absolutio Sacramentalis, vel statim habet effectum, vel est invalida, quia hoc habet à sua institutione. Absolutio verò à censura est sententia humana introducta jure positivo humano, sicut ipsa censura, & ideò habet vim & efficaciam ex sola intentione absolventis, sicut censura inflicta, sicque potest ejus effectus suspendi per conditionem adjectam, vel differri usque ad complementum cōditionis, ita ut nec eo ipso, quo impenditur sub illa conditione habeat effectum, nec eo ipso sit invalida, sed sit conditionata, & ejus effectus suspensus usque ad verificatam conditionem.

§. 8.

Forma Absolutionis à Suspensione.

EX dictis suspensionem, & aliam censuram, quæ dumtaxat ad tempus imponitur, scilicet donec fiat satisfactio, tolli positâ conditione sine nova absolutione. Sic dici potest lepram inflictam Giezi per prophetam Eliseum fuisse ad tempus, videlicet donec pœnituerit, & sublatam postquam Giezi egit pœnitentiâ, & placavit Deum & Prophetam. Difficultas est an censura indefinitè, & absolutè lata & incursa, verbi gratiâ, suspensio tollatur per absolutionem. Certum est primò non tolli per mortem ferentis, cap. *si Episcopus*, 11. quæst. 3. Secundò non tolli per mortem illius, qui censuram contraxit. Cùm etiam mortuus excommunicatus privetur Ecclesiæ suffragiis & sepultura, cap. *à nobis*, 2. de sentent. excommunic. & cap. *is qui*, eodem tit. in 6. Tertiò non tolli per cessationem à contumaciâ, cap. *cum desideres* de sentent. excommunic. Nec quartò per pœnitentiam illius peccati, cujus causâ incurritur censura, cap. *à nobis*, 2. & cap. *cum desideres*, ita Layman lib. 1. tract. 5. Corneio supra disp. 11. dubio 1, Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *censura Ecclesiastica*, numer. 12. Ratio est, quia censura est quoddā vinculum quod tollitur, nisi solvatur. I.

Pro

II. Pro absolutione à suspensione non sunt determinata verba, ita Filiucius cap. 3. quæst. 7. num. 71. Rodriguez tomo 2. cap. 69. Suarez disp. 7. sect. 9. num. 2. Sayrus, noster Corneio supra disp. 11. dubio 3. Ratio est quia non legimus S. Eliseum in mundando Giezi a lepra usum fuisse aliquâ formâ speciali. Secundò, quia in jure à quo pendet censuræ institutio nulla forma præscripta est ad absolvendum, sicut nec ad ligandum.

III. Nec debet fieri necessariò verbis, ut sit valida absolutio, ita Sayrus lib. 2. cap. 21. numer. 12. Corneio supra dubio 3. quæst. 3. Ratio est quia potest absolutio conferri scripto, signo, vel nutu. Undè differt à Sacramentali absolutione à peccatis in foro interiori. Non tamen sufficit, quod Episcopus, vel alius habens potestatem absolvendi à censurâ loquatur cum eo, qui est censurâ innodatus, ut censendus sit absolutus a censura. Quod adeò certum est (inquit Corneio) ut licet Episcopus declararet se velle tali facto, vel tali colloquio illum absolvere, adhuc nihil efficeret, ut patet primò ex cap. *cùm desideret*, cap. *si aliquando* de sent. excommun. & Clement. ult. eodem tit. 2. Ratio est, quia illud factum non est ad significandã intentionem absolvendi. Secundò, quia Episcopus, & alii judices inferiores tenentur servare formam juris communis. Si tàmen Papa diceret se tali facto velle absolvere, erit valida absolutio, ex Clement. ult. de sent. excommun. Ratio est, quia non dependet à jure positivo.

IV. Difficultas est, an in absolutione à censurâ debeat necessariò exprimi nomen censuræ à quâ datur absolutio, ita ut sit invalida si dicatur *absolvo te*, non addendo à suspensione, &c. Bonacina disp. 1. quæst. 3. puncto 5. numer. 2. Ugolinus tab. 1. cap. 23. existimant sufficere hæc verba *te absolvo*, Ratio est, quia ambiguitas illius verbi *absolvo*, determinatur sufficienter per intentionem absolventis. Sylvester verbo *absolutio*, 2. § *quantum est*, ait talem absolutionem non valere. Ratio est, quia verbum *absolvo*, trahi potest ad diversa significanda, scilicet ad peccata, vota, censuras. Nec sufficienter determinatur per solam intentionem cùm non sit sensibilis Opinionem mediam sequuntur Suarez loco citato num. 4. & 5. Corneio supra, scilicet quod si petens absolutionem determinet censuram, ut absolutio sit valida, non est necesse eam exprimere, sed sufficit dicere *Ego te absolvo*, Ratio est, quia ratione petitionis sufficienter determinatur, quemadmodum ob eandem rationem in Sacramento pœnitentiæ sufficit dicere, *Ego te absolvo*, nullâ factâ mentione peccatorum ex D. Thomâ part. 3. quæst. 84. art. 3. Quod si detur absolutio à censurâ invito, vel non petenti, ut fit in confessione ante absolutionem Sacramentalem à peccatis, etiam dum pœnitens non cogitat de absolutione à censuris, tunc ut absolutio sit valida, debet eam in absolutione exprimere. Ratio quia aliter non determinatur satis sensibiliter significatio hujus verbi *absolvo*.

V. In absolutione à censurâ non est necesse explicare causam ob quam suspensio contracta est, ita Suarez supra sect. 3. num. 1. & 2. Bonacina supra disp. 3. puncto ult. numer. 3. Corneio supra quæst. 1. Ratio est quia sufficit ut exprimatur intentio absolventis, fieri tamen potest, ut sit expediens causam censuræ exprimere. Ut si quis sit ligatus pluribus censuris ob diversas causas, & absolvatur dumtaxat ab unâ, tunc enim vel petit absolvi ab eo, qui potest ab unâ tantùm absolvere, & tunc non debet exprimi causa. Quia cùm absolutio nequeat excedere potestatem absolventis, ea tantùm censura tollitur, quæ cadit sub potestatem absolventis, quamvis absolutio sit absoluta. Vel postulat absolutionem ab eo qui potest absolvere ab omnibus vel pluribus, & tunc vel petit absolutionem à determinatâ censurâ & causâ, vel postulat absolutam absolutionem. Si absolutionem à determinata censura petat, nõ debet exprimi causa in ipsa absolutione, ita cap. *cum pro causa*, cap. *officii*, de sentent. excommunic. Ratio est, cùm concessio accõmodetur petitioni

sufficit

sufficit, cum petitio fuerit limitata, ut absolutio etiam censeatur limitata. Si secundùm dicas, erit in absolutione exprimenda causa illius censuræ, à quâ absolvitur, non quidem ut absolutio sit valida: quia ad id sufficit intentio absolventis, sed ut intelligatur à quâ censura sit absolutus dicitur. *Absolvo te à vinculo suspensionis quod incurristi propter tale crimen, & restitutio ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium.* Vide Navarrum in manuali cap. 27. num. 161. Sylvestrũ verbo *absolutis*, 6. num. 2. Bonacinam supra num. 2. Avilam, Suarem Notat Layman lib. 1. tract. 5, part. 3. cap. 4. num. 4. post Avilam part. 3. disp. 6. dubio 2. concessum esse à Sede Apostolicâ privilegium Confessariis Societatis Jesu, ut fidelium Confessionibus auditis eos in foro conscientiæ absolvere possint à quibuscumque sententiis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis resultantibus ex peccatis, quod ad suspensiones juris se extendit. Denique Navarrus cap. 27. numer. 16. §. *sexto*, Avila, Bonacina, Henriquez, Layman, ante absolutionem à censura suspensionis resolvunt (si opus sit) exigendam esse satisfactionem, vel cautionem satisfaciendi parti læsæ, & in criminalibus exigendum juramentum parendi Ecclesiæ.

CAPUT XXV.

Interdicti definitio & divisio.

I. INterdictum fuisse per captivitatem Babylonicam delineatum, patet primò, sicut enim templum, quod erat ibi celeberrimum, tùm ratione fabricæ, tùm divinorum officiorum, quæ ibi peragebantur, tùm Sacrificiorum quæ ibidem offerebantur, fuit omninò devastatum, vasa sancta prophanata, usus sacrificiorum abrogatus, ipsi Hebræi in Babylonem transmissi à solitis canticis & officiis abstinuerant, ut ipsimet fatentur Psalmo 136. vers. 2. *In salicibus suspendimus organa nostra.* Sic in interdicto locus & personæ interdicuntur. Quod ut melius intelligatur interdicti naturam, partitionem causas effectus, &c. expendamus. *Interdictum est censura Ecclesiastica prohibens Sacramentorum quorundam usum, divina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum se.* Ita Navarrus cap. 27. num. 164. Sayrus in thesauro lib. 5. cap. 1. num. 7. Sylvester verbo *interdictum*, numer. 2. Armilla eodem verbo num. 4. S. Antoninus part. 3. tit. 26. cap. 1. Covarruvias cap. *Alma Mater*, part. 2. §. num. 2. Avila, Bonacina, Reginaldus, Sotus, Coninck, Suarez, Layman. Ex nostris Corneio supra quæst. 4, disp. 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *interdictum*, numer. 2. & alii, & colligitur ex cap. *non est vobis*, de sponsalibus, cap. *quod in te*, de pœnitentiis & remissionibus.

II. Interdictum aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum. Locale est quo locus interdicitur, nè in eo prædicta exerceantur ab incolis & extraneis. Sic in Jerusalem erat divini officii pensum quotidianum interdictum tum Hebræis, tum exteris, quamvis alibi prætata officia persolvere possent. Ut patet Psalmo citato, ubi captivi Hebræi interpellantur à Babyloniis, ut prædictis muneribus incumbant, vers. 3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos. Et qui abduxerant nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Titelmannus. *Et qui nos de natali sancto loco nostro abduxerunt captivos in terram ignotam alienam, & idololatriâ contaminatam postulaverunt nos, & exigere videbantur à nobis, dicentes ut cantica aliqua lætitiæ caneremus, de iis, quæ canere solebamus in instrumentis nostris musicis, cùm essemus in terrâ nostrâ Jerusalem. Atque hæc dicebant vel per irrisionem, vel per compassionem, quâ nos oppressos conspiciebant, lenimentum.* Idem in annotationibus. *Fieri potuit ut Babylonii illi, quibus erant admixti filii Israel, videntes magnam tristitiam, quam fletibus & querimoniis graviter protestabantur misericordiâ commoverentur super illorum desolatione, ac proindè hortarentur illos ad se consolandum patriis canticis, quibus populum Israel cognoverant*

Psal. 136 vers. 3.

Titelmannus.

verant plurimùm assuefactum, videlicet potestatem illis concedentes ad consolandum animi mœrorem canendi cantica Domini. Interdictum personale est cùm tantùm persona, & non locus interdicitur, & tunc illa persona nullibi potest divina audire. Per mixtum locus & persona simul interdicuntur. Personale & locale interdictum est duplex. Per interdictum locale generale interdicitur locus universalis, ut Castrum, Pagus, Civitas, Provincia, Regnum, ita Avila part. 5, disput. 1. dubio 1. Navarrus supra numer. 166. Henriquez cap. 41. numer. 3. Lezana supra num. 3. Interdictum generale personale est, quo interdicitur generaliter populus totius Parochiæ, Pagi, Civitatis, Provinciæ, & Regni. Interdictum speciale locale est, quo interdicitur una, vel plures Ecclesiæ, non autem omnes unius Oppidi, Civitatis, &c. Speciale personale est, quo una persona, vel aliquæ determinatæ, non omnes interdicuntur, Suarez, Coninck, & alii supra. Iterùm in genere, dupl ex est à jure & ab homine, ut supra diximus de suspensione. Iterùm interdictum à jure & ab homine, aliud totale, aliud particulare. Totale omnes effectus interdicti complectitur. Partiale non omnes. Ita Navarrus supra cap. 27. num. 166. Sylvester in summâ supra num. 6. 7. & 8. Toletus in summâ lib. 1. cap. 11. num. 3. 4. & 5. Layman lib. 1. tract. 5, part. 4. cap. 1. ex nostris Cornelio tomo 2. in 3. part. tract. de interdicto, disp. 1. dubio 1. & 2. Lezana supra numer. 3. Animadvertunt Navarrus supra numer. 167. Sylvester num. 6. Lezana num. 4. & alii, quod cùm aliquis locus interdicitur ab Episcopo vel alio superiore, vel Ecclesia tantùm, non censentur interdictæ personæ illius loci vel Ecclesiæ, nisi aliud exprimatur. Quare quamvis nequeant tales personæ celebrare divina officia, frui Sacramentis, & Ecclesiasticâ sepulturâ in tali loco vel Ecclesiâ, possunt tamen iisdem gaudere in alio locò, vel Ecclesiâ, modò ipsi non dederint causam culpabilem talis interdicti, ita Toletus supra num. 3, Lezana numer. 4. Et habetur in cap. *si sententia*, de sentent. excommun. in 6. Animadvertunt secundò, quod cùm interdicitur persona tantùm, vel aliquæ personæ alicujus loci vel Ecclesiæ, quamvis illæ nequeant ullibi uti prædictis bonis, sed quòcumque proficiscantur ferant secum interdictum; tamen in populo illo vel Ecclesia alii non interdicti sivè sint naturales, sivè exteri possunt illis gaudere, ita Navarrus & Lezana supra, & Toletus numer. 4. Animadvertunt tertiò Bonacina disp. 5. de interdicto, puncto 1. num. 6. Cornelio dubio 2. Lezana supra, quod quando interdictum est generale personale, qui sunt de populo illo, Civitate, vel Ecclesiâ, licet quâ tales sunt) nequeant ullibi frui dictis bonis, si tamen pergant ad alium locum & mutent domicilium, desinunt esse interdicti, possuntque gaudere prædictis bonis. Ratio est, quia generale personale afficit singulas personas, ut faciunt illam communitatem. Igitur cessabit hac ratione interdictum. Quod si interdictum sit personale speciale cùm illud cadat supra singulos, ut sunt singulares personæ, & non partes communitatis quocumque eant, semper ferunt secum suam sententiam, censenturque semper interdicti. Idem resolvendum est de iis qui fuerunt causa generalis interdicti, habitantique in suburbiis si censeantur esse de tali populo, Bonacina supra num. 15. Ugolinus tab 5. cap. 20. §. 5. Suarez tomo 5. disp. 32. sect. 2. numer. 15. Lezana supra. Ratio est qnia tunc sunt partes illius. secus si non censeantur esse de tali populo. Ordinariè tamen interdictâ civitate per interdictum generale locale censentur interdicta suburbia ejus quamvis spectent ad alium Principem, ita Sylvester supra verbo *interdictum*, 2. num. 5. Cornelio dubio 1. Lezana num. 4. post Covarruviam, Sayrum. Ratio est, quia dispositio textus *si Civitas*, simpliciter & absolutè loquitur absque restrictione. Secundò contemneretur interdictum, si post interdictam civitatem ad suburbia aliquis confugeret. Interdicto populo non censetur interdictus Clerus

sæcularis & regularis, Navarrus supr. num. 167. Suarez supra num. 14. Avila dubio 4. Coninck num. 8. Bonacina, absolutè prolatus sumitur dumtaxat pro laicis. Interdicto Clero non censentur interdicti Religiosi utriusque sexus, ita Sayrus art. 4. numer. 191. Ugolinus tabul. 5. §. 5. numer. 3. Avila, Filiucius, Bonacina, Suarez, Coninck, Diana part 5. tomo 10. resol. 80. Sylvester, Armilla num. 12. Henriquez. Ratio est, quia Religiosi in favorabilibus veniunt nomine Cleri, non verò in odiosis. Secundò si interdicantur Religiosi, non censentur interdicti Clerici, quamvis Clerici lato modo dicantur Religiosi. Igitur à pari, si interdicantur Clerici, non censentur interdicti Religiosi. Econtra Covarruvias in cap. *Alma Mater*, part. 2. §. 1. num. 8. Navarrus cap. *si sententia*, Rodriguez tomo 2. quæst. 108. art. 3. Quibus favere videtur Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 11. numer. 21. dicunt suspensionem generaliter latam in Clericos, n isi ex verbis, aut aliis circumstantiis ad sæculares tantùm limitetur comprehendere etiam regulares, si lata sit ab habente potestatem super illos. Ratio est Regulares sunt verè Clerici, & Ecclesiastici, Suarez tomo 5. in 3. part. disp. 28. sect. 2. numer. 8. & 9. Noster Corneio tomo 2. in 3. part. tractat. 5. de suspensione, dubio 1. quæst. 2. quia cum verba genetalia sint, comprehendere debet omnes verè Clericos, hoc est Ecclesiasticos. At eodem modo philosophandum est de interdicto. Secundò, quia cap. *si sententia*, de sentent. excommun. in 6. tota communitas Civitatis & Oppidi, dividitur in duas partes, scilicet Clerum & populum; at Religiosi non comprehenduntur sub populo, igitur sub Clero. Duas has opiniones optimè conciliat noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *interdictum*, num. 5. dicens attendendum in hoc ad circumstantias, & præcipuè ad verba decreti interdicentis. Quare si dicatur interdicimus *Clericos*, existimat cum Auctoribus primæ sententiæ in illo interdicto Religiosos non comprehendi ob fundamentum adductum. Si verò dicatur interdicimus *Clerum*, putat comprehendi Religiosos. Ratio est, quia secundùm cõmunem modum loquendi, quando in unâ Civitate sunt Clerici sæculares & regulares, omnes isti comprehenduntur sub nomine Cleri, & sic accipienda putat P. Lezana, quæ dixit pro secundâ sententiâ. Addit Diana supra quod si aliquis Religiosus haberet beneficium sæculare inter Clericos sæculares tunc nomine Cleri comprehenderetur. Addo in nostrâ Ditione, seu Diœcesi Leodiensi Clerum communiter distingui in primarium & secundarium. Ad primarium tantùm spectare eos, qui dignitatem, Canonicatum, beneficium, vel officium Ecclesiasticum habent in Ecclesia Cathedrali, præter Episcopatum. In secundario continentur omnia Collegia Canonicorum, Abbatiæ, Monasteria Religiosorum, non Mendicantium, & quilibet illorum ex privilegio Apostolico habet suum Conservatorem, non per electionem, sed quasi innatum, verbi gratiâ Clerus primarius habet Abbatem sancti Jacobi, Secundarius Abbatem sancti Laurentii, ad quos in certis gravaminibus appellant, ut patet ex historiâ Leodiensi, & praxi quotidianâ. At quatuor Mendicantes in jure Canonicò expressi scilicet Prædicatores, Minores, Augustiniani, Carmelitæ, in neutro Clero continentur. Vndè secundùm indulta liberum est illis defuncto Conservatore alium in dignitate Ecclesiasticâ constitutũ eligere, ad quem in certis casibus illis appellare licet, ita taxis, contributionibus, exactionibus maximè Cleri Secundarii nullo modo subjiciantur, cùm non sint illius inferiores vel membra. Undè cum aliquod subsidium voluntarium & gratiosum pro quacumque necessitate publicâ sivè Ecclesiæ, sivè Patriæ offerunt, vel aliquod onus tributarium illis imponitur, ab eo quatuor Mendicantes eximuntur, & semper exempti fuerunt. Quam exemptionem etiam ipsi hæretici fovent in Germaniâ Francofurti, in Belgio Trajecti, & alibi. Attentâ igitur istâ exemptione quatuor Mendi-

cantium. De quâ noster Lezana, & alii Summistæ, & Canonistæ, imò notissimâ notorietate juris & facti. Undè monstruosum est in Ecclesiâ illam turbari & vexari, non ab Acatholicis (ut dictum est) sed ab ipsis Ecclesiæ Romanæ alumnis, qui contra omne jus illam destruere, vel impugnari præsumpserunt; cùm etsi Clerus Primarius, vel Secundarius, vel uterque simul interdiceretur, non comprehenderentur in illâ sententiâ præfati quatuor Mendicantes in jure Canonico expressi, nec Patres Discalceati nostri Ordinis Carmelitarum, quorum Ordo à Clemente VIII. constitutione, quæ incipit *Romanum Pontificem*, motu proprio, & ex certâ scientiâ declaratur, *unum esse ex quatuor Mendicantibus Ordinem scilicet Carmelitarum.* Quibus verbis innuit, non à jure inter Mendicantes censeri debere. Neque etiam Patres Minimi, Patres Societatis Jesu, & alii nonnulli, qui ex privilegio, seu constitutionibus Summorum Pontificum Mendicantium juribus gaudēt, ut referunt Novarius in lucerna Regularium verbo *Mendicantes*, Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 41. num. 215. Zerola in praxi Episcopi part. 2. verbo *Mendicantes*. Azorius institut. moral. part. 1. lib. 12. cap. 23 Ludovicus Miranda, Emmanuel Rodriguez, Redoanus, Cassaneus de Jesuitis. Pius V. Constitutione suâ quæ incipit *Dum indefessâ*, datâ Romæ 7. Julii 1571. de Minimis S. Francisci de Paulâ. Idem Pius V. Constitutione suâ, quæ incipit *Apostolicæ*, 9 Novembris anno 1567. Nec ratione exemptionis Religiosi Mendicātes instar extraneorum haberi debent, eorumq; loca exempta locis extraneis purificari, tum quia immediatè subjiciuntur Summo Pontifici, qui est Paterfamilias & totius gregis Dominici Pastor. Tum quia Basilicæ, Ecclesiæ, & Domus ac Palatia Episcoporum, Cardinalium, &c. non censentur extranea, quia gaudent privilegio immunitatis. Tum quia concessa in favorem exemptorum convertenda non sunt in eorum læsionem & infamiam. Nec data in augmentum debent parere diminutionem, l. *quod fautores*, C. *de legibus*, C. *quod ob gratiam*, de regulis juris in 6. l. *legata inutiliter*. ff. *de legatis*, & aliis textibus citatis in libello utriusque juris litt. A. num. 249. & ab Erasmo de Chokier de jurisdictione Ordinarii in exemptos part. 4. quæst. 58. num. 5. Navarro notab. 31. numer. 12. versu *adde septimò*, Sanctarello de Jubilæo anni sancti cap. 3. dubio 2. littera K. Alzedo part. 3. cap. 3. num. 31. & seq. Ludovicus Bollogninus tract. de indulgentiis lib. 1. cap. 13 quæst. 5. versu *quare cum jura*, qui contra Antonium de Roselis tract. de indulgentiis, numer. 32. Ugolinum docent Episcopum posse concedere indulgentias Religiosis exemptis, licet immediatè subjectis Sedi Apostolicæ. Quibus subscribit Bonacina de Sacramentis disp. 6. quæst. 1. puncto 3. numer. 15. & ab eo citati Paludanus, Reginaldus docens exceptionem Religiosorum non esse concessam in damnum, sed in commodum. Hæc obiter de exemptione Ordinum Mendicantium. Quò ad interdictum addit Diana part. 5. tract. 10. resol. 80. & Lezana verbo *interdictum*, numer. 5. Quod si per interdictum dicatur *omnes personæ Ecclesiasticæ*, censurâ ejusmodi afficientur omnes Religiosi; Ratio est, quia hoc nomen latius patet & complectitur etiam Religiosos, estque interdictum generale personale. Quod si Episcopus edat interdictum generale locale, verbi gratiâ, interdicat Civitatem & Oppidum, comprehendentur etiam Ecclesiæ Regularium existentes in illâ Civitate & Oppido nonobstante earum exemptione. Patet primò ex cap. *si Civitas*, de sentent. excommunic. in 6. Secundò, ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 12. *Censuræ* (inquit) *& interdicta, nedum à Sede Apostolicâ emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur.* Ratio est quia aliàs parvi fierent interdicta, si incolæ Civitatis interdictæ possent confugere ad Ecclesias exemptas, ita Bonacina disp. 5. de interdicto, puncto 1. numer. 21.

& apud illum Filiucius, Suarez, Avila, Coninck, ex nostris Cornelio supra dubio 1. in fine, Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *interdictum*, numer. 5. & alii. Undè Navarrus in manuali cap. 27. num. 190. & latius ex professo consil. 7. de privil. in novis, Nicolaus de benef. part. 3. cap. 2. numer. 718. Armendariz, Lezana supra num. 38. constanter sustinent revocata esse privilegia concessa regularibus ad celebrandum tempore interdicti, & admittendos laicos ad divina officia eodem tempore contrà Henriquez in summâ lib. 13. part. 48. §. 1. Sayrum de censuris lib. 5. cap. 13. num. 24. & 25. Emmanuelem Rodriguez, Joannem à Cruce, Bonacinam, Homobonum de Bonis, Ludovicum Miranda, qui omnes existimāt specialia privilegia regularium non servandi interdicta pro suis festis, & aliis certis diebus citato decreto Concilii Tridentini non esse revocata.

§. 1.

Interdicti Causæ.

A INterdictum vel aliam censuram non posse ferri ex merâ voluntate Superioris, sed ex causâ rationabili docent communiter Summistæ & Canonistæ, & ex nostris Cornelio de censuris in genere disp. 8. dubio 1. Lezana de censurâ num. 10. quod si aliter feratur erit illicitum & invalidum, ex eo patet, quia sententia civilis lata contra innocentem, ut innocentem est jure naturali invalida, igitur etiam interdictum, & alia sententia Ecclesiastica censura annexa. Bona enim spiritualia, quibus privat censura sunt excellentiora corporalibus, quibus privat sententia civilis, sed interdictum seu sententia alia lata absque causâ rationabili contra innocentem talis esset, igitur. Probatur secundò, Apostolus 2. Corinth. cap. 10. docet potestatem Ecclesiasticam esse datam in ædificationem, & non in destructionem, vers. 8. *Nam si amplius gloriatus fuero de potestate nostrâ quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram non erubescam.* Sed si Apostolus & quilibet Episcopus posset pro suo arbitratu interdicere loca, vel personas, illa potestas esset in destructionem fidelium. Nec dicas validam esse absolutionem à censurâ solo beneplacito judicis, & consequenter ejusdem censuræ impositionem: eo quod sit æqualis potestas ligandi, & absolvendi. Respondeo majorem potestatem concessam Ecclesiæ ad solvendum, etiam extra Sacramentum à pœnâ debitâ in foro Dei per largitionem indulgentiarum, quam ad ligandum extra Sacramentum ad similem pœnam. Ratio disparitatis est, quia (inquit noster Cornelio) Christus magis procuravit favores nostros, quam pœnas & onera. Nec dicas secundò non esse intrinsecè malum plectere innocentes, ut patet in Abrahamo immolante filium suum: nec Deum posse præcipere rem iniquam, sicut nec facere, & consequenter posse innocentem interdici, aliâque censurâ affici, ut habetur in cap. *si sententiâ*, de sentent. excommun. in 6. Respondeo negando non esse intrinsecè malum plectere innocentem. Quando autem Deus præcipit immolari Isaac, non præcepit ut judex, sed ut universalis Dominus vitæ & mortis omnium. Undè illa occisio præcepta Abrahamo non habet rationem pœnæ. Prælatus autem Ecclesiasticus interdicens, vel alias censuras ferens, non procedit ut Dominus, sed ut Judex, censuraque semper habet rationem pœnæ, eamq; Prælatus imponere debet ut judex, & ob offensam. Quod si Deus aliquando plectat scelera parentum in filiis, ut patet lib. 3. Regum cap. 21. S. Elias ait Regi Achabo vers. 21. *Ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua.* Idest, posteritatem tuam. Vers. 29. *Non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.* Dionysius. *Præfatas plagas & ultiones differam usque post eius mortem.* Lib. 4. Regum cap. 2. pueros quadraginta duos sibi insultantes S. Eliseus dilacerat immissis duobus ursis, vers. 24. *Qui cum respexisset vidit eos, &*

l. 3. Reg. 21. v. 21

vers. 29.

Dionys.

l. 4. Reg. 2. v. 24.

& maledixit eis in nomine Domini, egressiq; sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.

Lyranus. Lyranus. *Maledixit eis ut parentes eorum in ipsis punirentur.*

Dionys. Dionysius. *Vitiosi parentes in suis filiis, quos malè instruxerant, castigarentur.* Undè apositè Deus immisit ursos coram parentibus, ut quos informare neglexerant, cognoscerent se ursis pejores extitisse. Nam teste Plinio lib. 8. cap. 36 & lib. 10. cap. 63. ursi formant & figurant fœtus suos informes eos lambendo. Eodem lib. 4. cap. 5. posteritas leprâ inficitur ob flagitium Giezi,

Cap. 5. vers. 26. *Accepisti argentum, & accepisti vestes, &c. sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo, usque in sempiternum.* Quasi diceret, quemadmodum pestis totam domum inficit, sic lepra adhærebit familiæ tuæ, & sicut qui primus illam invexit aliquando evadit, sic Giezi pœnitentiam agens à leprâ liberatus, non tamen ejus posteri, ut notat Serarius. Ejusmodi punitio respectu patentum est pœna, & respectu prolium est medicina. Ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 87. undè fit ut possint aliquando occidi innocentes, ut patet in bello justo, quamvis non possint licitè puniri. Quod si nonnunquàm interdicto feriantur innocentes datur justa & rationabilis causa, scilicet peccatum superioris, quod generali interdicto plectitur in inferioribus innocentibus.

II Causa igitur materialis remota interdicti in certam personam delinquentem debet esse culpa, & quidem mortalis, ita Suarez disp. 36. sect. 3. Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 4. num. 4. Bonacina de interdicto punct. 2. num. & alii, ex nostris Corneio disp. 8. dubio 2. Lezana supra contra Emmanuelem Sa verbo *interdictum*, num. 7. Avilam disp. 3. dubio 2. Henriquez. Quod intelligendum est de interdicto totali non partiali (inquit Layman) nam partiale ab ingressu Ecclesiæ, vel à sacrâ Communione potest ad tempus infligi, cùm sit pœna levior, & ob culpam levem, seu venialem. Deindè quæstio est de interdicto imposito ob culpam propriam. Quare interdictum locale, vel generale, ut feratur in communitatem requiritur peccatum valdè grave, contumaciter admissum, sivè à capite, sivè à pluribus, aut præcipuis membris totius communitatis, & gravius quàm excommunicatio, ex Soto in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 1. concluf. 3. Suarez disp. 36. sect. 3. Avila, Henriquez, Covarruvias. Ratio est, quia interdictum gravis est pœna spiritualis, igitur præsupponit gravem offensam. Id præfiguratum videmus in historiâ sacrâ filiorum Prophetarum, seu S. Eliæ Prophetæ. Joannes 44 triarcha Jerosol. lib. de instit. Monachorũ cap. 36. scribit Hebræos fuisse abductos ab Assyriis, & ductos in captivitatem, privatos templo, sacrificiis, spoliatos omni supellectili sacrâ & prophanâ propter scelera sua. At verò filios Prophetarum immunes evasisse propter continuam legis observantiam. *Quoniam prædicti Monachi, dum regebantur per Eliseum, & etiam post ejus decessum quærebant ex totis præcordiis Dei regnum, pro quo facilius consequendo, terrenas divitias & carnales delitias respuebant, humanasq; consortia, & turbarum tumultus vitabant, idcò præservavit eos Deus à captivitatibus, ad quas ante incarnationem Christi Iesu induxit populum Iudæorum propter peccata eorum.* Opponit captivitatem Hebræorum immunitati Prophetarum, aitque illos fuisse inductos in captivitatem *propter peccata eorum.* Hos verò ab eo liberos ob singularem Dei cultum, & legis observantiam. Quod efficacius & fusius consequenter probat. *Quod tamen ad maiorem Iudaici populi cessit confusionem, ut ipse in fortissimis civitatibus, & munitis salvari non posset, cùm Monachi in apertâ montis Carmeli eremo & non munitâ, ab insultibus Assyriorum exercitus Chaldaici per Deum tunc protegerentur. Sed causa hujus diversitatis fuit ex parte quorundam illius populi legis divinæ prævaricatio. Econtra verò ex parte dictorum Monachorum ejusdem legis observatio.* Probatque illud Judæorum interdictum, ac Prophetarum immunitatẽ fuisse oraculo Isaiæ prænunciatum cap. 21. vers. 12. *Quod*

Joan. 44.

benè significavit Propheta Dei Isaias, dum in personâ Domini captivitatem & terræ dissipationem populo Iudæorũ venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens. Plangite super regione desiderabili, super vineâ fertili, super humum populi Dei, spinæ & vepres ascendent quantò magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis. Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est. Isaiæ c. 31. v. 12. Ecce vaticinium captivitatis Judaicæ. Consequenter ostendit ex eodem Vate filios Prophetarum fuisse ab câ exemptos. *Paulò post de Monachis Carmelitis sibi temporis contrariam sententiam subdens in persona Domini, & erit desertum in Carmelo, & Carmelus in saltum reputabitur, & habitabit in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit, & erit opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulentâ.* Quibus oraculis subdit. *Licet namq; temporibus Iudaicarum captivitatum esset desertum in Carmelo, ita quod Carmelus non in munitionem, vel in ædificium, sed in saltum verè reputabatur, populum Monacherum illic commorantium faciebant in solitudine illâ judicium Dei, & servabat Carmelo justitiam cælestis regni, sicut Propheta præixerat. Habitabit, inquit, in solitudine judicium, & in Carmelo justitia sedebit. Cujus justitiæ opus erat pax, quâ ad invicem perimebant bellum, & cultus prædictæ justitiæ erat silentium, qui in ore vitabant multiloquium, cujus quoque dictæ justitiæ erat securitas, quâ à corde fugabant inimicorum metum. Quippè Monachi ita erant ad invicem per pacem dispositi, quod inter illos nullum erat bellum. Et sic erant in ore per silentium inimici, quod inter eos nullum erat multiloquium. Et ita erant in corde quieti & securi, quod cor eorum non reprehendebat eos ante Deum. Ideò confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, nullum habebant de inimicis metum. Tetle enim scripturâ complacuerunt Domino viæ eius, scilicet hominis inimicos quoque eius convertit ad pacem. Quia ergo ipsi studebant per justitiam placere, ideo protexit eos Deus à timore & in saltibus inimicorũ, & à captivitatibus Iudæorum, sicut promiserat, dicens: Sedebit populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulentâ scilicet virtutibus, pascuis doctrinæ, veræ religionis uberibus.* Quibus patet universum populum, & Leviticum cœtum fuisse abductum in Babylonem remanentibus solis Elianæ disciplinæ alumnis. Tum quia hi religiosam ac monachalẽ vitam profitebantur, tum quia exercitio virtutũ sedulò incumbebant, nec tali captivitati occasionẽ dederant. Sic quamvis sit interdictus populus & Clerus non tamen censentur interdicti Religiosi secundùm Sayrum cap. 4. num. 292. Ugolinum tab. 5. §. 5. num. 3. Filiucium num. 14. Bonacinam de interdicto puncto 1. numer. 11. Cominck, Avilam, &c. Ob rationes supra allatas, & maximè si ejusmodi interdicto ansam non dederint. Quod de Eliani instituti Monachis in veteri lege ita verum est, ut etiam Michæas hanc veritatem suo vaticinio confirmarit, ut idem Patriarcha refert. *Quemadmodũ* (inquit) *Michæas Propheta concludendo terram Iudæorum fore propter peccata eorum desolandam, dicens, Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.* Mich. c. 7. v. 13. Cap. 7. vers. 13. Quasi diceret, scire vultis causam materialem desolationis Jerosolymitanæ, & cur populus, Sacerdotes, Levitæ, ducentur captivi in Babyloniam? Sunt perversa eorum opera, sunt machinationes eorum pravæ. Cur filii Prophetarum, Elianique instituti sectatores pari pœnâ non plectuntur? Duplicem rationem affert. Primam, quia pro cœtu illo religioso oravit. Secundam quia ille cœtus à viâ, & observantiâ legis non deflexit, vers. 14. *Pasce Domine populum meum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos.* vers. 14. Quibus Joannes Patriarcha subdit. *Ubi Propheta primò erat Deum, nè populus Monachorum Montis Carmeli concludat simili sententiâ desolationis cum Judais, sed pascatur ut prius, doctrinâ religionis*

religionis per Deum sub virgâ, ideſt regulâ ſuæ directionis. Ideò ait, Paſce Domine populum tuum in virgâ tuâ, de qua Pſalmiſta ait, Virga directionis, virga regni tui. Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, ſpecificat hunc ſolum dicens, gregem hæreditatis tuæ habitantes ſolos in ſaltu, ſcilicet Carmeli. Secundò prævidens Michaas ſe eſſe exauditum, prophetavit venturum, quod oraverat, dicens in medio Carmeli paſcentur Baſan & Galaad. Intellexit autem per Baſan & Galaad hos Monachos Montis Carmeli, tum primo quia quàm plures eorum erant tunc de regionibus Baſan & Galaad oriundi. Tum ſecundò, quia Baſan interpretatur pinguis, & cœtus horum Religioſorũ fiebat in medio Carmeli pinguis paſcuis divinis, ſcilicet doctrinis vera religionis. Galaad quoque interpretatur acervus teſtimonii, & Deus centum horum Monachorum acervavit in Monte Carmeli in teſtimonium contra populum Iudæorum, ut intelligeret populus quod propter prævaricationem legis divinæ fuit catenatus, & terra eorum deſolata, cùm hi Religioſi, quia ſervaverunt legem, remanſerunt liberi in terra illa in medio Carmeli. Deindè exponit Propheta qualiter in medio Carmeli paſcerentur, dicens juxta dies antiquos, in quibus ſcilicet, virga directionis regni Dei ab Elia in Monte Carmeli doctrina prophetica vitæ Monaſticæ ſecundum formam inſtitutionis per Deum creditam Eliæ. Ex quibus ſatis innotescit cauſam materialem captivitatis antiquæ, ac modernæ per interdictum Ecclesiaſticum eſſe peccatum. Ratio eſt, quia interdictum eſt pœna. Secundò, eſt peccatum vel proprium, vel alienum, ſcilicet Principis, Patris, Domini, &c. ut indicatur cap. *ſi ſententia vobis*, de ſponſalibus.

III. Notant tamen Armilla verbo *interdictum*, §. 5. numer. 27. Navarrus cap. 27. num. 168. Barboſa de officio & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 38. numer. 18 Arriaga tract de interdicto, diff. 13. num. 38. non poſſe ab Epiſcopo validè ferri interdictum generale locale abtque licentiâ Sedis Apoſtolicæ ob culpam capitis communitatis detinentis æs alienum, ut decernitur in extravag. *proindè*, de ſentent. excommunic. in communibus. Poſſe tamen ferri interdictum particulare alicui Eccleſiæ docet Calder. tract. de Eccleſiæ interdicto. Barboſa ſupra de hac cauſâ materiali remotâ. Vide plura apud Suarem diſput. 4. ſect. num. 2. Salas de legibus diſp. 16. ſect. 9. Coninck diſput. 13. dubio 8. num. 66. Vaſquez, Sanchez, Sayrum, Reginaldum, Filiucium, Bonacinam.

IV. Quod cauſa materialis proxima interdicti debeat eſſe homo viator, vivens, baptiſatus, adultus, doli capax, inferior & ſubditus fusè oſtendunt Bonacina ſupra puncto 4. Filiucius, Covarruvias, Ugolinus, Sayrus, Reginaldus, Suarez, noſter Corneio ſæpè citatus, & alii. Undè Summus Pontifex non poteſt interdici, ita cap. *cuncta per mundum*. Ratio eſt, quia nullum habet ſuperiorem. Deindè quemlibet alium hominem baptiſatum poſſe interdici docent paſſim Doctores. Ratio eſt, quia quilibet eſt inferior Papâ. Quod Cardinales interdictum ſubire poſſint, affirmant Azorius part. 1. lib. 5. cap. 19. quæſt. 5. Salas, Ugolinus, Bonacina, etiamſi interdictum ſit per verba generalia impoſitum. Primò, quia Cardinales ſunt ſubditi juri communi, ſeu Summo Pontifici. Secundò, quia lex generaliter eſt intelligenda. Tertiò, quia ligantur irregularitatibus in jure communi expreſſis, ut patet ex praxi & uſu, igitur etiam legibus, aliis pœnalibus & interdicto. Nec obſtat quod non fiat illorum expreſſa mentio, aliquando enim fit expreſſa mentio ad tollendum omne dubium, & abundans cautela non nocet, Argumento ex lege *teſtamentum*, C. *de teſtamentis*. Poſſunt etiam Epiſcopi excommunicari excommunicatione latâ generaliter, ita Suarez diſp. 5. ſect. 4. num. 3. Bonacina. Primò quia Epiſcopi ſunt ſubditi Sedi Apoſt. Secundò, quia ubi lex nõ diſtinguit, nec diſtinguere debemus. Vide Sylveſtrũ verb. *Epiſcop.* Navarrum cap. 27. num. 161. Filiucium, Ugolinum, Suarem, Quod ſi interdictum vel ſuſpenſio generaliter feratur à Pontifice, non ligat

Epiſcopos,

Episcopos nisi illorum fiat expressa mentio, vel dederint casum interdicto ita communiter Doctores. Probatur prima pars, quia decet Episcopum audire, vel celebrare Missam, & ita audire divina, quamvis interdictum sit impositum Civitati, terræ, vel regno, &c. ut patet ex cap. *final.* de privilegiis in 6. Quibus subscribunt Joannes Andræas cap. *dilectis*, de appell. Covarruvias cap. *Alma Mater*, Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 38. num. 11. Secundam partem colligo ex cap. *quia periculosum*, de sentent. excommunic. in 6. & ibi Archidiaconus, Dominianus, & alii. Navarrus in manuali cap. 27. num. 156. §. 3. Quod etiam intelligendum esse de suspensione generaliter latâ, resolvunt Glossa verbo *constitutionis*, verbo *sententia*, cap. *si compromissarius*, § *hujusmodi quoque pœna*, de electione, eodem lib. & ibi Glossa verbo *de jure*, & in cap. *cupientes*, §. *caterum*, verbo *suspensos*, eodem tit. Sayrus de censuris lib. 1. cap. 8. numer. 25. Bellerus disquisit. clerical. tit. *de disciplina clericali*. §. 2. numer. 47. Navarrus in manuali cap. 27. numer. 161. versu *quinto dico*, Aloysius Riccius, Barbosa, Alterius, Ugolinus, Alzedo, Rainerius, Julius Lavorius, Emmanuel Rodriguez, Henriquez, Azorius. Tertia pars, scilicet nisi dederit causam interdicto, tunc enim cùm ipse Episcopus sit personaliter interdictus, non potest hoc privilegio celebrandi Sacrũ &c. gaudere, ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 128. & 180. Barbosa, Henriquez. Ratio est quia omnia privilegia à jure, vel ab homine concessa tempore interdicti illis tantùm prosunt, qui interdicto causam non dederint, seu aliundè in eo culpabiles non sint, ut patet ex cap. *quod nullus*, 25. vers. *verum*, de privilegiis in 6. lib. 6. Et in utroque receptissima est omnium Scriptorum traditio apud Navarrum supra num. 180, Sayrum, Henriquez, Barbosam. Ratio est, quia illa propter quos interdictum personale, etiam generale, vel etiam locale infligitur, est, vel quia ei causam dederunt, licet aliàs culpabiles existant, censentur personaliter interdicti, ex cap. *si sententia*, vers. *caterum*, de sentent. excommunic. lib. 6. & Sayro lib. 5. cap. 4. num. 10. versu *secundo*, & alii apud ipsum. Certum verò est concessionem etiam jure communi factam quibusdam personis, ut tempore interdicti possint celebrare, vel interesse divinis, non prodesse personaliter interdictis, ita Suarez tomo 5. de censuris disp. 34. sect. 3. num. 2 Covarruvias cap. *Alma Mater*, §, *adjicimus*. Unde concessio facta dicto capite *Alma Mater*, ut tempore interdicti administretur infirmis Sacramentum Pœnitentiæ, vel benè valentibus; non prodest personaliter interdictis, vel iis, qui aliquo modo culpabiles existunt, nisi satisfecerint, vel cautionem idoneam præstiterint, ex eodem cap. *Alma Mater*, versu *illis etiam*, Navarro supra num. 178. Sayro, Ugolino, Suare. Sic etiam cap. *quod in te*, de pœnitent. dum tempore interdicti conceditur Clericis Ecclesiastica sepultura, eisdem denegatur, si interdictum non servaverint, & à fortiori si causam dederint, ita Ugolinus cap. 9. in principio, & cap. 15. §, 4. Suarez disput. 35. sect. 3. num. 1. Et generaliter dum conceditur Clericis, ut ex §. *adjicimus*, cum modificationibus celebrent aliisque divinis officiis intersint, talis facultas nulla est, si causam interdicto dederint, ex Sayro cap. 5. num. 4. Licet denique §. *in festivitatibus*. ob singularem festorum honorem prohibeatur iis, qui causam interdicto dederint, nè altari appropinquent, & in illorum verborum significatione non benè conveniant Doctores, ita ut alii existiment excludi culpabiles à sumptione sacræ Synaxis, alii ab offertorio, apud Henriquez lib. 13. cap. 47. §. 2. Alii & melius cum Ugolino cap. 8. §. 12, num. 4. Dicunt simpliciter non esse appropinquandum altari, sed procul standum ad valvas Ecclesiæ, ut sic pudore suffusi, facilius à contumaciâ resipiscant, & pœniteant.

V. Illi, quibus à jure vel ab homine licet tempore interdicti divinis interesse, ut sunt Episcopi, & nonnulli alii tenentur audire sacrum sub præ-

cepto

cepto peccati mortalis iis diebus, quibus suspenditur interdictum, ita Navarrus in manuali cap. 21 num. 3. post Sotum, Medinam, & alios, Henriquez, Suarez Ratio est, quia cum possint licitè Divini, interesse, tollitque impedimentum, quo à præcepto deobligantur, fit locus generali præcepto juris cap. *Missas*, de consecrat dist. 1, specialiter pro habenti bullam Cruciatæ. Differunt Sebastianus à Costa ibi quæst. 28. Emmanuel Rodriguez in ejusdem explicatione § 5. num. 6. Ratio est, quia certum est, quod si detentus in carcere habeat à judice facultatem exeundi die festo peccet mortaliter, si non audiat sacrum, igitur etiam peccabunt mortaliter ii quibus tempore interdicti datur facultas audiendi sacrum. Nec dicas cum Mantio, Avilâ, & aliis, quod nemo cogitur uti privilegio sibi concesso, C. pen. C. *de pœnis*, cap. *si de terrâ*. de privileg. Respondeo enim hanc obligationem nõ procedere ex privilegio, sed per illud removere impedimentum, quo excusabantur, eoque remoto succedere obligationem legis præceptum tale imponentis cunctis non impeditis. Potest etiam Episcopus tempore interdicti administrare sacramentum Baptismi, & Confirmationis, non tantùm parvulis, cap. *responso*, 43. versu *præterea*, de sentent. excommunic. sed etiam adultis, cap. *quoniam*. eodem tit. l. 6. ita Sayrus, Avila, Ugolinus, Covarruvias Navarrus, cap. 27. num. 178. Barbosa, Suarez, Toletus, Henriquez. Et hoc tam tempore interdicti in locis generalibus, quàm in Ecclesiâ speciatim interdictâ, etiam solemniter. Non tamen licet administrare Sacramentum Cõfirmationis iis, qui affecti sunt interdicto generali personali, si causam dederint interdicto. Possunt etiam Episcopi tempore interdicti cum moderatione cap. *Alma Mater*, conficere Chrisma necessarium pro confirmatione, & ritu Baptismi Feria quinta Majoris Hebdomadæ, sed clausis januis, ita post Archidiaconum, Ancharanum & alios communiter. Covarruvias, Ugolinus, Suarez, & post eos Bonacina de censuris disput. 5. quæst. 5. puncto 2. § 1. num. 2. Alterius de censuris, tomo 2, disp. 4. cap. 2. versu *communis*, Benzonius de justitia Pontificii interdicti, quod intelligit, si Episcopus non sit specialiter interdictus. Ampliat Barbosa numer. 25. etiam Chrisma posse januis apertis confici. Ratio est, quia quemadmodum olim usus Baptismi & Cõfirmationis tempore interdicti simpliciter concessus reperitur publicè & apertis januis, confectio Chrismatis eadem ratione concedenda est, nec versus *adjicimus*, potest applicari confectioni Chrismatis, quia Pontifex ibi agit de divinis officiis, & missâ celebrandâ singulis diebus, quod nõ convenit Chrismati, quod quotidie non conficitur, sed semel in anno, in Cœnâ Domini. Præterea textus loquitur de Missæ sacrificio faciendo & divinis officiis dicendis. At Chrisma non dicitur, seu fit, sed conficitur. Dicere officia singulis diebus propriè & in rigore competit recitationi Horarum, quæ diurnæ & nocturnæ appellantur, versu *& Canonici*, ibi, *qui horis interfunt*.

VI. Non licere tamen tempore interdicti Episcopo consuram dare, neque aquam solemniter benedicere, nec benedictionem solemnem, sed benè privatam in itinere publicè dare tenet Navarrus cap. 27. num. 176. Barbosa alleg. 28. num. 20. Quia non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, sic populo benedictionem impendere, nec posse cineres, ramos palmarum etiam solemniter benedicere ac alios actus publicos exercere, docet Suarez disp. 34, sect. 1. post Sylvestrum, Angelum, Navarrum. Multò minus potest Episcopus conferre Sacramentum Ordinis in loco interdicto, nec personis interdictis, vel tempore interdicti localis, ita Paludanus in 4. dist. 28. quæst. 3. art. 2. & alii S. Antoninus 3. part. tit. 26. cap. 24. Suarez tract. de censuris disp. 33. sect. 1. num. 44. Henriquez in summa lib. 13. cap. 43. §. 4. Navarrus in manuali cap. 27. numer. 179. Covarruvias, Ugolinus, Avila, Bonacina, Barbosa. Patet primò ex cap. *non*.

est vobis, de sponsalibus, & cap. *responso*, de sentent. excommunic. Secundò rationibus. Prima, quia interdictum prohibet usum omnium Sacramentorum, exceptis specialiter à jure concessis. Secunda, quia hoc Sacramentum non est de necessariis ad salutem. Excipitur casus necessitatis, ut si deessent Sacerdotes, qui tempore necessitatis conferrent Sacramenta, tunc enim liceret Episcopo conferre ordines in loco interdicto, si non adesset alius locus non interdictus, ubi posset commodè conferre Ordines, ut notant Covarruvias part. 2. §. 3. num. 4, Angelus verbo *interdictum*, 6. num. 8. Avila, Henriquez, Barbòsa, Rodriguez, Bonacina. Ratio est, quia eo ipso, quo aliquid conceditur, censetur etiam concessum id, sine quo illud executioni mandari nequit, alioqui concessio esset inutilis. At jus concedit tempore interdicti divina officia celebrari, & aliqua Sacramenta conferri, servatâ debitâ cautione, igitur censetur etiam concedere ordinationem Sacerdotum, quia illi sunt ad hæc necessarii. Ideò dixi supra, *in loco specialiter interdicto*, &c. Quia is qui non est specialiter interdictus potest in loco non interdicto suscipere ordines. Ideòque si dumtaxat populus sit interdictus, & non Clerus, possunt Clerici suscipere ordines etiam in eodem loco. Ratio est quia interdictum populi non afficit Clericos, vel locum. Potest etiam tempore interdicti localis Episcopus Clericis, vel etiam laicis Ordines cõferre, modò causam interdicti non dederint, ita Bonacina supra. Ratio est quia locale ligat dumtaxat respectu ad locum interdictum, nisi quis culpabiliter causam interdicto dederit. Censetur enim hic specialiter interdictus.

VII. Sicut totus orbis potest à Summo Pontifice, vel a Concilio generali Sede vacante interdici, ita Diœcesis ab Episcopo, Bonacina disp. 5. puncto 2. numer. 4. Licet moraliter loquendo non videatur justa causa accidere ad universale interdictum ferendum, ut notant Filiucius tract. 28. cap. 1. quæst. 7. numer. 21. Suarez disput. 36. sect. 1. numer. 2.

VIII. Perpetuò amentes, insani, furiosi non possunt personaliter interdici, vel suspendi interdicto, ita Ugolinus tab. 1. cap. 17. §. 3. noster Cornelio de censuris gener. disp. 9. dubio 3. Ratio est quia ejusmodi censura, sicut & aliæ non feruntur nisi ob propriam culpam, cujus isti sunt incapaces. Secundò, quia non sunt capaces doli, nec utuntur ratione. Dixi *perpetuò*, quia (inquit Bonacina sup. puncto 4. num. 8.) amentes, insani, furiosi possunt interdici, vel aliâ censurâ affici ob aliquod delictum commissum, dum rationis erant compotes, eo quod sufficienter censeantur contumaces, & deliquisse contra legem cõtinentem censuras, & consequenter possunt interdici ob delictum prohibitum sub censuris.

IX. Dormientes & ebrii nequeunt personaliter interdici, si delictum aliquod commiserint prohibitum sub censurâ tempore somni vel ebrietatis modò non prævideant delictum subsequens tempore somni vel ebrietatis & illud præcavere voluerint. Nam ad hoc nihil aliud requiritur. Vide Filiucium supra quæst. 4. Coninck disput. 13. dubio 6. num. 46. Sayrum, Suarem, Vasquez & alios.

X. Pueri ante usum rationis nequeunt comprehendi sub interdicto generali sivè locali, sivè personali, nec excludi ab Ecclesiâ dum divina officia celebrantur, ita Sayrus lib. 5. cap. 10. num. 6. Avila part. 5. de censuris disput. 4. sect. 2. dubio 5. Suarez disp. 36 sect. 2. num. 7. Arriaga supra diffic. 15. noster Cornelio supra disp. 9. dubio 3. Ratio est quia privatio assistentiæ divinis officiis supponit capacitatem, at illi sunt incapaces, nec eorum assistentia est moralis & humana. Dices cum Navarro in summa cap. 27. num. 168 Sayro lib. 1. cap. 8. num. 2. posse aliquem ligari interdicto generali absque propriâ culpâ. Respondeo hanc rationem esse infirmam, quia pueri & amentes non excusantur ratione innocentiæ præcedentis ipsum interdictum; sed quia cùm sint incapaces præcepti vel prohibitionis, sunt etiam incapaces pœnæ, vel impedimenti

pedimenti impositi à quacumque lege. Quamvis pueri & amentes aliquo modo sciant discernere divina officia à prophanis, modò constet eos carere usu rationis, quiad peccatum mortale vel veniale sufficiat, ut docent Avila, Suarez, Cornelio supra contra Covarruviam cap. *Alma Mater*, cap. 4. num. 5. Ratio est, quia defectus usus rationis & libertatis qui excusat à peccato, etiam eximit ab obligatione legis, & consequenter à pœnâ impedimenti per illàm impositi. Quod si tempore interdicti puer vel amens incipiat uti ratione ligabitur interdicto generali, ita Cornelio supra. Ratio est quia est jam capax præcepti, & sententia interdicti prius lata habet eandem vim.

XI. Ex quibus patet dæmonem non posse affici interdicto, vel aliâ censurâ, ita Navarrus cap. 17. num. 15. Filiucius cap. 5. quæst. 1. Bonacina. Primò quia non est homo viator, baptisatus. Secundò, quia interdictum vel censura alia fertur ut contumax à suâ contumaciâ resipiscat. At dæmon est obstinatus & pertinax in suâ contumaciâ.

XII. Item infertur animalia irrationalia non posse interdici, vel ligari ullâ censurâ, ita Reginaldus lib. 9. num. 134. Filiucius sup. quæst. 1. num. 121. Navarrus, Bonacina, Suarez, Coninck. Tum quia non sunt homines viatores, baptisati, tum quia non sunt capacia delicti propter quod censura incurritur, igitur nec sunt capacia censuræ, quæ supponit culpam.

XIII. Qui semel sunt interdicti possunt iterum interdici, ita Arriaga supra.

XIV. Episcopus interdictum personale ferens in communitatem cujus caput est, ipse non ligatur, ligatur autem si locale interdictum ponat; ita Avila part. 5. disp. 2. dubio 4. Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. num. 2. & alii communiter. Ratio disparitatis est, quia nemo à seipso, per se, ac directè vinculo pœnali involvitur, potest tamen per accidens. At personale interdictum per se, vel directè afficit personas, locale verò ipsum locum, ex quo per accidens redundat in personas. Secundò nemo habet jurisdictionem coactivam in seipsum, sicut nec in superiorem vel æqualem, sed tantùm in subditos, at nemo sibi subditus est, & consequenter non includitur in interdicto personali. Quod autem in locali includatur patet, licet enim sit liberum judici ferre, vel non ferre interdictum, tamen latum semel interdictum debet ipse servare eo quod effectus interdicti sunt à jure communi instituti, judex autem inferior Papâ non potest in jure communi dispensare. Bonacina disp. 3. puncto 1. num. 14. confirmat à simili. Quamvis Episcopus possit excommunicare & non excommunicare, tamen si aliquem excommunicavit nequit cum eo participare & communicare, eo quod participatio & communicatio cum excommunicato prohibetur à jure communi, in quo Episcopus non potest dispensare per se loquendo, ut docent Theologi tractatu de legibus.

§. 2.

Causa efficiens, & formalis Interdicti.

I. ILli omnes & soli possunt interdicere, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, sivè ordinariam, sivè delegatam. Eodem enim modò disserendum est de potestate interdicendi, ac excommunicandi & suspendendi ut patet cap. *cum Ecclesiarum*, de officio Ordinarii, ita Cornelio de interdicto disput. 3. Lezana tomo 3. de interdicto quoad regulares num. 6. Bonacina supra puncto 2. num. 2. Layman supra cap. 4. num. & alii.

II. Summum Pontificem posse interdicere docent Bonacina disput. 1. quæst. 1. puncto 2. num. 3. disput 5. puncto 2. numer. 2. Navarrus in manuali cap. 27. num. 168. ex nostris Lezana tomo 3. verbo *interdictum*, num. 7. Cornelio de interdicto, disput. 3. & patet ex Matthæi cap. 6. vers. 18. *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis.* *Mat. 6. vers. 18.*

III. Episcopus potest interdicere, ita Auctores citati, & innuit Christus Matthæi cap. 18. vers. 18. *Quæcumq; alligaveritis super terrã erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælis.* Quibus verbis Christus dat Ecclesiæ Prælatis potestatem ligandi & solvendi tum in foro interno pœnitentiali à peccatis, tum in externo ab interdicto, aliisque censuris, ut notant sanctus Chrysostomus, S. Hilarius, Glossa & alii, tum Interpretes, tum Theologi. Posse etiam Episcopum interdicere absque consensu Capituli docent Sayrus, Suarez, Bonacina, ex nostris Corneio de interdicto disp. 3. Lezana supra num. 7. Quod jus Episcopi sibi præscripserunt per consuetudinem. Undè textus in cap. 1. *de excessibus Prælatorum*, & in cap. *quæsivit*, de his quæ fiunt à majori parte ubi oppositum expressè decisum erat, sunt abrogati contrariâ consuetudine legitimâ præscriptâ, juxta textum in cap. *non est de consuetudine*, in sexto.

Matt. c. 18. v. 18

IV. Abbates & alii Superiores Regulares, qui instar Episcoporum habent territorium & jurisdictionem Episcopalem in illud, & sæculares in eo commorantes possunt localiter & personaliter interdicere, ita Sotus in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. Tamburinus de jure Abbatum tomo 2. disp. 15. quæst. 1. num. 3. Rodriguez, Lezana supra num. 7. Ratio est, quia cum isti habeant ordinariam jurisdictionem possunt instar Episcoporum ponere interdictum tam locale quàm personale.

V. Prælati Religionum, ut Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, &c. vel similes possunt interdictum personale ponere, non autem locale, ita Filiucius lib. 18. cap. 1. quæst. 7. disp. 36. sect. 1. num. 2. Bonacina supra, Corneio, Lezana, & alii, quos citat Suarez. Probatur prima pars, quia habent jurisdictionem in foro externo in personas. Secunda pars patet, eorum jurisdictio non est in loca, vel si sit in loca talem jurisdictionem perdiderunt per non usum, seu ex desuetudine, ut notat Avila part. 5. disp. 2. dubiô 1.

VI. Prælatus excommunicatus vel suspensus non toleratus nequit licitè, & validè exercere potestatem interdicendi sivè ordinariam, sivè delegatam. Ita Arriaga supra diffic. 14. numer. 43. & communiter Doctores. Non potest etiam excommunicatus, & suspensus toleratus validè vel licitè etiam provocatus à fidelibus interdicere, ita Arriaga jam citatus. Ratio est, quia non obligat suo præcepto, vel quasi præcepto, cùm liberum sit subditis non communicare cum eo in actionibus jurisdictionis, quibus excommunicatione & suspensione privatur, ac proindè non potest validè interdicto ligare, quia incursio illius supponit inobedientiam, quæ tunc non reperitur. Ob eandem rationem idem Arriaga concludit primò, quod Ordinarius excommunicatus vel suspensus non toleratus nequeat adhuc validè potestatem interdicendi delegare. Ratio est quia interdictum est actus jurisdictionis. Concludit secundò quod poterit validè, si sit toleratus, licet id illicitè efficiat, quando ipse se ingerit. Ratio est quia eò ipso quod illum tolerat Ecclesia, relinquit illum sufficientem, ut possit validè exercere actum jurisdictionis, qui non sit præceptum, tamen sub conditione si acceptetur.

VII. Aliter de Prælato interdicto differendum est, hic enim non toleratus potest validè & licitè interdicere, ita Arriaga supra num. 43. Ratio est, quia interdictus non est privatus jurisdictione, neque prohibitus illam exercere.

VIII. Episcopus vel alius Prælatus, ut licitè ferat interdictum, debet ferre in scriptis, & causam interdicti exprimere, ita Arriaga supra num. 43. Et probatur ex cap. 1. *cum medicinalis*, de sentent. excommunic. in sexto. Potest tamen validè licet nõ in scriptis, & causam supprimat. Patet ex cap. *in quo*: qui aliter fert interdictũ suspenditur, seu potius interdicitur per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ & à divinis officiis, & ut interdictum latum contra participantes, seu communicantes cum excõmunicatis

in eis

in eis, in quibus secundùm jus tantùm incurritur excommunicatio minor, sit validum, requiri eos participantes nominatim moneri tribus monitionibus, vel unâ pro tribus cum intervallo, interstitiaque competenti, ut colligitur ex cap. *interdictum*, 13. de sentent. excommunic. in 6. cap. *statuimus*, & *constitutione*, 9. eodem titulo. Causa igitur formalis sunt hæc verba & similia. *Interdicimus talem populum, Civitatem, Clerum, &c.* ita Toletus in summa lib. 1. cap. 51, numer. 2. Lezana supra numer. 6.

§. 3.

Causa finalis Interdicti.

I. CAusa finalis interdicti eadem est quæ siccitatis triennalis prænunciatæ per Eliam, scilicet resipiscentia, seu emendatio illius cujus causâ infligitur, ita Suarez disp. 36. sect 3. Filiucius tractat. 18, cap. 1. quæst. 10. num. 27. Corneio & Lezana supra.

II. Sanctus Chrysostomus Elianum interdictum explicans, primò utramque causam materialem producit tomo 1. orat. 2. de S. Eliâ. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & lucos despecto Domino coli sacrilegis perviderent, cumque Creatore despecto figmentis sese nemoribusq; omnis populus addi-*
S. Chrys. *xisset.* Ad causam efficientem venit, vel formalem pergit. *Zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententiâ & pluviarũ sterilitate addixit, &c. Tandem pœna quod torqueat, & culpa meruit competens aliquando supplicium sera ultio fœneratam meruit pœnam, & diu dilatam, quod quandoq; dignè ac meritò interveniret.* Causam finalem scilicet resipiscentiam deducit his verbis. *Proh nefas nulla expœnâ correctio, & quasi adversis hominum malitia provocetur, sic crescit quotidie quod puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt, nolunt recordari ut vivant, nolunt corrigi ut evadant, & quasi frugem mentis sterilitas arefecit siccitatis, sic arescente terrâ aruerunt & hominum corda.* Idem homiliâ præcedente ostendit Sanctum Prophetam non imprudenter, & pro suo arbitratu, sed ob scelera populi interdixisse cœlis solitam pluviarum effusionem in terram. *Igitur Elias ille Zelo Dei insignis, ut vidit Iudæorum gentem contemptâ Dei misericordiâ perpetuò in desertis vivere & idolorum cultui deditam, & à Deo quidem impietatem tolerari, ipsos autem longanimitate istâ ad majorem vitæ impœnitentiam abuti, volens eos punitum iri, &c. Dicebat, &c. longanimitate abutentes perditè vivunt, & simulachra colunt, atque ita & Deus ipse contemnitur.* Elias tantam contumaciam non ferens sententiam in hæc verba pronuntiat, lib. 3. Regum cap. 17. vers. 1. *Vivit Dominus in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia.* Idem Aureus Doctor tomo 6. homilia in sanctos Petrum & Eliam hæc scribit. *Videbat multa absurda fieri, videbat scortationem multâ cum nequitiâ rem publicam gerere. Atra siquidem nox orbem terrarũ oppresserat, densissima quædam nebula cuncta obtenebat: itaque omnes in pejus proficiebant. Erat orbis terrarum naufragium, non aquarum, sed intemperantiæ. propulsatâ enim temperantiâ, incontinentia ipsa dominabatur, virtus expellebatur, & vitia tanquam res aliqua legitima colebantur. Colles, montes, saltus, via, & promptuaria, atque aer tenebris contegebantur, terra polluebatur. Itaque obfuscato sole cælum erat caliginosum. Omnis creatura propter idolorum culturam coinquinabatur. Ergò tanquam in nocte aliquâ omnes ambulabant, rebus creatis animum adhibentes. Videbant lapidem, & tanquam Deum adorabant, videbant ligna & illa similiter ut Deos colebant. Altissima igitur nox illos oppressos tenebat, cùm Creatorem ternerent & res creatas adorarent.* Ecce causa materialis, debent illa flagitia ab aliquo superiore nullis innodato censuris moneri & castigari publicâ sententiâ. Quis ille erit? Elias. Accipe aurea verba præfati Doctoris. *In tam multis tenebris solus Elias virtutis lucernam tenens, & tanquam in quodam montis vertice in sapientiæ fastigio sedens, vir-*

l. 3. Reg. 17. v. 1.

tutis quidem facem præferebat, sed splendorem præferens, nihil tamen eos juvabat, eo quod illorum mens tenebris oppressa erat, & idololatria sceleribus detinebatur. Excandescebat igitur Elias, animo dissecabatur, lamentabatur, & multis verbis illos ab erroribus revocabat, sed nemo tamen eum loquentem audiebat, cohortabatur, sed nemo illi obtemperabat. Ideſt ejus monitiones parvi penderunt, undè in tantâ contumaciâ & obstinatione illos interdicto ferire statuit, vt ad resipiscentiam revocaret. *Zelo Dei commotus illos erudire voluit, ut fame ipsâ tabefacti preces suas ad Creatorem transferrent, ac fames pietatis materies illis fieret. Nihil, inquit, aliud homines istos erudire poterit nisi fames, ut vel sic angustiis undique coarctati ad omnium Creatorem Dei revertantur.* Audiamus ejus sententiâ. *Quid igitur Elias? Vivit Dominus, si erit pluvia nisi per os meum, prolata fuit hæc vox à Propheta.*

III. Sanctus Basilius Seleucius de eodem interdicto differens, causâm materialem illius deducit. *Videns Judæorum populum Propheta bonis tam è Cælo quàm è solo partis immodicè luxuriantem, alimenti auctorem ignorantem, & Dei erga se charitatem, in impietatis materiam convertentem, cultumque Deo debitum in dæmonia transferentem.* Basilius Seleuc. Tanquam aliquis Præsul verbis expressis populum censurâ affecit. *Irâ pietatis auxiliatrice assumptâ vocem emisit, quâ cælo legem siccitatis imposuit, & sententiam jurejurando affirmans claustra nubibus injecit. Vivit Dominus, non erit per eos annos, ros neque pluvia super terram.* S. Basilius consequenter admirans illam potestatem Elianam exclamat. *O ira pietatis plena! ô lingua quæ calum frænas! ô Domine in homines charitas! Servo permittit res conditas gubernet. Reveritus si quidem est ardorem pietatis, & Elia creaturæ habenas permisit, Vivit Dominus, jurat per Creatorem, ut iuramenti metu ac reverentiâ creatura vim suam reprimat.* Ob quem finem istam sententiâ pronuncias? ut resipiscant, & relicto idolorum cultu ad veram religionem revertantur. *Vivit Dominus, quod Judæi in idolorum venerationem inclinaverunt, quod Auctore vitæ relicto dæmonibus mortis auctoribus se dedideruut, propriis edocti calamitatibus vivventem agnoscant, & condiscant, per quæ mortem oppetant. Erantur fame religionis magistrâ quis imbrium pincerna discant siccitatis malo concussi.* Ecce quomodò famem siccitatis magistrâ vocat. Quomodò à siccitatis malo possunt Judæi discere quisnam sit pluviarum auctor & œconomus? quomodò à propriæ mortis telis agnoscere & condiscere possunt Deum esse viventem & vitæ auctorem, eumque unicè colendum, ac idola proculcanda esse.

Eucherius Lugdunensis in libros IV. Regum in easdem causas refundit triennalem siccitatem, ac sterilitatem. Postquam causam materialem exposuit, ostendit sibi cœlitus collatam esse potestatem sistendi, laxandique pluvias eo fine, ut cultum Baal everteret, ac veri Dei altaria, templa, cultumque restauret. Undè exclamat, *Magna vis Prophetice dignitatis.* Quasi diceret, si in ferente censuras prælatura & potestas necessaria est. Si verbis forma interdicti exprimenda est, Elias suam censuram sermone pronunciavit. *Humanus sermo est, divinus effectus, in terris homo loquitur, & imperio ejus obediunt potestates.* Non dicit orationi ejus, sed imperio, quod tantùm est, ut cœlestes potestates illi obtemperent, tam efficax est ejus sermo, ut universa naturæ moles ad ejus prolationem commoveatur, concutiatur, ejusque ministerium homini debitum omninò invertatur. *Commovit omnem creaturam unus sermo Propheta, & miro modo humi sonans aera, cælumque concussit, turbatus humani ministerii ordo, & à sæculis institutæ elementorum harmonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur.* Cur elementa verbo propherico ita obtemperant, cur tonitrua non boant, non obmurmurant, tam inaudito præcepto non resistunt? imò si sic inverti gaudent, hujus gaudii & obedientiæ finis est hominum à pravâ vitâ, ab idololatriâ resipiscentia. *Sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodò vel insalute hominum,*

minum, vel in honore proficiat conditoris. Sic interdictum, aliæque censuræ ab Ecclesiastica potestate promulgantur, *dummodò vel in salute hominum, vel in honore proficiat conditoris.* Idem innuit Dionysius in cap. 17. lib. 3.
Dionys. Regum. *Ut impiissimum Regem, ac populum pessimum per subtractionem roris ac pluviæ paternaliter castigaret, ut vel sic vexatione intellectum præstante converterentur ad verum Deum à cultu idolorum.*

§. 4.

Casus speciales quibus à jure Interdictum incurritur.

I. SAnctus Chrysostomus, & alii Patres à nobis citati innuunt motivum speciale famis & siccitatis triennalis in populum Israeliticum immissæ fuisse idololatriam. *Cum* (inquit Os Aureum homil. 2. de Elia) *Elias Propheta, Sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cumq; Baal & lucos despecto Domino colis à sacrilegis perviderent, cumq; Creatore despecto figmentis sese numoribusq; omnes populus addixisset.*
S. Chrys.

II Suarez disput. 37, & alii varios casus referunt, quibus interdictum locale, personale, generale & speciale incurritur, nos præcipuos referemus. Primus, quo interdictum locale incurritur, dum alicujus territorii Dominus Episcopum injuriosè capit, bannit, vel mandat hæc fieri; & dat consilium. Episcopus enim est instar Michææ Prophetæ, quem Rex Achab vera vaticinantem permisit colaphis cædi, & jussit in carcerem detrudi, lib. 3. Regum cap. 22. vers. 24. *Accessit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillas, &c.* Vers. 22. *Et ait Rex Israel, tollite Michæam, & manetat apud Amon Principem Civitatis & apud Ioas Amelech, & dicite eis, hæc dicit Rex, mittite Viram istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis & aquâ angustiæ, donec revertar in pace.* Dum simile crimen in Episcopū perpetratur ab alicujus territorii Domino, illud interdicitur usque ad condignam satisfactionem, ita Sayrus cap. 12. Ugolinus tab. 1. cap. 14. num. 25. §. 1. Felinus tract. 18. cap. 6 quæst. 3. num. 163. Reginaldus numer. 53. Bonacina disp. 5. puncto 8. num. 2. Suarez disp. 37. & probatur ex Clementin. 1. de pœnis.
l. 3. Reg. 22. v. 24.

Secundus, eidem interdicto subjacet Civitas, vel alius locus, detinens aliquem Episcopum invitum, vel prædicta fieri mandans. Item Civitas insequens Cardinales, vel insecutoribus favorem præbens, vel non puniens intra mensem ejusmodi insecutores, si punire possit, ita Suarez disput. 37. sect. 1. num. 17. & seq. Filiucius num. 139, Bonacina num. 3. Probatur ex cap. *felicis*, de pœnis in 6. Ab hoc interdicto excipitur Civitas Romana, ut patet ex eodem cap. *Felicis.* III.

Tertius casus, quando Dominus regni, vel alterius loci impedit nè Legatus, vel Nuncius Apostolicæ Sedis suo officio fungatur, tunc enim loco Domini impedientis subjacent interdicto, ita Filiucius tractat. 18. cap 6. num. 137. Henriquez cap. 43. num. 3. Bonacina num. 1. & alii communiter. Probatur ex extravagante *super gentes*, de consuetudine. Non debere etiam à Principibus & Magistratibus potestatem Nuncii Apostolici ad id illam Provinciam missi impediri docent Bonacina de legibus, disp. 1, quæst. 2. part. 1. §. 1. num. 1. Diana part. 1. resolut. 6. & alii apud ipsos. IV.

Quartus casus, dum Universitas, Civitas, Collegium, locus, &c. exigit per se vel per alium ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis guidagia, pedagia, vel alia de rebus suis, quas afportant, vel important non causâ negotiationis cap. *quanquam*, de censibus lib. 6. Notant Filiucius numer. 144. Bonacina num. 5. Suarez num. 14 hunc casum alicubi non esse in usu. Quomodo etiam excommunicationem incurrant personæ singulares & interdictum communicantes, vel Collegia quæ per se, vel per alios suo nomine, vel alieno pedagia, guidagia, tallias, collectas Ecclesiis, V.

vel

vel Ecclesiasticis in certis casibus imponunt, vide nostrum Lezana tom. 3. quæst. reg. verb. *gabella*, Et eidē interdicto subjacent, qui Religiosis nostri Ordinis imponunt onera quæcumque sint, quamvis sint Domini, Principes, Episcopi, imò Sedis Apostolicæ Legati, etiam pro defensione fidei. Accipe verba Xisti IV. in Mari magno nostri Ordinis. *Et quia sicut accepimus, nosq; ipsi in minoribus constituti experientiâ didicimus circa litteras & privilegia hujusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habitâ super illis consideratione decenti motu, auctoritate & scientiâ similibus primò litteras Innocentii IV. Clementis IV. Innocentii VI. & Alexandri IV. per quas dicti Ordinis Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli Professoribus conceditur, quod ad solutionem collectarum, seu exactionum quarumlibet, vel vigesimæ colligi à nemine valeant, & in præfatis Clementis IV. & Alexandri IV. Romanorum Pontificum præfatorum, etiam Prædecessorum nostrorum litteris præditis in eâ parte in quâ concedunt dictis Fratribus de novalibus eorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colunt, ac de hortis, virgultis, aut piscationibus eorum, nullus ab eis decimas exigere præsumat ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quæcumque onera, quæ etiam sub censuris alterius quotæ, vel subsidii etiam charitativi, aut datii, vel pedagii, vel gabellæ, seu alio quovis nomine indicerentur, etiam per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum Ordinarios, vel clerum, aut populum sæculares Principes, & Dominos temporales, & alios quoscumq; exigerentur, quibus etiam Apostolicâ auctoritate, necnon ad quascumque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, &c.* Ex quibus patet Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli non posse cogi ad solutionem collectarum, seu exactionum quarumlibet, vel vigesimæ, vel decimarum, vel subsidii etiam charitativi, datii, pedagii, gabellæ, seu quomodolibet nominatorum, illamque coactionem non posse fieri, nec à populis, Principibus sæcularibus, Dominis temporalibus, nec non Clero, locorum Ordinarius, Sedis Apostolicæ Legatis, & aliis quibuscumque. Quæres primò si Rex civitatem regio apparatu & comitatu ingredi debeat, numquid ad ejusmodi inaugurationis expensas possunt pro suâ parte cogi tum illi, tum etiam alii Religiosi. Respondet Azorius part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 11. Diana part. 3. tract. 1. resol. 11. noster Lezana verbo *gabella* tomo 3. num. 21. Carolus de Grassis, Aluarez, Aloysius num. 1. C. de sacr. Eccles. negativè. Ratio est quamvis præfata gabella sit imposita ob publicam necessitatem, tamen illa necessitas publica solis laicis est communis, & tantùm indirectè ac remotè ad Clericos maximè Religiosos spectat Quod si ad hanc & similes necessitates publicas facultates laicorū non sufficiant, nequit imponi aliqua contributio super bona Ecclesiasticorum, & maximè Regularium nisi interveniat consensus Pontificis, vel si casus urgeat, & non sit facilis accessus ad Sedem Apostolicam Episcopi pro Clericis, & Prælati Regularium pro Religiosis exemptis, verbi gratiâ, pro Prædicatoribus Prælatus Prædicatorum, & ita de aliis. Martha part. 4. de jurisdictione, centur. 1. casu 1. refertur decretum Clementis VIII. anno 1600. pro causâ inter Clerum & populum Pisanum. Peirinis, Lezana supra num. 2. Piacesius, Megala, Molfesius, Duardus, Sousa, Bartholomæus à S. Fausto, Alterius, Belletus, Garcias, Sylvester, Suarez contra Regem Angliæ. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 10. Lessius lib. 2. cap. 37. dubio 3. num. 25. Ratio patet ex dictis, istæ necessitates tantùm secundariò tangunt Ecclesiasticos, ut sunt membra Reipublicæ. Quod nequeat etiam imponi vectigal à Principe, vel Civitate Clericis, multò minus Regularibus pro expensis factis tempore pestis, docent Sylvester verbo *immunitas*, quæst. 2. Alterius de censuris tomo 1 disput. 16. lib. 5. cap. 6. dubio 13. Belletus in disquis. cleric. parte 1. tit. 5. §. 2. num. 6. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 11. Lopez in instruct. part. 2. cap. 40. Diana part. 1. tract. de immunitate Eccles. resol. 40. Rodriguez, Petrus Ledesma, Joannes de la

de la Cruz, Salonius. Ratio est, quia quando necessitas publica concernit de directo, & principaliter æquè utilitatem Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, tunc Ecclesiastici debent contribuere non tantùm ad deliberationem solius populi, sed debet etiam Clerus cum populo simul convenire ac deliberare, & ex Clero omnes Prælati quorum neuter alteri subijcitur. Ratio est; quia quod omnes tangit debet ab omnibus approbari. Quod si Ecclesiastici in tali casu necessitatis absque legitimâ causâ nolint cõsentire, tunc ad Superiores Ecclesiasticos recurrendum est, maximè cùm hic non agatur de utilitate publicâ, sed etiam privatâ omnium. A' præfatis resolutionibus excipi videntur Monasteria nostri Ordinis quibus imponi non potest tributum etiam pro expensis belli justissimi pro defensione fidei, sivè contra Hæreticos, sivè contra Turcas, &c. Accipe Oraculum Xisti IV. supra. *Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione aut aliis imminentibus ei persæpè necessitatibus indicit, extendimus aut decernimus dicti Ordinis Professores, etiamsi decimæ & onera hujusmodi per quoscumque exemptos etiam Mendicantium Ordinum Professores solvi mandarentur, cum quibusdam etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus & insolitis clausulis ad decimarum & onerum hujusmodi solutionem non teneri, & in eorum solutione cessando censuras & pœnas aliquando non incurrere, nisi præsentibus non per Generales aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed aliàs sit derogatum specificè earum de verbo ad verbum inserto tenore.* Idem privilegium exemptionis à Gabellis etiam pro fidei Christianæ defensione, aut aliis imminentibus ei persæpè necessitatibus extat in Mari magno Eremitarum S. Augustini, quod indubiè per communicationem extenditur ad

VI. alios ordines Mendicantium.

Quintus casus, incurritur interdictum locale generale, dum Episcopi & alii inferiores Ecclesiastici insorescunt per mensem in excommunicatione, vel suspensione ob culpã à se cõmissam, concedendo domum manifestis usurariis ad fœnus exercendum. Bonacina supra num. 5. probat ex cap. 1. de usuris in 6. ubi omnes terræ illorum post mensem interdicto subjiciuntur, quamdiu usuarii ibi commorantur. Ob eandem causam Universitates incurrunt interdictum personale, quæ extraneis usurariis habitationem concedunt, ita Bonacina supra, Arriaga diff. 17.

VII. Quamvis libera sit sepultura in Ecclesiis mendicantium, ut fusè ostendit noster Lezana tomo 3. quæst. regul. cap. 1. numer. 31 ex privilegiis Summorum Pontificum, præsertim Xisti IV. Pii V. Innocentii IV. Clementis IV. Bonifacii VIII. Clementis V. apud Cassarubium in compendio privilegiorum Mendicantium, verbo *sepelitio & sepultura*, num. 1. 3. & 8. Et hæc libertas sepulturæ juxta priscorum Pontificum præsertim Xisti IV. in Mari magno Carmelitarum, in hoc consistit, ut Fratres Carmelitæ nullius super hoc petitâ facultate possint processionaliter ingredi Parochias, in quibus prædicta corpora sunt, illa levare, & ad suas Ecclesias sepelienda deferre, ubi id consuetum est, vel Parochi de levatione requisiti, id facere recusant, ut patet ex bullâ Leonis X. *Dum intra*, editâ in Concilio Lateranensi, & decreto Congregationis regularium relato à P. Lezana numer. 31. citato, & altero apud Barbosam in Collectaneis Bullarii verbo *sepultura*. Secundò, illa libertas sepulturæ in Ecclesiis Regularium in hoc consistit, ut ipsius electio in dictis Ecclesiis nequeat à Parochis impediri. Hieronymus Rodriguez in compendio quæst. regul. resol. 128. Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 10. num. 21, Riccius, noster Lezana quæst. regul. tomo 4, verbo *sepultura quoad Regulares*, numer. 4. Et juxta declarationem Sacræ Congregationis Regularium licèat parentibus in quâcumq; Ecclesiâ voluerint etiam regularium filiis suis impuberibus eligere sepulturã, nec à Parochis locorũ possint, nec debeant impedire, præsertim si in dictis Regularium Ecclesiis soleant sepeliri, vel aliquod sepulchrum majorum habeant, Pei-

rinis in addit. decret. 17. Tertiò eadem libertas sepulturæ in Ecclesiis regularium prohibet Parochis majorem eleemosynam petere pro illis, qui apud regulares sepeliuntur, quàm pro iis, qui in Parochiis. eo quòd esset quædam virtualis coactio ad eligendam sepulturam in Parochiis, quæ est omninò prohibita, ut patet ex bullâ Clementis VIII. *Expositum*, apud Rodriguez in bullario in Clemente VIII. bullâ 2. ubi prohibet sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ sententiæ Papæ reservatâ, nè Parochi Indiarum Occidentalium majorem eleemosynam exigant ab iis qui sepeliuntur in Ecclesiis Minorum, & consequenter aliorum Ordinum juxta Portellum in dubiis regul. verbo *sepultura* in addit. num. 1. quàm ab aliis, qui in Parochiis sepeliuntur. Patet etiam ex litteris Urbani VIII. datis in formâ brevis die 11. Martii 1638. in addit. constitut. 20. quibus Ordinariis locorum commisit, ut provideant & decernant, *Nè Parochi plus percipere possint in sepulturis quæ fiunt in Ecclesiis regularium, quàm in iis quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum.* Quartò, ad eandem libertatem sepulturæ spectat juxta declarationem sacræ Congregationis apud Barbosam supra in collectaneis bullarum verbo *sepultura*, ut sepultura non retardetur, vel impediatur sub quovis prætextu compositiónis quartæ funeralis. Item ut Parochi nequeant retinere cadaver exhumatum, ob non solutum jus sepulturæ, ut etiam declaravit Sacra Cõgregatio apud eundem Barbosam de jure Ecclesiastico supra numer. 58. 83. & 84. Quintò, pertinet ad eandem libertatem sepulturæ nè Regulares prohibeantur associare corpora defunctorum, & quod Parochi non possint cogere hæredes defunctorum ad curandum celebrari missas in suis Ecclesiis Parochialibus, ut declaravit Sacra Congregatio & cõfirmavit Urbanus VIII. litteris in formâ brevis datis 25. Julii 1632 apud Peirinis tomo 13. privileg. Minim. cap. 12. in constitutione 20. aliàs 30. Urbani. Nihilominus in favorem Parochorum interdicuntur Ecclesiæ & Cœmiteria Clericorum Regularium, vel sæcularium, qui inducunt aliquem ad vovendum, vel promittendum ut in eorum Ecclesiâ eligant sepulturam, vel semel electã non immutent, & sic sepeliant, ut patet ex cap. 1. de sepulturis in 6. ubi Bonifacius ait. *Voiversis Religiosis, & sæcularibus Clericis cujuscumque status & conditionis existant in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districtissimè prohibemus, nè aliquis ad vovendum, jurandum vel fide interpositâ, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam ulterius non immutent. Nos enim si secus actum fuerit electionẽ talem decernimus nullius penitus existere firmitatis, statuentes ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi, nec contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant veniendi possint eligere sepulturam, sed contradictione quacumque cessante sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturã non electã forsitan decessissent. Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis vel cœmiteriis præsumpserint sepelire ad restitutionem tam sepultorum corporum si petantur, quàm etiam omnium, qua occasione sepulturæ illorum pervenerint quomolibet ad eosdem intra decennium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus, quàm nisi fecerint, Ecclesia ipsa apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmiteria eadem, ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plena omnium prædictorum.* Hæc Constitutio firmatur in Clementina *Cupientes*, de pœnis & addita est contra illius temerarios violatores sententia excommunicationis, ut notant Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 19. num. 25. Bonacina disput. 2. quæst. 5. punct. 4. Rodriguez, Suarez, Lezana tomo 1. cap. 9. num. 25. & tomo 4. verbo *sepultura*, num. 7. Miranda. Notant secundò Toletus in summa lib. 1. cap. 37. Suarez supra, Rodriguez tomo 4. summæ cap. 103. concl. 10.

Portellus

Portellus, Pasqualigus, Lezana locis citatis, inducentes prædicta non incurrere præfatas censuras, nec qui inducunt alios ad sepulturam in aliâ Ecclesiâ. Ratio est quia constitutio loquitur dumtaxat de inducentibus *ad vovendum, iurandum*, seu *promittendum*. Neque etiam qui inducunt ad eligendam sepulturam in testamento, seu codicillo, ita Thesaurus in praxi part. 2. verbo *sepultura*, cap. 3. Lezana tomo 4. citato & alii. Ratio est quia hoc non est votum, vel juramentum. Nec etiam qui inducunt ad electionem sepulturæ cum obligatione non irrevocabili, ita Portellus supra num. 5. Rodriguez supra num. 6. Pasqualigus & Bonacina supra Ratio est, qui Pontifex loquitur dumtaxat de inducentibus ad votum, juramentum Incurrunt autem illas pœnas qui inducunt modo prætato quāvis effectus sepulturæ non sequatur post votum, iuramentum, vel promissionem. ita Thesaurus & Lezana supra, Barbosa supra numer. 26. Portellus, Rodriguez art. 7. Plura circa hanc constitutionem referunt Bonacina disp. 5. de interdicto puncto 8. num. 6. Filiucius tract. 15. cap. 7. quæst 3 Pasqualigus. Pro praxi Regularium notat ultimò Lezana num. 8. quod si unus Religiosus nomine suo inducat aliquem voto, juramento, vel promissione ad eligendam sepulturam in suâ Ecclesiâ peccat, non tamen reliqui Religiosi, vel totus Cōventus incurrunt prælatas censuras, nisi ipse sit Prælatus vel aliquis nomine communitatis, ita Rodriguez num. 7, Portellus num. 4. Lezana numer. 8. contrà Pasqualigum supra decis. 680. & nonnullos alios. Ratio est, quia solus Prælatus, vel aliquis nomine communitatis potest communitati præiudicare. Cœterùm quàm libera debeat esse electio sepulturæ, docent Riccius in praxi resol. 562. Belletus disquis. Cleric. part. 1. tit. *de Cleric. debitore*. §. 3. Quare secundum Barbosam supra num. 38. Genuensem in praxi Archiepisc. Neapol. cap. 6. num. 3. Lezanam numer. 10. post Riccium & alios. Si Parochus invisens infirmum, ipsum interroget non in genere, in quâ Ecclesiâ velit sepeliri, sed in specie dicendo. Vis sepeliri in Parochiâ, vel aliâ Ecclesiâ, ipsam specialiter nominando, hæc electio non valet. Ratio est, quia non interrogatur in genere, sed hæc electio fit ad suggestionem. Item si Parochus violenter rapiens, vel spolians funus priusquam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus quod habet, & quartam Canonicam tenetur cum corpore quidquid accepit restituere, ita Barbosa supra num. 27. Portelius supra verbo *Canonica portio*, num. 6. Lezana num. 10. post Angelum, Sylvestrum, utrumque Rodriguez & alios. Quæ sit Ecclesia cui debeatur jus sepulturæ juxta cap. 1. *de sepult.* quomodo probetur electio sepulturæ vide Lezanam supra num. 9. & 11.

VIII. Ultimus casus, interdictum incurritur, quando Dominus vel Rector Civitatis, in quâ Papa moritur, non exequitur ea, quæ præscribuntur, cap. *ubi periculum*, de elect. in 6. An verò in hoc casu etiam insit excommunicatio, disputant Filiucius cap 6. quæst. 5. Suarez disp. 37. sect. 1. numer. 21. Idem Suarez sect. 3. Coninck disp. 17. dubio 3. cum Filiucio, Reginaldo, Sayro, & aliis, docent in prætatis casibus non incurrit locale interdictū, nec illud servandum ante denuntiationem.

IX. Quoad interdictum generale personale primò incurritur, quando Universitates concedunt represalias, seu pignorationes, quibus unus pro alio gravatur contra personas Ecclesiasticas; vel eorum bona de facto interdicuntur, ita Bonacina de interdicto disp. 5 puncto 8. num. 7. Arriaga supra disput. 17. numer. 52. Probatur ex cap. *unico*, de injuriis in 6. nisi intra mensem revocaverint. Eandem pœnam incurrunt Universitates, quæ imponunt, vel exigunt decimas, tributa, &c. ab Ecclesiasticis, vel bona Ecclesiarum occupant, ita Bonacina supra, Arriaga probat ex cap. *Clericis*, de immunitat. cap. *quanquam* 4. de censuris in 6.

X. Quando Universitates, vel Capitula appellant à sententiâ Sedis Apo-

stolicæ ad Concilium Generale, ita Bonacina num. 8. Arriaga supra. Eodem interdicto afficiuntur, qui præbent auxilium vel favorem ex bullâ Cœnæ num. 2. apud Bonacinam, qui notat cum interdicto incurri etiam excommunicationem, ut patet ex bullâ Cœnæ. Differt tamen absolvens ab interdicto absque legitimâ facultate ab absolvente ab excommunicatione, quod sine legitimâ facultate absolvens ab interdicto non incurrat interdictum, sicut qui absolvit ab excommunicatione, ita Filiutius supra, num. 144. Suarez sect. 3. numer. 13. Bonacina.

XI. Quando Capitulum Sede vacante infra annum à die vacationis concedit litteras dimissorias non arctato propter beneficium, ita Concilium Tridentinum sessione 7. de reform. cap. 10, *Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjacet interdicto.* Conformiter ad illud decretum Franciscus Leo in thesauro fori Eccles. part. 3. cap. 8. num. 48. Molina de justitiâ tract. 3. disp. 11. num. 4. Arriaga supra. Henriquez cap. 44. num. 5. Bonacina supra num. 10. Coninck disput. 17. dubio 5. Suarez Filiucius. Etiam Vicarius Capituli sede vacante concedens intra annum dimissorias pœnam hujus decreti incurrit, licet is, cui concessit non fuerit usus, ita Nicolaus Garcias in addit. cap. 7. num. 92. Marchinus part. 6. cap. 3. num. 15. Ratio est, quia actus fuit perfectus quo ad concedentem per quem non stetit. Navarrus consil. 20. aliàs 28, sub tit. *de tempor. ordin.* Quaranta in summa Bullarii verbo *Ordo*, versu *secundo limita*, Marchinus part. 6. cap. num. 12. Franciscus Leo, Thomas Valascus, Campanile, Marta, Sayrus, Henriquez. Lessius de justitiâ lib. 2. cap 34. num. 94. existimat ordinatos ad minores ordines de licentiâ Capituli sede vacante intra annum nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudere, subsit tamen Marchinus hanc privationem privilegii Clericalis hodie non incurri nisi post declarationem judicis, ut declaravit Urbanus VIII. contra malè promotos. An sic ordinati possint habere beneficium, Vide Navarrum supra, Quarantam verbo *Capitulum sede vacante*, quæst. 10. versu *hinc contingit*, Flaminium Paris.

XII. Capitulum, vel Universitas non observans constitutionē Joannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium subjacet interdicto, ita Bonacina sup. Simile interdictum incurrunt, qui causam culpabilem interdicto locali generali dederunt, ita Navarrus cap. 27. num. 129. Sylvester, Reginaldus, Suarez. Nonnullos casus etiam interdicti personalis specialis Summistæ, & Doctores referunt.

XIII. Primus, dum Episcopus inter visitandum aliquid accipit quod ei non debetur, sed prohibitum est, nisi intra duos menses, duplum restituat, ita Bonacina supra num. 17. Arriaga supra num. 33. Probatur ex cap. 1. de censibus in 6. & cap. *exigit*, 2. de censibus in 6. Quibus arridet Concilium Tridentinum sessione 24. citatum à Bonacinâ.

XIV. Secundus casus, Laici conferentes Episcopatum, vel Abbatiam, & recipientes ab illis ejusmodi dignitatem, vel aliam ita Bonacina supra num. 15 Suarez sect. 3. num. 9. Filiucius num. 145. Arriaga num. 54. & alii communiter ingressu Ecclesiæ interdicuntur, donec dignitas deseratur, & probatur ex Can. *si quis deinceps*, 16. quæst 7.

XV. Tertius casus, Episcopus & alius ipso superior interdicitur usque ad factam restitutionem, qui sibi aliquid usurpat ex reditibus dignitatis vacantis, vel beneficiorum, aut Ecclesiarum sibi subjectarum, ita Bonacina num. 34. Arriaga num. 53 Probatur ex cap. *præsente*, de officio Ordinarii in 6.

XVI Quartus casus, Episcopus vel Abbas interdicitur, qui in alienatione bonorum Ecclesiæ non se conformat extravaganti *ambitiosè*, ubi est recepta, ita Suarez numer. 10, Bonacina supra.

XVII. Quintus casus, Sacerdos admittēs clericū interdictum ad divina officia ita Filiucius numer. 147. Bonacina num. 17, Suarez sect. 2. numer. 6. & alii.

Sextus

XVIII. Sextus casus, inferior Episcopo ferens censuram absque scripturâ, aut competente monitione vel expressione causæ incurrit interdictum pro ingressu Ecclesiæ, vel divinis officiis celebrandis, ita Filiucius num. 147. Suarez disp. 37. sect. 1. num. 3. Coninck disp. 17. dubio 5. numer. 74. Bonacina num. 16. Probatur ex cap. 1, de sentent. excommunic. in 6. & cap. *sacro*, eodem tit.

XIX. Septimus casus, qui violat interdictum locale generale incurrit interdictum pro ingressu Ecclesiæ, ita Filiucius num. 147. Suarez num. 5. Bonacina num. 18. & alii. Probatur ex cap. *Episcoporum*, de privileg. in 6. Alios casus vide apud Bonacinâ supra Suarem disp. 37, sect. 1, Filiucium num. 148. & alios.

§. 5.

Communicatio cum Interdictis.

I. SAnctum Parentem Eliam tempore famis ac siccitatis triennalis cum Rege Achab, cùm populo, cõmunicasse patet ex lib. 3. Regum cap. 18. Abdiam etiam virũ probum similem communicationem habuisse cum isdem constat ex eodem loco. Quod si quidam viri probi ad Eliam in torrente Carith deflexerunt, id factum est quia non poterant tutè, ac publicè actus veræ Religionis exercere. Accipe verba nostri Joannis 44. Patriarchæ Jerosolymitani lib. de institutione Monachorum. cap. 20. *Elias in Monasticâ vitâ Eremiticâ, quam à proposito inchoaverat successores post se in perpetuum relinquere disposuit. Qui, ut Pater primus Monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcircò ad ipsum in solitudine torrentis Carith tunc latentem confugiebant, nè per Regem Achab & Reginâ Jezabel cogerent, sicut & cæteri populares adorare Baal.* Quod etiam cum interdictis communicare non sit directè prohibitum laicis patet, quia si interdicti sint denunciati, non est vetitum laicis cum illis communicare in divinis, sed dumtaxat in sepulturâ Ecclesiasticâ, ita Arriaga disficul. 11, Ratio est, quia nullum jus obligat laicos, ut vitent interdictos, nisi in sepulturâ Ecclesiasticâ illis concedendâ, ut patet ex Clementinâ 1, de sentent. excommunic. Nihilominus prohibitione, quâ interdicti sunt prohibiti ab exercitio divinorum, alii prohibentur secundariò eos inducere ad exercitium divinorum, quando futurum est interdictis prohibitum, nè cooperentur peccato interdictorum.

Joan. 44.

Quoad officia divina peragenda, illorum exercitium publicum vetitum est coram interdictis, adeò ut nec permittere possint Clerici, ut prælati interdicti intersint illis divinis officiis, ita Suarez disput. 34. sect. 3. Avila part. 3. disp. 4. sect. 1. Arriaga disp. 11. id delineatum videtur in historiâ Eliana, ibi enim fertur quod viri probi ab Eliâ didicerunt modum psallendi, Joannes 44. libr. citato: *Hos itaque Deo devotos viros, Elias secundum formam à Deo traditam habuit sua Monastica vita primos discipulos, & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, id est ad laudem Dei cantica, hymnos, & psalmos cum instrumentis musicis canere. Consideravit enim, quod bonum est confiteri Domino, & psallere nomini ejus altissimo, ad annuntiandam mane misericordiam suam, & per noctem virtutem suam in decachordo psalterio cum canticò in citharâ. Sapiens ergò his omnibus Eliam commendans, sivè in ejus laudem ait Ecclesiast. cap. 48. vers. 8. Prophetas facis successores post te.* Infra. *Non ideò hos dixit ut spiritum prævidendi vel pronunciandi futura conferret, sed ideò potius quia Elias Monachos successores post se instituit, non tantùm ad vitam Monasticam servandam secundùm formam à Deo sibi traditam, sed etiam ad hoc servitium, ut prophetarent, id est, ut in psalmis & canticis devotè Deo psallerent, & ut Deum non solùm corde, & ore: sed etiam cum instrumentis musicis laudarent, & propterea appellati sunt Prophetæ, id est, psallentes, & eorum vita dicta est prophetica, id est, ad psalmos cum instrumentis musicis*

II

Domino canendos, & in observandâ vitâ Monasticâ secundùm formam per Deum traditam Eliæ obtemperabant ipsi prompto animo corde illi sancto Prophetæ, meruerunt ob hoc benedici à Sapiente dicente Patri Eliæ, Beati qui te viderunt, & in amicitiâ tuâ decorati sunt. Sed dicet aliquis, si præfata sint vera cur Elias lib. 3. Regum cap. 18. curat convocari, non tantùm populum, sed etiam pseudoprophetas Baal & coram eis non tantùm solitas orationes fundit, sed etiam immolat, vers. 19. *Verùm tamen* (inquit ille Regi Achab) *nunc mitte, & congrega ad me universum Israel in in Monte Carmelo.* Vers. 30 *Dixit Elias omni populo, Venite ad me, & accedente ad se populo curavit altare Domino, quod destructum fuerat, &c.* Vers. 36. *Cumq; jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta ait, Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc, exaudi me Domine, exaudi me, &c.* Ad hoc dicendum est Sanctum Prophetam illas orationes publicas tudisse, ac victimam suam immolasse coram populo ad idololatriam deflectente, Rege Achabo seducto per Jezabelem ac præcipuè coram impiis pseudoprophetis Baal, ex singulari instinctu & dispensatione divinâ, ut patet ex præcitatis verbis. *Juxta præceptum tuum feci.* Qui ex singulari dispensatione, præter morem illi prophani interessent meo sacrificio, illisque patefacerem tuam divinitatem demissione ignis cœlestis in victimam. Undè hoc perspecto vers. 39. *Quod cùm vidisset omnis populus cecidit in faciem suam, & ait Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Porrò sacrificium non esse promiscuè, nec coram impiis, & idololatris faciendum innuit Deus dum voluit ut ignis cœlitus emissus absumeret non tantùm holocaustum, sed & omnia quæ illi intervenerant. *Voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Cur ignis agit in istam materiam ita sibi appositam, atque adeò aquam ipsam, quæ in fossis circa aram collecta est, exurit? Salianus ad annum mundi 3127. respondet ut se verum Deum ostenderet, populumque iterùm ad se converteret, ac egregiè de dæmone & idololatriâ triumpharet. Vel Deus non tantùm hostiam, sed & lapides, & aquam cremari voluit, ut dignitatis ac majestatis suæ rationem redderet, cunctisque patefaceret se ita rebus universis affluere, ut tamen ea non desideret, nec eis egeat, tanta est illius suprêmi Monarchæ potentia, tantumque Dominum ut rerum nostrarum nulla prorsus necessitate laboret. *Quoniam* (inquit Vates Regius psalm. 15. vers. 11.) *bonorum meorum non eges.* Noster Michael de Bonnoniâ ibi, *Rationem reddit, quare credat Deum esse verum Dominum Quoniam bonorum meorum non eges. Omnis enim creatura rationalis bonis alterius eget, ut Angeli bonis nostris pro ipsorum restauratione. Homines principantes egent subditis pro suo servitio. Homines subditi indigent dominis, pro ipsorum regimine Undè nullus est, qui per se ipsum solum vivere posset etiam stante Dei influentiâ generali. Ille ergo rationis capax meritò Deus dicitur qui nullius alterius indiget bono. Ex hoc statim sequitur, quod sicut Deo nocere non possumus malis nostris, nec etiam bonis nostris possumus proficere sibi. Undè Gregorius istum versiculum pertractans, super illo Iob. cap. 22. Quid ei prodest si iustus fuerit, in omni quippè quod benè agimus, nosmetipsos non Deum juvamus, &c.* Suam igitur non indigentiam creaturarum, ac independentiam ab eis Deus manifestavit, dum victimam, aram, lapides ipsius, aquam infusam penitus absumpsit, ut ingeniosè animadvertit Aureus Doctor homil. 28. in Genesim. *Propterea concessit ut igne consumerentur, ut ex his quæ sunt discant illi, quæ offerunt, quod omnia propter suam utilitatem fiant.* At cur potius in hoc sacrificio Eliæ absumit ignis non tantùm hostiam, ut in sacrificio Abelis Genesis cap. 4. vers. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Theodotion. *Inflammavit Dominus super Abel, & super munera ejus.* Cur (inquam) cum hostiâ ligna etiam

l. 3. *Reg.* 18. *v.* 19. *vers.* 30.

vers. 36.

vers 39.

Ps. 15. *vers.* 1. Michael Bonon.

Gen. 4 *vers.* 4.

etiam & lapides, & aqua quæ erat in aquæductu lambens cremantur & penitùs absumuntur? Aliquidnè in hoc sacrificio Deo displicuit? Cur illud altare absumit Deus? Cum inter Baalitarum impietates hæc non minima sit, quod Altaria ab eis destructa
l. 3. Reg. 19. v. 10 sint, lib. 3 Reg. cap. 19. vers. 10. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ, &c. quia altaria destruxerunt.* Idest, mens mea miro modo cruciatur, quia ædificata in honorem Dei Altaria à Baalitis destructa sunt in contemptum Dei, & idololatriæ propagationem & exaltationem. Lyranus. *Destructa fuerant in contemptum Dei, & ad idololatriæ exaltationem, & propter hoc plangebat Elias eorum destructionem.* Cur (inquam) illud altare igne cælesti in cineres redigit Deus coram Eliâ, qui tanto pietatis ardore illud restaurarat? *Curavit altare Domini quod destructum fuerat*, ac in memoriam duodecim Patriarcharũ, tulerat duodecim lapides, ut eos à prophano cultu idolorum avocaret, & ad illorum veterum patrum sequenda vestigia reduceret. Credo ideò ab igne cælesti & altare, & ligna, & lapides, & pulverem, & aquam devorata fuisse, ut innueret Deus se ex singulari & speciali dispensatione permisisse ut extra Jerusalem post templi ædificationem alibi altaria fabricarentur. Lyranus hanc rationem suggerit in cap. 18. lib. 3, Re-
Cap. 18. vers. 30. gum. *Iuxta præceptum feci omnia verba hæc, scilicet immolando in excelsis extra Ierusalem post templi ædificationem quod erat illicitum, nisi ex speciali dispensatione divinâ, quod fecerat Elias ex proposito.* Alteram rationem adjiciam scilicet coram populo, & Baalitarum turba destructam & igne penitus absumptam aram cum lignis, lapidibus, cineribus, aquis, aquæductum adlambentibus, ut Deus significaret illum religionis actum coram interdictis exhibitum fuisse ex speciali suâ dispensatione, nollet autem in posterum talia officia coram illis persolverentur, sed ab ipsis omninò removerentur juxta illud *Procul hinc, procul este prophani.* A fortiori in novâ lege dum Clerici sacris mysteriis incumbunt nullo modo interdictos, præcipuè denunciatos in templum debent introducere, nec laici corpora interdictorum in locis sepelire, sed in locis aliis instar Patris Eliæ, qui blasphemos & sacrilegos Baalitas lib. 3. Regum cap. 18. vers. 40. *Duxit ad torrentem Cison & interfecit eos ibi.* Cornelius. *Nè terra sancta eorum scelesto sanguine polluereture, nevè eorum cadavera aerem inficerent, ideircò ea devolvit in torrentem Cison, nec in terra, sed in aquis decurrentibus sepelivit.* Privatio enim divinorum officiorum, sepulturæ sacræ, &c. sunt effectus interdicti, ut sequentibus patebit.
l. 3. Reg. 18. v. 40

Lyranus.

§. 6.

Primus Effectus Interdicti, Privatio Divinorum Officiorum.

I. PEr divinum officium prohibitum tempore interdicti secundùm Bonacinam puncto 4. numer. 1. & 2. Lezanam intelligitur id quod fit in Ecclesiâ à ministro Ecclesiastico, seu à personâ consecratâ ad illud officium persolvendum, quod officium est Missæ sacrificium, Horæ Canonicæ, & secundùm Suarem disp. 34. sect. 3. num. 4. Officium B. Virginis, Officium Defunctorum, Secundùm Lezanam Officium Hebdomadarium, orationes publicæ, quæ sunt ab Ecclesiâ institutæ, ut à Clericis dicantur. Cujusmodi sunt Litaniæ dictæ processionaliter cum Cruce & superpelliciis; item Sacramentalia, seu benedictiones, vel cæremoniæ sacræ Ecclesiarum, vasorum, cereorum in die Purificationis, ramorum in Dominicâ Palmarum, aqua lustralis fontis baptismalis in Sabbatho sancto, popularis aspersio aquæ per Ecclesiam, collatio primæ tonsuræ, benedictio solemnis Episcopi, professio solemnis in religione, ità Bonacina supra num. 3. Lezana numer. 20. Undè tempore interdicti non prohibentur ea, quæ non sunt annexa alicui Ordini Clericali, seu quæ non fiunt tantùm à ministro Ecclesiastico

Ecclesiastico ad id deputato. Undè benedictio mensæ non censetur officium Ecclesiasticum, nec benedictio fructuum, nec oratio pro itinerante, nec *Ave Maria*, quæ dicitur statis horis diei, nec publica Crucis adoratio, vel privata in die Veneris sancto, nec Concio, lectio sacræ scripturæ, ita de his & aliis Sylvester verbo *Interdictum*, num. 5. & 6. Navarrus in manuali cap. 27. numer. 171. & 176. Bonacina, Emmanuel Sa, Suarez, Portellus, noster Lezana supra num. 20. Licitam esse commendationem animarum docet Sylvester. Ratio est quia videtur quid annexum Sacramento Pœnitentiæ, quod administrari potest tempore interdicti, Sayrus lib. 5. cap. 5. Filiucius num. 79. Henquez cap. 44. num. 1. Bonacina supr. n. 4. Hi censent Confessionē generalem fieri solitam ante Confessionem esse licitam. Tempore interdicti non eximuntur clerici à recitatione privatâ divini officii, ut resolvunt Navarrus cap. 27. num. 175. Filiucius numer. 62. noster Lezana num. 21. Ugolinus Sayrus, Bonacina, ita ut ab ab aliis excommunicatis vel interdictis, seu non privilegiatis non audiantur, ita Navarrus supra num. 177, Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 1. num. 2. Lezana num. 21. Possunt etiam illud recitare duo vel tres simul domi, in cubiculo, in agro, modo nō audiantur à prædictis, ita Navarrus supra num. 175. Suarez disput. 34. sect. 3. num. 16. Lezana jam citatus. Quibus favent pro regularibus quædam concessiones Pontificiæ Leonis X. apud Cassarubium in Compendio privileg. Mendicantium verbo *interdictum*, num. 18. Potest etiam Clericus dicere Officium in Ecclesiâ absque socio, etiam apertis januis, submissâ tamen voce, modò illa Ecclesia non sit specialiter interdicta, ita Navarrus & Lezana, Bonacina numer. 6.

II. Quamvis tempore interdicti pulsatio Campanæ ad convocandum populum ad divina officia sit prohibita, tamen est licita quoad concionem ad comitandam Eucharistiam infirmis porrigendam, ad Salutationem Angelicam, ad indicandam populō diei festivæ solemnitatem, ad ostendendas reliquias. Tintinnabuli etiam usus illicitus est ad divina officia, ad convocandos Sacerdotes, ad missas celebrandas, in Elevatione Venerabilis Eucharistiæ, vel ad *Sanctus*, ita Sylvester verbo *interdictum*, 5. quæst. 5. Sayrus lib. 8. cap. 7. & 9. Navarrus supra num. 177, Avila, Suarez, Henriquez, Covarruvias, Filiucius, Reginaldus. Arriaga tamen existimat esse licitam pulsationem campanulæ in elevatione Eucharistiæ. Ratio ejus est quia non fit ad convocandum populum, sed ad captandam attentionem jam existentium in templo, & assistentium sacrificio ut adorent Eucharistiam. Sayrus lib. 5. cap. 9. Avila, Filiucius, Suarez, Henriquez, Bonacina aiunt, quod cùm tempore interdicti nequeant pulsari campanæ, possit adhiberi tuba, vel tabula cum matracâ. Ratio est, quia hæc instrumenta nō sunt prohibita, sed dumtaxat campanę, ut patet ex cap. *Alma mater*, quæ tempore interdicti possunt secretò & extra celebrari, ubi quando, coram quibus, quorum ministerio, vide Bonacinam puncto 4, Lezanam supra numer. 22, & seq. aliosque ab ipsis citatos.

III. Per Clericos, quorum in hoc negotio fit mentio, intelliguntur omnes personæ Ecclesiasticæ, sivè sint incolæ, sivè alienigenæ, imò etiam Religiosi utriusque sexus, eorumque Novitii: item Clerici primâ tonsurâ initiati, si habeant beneficium, aut ex mandato Episcopi inserviant alicui Ecclesiæ, vel incumbant litterarum studiis ad majores Ordines suscipiendos, Layman tract. 5. part. 4. numer. 2. Cui favet Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 6. de reformatione. Clerici etiam conjugati cum virgine unicâ, si & ipsi ex Episcopi mandato alicui Ecclesiæ ministrent, ita Concilium Tridentinum citatum. Addunt Novarius in singul. canon. concl. 93. Felicianus de Vega, Thomas Valaicus, Stephanus Weyms præfatos Clericos conjugatos debere ministrare cum clericali habitu & tonsurâ. Hujus privilegii restrictiones

refert

refert Barbosa in collect. ad Concil. Tridentin. sessione 23. cap. 6. circa finem.

§. 7.

Secundus effectus Interdicti, Privatio Sacramentorum.

I. DIscrimen est inter siccitatem, & famem triennalem ab Eliâ prænunciatam, ac pronunciatam, & effectum interdicti scilicet privationem Sacramentorum. Quod siccitas illa, seu fames omnes cujuscumque ætatis, conditionis affecit, ut Aureum Os refert tomo 6. oratione in sanctos Petrum & Eliam explicans illa verba lib. 3. Regum cap. 17, 3 Reg. 17. v. 1. vers. 1. *Vivit Dominus, si erit pluvia nisi per os meum.* Quibus subdit. *Prolata fuit hæc vox à Propheta, & statim* S. Chrys. *aer mutatus fuit, & cælum æneum factum fuit, non naturam mutans, sed feculatem refranans, statim elementa in aliam quandam figuram conversa sunt, Prophetæ oratio tanquam flamma quædam ad terræ viscera demissa est, & omnia statim exarescebant, omnia vastabantur, omnia destruebantur, statimq; videre licebat herbas ipsas arefactas, item arbores ac plantas tam fructum ferentes, quàm quæ apud mare consita erant, omniâ simul arefacta, omnemq; ætatem animâ prædatam jam jam destruendam puerorum lamentationem, matrum ejulatum, & desperationem multam. Vna fuit Prophetæ oratio, sed vide quàm multa effecerit. Omnes igitur fere moriebantur, jumenta, pueri, viri, animalia, volucres omnes, denique orbis terrarum erat naufragium; & calamitas ipsa totam terram occuparat. Nemo servabatur, sed universi propter aquarum penuriam moriebantur. Arescebant plantæ, arbores, fontes, fluvii, stagna, & paludes: omnia denique perire videbantur, & universale quoddam naufragium, non per aquam, sed per aquarum penuriam universam terram detinebat, cælumq; ipsum claudebatur, & detentum erat, omnemq; naturam mutaverat. Omnia igitur moriebantur, & ira, panaq; à Deo missa perdebantur universa, &c. Ergò & immatura ætas extinguebatur.* Os Aureum perfectâ tantâ clade puerorum etiam innoxiorum. *Quid agis Elia?* (inquit) *Esto juvenes peccaverunt, cur infantes castigantur? Esto homines deliquerunt, cur jumenta ipsa, unà cum illis moriuntur?* Non tantùm pueri & jumenta, sed & ipse Elias famis supplicium experitur. S. Chrysostomus homiliâ 1. de Eliâ. *Prophetam unà cum populo punit.* S. Basil. Seleuc. S. Basilius Seleucius orat. 11. *Prophetam supplicii participem facit, simulq; cum populo condemnat.*

II. At si de censurâ Ecclesiastica sermo sit supra ostendimus animalia irrationabilia non posse ligari censurâ, multò minus plantas, imò nec dæmones nisi fumatur anathema, vel excõmunicatio pro detestatione & execratione (hoc enim pacto cum ipsis animalibus & plantis anathematisari possunt. Neque etiàm furiosi, ebrii, dormientes. Ipse Episcopus legislator propriâ censurâ non ligatur. Quoad privationem Sacramentorum tempore interdicti localis, sivè generalis, sivè particularis potest administrari Sacramentum Baptismi, non tantùm parvulis, sed etiam adultis, non tantùm infirmis, sed etiam sanis cum solitâ solemnitate, pluviâ ac rore cœlesti eorum animæ ablui, ac a peccatis purgari possunt. Ita Suarez supra disp. 33. sect. 1. num. 2. Sayrus cap. 7. num. 3 Navarrus cap. 27. num. 178. Ugolinus, Henriquez, Sylvester, Filiucius, Coninck, Reginaldus, Avila, Arriaga. Ex nostris Bacconius in 4. dist. 11. art. 4. Cornelio supra §. 1. dubio 1. Lezana supra num. 12. Probatur ex cap. *quoniam*, in quo est sermo de baptismo generaliter sumpto, de omnibus, de pueris, cap. *non est vobis*, de sponsalibus, & cap. *quod inter*, de pœnitentiis & remissionibus, cap. *responso*, de sentent. excommunicat. cap. *quoniam*, eodem titul. in 6. Primò, quia baptismus in re susceptus est pueris simpliciter necessarius ad salutem non tantùm infirmis, sed etiam sanis. Secundò, ex juribus relatis absolutè conceditur baptismus parvulis tempore interdicti, ut patet ex usu. Tertiò, quia ob

teneram ætatem possunt facile mori. Quoad adultos patet ex cap. *quoniam* de sentent. excommun. in 6. Quamvis enim Baptismus in re susceptus, non sit ei simpliciter necessarius (cùm salvari possint per solùm votum baptismi, si nequeat illis actu ministrari) ex Tridentino sess. 6. cap. 4. & 6. Quia tamen Baptismus in voto non operatur remissionem peccatorum nisi adsit vera contritio, quæ extra Sacramentum non ita facile haberi solet, & nolit pia Mater Ecclesia eorum salutem in eo discrimine constituere. Et in cap. *Quoniam*, simpliciter baptismus adultis nullâ factâ limitatione infirmorum, potest licitè conferri sanis, etiam cum cæremoniis consuetis. Ratio est, quia hoc ipso, quod in jure absolutè, & absque ullâ moderatione permittitur, videtur non excludi ritus consuetus, etiam quando solemnitates accessoriæ ad baptismum sequi debent naturam principalem. Undè similiter admitti possunt patrini, aliique assistere volentes, licet Ecclesia, in quâ confertur Baptismus non solùm generaliter, sed etiam specialiter interdicta sit. Ita Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 4. Suarez disp. 33. sect. 1. num. 3. Corneio supra s. 1. Quod si Ecclesia parochialis sit interdicta, parochus non tenetur aliam Ecclesiam vel parochiam vicinam non interdictam adire, ut ibi Sacramentum Baptismi conferat, ita Sylvester verbo *interdictum*, 5. quæst. 7. art. 9. Sayrus cap. 7. num. 4. Filiucius num. 33. Bonacina puncto 3. §. 1. num. 3. Henriquez, Suarez, Coninck & alii passim. Ratio est, quia cap. *quoniam*, simpliciter permittitur baptismus sine ullâ restrictione. Potest igitur in Ecclesiâ interdictâ conferri baptismus. Notat tamen noster Lezana num. 13. post Suarem & Layman solemnitates baptismi quatenus ad divinum officium spectant debere fieri cum moderatione.

III. Eodem modo de Sacramento Confirmationis differendum est, scilicet non negandum tempore interdicti; scilicet interdictum personaliter interdicto personali generali posse recipere Sacramentum Confirmationis, Bonacina, Suarez, Layman, Arriaga, ex nostris Corneio supra dubio 2. Bacconius supra, Lezana num. 13. Ratio est, quia in jure Confirmatio quo ad hoc æquiparatur Baptismo, cap. *responso*, & cap. *quoniam*. Secundò, quia hoc Sacramentum est veluti quoddam complementũ Baptismi. Oleum seu Chrisma quod conficitur ab Episcopo die Cœnæ Domini servatâ moderatione expressâ in cap. *Alma Mater*, scilicet januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, satis denotat huius Sacramenti necessitatem, posseque omnibus administrari, & in hoc dissimile est oleo multiplicato in vase mulieris Sareptanæ tempore famis triennalis, lib. 3. Reg. cap. 17. Et alterius Viduę pauperis lib. 4. Regum cap. 4. Nam Vidua Sareptana cum prole suâ, imò & Elias oleo multiplicato sustentati sunt, ut notat Cornelius in cap. 17. vers. 16. Altera oleo multiplicato satisfecit creditoribus suis, & de reliquo se & filios suos nutrivit, juxta vaticinium Eliæi lib. 4. Regum cap. 4. vers. 7. *Tu autem & filii tui vivite de reliquo.* Dionysius. *Vivite de oleo non vendito, vel de reliquo pretio debitis superfluo sustentate, ac si dicas tantùm vendatis de oleo ut debita persolvatis, & de residuo reficiatis vas. Vel etiam vendatis pro parte pro ut convenit vobis, ut de pretio ejus necessaria ematis.* Quibus patet hanc olei multiplicationem solis viduis illis & prolibus profuisse. At à susceptione Sacramenti Confirmationis nemo privatur tempore interdicti, nisi is qui interdicto personali generali, vel particulari causam dedit interdicto, & nisi prius satisfecerit, vel cautionem dederit satisfaciendi. Alterum discrimen inter oleum multiplicatum & hoc Sacramentum, quod utraq; multiplicatio olei facta sit remotis arbitris & præsentibus solis filiis. At (inquit Suarez disp. 33. sect. 1. num. 3. Layman sup.) nec Clerici, nec laici prohibentur interesse administrationi Confirmationis.

IV. Ostendimus ex Sanctis Chrysostomo & Basilio Seleucio ipsummet Eliã pluviæ & aquæ penuriã laborasse, at tempore

l. 3. Reg. cap. 17.

l. 4. Reg. c. 4. v. 4.

tempore interdicti Deus seu Ecclesia licet secundùm jus antiquum cap. *quod in te*, de pœnitent. & remiss. solis cumtaxat infirmis concederet, nihilominus jure novo cap. *Alma Mater*, concedit etiam sanis sivè laicis, sivè Clericis, Bonacina sup. §. 3. Suarez, Layman, & Arriaga sup. Cornelio dubio 3. Lezana num. 15. Hoc tamen beneficio excõmunicati non gaudent circa mortis articulum, Cornelio & Lezana. Secundò, qui causam dederint interdicto vel auxilium, favorem, nisi prius satisfaciant, vel cautionem de satisfaciendo dent, Bonacina §. 3. num. 1. Layman cap. 2. numer. 1. Cornelio & Lezana supra. Et colligitur ex cap. *Alma Mater*. Nota cum Cornelio loco citato absolutionem Sacramentalem concessam pœnitenti personaliter interdicto validam esse & licitam, si sit tantùm interdictus interdicto generali, sivè propriâ culpa contracto, secus autem si sit interdictus particulari interdicto, Quod suâ culpâ contraxit. Prima pars patet ex dictis, quia concessio, quæ fit cap. *si vero Mater*, non tolùm intelligenda est pro tempore interdicti localis, sed etiam interdicti generalis personalis. Patet secunda pars, quia iste æquiparatur quo ad perceptionem Sacramentorum ex cap. *Episcoporum*, de privilegiis in 6. qui nequit validè recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quod intelligendum est quando talis persona specialiter interdicta de facto absolvitur Sacramentaliter non præmissâ satisfactione cap. *Alma Mater*, aut citra casum extremæ necessitatis.

V. Tempore interdicti localis non potest Eucharistiæ Sacramentum administrari nisi in articulo mortis probabili constitutis, ita Sylvester numer. 9. Toletus in summa cap. 53. num. 4. Bonacina. Ex nostris Cornelio dubio 4. Lezana num. 10. & alii. Hujus rei figuram subministrat Parentis Eliæ historia lib. 3. Regum cap. 17. vers. 12. Ubi Vidua Sareptana Prophetæ postulanti buccellam panis, respondit. *En colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Particula hæc *ut* aliquod mysterium, ac singulare privilegium suggerit. Primò, tempore interdicti & famis ac sterilitatis generalis, cùm cuncta fame tabescunt, cùm ubique triticum & farina deficiat ad coquendum panem, mihi ex speciali Dei providentiâ restat paululum farinæ ad coquendum panem mihi & filio, quo percepto moriamur. Hunc panem sumendum à Viduâ esse typum Sacramenti Eucharistiæ docent noster Algerus Leodiensis, Lanfrancus, & alii scribentes contra Berengarium, cujus sumptio plurimum prodest brevi morituris, illisque specialiter tempore interdicti localis ab Ecclesia permittitur, ut patet ex cap. *permittimus*, de sentent. excommun. cap. *quod in te*, de pœnit. & remiss. cap. *Alma Mater*. Ratio est, quia Sacramentum Eucharistiæ de jure divino sumendum est in articulo mortis. Quod tunc deferri debeat cum solitâ solemnitate, luminum, nolæ, comitatu, recitante privatas orationes, hymnos, psalmos, &c. Quibus populus excitatur ad comitandam Sacram Eucharistiam, & ad illam venerandam, non autem Horas Canonicas, vel aliud Officium Divinum patet ex dictis, & asserunt Ugolinus tab. 5. cap. 7. §. 5. Sayrus, Henriquez, Suarez, Coninck. Ex nostris Cornelio dubio 3. Lezana numer. citato. Ratio est, quia quoties aliquid permittitur, intelligitur permittere secundum quod jus disponit. Quod etiam interdictis personaliter liceat administrare Sacramentum Eucharistiæ in dicto articulo mortis, modò præcedat satisfactio docet Lezana sup. & probat ex cap. *Alma mater*. Si scilicet causam dederit interdicto, vel fuerit specialiter interdictus, ita Suarez disput. 35. sect. 1. num. 22. & 23. Coninck disp. 17. dubio 2. num. 41. Filiucius, Bonacina, & alii. Ratio universalis est, quoties potest quis absolvi sacramentaliter, toties potest recipere Sacram Synaxim. Potest tempore interdicti ministrari Eucharistia mulieri proximæ partui, dum primâ vice paritura est, vel si alias peperit cum periculo, ita Filiucius, Ugolinus, Suarez, Henriquez, Sayrus;

13. Reg. 17. v. 12

& alii. Ratio est, quia tunc censetur in probabili mortis articulo esse. Potest ministrari idem Eucharistiæ Sacramentum tempore interdicti suscipienti periculosam navigationem, ita Bonacina supra numer. 4. Suarez num. 29. Henriquez cap. 43. num. 2, noster Corneio supra. Item aggredienti prælium periculosum, vel damnato ad mortem, Ratio est quia tunc est probabile mortis periculum. Aliis verò non licet, quamvis sint Clerici, & more sœculari velint communicare, ita Ugolinus, Sayrus, Navarrus cap. 27. num. 169. Avila, Henriquez, Corneio, Covarruvias, & alii contra Sylvestrum verbo *interdictum*, Filiucium, Suarem, Angelum, & alios. Ratio est quia non oportet recedere à jure antiquo, nisi decernatur jure novo. Sed jure antiquo erat licita communio existentibus in probabili periculo vitæ, nec jus novum in hoc derogavit juri antiquo, sed tantùm cõcessum est Clericis, ut possint celebrare. Igitur non existentes in probabili vitæ periculo nequeunt licitè Sacramentum Eucharistiæ suscipere more laicorum. Licet Sacerdos celebrando Eucharistiam sumere, ut notat Bonacina numer. 8, post alios. Religiosos tamen & Moniales posse ex speciali privilegio extra periculum mortis communicare docent Tamburinus de jure Abbatum tomo 2. disput. 16. Suarez, Layman. Illistamen contradicit noster Lezana allegans illud privilegium, si non extet, esse tantùm vivæ vocis oraculum.

VI. Quoad Sacramentum Extremæ Unctionis ex sacrâ Eliæ historiâ probabile videtur posse administrari tempore interdicti localis generalis, vel particularis. Nam lib. 3. Regum cap. 17. Viduæ Sareptanæ tempore pluviæ interdictæ respondit sancto Prophetæ se habere parum olei in lecytho, quo ungeretur, ut colligere est ex verbis viduæ alterius lib. 4. Regum cap. 4. vers. 2, *Non habeo ancillæ tuæ quidquam in domo meâ, nisi parum olei, quo ungar.* Dionysius. *Pro temperamento caloris assueti.* Vel (ut alii) ante vel post mortem more Hebræorum. Licet hoc oleum typus sit Extremæ Unctionis; tamen nulli personaliter interdicto, vel tempore interdicti generalis aut particularis ministrandum est illud Sacramentum Extremæ Unctionis, ita Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 29. Navarrus num. 179. Ugolinus, Filiucius, Avila, Henriquez, Bonacina. Ex nostris Corneio dubio 5, Lezana num. 17. & alii communiter. Probatur primò ex cap. *quod in te*, de pœnit. & remiss. Secundò, ratione, quia hoc sacramentum non est necessitatis, nec pertinet ad complementum alterius, sicut Confirmatio. Quod si quæras an possit conferri in illis festivitatibus, de quibus cap. *Alma Mater*, fit mentio, respondet Corneio negativè, quia in illis festivitatibus tantùm permittuntur officia divina, non autem Sacramenta. Quod si tempore interdicti sacramentum Pœnitentiæ nequeat administrari, posse conferri sacra Unctio ad evitandum periculum mortis, affirmat noster Lezana supra cum Layman supra, Zambrano de casibus tempore mortis cap. 5. Henriquez lib. 3. cap. 10. num. 3. in glossa litt. F. Diana part. 3. de Sacramentis tract. 4. numer. 171. contra Petrum de Ledesma, Ratio est, quia probabile est hoc Sacramentum facere de attrito contritum. Quod si Doctores & jura negent tempore interdicti posse sine privilegio conferri extremam Unctionem, loquitur de casu ordinario in quo moriens recipit aliud Sacramentum, vel quando licet non recipiat, potest tamen commodè adiri judex, qui posuit illud interdictum, ut in prædicto casu illud ponat, Arriaga disp. 8. docet non esse prohibitum Religiosis Mendicantibus, PP. Societatis, & habentibus Bullam Cruciatam, conferre Sacramentum Extremæ Unctionis.

3. Reg. 17. v. 12.

VII. Sacramentum Ordinis esse præfiguratum videtur lib. 3. Regum cap. 19. vers. 16. ubi Deus Eliam ita affatur. *Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula unges Prophetam pro te.* Idest, tui spiritus participem, ac in regimine successorem creabis. Quando id præceptum est non tempore interdictæ pluviæ. Et licet tempore illo fuisset illa unctio ordinata,

3. Reg. 19. v. 16.

non

non fuit tamen executioni mandata nisi in raptu Eliæ ut notant Joannes 44. cap. 18. Dionysius, Rabanus, Theodoretus, Tostatus, Salianus, Cornelius. Quæ unctio significata fuit per immissionem pallii Eliani in Eliseum lib. 4. Regum cap. 2. vers. 13. dum *Eliseus levavit pallium Eliæ quod ceciderat.* Ideò Elias ascendens dimittebat Eliseo. Sic Sacramentum Ordinis administrari non potest tempore interdicti, quamvis Episcopus habeat potestatem, ita Navarrus num. 179. Bonacina, Filiucius, Suarez, Layman, Cornelio, Lezana, Avila, Henriquez, & alii communiter. Ratio est, quia interdictum privat perceptione Sacramentorum, nisi fiat exceptio specialis in aliquo Sacramento. At nulla extat exceptio de sacramento Ordinis. Secundò, quia quando aliquid generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, censetur denegatum, Clement. *exivi, §. porrò*, de verbor. signific. Undè (inquit Layman) non rectè sensit Innocentius cap. *non est vobis*, de sponsalibus. Clericos ordinatos posse tempore interdicti ad superiorem ordinem ascendere. Quod autem in casu necessitatis & penuriæ, qui in necessitate conferunt sacramenta posse licitè administrare ordines tempore interdicti vel in loco interdicto (si alius commodior non suppetat) docent Angelus verbo *interdictum*, 6. num. 8, Avila, Bonacina supra, Henriquez, Cornelio, Lezana supra contra Covarruviam. Ratio est, quia eo ipso, quo aliquid conceditur, censetur etiam concessum id, sine quo aliud executioni mandari nequit, alioqui esset inutilis concessio, sed jus concedit, ut tempore interdicti divina officia celebrentur servatâ debitâ cautione, & aliqua sacramenta administrentur. Igitur censetur etiam concedere Episcopis, ut ordinent sacerdotes ad illa necessarios. Dixi *interdicto*, vel *loco interdicto*. Quia qui non est personaliter interdictus potest in loco non interdicto recipere ordines non tantùm Religiosi, sed etiam Clerici sæculares, imò & laici: si tali interdicto causam nõ dederint. Addit primò Tamburinus & Lezana sup. Abbates habentes facultatem conferendi primam tonsuram, vel minores Ordines suis subditis regularibus posse id præstare tempore interdicti localis, si subditi non sint interdicti, vel non dederint causam interdicti. Addit secundò Arriaga his, qui habent bullam Cruciatam non prohiberi susceptionem sacramenti Ordinis. Ratio ejus est, quia habentes bullam possunt omnia sacramenta suscipere.

4. Reg 2. v. 13.

VIII

Quoad Matrimonium certum est reperiri aliquas analogias & differentias inter utriusque legis matrimonium conveniunt, quod sicut non fuit licitum olim contrahere matrimonium cum infidelibus & idololatris, ut patet Exodi cap. 34. vers. 16. Deuteronomii cap. 7 vers. 3. lib. 3. Regum cap. 11. vers. 2. Et graviter puniti sunt qui post mortem Josue alienigenas accepissent. Undè cap. 4. Judicum vers. 3. cùm Samson vellet accipere uxorem Philisthæam dixerunt ei parentes. *Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiis, qui incircumcisi sunt?* Porrò quàm infortunatũ fuerit ejusmodi matrimonium patet ex historiâ, & lib. 3. Regum cap. 16. vers. 31. Textus sacer signanter notat Achabi matrimonium cum Jezabele filiâ Regis Sidoniorum idololatriam invexisse in regnum Israel. *Duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum, & abiit, & servivit Baal & adoravit eum; & posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samariâ & plantavit lucum & addidit Achab in opere suo irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel, qui fuerant ante eum.* Lyranus ibi, *Duxit uxorem Jezabel, quæ erat nutrita in idololatriâ ad quam induxit virum suum, ideò subditur, & abiit, & servivit Baal, quod nullus de Regibus ante eum fecerat.* Ecce quomodò ejusmodi matrimonium erat illicitum, nisi ex speciali dispensatione. Sic in lege Evangelicâ illicitum est matrimonium cum infidelibus & hæreticis. Quod si Christianus contrahat cum fœminâ infideli, non baptisatâ matrimonium est irritũ,

l. 3. Reg. 16. v. 31.

sicum hæreticâ matrimonium est quidem illicitum non autem irritum. Differunt ambo matrimonia, primò quod nostrum sit Sacramentum à Christo institutum, & conferat gratiam quemadmodum & reliqua Sacramenta ex D. Thomâ in supplemento ad 3. part. quæst. 42. art. 1. & 3. & alibi passim Concil. Tridentin. sess. 24. can. 1. At Mosaicum fuit quidem contractus civilis, sicut nostrum, sed non sacramentum. Secundò Mosaicum dissolvi poterat per libellum repudii, ut patet Deuteronomii cap. 24. vers. 1. At matrimonium legis Evangelicæ non potest eo modò dissolvi, ex Tridentino cap. 5. & 7. Tertio Mosaicum admittebat polygamiâ & tunc licebat habere plures uxores. In lege autem Evangelicâ non, licet ex Concilio Tridentino can. 2. Quartò, in Mosaicâ lege duo tantùm gradus consanguinitatis, & tres affinitatis erant prohibiti. In nostro sunt quatuor gradus in utraque lineâ. Quintò, Matrimonium debebat contrahi inter virum & fœminam ejusdē tribus. At nostrum non restringitur ad certum tribum, vel nationem. Sextò in lege Mosaicâ frater debebat accipere uxorem defuncti, si obiisset absque prole. In Evangelicâ non est talis obligatio. Septimò in veteri lege non erat præscriptum aliquod tempus ad celebrandum matrimonium: At in lege Evangelicâ ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 10. *Ab Adventu nostri Iesu Christi, usque ad diem Epiphaniæ & Feriâ quartâ Cinerū, usque in octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter observari Sacra Synodus præcipit* Ita ut Cajetanus in repetit. C. *ad limina*, 40 quæst, 1. §. 4. num. 550. Emmanuel Rodriguez arbitrentur pœnâ gravi plectendum esse, qui contra hoc præceptum illo tempore prohibito inierit matrimonium. Posse tamen de licentiâ Ordinarii tempore vetito matrimonium absque solemnitate celebrari docent Sanchez disp. 7. numer. 12. Valerius, Galetus, Franciscus Leo, Aloysius Riccius, Barbosa, Coninck. Non improbabile est, quod tempore famis ac siccitatis triennalis à Parente nostro Eliâ prænunciatæ, nullus de contrahendo matrimonio cogitabat, nullus de propagandâ naturâ humanâ curabat, sed quomodò propriam vitam conservaret media requirebat. Nam (inquit S. Chrysomus tomo 6. homiliâ in SS. Petrum, & Eliam.) *Omnes fera moriebantur, jumenta, pueri, viri, &c. nemo servabatur sed universi propter aquarum penuriam moriebantur, &c.* Nunc verò illicitum esse personis interdictis, vel tempore interdicti localis contrahere matrimonium asserunt Filiucius quæst. 8. num. 5. Reginaldus, Suarez, Bonacina, ex nostris Corneio supra dubio 7. Lezana supra num. 19: contra Navarrum, Sayrum, Toletum, Henriquez, Coninck, Avilam, Villalobos, Dianam part. 3. tract. 4. de Sacramentis resol. 267. credentes sacramenta prohibita tempore interdicti ea dumtaxat esse, quorum administratio dependet à Ministris Ecclesiæ, cùm tamen primò, jura loquantur generaliter, & prohibeant sacramenta tempore interdicti, excepris quibusdam in quibus non recensetur matrimonium. Secundò, cùm Clementina *exivi*, §. *porrò*, de verborum signific. habeatur, quod ubi aliquid generaliter prohibetur, id quod expressè non excipitur, intelligitur denegatum, ideoq; concludendum matrimonium non posse licitè eo tempore interdicti celebrari. Benedictiones etiam nuptiales tempore interdicti sunt prohibitæ, quia sunt divina officia, quæ fiunt à solo Sacerdote cum orationibus ab Ecclesiâ præscriptis, ita Covarruvias cap. *Alma Mater*, Henriquez, Bonacina, Sanchez, Lezana supra. Si tamen fiant super conjuges non interdictos habentes privilegia assistendi divinis officiis, & cum moderatione licitas esse tempore interdicti tenent Auctores citati.

§. 8. *Tertiò*

§. 8.

Tertius Effectus Interdicti, Privatio Ecclesiastica Sepulturæ.

1. Veterum singularis cura fuit sepulchra sibi deligere, ac suas exuvias apud parentum cineres deponi. Sic lib. 3. Regum cap. 11. vers. 43. *Dormivit* (inquit sacer Textus) *Salomon cum patribus, & sepultus est in civitate David patris sui.* Zonaras & Cedrenus referunt illud sepulchrum dissiluisse, ac concidisse sub Adriano Imperatore, illumque casum portendisse tumultus ac motus Judaicos, quibus arridens Dio in Adriano lib. 69 de Judæorum defectione agens. *Id eis* (inquit) *antequam bellum gereretur fuisse denuntiatum, ex eo quod monumentum Salomonis, quem illi summâ reverentiâ colunt, suâ sponte divisum corruerit.* Eodem lib. 3. Regum cap. 14. vers. 31. *Dormivit* (inquit) *Roboam cum Patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David.* Erat summa ignominia sepulturâ maximè conjugis & parentum privari, & omnium summa asinario sepulchro donari, & horrenda a bestiis devorari. Id patet in Iezabele lib. 4. Regum cap. 9. vers. 35. cujus corpus non in sepulchro mariti in Samariâ conditum, sed cùm ad eam apparatu & ritu Regio sepeliendam, *Ministri Iehu issent, ut sepelirent eam, non invenerunt, nisi calvariam, & pedes, & summas manus.* Vers. 36. *Nunciaverunt ei, & ait Iehu sermo Dei est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbytem, dicentem: in agro Iesrael comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrael, ita ut prætereuntes dicant, hæc est illa Iezabel.* Lyranus. *Prætereuntes erunt admirantes ejus dejectionem & punitionem.* Sicut humanum & paternum sepulchrum prole defuncta gloriosum [illegible] Genesis cap. [illegible] pro merc[illegible]

Deus pollicetur honorabilem parentum sepulturam. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bonâ.* Ex his intero non immeritò in lege Evangelicâ censeri ab Ecclesiâ dignos sepulturâ sacrâ qui de illâ benè meruerunt, indignos autem, qui crimen aliquod perpetrarunt quo post obitum in societatem cadaverum fidelium admitti non mereantur. Quæ privatio sepulturæ non tantùm afficit eos, qui interdictum tam locale, quàm personale generale aut speciale incurrerunt. Licet enim tempore interdicti localis sivè generalis, sivè particularis fideles possint in locis non interdictis frui Ecclesiasticâ sepulturâ, tamen non potest illis concedi sepultura in Ecclesiâ vel Ecclesiis interdictis, quamvis sint laici innocentes, ita Ugolinus tab. 5. cap. 9. §. 4. Sayrus num. 10. Suarez, Coninck, Bonacinâ. Probatur ex cap. *quod in te*, de pœnit. & remiss. cap. *si civitas*, de sentent. excommunic. in 6. Ratio est quia ejusmodi interdictum non fertur directè in personas, sed in locum, prohibendo nè in illo quisquam sepeliatur. Infantibus etiam baptisatis denegandam esse sepulturam in loco interdicto docent Layman, Corneio, §. 3. Lezana supra. Patet ex textu, qui absolutè loquitur tam de adultis, quàm infantibus & amentibus, qui scilicet nequeunt sepeliri in loco ab Episcopo cõsecrato, vel in cœmiterio ab Episcopo benedicto. Nec refert quod infantes nõ prohibeantur interesse divinis officiis, ex hoc nõ sequitur posse sepeliri in loco sacro ob disparitatem, quia ad assistentiam divini officii, etiam requiritur actus rationis humanus & moralis, quæ in infantibus reperiri non potest. At sepultura nullum actum rationis postulat, cum sit pura passio quæ æquè convenit pueris ac adultis etiam vitâ privatis, prohibendo vivis nè defunctos suos in loc[illegible] sepeliant. Nec refert se- cum[illegible] n aliquibus festivitatibus jux[illegible] *mater*, liceat divina o[illegible] mniter celebrare. Non [illegible]en licere laicos defunctos [illegible]o interdicto sepelire, ita [illegible]orucio supr. contra Sayrum

Gen. 15 vers. 15.

1. l. 3. Reg. Cap. 11. vers. 43.

&

& alios. Ratio est, quia isti tres effectus interdicti, scilicet privatio Sacramentorum, privatio divinorum officiorum, & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ distinguuntur à jure, nec unum ab altero continetur. Igitur in concessione particulari unius alter effectus non comprehenditur, nec in illis festivitatibus totaliter auferetur interdictum. sed relaxatur dumtaxat præcisè quoad effectum celebrandi solemniter, & publicè divina officia. Paulò aliter philosophandum est de interdicto personali generali. Illi enim qui causam interdicto dederunt, cùm censeantur specialiter interdicti privandi sunt sacrâ sepulturâ, ita Suarez sect. 3. num. 2. Corneio, & Lezana supra. Imò etiam qui causam non dederunt. Ratio est, quia etiam sunt, & dicuntur interdicti, & consequenter omnes pœnas interdicti incurrere debent, quarum una est, carentia sepulturæ Ecclesiasticæ, ita Bonacina puncto 5. num. 1. Et patet ex Clementinâ 1. de sepulturis cap. *si civitas*; de sentent. excommun. cap. *si sententia*, eodem tit. in 6. Quod si interdictum sit personale particulare, persona sic interdicta quæcumque illa sit sivè sit status clericalis, sivè regularis, sivè laici debet omninò carere Ecclesiasticâ sepulturâ, ita Suarez, Corneio, & Lezana supra. Probatur ex Clement. 1. de sepulturis, & cap. *Episcoporum*, de privilegiis in 6. Quod si Ecclesiastici, sivè Clerici, sivè Religiosi causâ interdicto localinon dederint, nec specialiter fuerint interdicti, sed interdictũ observaverint. sepeliri possũt tunc in loco cõsecrato ab Episcopo, vel etiam (inquit Lezana n. 34.) benedicto, quamtumvis interdicto, modò id fiat absque solemnitate, & pulsatione campanarum, ita Sylvester supra quæst. 3. Sotus in 4. dist. 22. quæst. art. 1. & constat ex cap. *quodã te*. imò cum divino officio & missa, ut patet ex moderatione factâ cap. *Alma Mater*, ibi enim præfatis conceditur, ut possint tempore interdicti celebrare divina officia cum dictâ moderatione, ut notant Suarez disput. 35. sect. 1. Henriquez, Lezana, Quod si commode sepeliri possunt in loco non interdicto, nõ sunt sepeliendi in loco interdicto, ex Layman, Suare, Sylvestro, Lezana supra. Nomine interdicti personaliter & specialiter (cui neganda est sepultura Ecclesiastica) intelligi tunc nominatim denunciatus, ita Lezana num. 34. Ratio est, quia jura extrâvagantem *ad evitanda*, nullum censurâ affectum vitare debemus nisi nominatim denunciatum sub nomine. At in interdicto personali generali sufficit denominatio nominatim, non sub nomine singulorum de populo, sed sub nomine civitatis, populi, collegii, ita Lezãna supra, Bonacina, Layman, & alii. Ratio est, quia moraliter impossibile est, ut omnia membra unius cõmunitatis civicę alio modo denuncientur. Quidquid in cõtrarium dicant Corneio. Addunt Toletus in summa lib. 5. cap. 52. numer. 2. Navarrus in manuali cap. 27 num. 178. Etiam interdictum locale non obligare nisi denuncietur. Idem Navarrus, Avila, docent corpora tempore interdicti localis in loco non sacro sepulta sublato interdicto exhumanda, & ad locum sacrum transferenda. Quod si corpora defunctorum non personaliter interdictorum & denunciatorum in loco interdicto illegitimè sepulta sint non debent exhumari secundùm eosdem & alios. Plura de his apud Auctores citatos, & alios.

§. 9.

Cessatio à Divinis.

L Cessatio à Divinis, quæ & suspensio organorum dicitur, est Ecclesiastica prohibitio, quâ ministris Ecclesiæ prohibetur persolvere divina officia, Sacramenta administrare, nisi urgeat necessitas, & sepelire laicos, ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 188. Suarez tomo 5. de censuris disput. 39. sect. 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *cessatio à divinis*, num. 1. Layman & alii. Differt hæc cessatio seu suspensio organorum à suspensione organorũ tempore Babylonicæ captivitatis, quod illæ

illa sit Ecclesiastica, & à Prælato Ecclesiastico indicta, hæc minimè: sed ab ipsis Hebræis sponte præ nimio dolore facta psal. 136. vers. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion, in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra.* Titelmannus. *Cùm abduceremur captivi in Babylonem à terra Patrum nostrorum, in itinere adhuc constituti transmigrationis, resedimus atque demorati sumus juxta fluenta Babylonis ubi ad demorandum locus aptior videbatur, illicque sedentes, atque demorantes lugubres fletus edidimus cùm nobis in mentem veniret desolatio civitatis sanctæ Jerusalem. & terræ illius sanctæ miseranda desolatio, & quomodo templum, quod in eâ erat solemne domino, igne combustum sit, & vasa sacra prophanata, aliaq; indigna plurima in loco sancto commissa, simul etiam dolentes nos à loco illo sancto, quem sibi Dominus sic elegerat, per transmigrationem hanc elongari. Quis enim ista considerans lacrymas valeat continere, ingressi in Babylonicam terram, jam velut in medio ejus positi, videntes quàm esset locus hic à terrâ nostra alienus, instrumenta latitiæ, quæ attuleramus nobiscum, in quibus cantare eramus soliti, suspendimus ad salices quæ erant juxta fluenta, ubi morabamur.*

Psal 136 vers. 1.

Titelmannus.

II. Cessationem Ecclesiasticam non esse censuram sustinent Suarez disp. 39, sect. 1. num. 13. & seq. Lezana supra, Layman & alii. Et colligitur ex Clement. 1 de sentent. excommun. Ratio est, quia licet habeat aliquam analogiam cum interdicto locali, tamen reipsâ differt eo quod hæc cessatio non sit pœna, sed simplex prohibitio divinorum in signum gravissimi mœroris ab Ecclesia concepti ob insignem injuriam sibi, vel honori divino illatam, ut hac ratione is, qui injuriâ Ecclesiam affecit cogatur desistere, & Ecclesia læsæ satisfacere. Differt etiam ab interdicto, quod hoc aliquando feratur in personam aliquam, cessatio verò tantùm in locum, Layman supra, Lezana, & Bonacina.

III. Cessatio præfata duplex est, | alia generalis, alia particularis. Generalis respicit Regnum, Provinciam, Civitatem, Castrum. Particularis aliquem locum, seu Ecclesiam particularem, ita Sylvester verbo *cessatio à Divinis*, num. 1. Lezana supra.

Causa efficiens cessationis, seu is potest præscribere cessationem, qui potest interdicere. Ut Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, Episcopus respectu suæ Diœcesis, & alii habentes jurisdictionem in foro exteriori seu contentioso, Sayrus lib. 5. cap. 18. num. 3. Layman supra num. 5. Lezana num. 2. Item Capitulum Sede vacante, Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 2. Suarez, Covarruvias & alii communiter verbo *cessatio*. Et probatur ex Glossa cap. *si Canonici*, verbo *cessare*, de off. ordinarii in 6. Existimat Tamburinus de jure Abbatum tomo 2. disp. 16. quæst. 2. Abbates posse ordinare cessationem illam, sed Lezana asserit esse admittendam, quando Abbates habent populum sibi subjectum, ac jurisdictionem in foro exteriori. Causa materialis remota cessationis est delictum gravissimum publicum, & contumaciter perseverans contra immunitatem Ecclesiæ, vel aliud commune bonum, ita Layman, Lezana & Bonacina supra. Proxima est locus in quo ponitur cessatio. Formalis causa sunt verba, quibus declaratur scilicet *Nos ob talem causam præcipimus*, vel similium, quibus exprimitur, quæ in cessatione denunciandâ servari debent, ita Sayrus cap. 18. numer. 11. Lezana supra num. 2. de conditionibus in illâ observandis legi possunt, cap. *si Canonici*, & cap. *quamvis*, de officio ordin. cum glossis, & apud Suarem disp. 39, sect. num. 7. Sylvestrum, Tamburinum.

IV. Cessationis à divinis nonnulli referuntur effectus. Primò omittitur recitatio publica divini officii, seu Horarii Canonicarum, Missarum, &c. An autem sit alia moderatio pro aliquibus anni festivitatibus, Summistæ non conveniunt. Vide Sayrum, Suarem, Henriquez, Layman, Lezanam quæst. regul. tomo 1. cap. 21. num. 19 & tomo 3. verbo *cessatio à divinis*, numer. 3. Tempore cessationis non licet pulsare campanas, ita Lezana supra.

Ratio est, quia illæ pulsantur propter divina officia. Possunt tamen pro concione, & ad *Ave Maria*, & similia pulsari, nisi obstet consuetudo. Ratio est, quia non sunt officia divina, ita Bonacina, Suarez, Lezana supra. Possunt dici ex obligatione privatæ orationes etiam in templis, Suarez num. 2. Lezana supra. Ratio est, quia istæ computantur inter privatas orationes Sayrus lib. 1. de censuris, cap. 19. numer 5. & Gavantus in manuali Episcoporum verbo *cessatio à divinis*, num. 7. Lezana supra, censent Episcopum posse celebrare in Ecclesiâ tempore cessationis, maximè si cessatio sit ab ipso posita. Nonnulli etiam docent Horas Canonicas posse tunc dici à duobus. Bonacina num. 4. Lezana supra, & Suarez resolvunt posse in illa Ecclesia celebrari ad renovandam Eucharistiam ob necessitatem infirmorum, & nè species putrefiant, quamvis tunc prohibeantur divinis assistere, ex Bonacinâ & Lezana. Ratio est, quia specialiter pro illis ponitur cessatio. Secundus effectus cessationis à divinis est privatio Sacramentorum Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, quæ nequeunt tunc administrari. Potest tamen Baptismus in gravi necessitate parvulis, morientibus sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ pro viatico, ita Lezana supra. Et probat ex cap. *non est vobis*, de sponsalibus, & consequenter potest tunc celebrari pro consecratione hostiæ morienti ministrandæ, si non extet alia. Gavantus in manuali Episc. verbo *cessatio à divinis*. num. 8. Sayrus asserunt quod si deessent sacerdotes necessarii, tunc potest sacramentum Ordinis conferri. Tertius effectus est respectu laicorum privatio sepulturę Ecclesiasticæ, ita Henriquez lib. 3. cap. 53. Lezana supra num. 4. & alii. Dixi respectu laicorum, nam secundum opinionem multorum, Ecclesiasticæ personæ, & Religiosi possunt tunc gaudere sepulturâ sacrâ, modò sepeliantur absque officio divino. Nonnulli etiam id asserunt de laicis. Ratio eorum est, quia nullo jure oppositum probari potest. Vide Avilam, Coninck, Layman.

§. 10.

De Interdicto ingressus Ecclesiæ.

L. ETsi privatio ingressus Ecclesiæ cum interdicto simpliciter personali convenire videatur, tamen ab eo differt, primò, quod personale privet participatione ubique. Interdictus autem ingressus Ecclesiæ sit privatio eorum, quæ in Ecclesiâ celebrantur, ita ut interdictus nequeat in illâ celebrare, vel audire sacrum, aut alia officia, quamvis in oratorio privato, domi, in agro, &c. posset, ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 170. ex nostris Cornelio §. 4, Lezana num. 36. Et probant ex cap. *is cui*, de sent. excomm. in 6. Secundò differunt, quod personale simpliciter dictum non privat ingressu Ecclesiæ ad preces fundendas, quando divina officia non celebrantur, at interdictus Ecclesiæ ingressus privat ingressu etiam ad privatim orandum, ita Sylvester supra, Cornelio §. 4. Et probant ex cap. *latorem*, 33. quæst. 2. Ita ut non liceat tunc intrare in Ecclesiam formaliter scilicet ad aliquod officiũ Ecclesiasticum persolvendum, vel ad privatas orationes faciendas, licitus tamen sit ingressus materialiter sumptus, verbi gratiâ, operarius ad opera prophana peragendum, ad discurrendum, ad aliquam statuam, imaginem inspiciendam, Navarrus supra, Reginaldus, Coninck de sacramentis, disp. 17. dubio 2. Bonacina, Avila, Covarruvias, & alii apud Dianam resol. 72. asserentes non prohiberi ingressum Ecclesiæ ad privatim orandum tempore, quo divina officia non celebrantur, quamvis ibi sit repositum Venerabile Sacramentum. Et explicant cap. *latorem*, de pœnitentiâ impositâ matricidæ. Utraque opinio cùm tot graves habeant Auctores probabilis est. Certissimum hoc unicum est, per hunc ingressum interdictum non prohiberi ingressum materialem in Ecclesiam incidenter vel transeunter, vel ad discurrendum, ut dictum est, nostri Lezana post Filiu-

cium

cium, Bonacinam, Dianam, resolvunt posse tunc in cœmiterio celebrari, & audiri Sacrum. Ratio est, quia in materiâ odiosâ & pœnali cujusmodi est nomen Ecclesiæ non extendi debet ad cœmiterium. Sayrus de suspensione cap. 7. num. 2. Avila, Henriquez, Bonacina, docent posse tunc intra Ecclesiam recipi Sacramentum, quando non celebrantur divina officia. Sed probabilius id negant Sylvester verbo *suspensio*, quæst. 5. Suarez disp. 35. sect. 4. numer 5. Coninck, Angelus, Layman, Lezana. Tempore ejusmodi interdicti posse in Ecclesiâ exerceri actus jurisdictionis in foro exteriori, ut excommunicare, &c. Docent Bonacina & Avila supra quamvis non possit dari absolutio sacramentalis. Ratio est, quia absolutio sacramentalis est actus Ordinis cujus functionem prohibet ejusmodi interdictum. Hoc interdictũ etiam vetat Ecclesiasticam sepulturam in loco sacro etiam specialiter interdicto, tam in Ecclesiâ quam in Cœmiterio, ita Navarrus num. 176. Sylvester, Filiucius, Reginaldus, Avila, Sotus Suarez. Henriquez, Bonacina. Lezana supra, Corneio. Et probatur ex cap. *is cui*, ibi. *Talis quoque si hoc interdicto durante decesserit, non debet in Ecclesiâ, & cœmiterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri.* Ubi notat Corneio, quod si sic interdictus sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali interdicto ab homine facto, citatque Covarruviam, Avilam. Ratio est, quia eo ipso, quod obijt cum pœnitentiâ mansit absolutus à jure, si quidem hoc interdictum, quantum ad hunc effectum erat positum, nisi pœnituerit, sicque illâ conditione impletâ manet sublatum.

§. II.

Pœna violantium Interdictum.

1. REx Ozias, seu Azarias cernens se tam diurno 49. annorum imperio fulgentem, tot victoriis undique conspicuum, tantâ pace, tot divitiis abundantem, denique tam præsenti Dei ope corroboratum, novâ insuper se prole auctum lib. 2. Paralip. cap. 26. vers. 16. *Elevatum est cor eius in interitum suum.* Occasione nativitatis, aut oblationis ejus in templo post quadragesimum diem voluit senex in solemniori sacrificio ingredi Sancta sanctorum, ibique munus sacerdotis obire. Sed hanc temeritatem non impunè tulit, ut habetur lib. 4. Regum cap. 15. vers. 5. & lib. 2. Paralip. cap. 26. citato. Nam quia verba sacerdotis corripientis neglexit Dei verbera sensit, leprâ enim percussus est, quia obtulit Pontificis incensum super altare thymiamatis, quod erat in Sancto, ut refertur lib 2. Paralip. cap. 26. vers. 16. 17, 18. 19. Leprâ enim (inquiunt Interpretes) erat supplicium rebellantium, vel usurpantium officium Sacerdotum.

II. Deus non minus exandescit in eos qui interdictum, vel cessationem à divinis parvi pendentes violant. Et primò quoad violationem interdicti generalis vel specialis factam à laico hæc advehit culpam mortalem, ita Innocentius in cap. *de excessibus prælatorum*, Hostiensis & alii apud Sylvestrum verbo *interdictum*, 6. quæst. 7. Sayrum, illis subscribunt Suarez, Coninck, Bonacina, Layman. Ratio est quia faciunt contra prohibitionem censuræ in materiâ gravi, maximè dum per violentiam se ingerunt divinis officiis in loco interdicto, vel Clericis jubentibus exire obtemperare nolunt. Secundò, si fraude vel mendacio impetrent ingressum, verbi gratiâ, fingendo se esse Clericos, vel privilegiatos. Ejusmodi enim fraus æqualem ferè violentiam erga ministros Ecclesiæ in re gravi arguit. Tertiò si inducant Clericos ut celebrent divina officia coram ipsis, & multò magis, si ipsi laici more Clericorum officium, verbi gratiâ, Canonicum in loco interdicto persolvant. De his casibus consulendi sunt Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Coninck, Henriquez, Navarrus cap. 27. num. 187. Avila, & alii. Quod si in loco interdicto laicus vi vel fraude accipiat Sacra-

mentum, verbi gratiâ, Eucharistiæ, vel aliud administrari prohibitum, peccat mortaliter, ita Suarez disp. 33. sect. 2. num. 6 & disp. 34. sect. 3. numer. 9. Coninck. Layman. Ratio est, quia saltem inducit, vel cooperatur Clerico ad id, quod exercere nequit absque offensâ mortali. Quod si Dominus temporalis compellat in interdicto loco Clericum publicè, ac solemniter celebrare divina, vel pulsu campanæ, vel voce preconis, curet populum convocari ad audienda divina, vel eos impedat nè excommunicati aut interdicti egrediantur Ecclesiâ, dum in eâ Missæ sacrificium celebratur, postea quam à celebrantibus moniti fuerint; si denique ipsi excommunicati moniti exire præsumpserint manere, non tantùm mortaliter peccant, sed etiam incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ita Navarrus supr. num. 104. Layman, ex nostris Corneio apud Lezanam. num. 41.

III. Clerici tam sœculares quàm regulares violantes interdictum locale, vel personale tàm generale quàm speciale peccant mortaliter ex suo genere, ita Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Navarrus supr. num. 187. Bonacina, Layman, noster Lezana sup. num. 37. contra unicum Cajetanum verbo *interdicti violatio*. Ratio est, quia faciunt contra præceptum Ecclesiæ, in re gravi, & quæ ipsos directè tangit.

IV. Clerici scienter violantes interdictum per exercitium alicujus ordinis sacri incurrunt irregularitatem, ita Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Suarez, Coninck, Henriquez Ugolinus, Sayrus, Avila, Cajetanus, Sylvester, Bonacina, Layman, Toletus, ex nostris Corneio supr. §. 2. dubio unico, Lezana supr. num. 37. Et probatur ex cap. *is cui*, de sentent. excommunic. in 6. in quo textu additur particula *scienter*, quia ad hanc irregularitatem incurrendam debet celebrans id facere ex scientiâ & malitiâ non autem ex negligentiâ, vel ignorantiâ etiam culpabili, ita Suarez, Corneio, & Lezana supr. Pro clariori hujus rei intelligentiâ notant Filiucius num. 56. Suarez disp. 33. num. 8. Bonacica supr. num. 4. posse interdictum à Clerico tripliciter violari, primò dum confertur sacramentum interdicto, ita tamen ut nec ipse Sacerdos, nec locus sit interdictus, & probabile est hoc modo non incurri irregularitatem. Ratio est, quia hic casus non est expressus in jure. At irregularitas non incurritur nisi in casibus in jure expressis. Secundò, dum Clericus personaliter interdictus exercet actum ordinis, verbi gratiâ, confert Sacramenta. Tertiò, dum ipse non est interdictus, sed sacramenta confert in loco interdicto. Et his duobus casibus incurritur irregularitas. Idem censendum est de Subdiacono qui solemniter canit Epistolam in loco sacro tempore interdicti, ita communiter Doctores apud Bonacinam. Sacerdos fit etiam irregularis aspergendo populum in principio Missæ cum versiculo *Asperges*, vel habens potestatem benedicendi calices, paramenta, illa tunc benedicit. Item qui cereos in die Purificationis, olivas in die Palmarum, ita Filiucius, Sayrus, Sylvester, Bonacina, & Reginaldus locis citatis, Suarez. Item Sacerdos Hebdomadarius incurrit irregularitatem celebrans officia divina ex officio, verbi gratiâ, inchoando, vel perficiendo divinum officium cum solemnitate. Ratio est, quia hoc est proprium Sacerdotis vel Diaconi. Non autem si hoc faciat, nō ut Hebdomadarius, sed ut laicus, quamvis ea in choro recitet. Vel si materia sit ita parva, ut (inquit Suarez sect. 4. num. 15.) ex judicio prudentis non sufficiat ad peccatum mortale. Si Clericus aliquem sepeliat in loco interdicto cum officiis divinis, & Missâ, contrahit irregularitatem, non autem si absque divino officio & actu ordinis, ita Bonacina. Ratio est, quia non violat interdictum. Non etiam fit irregularis Sacerdos qui tempore interdicti pulsat campanas ad missam, sed postea januis clausis celebrat missam nemine præsente, vel non celebrat, ita Suarez numer. 15. Henriquez cap. 46. num. 1. Bonacina num. 9. contra Filiucium numer. 64.

Ratio

Ratio primæ partis est, quia hic non violat interdictum per exercitium ordinis sacri, licet illud violet per sonum campanarum, & mortaliter offendat. Ratio secundæ partis est, quia pulsatio campanarum non est actus ordinis. Secundò, quia licita est celebratio missæ tempore interdicti generalis, localis, modò fiat januis clausis. Qui celebrat januis apertis, quamvis nullus ingrediatur fit irregularis, ita Sayrus, Bonacina. Ratio est quia celebrans januis apertis violat interdictum exercens actum ordinis. Bonacina distinguit locale generale ab interdicto speciali locali, quod interdictum generale locale non violetur celebrando januis clausis, sicut violatur in loco speciali interdicto celebrando januis clausis absque sono campanarum. Si quis nullâ censurâ irretitus non fit irregularis curando, ut aliquis aliquâ censurâ affectus celebret, ita Avila supr. Bonacina numer. 11. contra Ugolinum, Navarrum in manuali cap. 27. numer. 144. Covarruviam, Ratio prima, quia non dicitur propriè violare censuram per exercitium ordinis sacri, sed est causa cur alter celebret. Ratio secunda, quia hoc non est expressum in jure. Nec obstat cap. *illud*, de Clerico excommunicato vel deposito allatum à Navarro. Nam ibi sermo tantùm est de clerico excommunicato qui celebrare præsumit. Is contrahit irregularitatem, qui celebrat in Ecclesiâ cujus ingressus est prohibitus interdicto vel suspensione, ita Bonacina. Ratio est, quia violat per exercitium ordinis, non autem est irregularis si celebret extra Ecclesiam, seu in Oratorio privato. Quod si præter interdictum & suspensionem ab ingressu Ecclesiæ sit etiam suspensus à divinis, fit irregularis faciendo divina in quocumque loco, ita Avila part. 7. disp. 9. sect. 1. dubio 4. Sayrus, Navarrus, Sylvester, Bonacina, Filiucius, & alii, patet ex superiori ratione. Qui inserviunt celebranti altari interdicto, si non faciant functionem ordinis nō fiunt irregulares, ita Filiucius num. 36. Suarez disp. 35. sect. 3. num. 19. contra quosdam apud eundem. Econtra fit irregularis, qui celebrat in altari interdicto, ita Bonacina num. 13. Ratio est quia violat interdictum per actionem ordinis sacri. Sacerdos seu Clericus interdictus recipiens Sacramenta non incurrit irregularitatem, ita Filiucius, Bonacina, Suarez. Ratio est quia illa recipiendo non exercet actum ordinis. Sacerdos etiam non fit irregularis qui privatim baptisat, vel assistit matrimonio tempore interdicti, ita Bonacina. At non potest benedicere sponsis, vel solemniter baptisare; ita Bonacina post Sayrum, Sanchez, Suarez, Filiucium, Henriquez, Ugolinum, Paludanum, D. Antoninum, & alios. Quibus subscribit Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 2. alleg. 32. num. 205. contra Angelum, & quosdam alios. Ratio est, quia etsi matrimonium non sit prohibitum, tamen benedictiones sunt prohibitæ, quia fieri nequeunt nisi a sacerdote, & matrimoniales tempore Missæ, ut patet ex Missali Romano, & consequenter continet officium Ecclesiasticum quod constat esse prohibitum tempore interdicti. Ugolinus, Sayrus, Covarruvias, Navarrus, Suarez disp 34. sect. 1. numer. 21. Avila, Henriquez, & alii addunt etiam benedictiones matrimoniales cum aliquâ moderatione esse prohibitas. Ratio est, quia etsi divina seu Ecclesiastica officia permittantur tempore interdicti cum illâ moderatione, tamen excludendi sunt laici, ut post Glossam in cap. *adjicimus*, verbo *interdictis*, tenent Ancharanus & Auctores citati asserentes laicos esse excludendos non tantùm ab integris officiis, sed etiam à qualibet eorum parte, ita ut nec ad faciendam oblationem in medio Missæ, nec extra Ecclesiam ad pacem dari solitam sint admittendi in missâ. Ideoque cùm hujusmodi matrimonium contrahi nequeat absque præsentiâ laicorum, ut sunt contrahentes, nec dari benedictiones poterunt. Quidquid contra sentiant Covarruvias, Henriquez, Avila, Sylvester, & alii. Nihilominus posse dari solemnes benedictiones in festivitatibus Paschatis, Nativitatibus Domini, &c. ex Concilio Tri-

dentino sess. 24. de reform. cap. 10. de matrimonio, censent Ugolinus, Sayrus, Avila, Alterius, Sanchez, Covarruvias, Vivaldus, Henriquez, Barbosa num. 106. & alii. Plura de hâc materiâ matrimonii concernente jurisdictionem Episcopi apud plurimos Auctores, quos recensèt Barbosa num. 107. Quod si Clericus interdictus celebret in loco interdicto duplicem irregularitatem incurrit, debetque procurando dispensationē exponere utramque circumstantiam, ita Suarez disp. 33. num. 12. Filiucius, Bonacina. Quod si Ecclesia interdicta non sit denunciata interdicta, ibi celebrans non fit irregularis, ita Suarez disp. 34. sect. 4. num. 14. Bonacina. Ratio est quia post Extravagantem *ad evitanda*, non dicitur vitanda. Nec celebrans coram interdicto suspenso fit irregularis, ita Avila, Snarez, Filiucius, Ugolinus, Navarrus cap. 25. num. 94 Bonacina, & alii. Ratio est quia ejusmodi irregularitas non extat in jure. Clericus communicans cum nominato interdicto, in iis rebus à quibus est interdictus non fit irregularis, sed tantum peccat mortaliter, verbi gratiâ, si celebret, vel illum ad divina officia admittat, vel ad sepulturam Ecclesiasticam interdicitur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerit ad arbitrium Episcopi, qui tulit interdictum, ita Filiucius, Avila, Ugolinus, Sayrus, Navarrus, cap. 25. numer. 94. Tabiena, Sylvester, Bonacina, Suarez disp. 37. sect. 1, quæst. 5, Coninck de interdicto, & alii. Avila id etiam extendit ad Clericos habentes regimen Ecclesiæ, qui admittunt, vel permittunt ejusmodi interdictos audire divina officia, non verò quando more laico fit officium divinum. Ratio est (inquit Emmanuel Sa) Laici non tenentur exire nisi in casibus allatis ab eo. Si tamen præsumāt sepelire interdictum nominatum in loco sacro, fiunt excōmunicati in excommunicatione Episcopo reservatâ, ita Bonacina. Et probat ex Clementinâ 1. de sepulturis. Quod si quis communicet cum interdicto in rebus humanis, non peccat, ita Henriquez, Bonacina, & alii. Ratio est, quia non tenetur vitare interdictum in iis rebus, in quibus non est interdictus. At interdictum prohibet tantùm divina officia, sacramenta, & sepulturam. Sicut communicando cum excommunicato tolerato, non peccamus, ita communicando cum interdicto non denunciato, seu qui non est expressus nomine proprio, vel nomine officii, vel alio signo manifestante talem personam in particulari, non peccamus, nec irregularitatem incurrimus, ita Filiucius numer. 57. Reginaldus, Bonacina, Suarez, Henriquez, Coninck, Rodriguez. Non sequitur tamen quod quando fertur ab Episcopo, vel alio potestatem habente interdictum personale in aliquod collegium, vel communitatem non sint nominatim interdicti, ita Filiucius, Sayrus, Suarez, Coninck, Avila, Bonacina, & Alii apud Henriquez cap. 42. num. 7. Ratio prima est quia ferè impossibile est interdicendo communitatem nominare singulos. Secunda, quia singuli sufficienter censentur denunciati nomine communitatis, quæ nihil aliud est, quàm singuli homines. Tertia, in interdicto generali locali non debent necessariò exprimi singulæ Ecclesiæ, sed sufficit collectivè, quo totus locus comprehendatur, verbi gratiâ, si dicatur, singulæ Ecclesiæ maneant interdictæ. Eodem modo concludendum de personali. Nec denique illi vitandi sunt, quod Episcopus hoc modo generali denunciavit interdictos. *Qui res Ecclesiæ furati fuerunt, sunt interdicti*, ita Avila, Sayrus, Bonacina supra. Præfatas pœnas, & plures alias incurruut Regulares, de quibus consule P. Lezanam tomo 3. quæst. reg verbo *interdictum*, & ab eo alios Auctores citatos.

V. Duo dumtaxat præfatis subjicio, primò Clericum, cui specialiter est interdictum officium, vel aliquis ordo nequit præsentari, si obstet interdictum ordinis requisiti, vel alterius rei in præsentando, ita Vivianus in praxi juris patronatus part. 2. lib. 6. part. 4. cap. 9. num. 9, Lamberrinus, Barbosa de officio & potest. Episcopi alleg. 72. num. 99. Secundò, qui est interdictus injustè vel nulliter ab ingressu

gressu Ecclesiæ, si constet de injustitiâ vel nullitate, potest recuperare quotidianas distributiones, Bonacina de censuris disp. 2, quæst. 2. puncto 2. §. 6. Moneta, Cevedo, Sanctarellus, Trullench. Quod si Ecclesiæ interdictæ vel pollutæ Beneficiatus in eâ solitus residere non dederit causam interdicti quotidianas distributiones consequetur, Bonacina, Sanctarellus, Moneta, Barbosa, Henriquez, Emmanuel Sa, Filiucius. Ratio prima, nemo debet incommodum, aut damnum pati absque suâ culpâ, & ob injustam alterius actionem. Secunda, privatio distributionum est pœna, sed pœna non est solvenda ab eo qui non offendit, cap. *sicut dignum*, de homicidio. Plura de distributionibus recipiendis tempore cessationis à divinis, incarcerationis iniustè, &c. Vide Barbosam alleg. 53. Bonacinam.

§. 12.

Absolutio seu Relaxatio Interdicti.

I. POtest interdictum latum ab homine, vel suspendi ab eo, qui tulit interdictum in totum, vel quoad aliquos effectus, ita Sylvester, Filiucius, Reginaldus, Avila, Coninck Henriquez, Bonacina, Layman, Arriaga, Lezana supr. numer. 40. Vel ab ejus successore, aut superiore, ita ut nequeat auferri ab aliis etiam in foro sacramentali. Ratio est, quia aliàs perturbaretur tribunal judicis ferentis.

II. Interdictum locale à jure potest auferri ab Episcopo, ita Filliucius, Avila, Reginaldus, Henriquez, Coninck, Bonacina, Arriaga. Ratio prima est, quia Episcopus potest dispensare in iis, quæ non sunt reservata, sed interdictum locale juris non est reservatum. Secunda, colligitur ex cap. *nuper*, 29. de sentent. excommunic. quia ex unâ parte in ablatione illius nullius tribunal turbatur. Dixi *ab interdicto lato à jure*, quia si sit latum à Papâ, tanquam ab homine, Bonacina existimat non posse ab Episcopo absolvi. Primò, quia inferior non habet jurisdictionem in superiorem, Papa autem est superior Episcopis. Secundò quemadmodum Episcopus nequit concedere facultatem celebrandi in loco à Papâ interdicto, stante interdicto, ita nequit auferre interdictum latum à Papâ ut ab homine. Dixi secundò, *ab interdicto locali*, quia nequit Episcopus absolvere ab interdicto personali nisi occulto, seu quod non potest probari, ita Nicolaus Garcias, num. 46. Filiucius, Suarez, Bonacina, Jacobus de Graffis. Seu occulto; idest non notorio apud omnes, licet possit probari per aliquos testes, sufficit enim non esse divulgatum, possitq; aliquâ tergiversatione celari, ita Toletus, Navarrus, Sorbus, Vivaldus, Lelius Zechius, Vega, Guitierez, Emmanuel Rodriguez, Piacesius, Zerola, Azorius, Suarez, Alterius, Sayrus, Molina, Avila, Ugolinus, Paulus Comitolus, Sanchez, Aloysius Riccius, Valerius Reginaldus, Bartholomæus, Sigismundus à Bononia, Hieronymus Rodericus, Floronus, Alzedo, Campanile, Marcellus, Marchinus, Duardus, Gavantus, Barbosa de officio & potest. Episc. alleg. 39. numer. 10. & alii. Imò Episcopum posse dispensare quamvis interdictum sit materialiter publicum non verò formaliter, cēsent Emmanuel Sa verbo *Episcopus*, Emmanuel Rodriguez, Sayrus, Sanchez, Ugolinus, Piacesius, Bonacina, Galetus, Aloysius, Sigismundus à Bononiâ, Campanile.

III. An Episcopus possit ob certam festivitatem, vel aliam publicam occasionem interdictum suspendere ad tempus, dubitatur. Negant, Avila, Henriquez, Joannes de Machado. Ratio prima est, quia Episcopi sunt inferiores lege Pontificiâ, ac proindè eam servare, non autem privilegio, vel dispensatione tollere possunt juxta cap. *cum inferior*, de major. & obed. Secunda, quia censura secum advehit executionem, igitur ejus effectus suspendi nequeunt per appellationem, cap. *pastoralis*, §. *verum*, de appellat. Ergò nec Episcopus inferior poterit eam suspendere, Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Emmanuel, Suarez

post

post Sylvestrum docent interdictum à jure prolatum posse suspendi ab Episcopo. Probant ex cap. *nuper*, versu *in secundo*, de sentent. excommun. Cùm igitur talis interdicti absolutio nemini soleat reservari, sequitur quod proprius, Episcopus possit illud in totum tollere, & à fortiori suspendere ad tempus juxta regulam, l. *qua tota*, ff de rei vindic. Covarruvias in cap. *Alma mater*, Henriquez, Suarez. Hâc distinctione utuntur: Vel enim interdictum ab homine prolatum est scilicet ab Episcopo, vel ab aliis. Si ab Episcopo, ipse qui protulit, potest pro tempore, vel causâ suspendere, verbi gratiâ, pro certâ festivitate, pro novâ professione faciendâ, pro sepulturâ alicujus personæ, & ita intelligi debet cap. *dilectis*, si ab aliis sit editum interdictum, verbi gratiâ, à Pontifice, vel aliis Prælatis, non potest Episcopus totaliter relaxare, nec ad tempus suspendere. Ratio est, quia effectus censuræ pendent ab intentione & nutu interdicentis, cap. *veniens*, 2. de testibus, & eo modo ligant quo intendit, qui ligat l. *non omnis*, ff *si certum petatur*, & cap. *cum super*, de offic. delegati. Barbosâ part. 2. alleg. 38. num. 5. post Abbatem, Sylvestrum, Avilam, & alios resolvit nullum interdictum locale vel personale à jure vel ab homine prolatum posse ab Episcopis, vel aliis inferioribus Romano Pontifice (quamvis protulerint ad tempus) suspendi. Quod si dicas interdictum latum à jure, & omnem aliam censuram juris posse absolvi ab Episcopis. Avila, Abbas, Barbosa, respondent non ideò posse suspendi ad tempus. Ratio est, quia absolvendo in totum agit secundùm naturam actus, & juris dispositionem. Suspendendo autem effectum censuræ, quæ adhuc manet, agit contra naturam ipsius censuræ. Nam medium ordinatum à jure ad tollendas censuras est absolutio. Cum censuræ proferantur ut non semper durent, sed ut cessent contumaciâ cessante, ideoque quando lex censuram imponens nemini reservat absolutionem, videtur relinquere Episcopis, ut ministris ordinariis potestatem absolvendi. Suspendere autem effectum censuræ quæ manet, est species dispensationis, ut scilicet contra juris probationem exerceantur ipsi actus censuræ prohibiti. At nullibi expressum est quod Episcopi possint suspendere interdictū, vel aliam censuram manentem ac ejus effectus. Imò contrarium decidit Textus de excommunicatione in cap. *cum desideres*, de sentent. excommun. quod etiã probat Suarez tomo 5. disp. 5. sect. 4 contra Navarrum. Probabilius tamen est posse interdictum ab Episcopo suspendi ad tempus, vel ad certum effectum, ita Sayrus, Layman, Arriaga. Probariq; potest ex historiâ sacrâ Eliç lib. 4. Regum cap. 8. referente Giezi locutum fuisse regi, eique narrasse miracula edita ab Eliseo, vers. 4. *Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus.* Vers. 5. *Cùmq; ille narraret Regi quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad Regem pro domo suâ, & pro agris suis, dixitq; Giezi domine mi Rex, hæc est mulier, & hic est filius ejus, &c.* Quomodò Giezi potuit agere cum rege, cùm in lege esset statutum ut leprosi nullo modo cum aliis conversarentur. Levitici cap. 13. vers. 46. *Omni tempore, quo leprosus est & immundus solus habitabit extra castra.* Respondent Torniellus, Salianus, Cornelius, & alii esse hysterologiam: quia prophetia sancti Eliśei de fame septenni fuit ab eo facta, priusquam Giezi leprâ percuteretur, scilicet ante quinque vel sex annos, ideò autem recensetur cap. 8. eo quod mulieri hospitæ suæ, cui Eliseus hanc famem prædixerat, post famis septennium in terram suam revertenti contingerint ea, quæ capite 8. vers. 5. & sequentibus referuntur. Undè concludunt quod Giezi colloquens cum rege, vers. 4. necdum esset leprosus, ideòque hoc colloquium regium cõtigisse priusquam veniret & curaretur Naaman. Sed non minus probabile est Giezi accessisse ad Regem dum esset leprosus absque periculo infectionis. Illudque commercium fuisse permissum ex singulari sancti Eliśei, seu potius Dei dispensatione. Voluit enim

4. Reg. c. 8. v. 4

Eliseus

Eliseus pro hac vice suspendere effectum illum, scilicet separationem ab aliis, voluitque ut pro hac vice haberet Giezi commercium cum Rege, eique miraculum pueri resuscitati, aliaque magnalia edita ab Eliseo commemorare, licet esset adhuc leprosus. Sic potest Episcopus quasi alter Eliseus interdictum suspendere ad tempus, vel ad certum effectum ob casus allatos, vel adventum Principis, ita ut tali tempore vel actu transacto redeat jus interdicti. Probatur ex Glossâ 1. in fine in cap. *praesenti*, de sentent. excommun. lib. 6. & expressâ decisione textus in cap. *dilectis*, 55. vers. *quia verè*, de appellat. ibi *cujus effectum ad tempus duxerat suspendendum.* Et ibi notat Glossa. Confirmantque Covarruvias cap. *Alma mater*, Lauretus de Franchis asserentes, quod quamvis excommunicatio nequeat verè suspendi, tamen nihil impedit, quin ab eâ detur absolutio ad certum actum, vel tempus, quo finito ille innodatur eâdem excommunicatione sicut prius. Sed Layman post Henriquez aliter philosophatur. Nam (inquit) in eo differt interdictum à censurâ excommunicationis, quod hæc suspendi non potest sicut docent Doctores, argum. cap. *cum desideres*, de sentent. excommun. contra Navarrum. Quod autem interdictum possit suspendi Arriaga probat hoc modo: quia interdictum potest à ferente ipsum quoad suos effectus limitari, tàm quoad primam impositionem, quàm quoad conservationem, quia conjunctio omnium effectuum interdicti non est jure annexa cum ipso, sicut sunt jure communi omnes effectus excommunicationis cum ipsâ. Sed quamvis interdictum in seipso à nullo adhuc à Papâ possit suspendi a suis effectibus, ipso perseverante (sicut nec excommunicatio, nec suspensio) quia interdictum formaliter nihil aliud est, quam quædam privatio (sicut etiam excommunicatio & suspensio) & personam esse interdictam, & locum esse interdictum est effectus interdicti, sicut hominem esse carentem visu est effectus cœcitatis. Ipsa tamen sententia, quâ latum est interdictum potest suspendi quoad suos effectus, & ab eo qui potest eam totaliter auferre, & extinguere. Quia ex uâ parte est distincta a suis effectibus seu ab interdicto formaliter cõsistente in effectibus ipsius sententiæ, eo quod effectus sententiæ sunt ipsum interdictum. Et ex alterâ parte id nullo jure est cautum. Ex eo autem quod sententia interdicti suspendi potest quoad interdictum ipsum, quod est effectus ipsius sententiæ, etiam dici potest quod interdictum suspendi potest, quia eo tantùm significatur interdictum ad tempus.

IV. Ex quibus sequitur Episcopum in prolatione interdicti posse etiam ipsius effectus dividere & limitare, ita ut intendat, verbi gratiâ, prohibere solam sepulturam, vel ingressum Ecclesiæ, vel usum communionis, vel assistentiam aut recitationem publicam divini officii tantùm, non autem aliarum rerum sacrarum, ita Henriquez, Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 2. alleg. 39. Ratio est, quia potest dividere effectus suspensionis. ita ut suspendat de facto ab hâc solùm re, & non ab aliis. Sic in interdicto potest unum prohiber & non alterum.

V. Potest Episcopus interdictum à Papâ promulgatum per se vel per alium violare in casibus à jure permissis. Quod si Episcopus pronunciet generale interdictum, seu interdicat Civitatem, Provinciam, Regnum, Universitatem servari debet ab ipso Episcopo, vel ab eo qui imposuit, excepto Romano Pontifice, ita Sylvester, Henriquez, Barbosa supra, qui observant Episcopum incurrere pœnas juris & irregularitatem, si non servet suum interdictum. Idem Barbosa supra sustinet Episcopum ex privilegio juris eximi à generali interdicto locali. Ratio est, quia decet illum quotidie celebrare vel audire missam. Undè servato moderamine cap. *Alma* potest licitè celebrare, vel contendere ut in præsente celebretur Sacrum, vel divina persolvantur; etsi Civitas, terra, regnum sint interdicta, ita Covarruvias, Joannes Andræas, Barbosa. Modo ipse Episcopus non dederit

causam interdicto, vel non sit personaliter interdictus. Tunc enim nequit gaudere hoc privilegio, ita Navarrus in manuali cap. 27. Henriquez, Barbosa. Et probant per cap. *licet*, de privileg. in 6. Quia omnia privilegia à jure vel ab homine concessa, ut tempore interfint, prosunt dumtaxat iis, qui non dederunt causam interdicto, seu aliàs non sunt in eo culpabiles, de privilegiis juris. Probatur ex cap. *quod nullus*, 25. vers. *verum*, de privileg. lib. 6. Et utrisque est receptissima omnium traditio, ut constat ex Navarro supr. Henriquez, Sayro, & alii. Ratio est, quia illi propter quos interdictum personale, etiam generale, vel etiam locale profertur, aut qui ei causam dederunt, licet aliàs sint culpabiles, censentur personaliter interdicti ex cap. *si sententia*, vers. *caterùm*, de sentent. excommun. lib. 6. Notat Sayrus lib. 5. cap. 4. numer. 10. vers. *secundo*, post Navarrum & alios ab eo relatos, concessionem etiam jure communi factam quibusdam personis, ut tempore interdicti possint celebrare, vel interesse divinis, non prodesse personaliter interdictis. Quod etiam fusè deducit Suarez tomo 3. de censuris. Et explicat in terminis Covarruvias in cap. *Alma Mater*, qui versu *illis etiam* notat tempore interdicti Sacramentũ Pœnitentiæ infirmis vel sanis personaliter interdictis non prodesse, vel illis qui aliquo modo sunt culpabiles, nisi satisfaciant, vel idoneam cautionem dederint. Cui subscribunt Navarrus sup. Ugolinus, Sayrus, Suarez. Episcopi, Clerici, vel Laici, quibus tempore interdicti permittitur interesse divinis tenentur missam audire sub præcepto peccati mortalis illis diebus festis quibus interdictum suspenditur, ita Suarez tomo 1. de religione, Henriquez, Navarrus in manuali cap. 21. post Sotum, Medinam, & alios, & pro habentibus bullam Cruciatæ, Emmanuel Rodriguez, Sebastianus à Costa contra Avilam & alios. Ratio est, quia detentus in carcere si possit audire Sacrum, mortaliter offendit, si non audiat. Sic qui tempore interdicti habent facultatem audiendi Sacrum, mortaliter peccant si non audiant.

VI. Interdictum personale Communitatis ab Episcopo, vel alio potestatem habente editum eo ipso expirat quo dissolvitur Communitas. At locale interdictum non extinguitur, licet locus, verbi gratiâ, Civitas, vel Ecclesia diruatur, ita Suarez, Layman. Ratio est, quia ipsum solum retinet censuram interdicti, ut in eo non debeant divina officia celebrari. Hæc & alia vide apud nostrum Joannem Boets in 3 præceptum Decalogi in fine.

CAPUT XXVI.

De Irregularitate.

I. SI spectemus nominis ethymologiam irregularitas desumitur ab *in* ideſt *sine* & *regula*. Ita Ugolinus, Sylvester, Bonacina, Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 2. Corneio disp. 1. de irregularitate, & alii communiter. Ratio est, quia irregularis caret regula, nec est intra regulam ab Ecclesiâ præscriptam. Undè vulgò irregulare dicitur, quod non præscriptum juxta regulam. Definitur irregularitas à Filiucio, Reginaldo, Sayro, Bonacinâ, Layman. Ex nostris Corneio supra dubio 1. Lezana supra num. 2. Ugolino, Avila, Henriquez, Molina, Suarez Valentia, Coninck & aliis. *Canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum, ob reverentiam divinorum.* Dicitur primò *impedimentum*, quia irregularitas secundùm se, & in communi est dumtaxat inhabilitas, & ineptitudo quædam abstrahens ab eâ, quæ incurritur propter culpam, & habet rationem pœnæ vel censuræ, & ab eâ quæ incurritur absque culpâ, nec habet rationem pœnæ. Uno verbo est moralis inhabilitas & ineptitudo ad prædicta, abstrahens ab hoc, quod sit vel non sit pœna, cujusmodi est censura, ita Bonacina, Laymã, Corneio, Lezana, & alii. Dicitur secundò

Canonicum

Canonicum, quia non est jure divino introducta, ut olim Levitici cap. 21, *Levi. 21* vers. 17. 18. 19 21. 21 ubi Deus præ- *v 17 18* cipit Moysi loqui Aaron & Sacerdo- *19. 20* tibus inferioribus. *Homo de semine tuo,* *21.* *per familias, qui habuerit maculam non offerat panes Deo suo. Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso: si fracto pede, vel manu: si gibbus, si lippus si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem si impetiginem in corpore, vel hernioſus.* Quo præcepto prohibet officium, ministerium & ingressum Sanctuarii habentibus aliquem defectum naturalem innatum, vel ex infirmitate comparatum, ita ut habens aliquâ maculam ex eis, sit (inquit Cornelius) irregularis, & Sacerdos Aaronicus esse nequeat. Non verò sermo est de maculis, defectibus & claudicatione animæ, quorum meminit S. Pater *l 3. Reg.* Elias lib. 3. Regum cap. 18. vers. 21. *18. v. 21* *Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal sequimini eum.* Usquequo Deo & Baal servitis, placere desideratis, mundum & Deum quæritis, cœlestia & terrena conjungere vultis, ac utrumque amplecti? Non potestis vos addicere Deo & studio voluptatum, honorum, & divitiarum non potestis utrique curas vestras, operas, & labores impendere Hujus irregularitatis contractæ ex defectu morali manifestum exemplum submistrat Giezi lib. 4 Regum cap. 5. quem sanctus Propheta Eliseus, ut vidit anhelum ad munera Naaman Syri non tantùm officio, ministerio, sed etiam ingressu suæ domus privavit, vers. 26. *Accepisti argentum, & accepisti vestes,* *l. 4. Reg* *ut emas, olivèta & vineas, & bo-* *5 v. 26.* *ves & servos, & ancillas.* Pristino officio, mei ministerio, meâ domo indignus es. In hujus rei signum, *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum & egressus est ab eo leprosus, quasi nix.* Eosdem spirituali claudicatione laborantes à mensâ Domini removendos esse judi- *4. Corin.* cat Apostolus 1. Corinth. cap. 9. ver- *c. 9 v. 21* su 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse & dæmoniorum.* Ideò sicut dæmon est Dei inimicus, ita ejus obsequium omninò contrarium est obsequio divino. Cultus Dei ad cœlos evehit, cultus corporis, divitiarum, honorum, voluptatum cupiditas hominem claudum efficit, eumq; *1 Tim. 6.* in barathrum demergit, 1. Timoth. *vers 9.* cap. 6. vers. 9. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Conformiter ad oraculum Oseæ cap. 10. vers. 2. Volunt Deum colere, volunt utrumque habere propitium. Hæc inconstantia, hæc claudicatio erit causa ruinæ & interitus illorum. At jus Canonicum, & Ecclesiasticum non tantùm irregulares declarat, & excludit à susceptione & usu ordinum eos, qui habent inhabilitatem provenientem ex naturali impotentiâ, seu debitâ corporis integritate carent, sed etiam qui aliquem animi defectum per peccatum contraxerunt. Undè patet irregularitatem non esse propriè censuram, sed ab illâ distingui. Primò, quia censuræ semper contrahuntur ex aliquo delicto, Irregularitas autē non semper. Secundò, quia scopus censuræ est resipiscentia & emendatio delinquentis. Scopus irregularitatis est reverentia divinorum. Tertiò, censuræ non semper sunt à jure, at irregularitas semper est à jure imposita per summum Pontificem cap. *is qui.* Quartò, excommunicatio major impedit susceptionem ordinum & eorum exercitium, quatenus susceptio & exercitium ordinum est quædam communicatio. At irregularitas impedit ob defectum. Excommunicatio minor non impedit usum ordinum, sed passivam eorum susceptionem. Irregularitas autem utrumque impedit. Suspensio directè privat usu ordinum, irregularitas directè impedit susceptionem ordinum, & eorum exercitium. Interdictum non semper impedit usum ordinum sicut irregularitas.

Ex quibus sequitur nullam irregularitatem in Ecclesiâ esse jure divino, vel naturali inductam, sed omnem esse jure Ecclesiastico impositam, ita Suarez, Sayrus, noster Cornelio tract. 5. 11.

de irregularitate. disp. 2. dubio 1. contra Navarrum in cap. *audientiam* de homicidio, ubi dicit quandam irregularitatem esse de jure divino, Paludanum in 4. dist. 25, quæst. 3. ubi ait SS. Petrum & Paulum fuisse irregulares ratione homicidii, scilicet mutilationis, tamen Christum dispensasse. Probatur ex cap. *bis qui*, de sentent. excommunic. in 6. dicente nullam irregularitatem incurri, nisi in casibus à jure expressis, scilicet à judice Ecclesiastico. Nec obstat primò, citatus locus Levitici cap. 21. ubi irregularitas vitio corporis inducta prohibetur, & Deuteronomii cap. 13. Manseres, id est, ex scorto orti à divino ministerio removentur. Sicut enim Moysis lex in Christi morte abrogata est, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 103. art. 3. & habetur cap. *unico* de purificatione post partum. Undè irregularitates modernæ introductæ sunt ab Ecclesiâ ad imitationem earum quæ fuerunt in lege veteri, ut patet ex allatis sup. Nec obstat quod lib. 1. Paralip. cap. 22. & 28. David prohibeatur ædificare templum ob nimiam sanguinis effusionē in bello, ex quo deducta est irregularitas defectu perfectæ lenitatis. Ad hoc respondet D. Thomas in 4. dist. 25, quæst. 2. art. 2. in veteri lege irregularitatem non fuisse impositam ob sanguinis humani effusionem, ut patet in Phinees qui duplex homicidium commisit, & tamen admissus fuit ad ministerium divinum, Numer. 25. in Moyse qui post interfectum Ægyptiū Exodi cap 2. creatus fuit sacerdos,

Psal 98. *vers.* 6. Psal. 98. vers. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus* In Levitis quibus ait Moyses Exodi cap. 32. vers. 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino*, id est meruistis benedictionem & sacerdotium, in parente Hâ, in Samuele. De quibus S. Basilius homiliâ 20. de

S. Basil. ira, quos Deus minimè excluſit à sacrificio. Accipe ejus verba. *Illum, qui tanquam Pharmaco ad ea, quæ oportet irâ utitur, Dominus minime condemnat. Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Phinees justâ contra publicè for-*

nicantes, irâ ut oportebat usus, protinus utrumque trucidavit. Samuel Regem Amalec justâ irâ in medium trahens, occidit. Sic itaque fit ira sæpenumerò bonarum actionum ministra. Elias vir zelotes quinquaginta supra quadringentos sacrorum nemorum comedentes de mensâ Jezabel justâ, sapientiâ, indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulctarentur effecit. Nec ad hoc indiguerunt aliquâ dispensatione, ut vult Sayrus supra num. 12. cùm non essent irregulares, ideò antè Deus nō permisit ut David ædificaret templum, ut ostenderet quàm gratam haberet pacem. Non verò aliquâ lege prohibitum erat, ut bellator templum ædificaret, vel in sacris ministraret. Nec tertiò irregularitas bigamiæ colligi potest ex 1. epist. ad Timotheum cap. 3. vers. 2. ubi ait Apostolus Episcopum debere esse *unius uxoris virum*, ex hoc tantùm colligitur irregularitatem bigamiæ esse à temporibus Apostolorum inductam, seu ab ipsis Apostolis, ut peculiaribus Ecclesiæ Prælatis, non autem hic esse prohibitam ab Apostolo, ut sacro scriptore Dei legem divinam ferente, sed ut particulari Prælato annuente Petro, qui ejus scripta laudavit & approbavit, ut sæpius fecit. Vide Suarez. Cur autem monogamiam in lege novâ observari voluit Apostolus? Primò, ut melius repræsentaret unionem Christi cum Ecclesiâ unicâ sponsâ suâ. Si enim divisisset carnem suam in plures non esset unicus. Cap. *Acutius*, 27. dist. 27. cap. *debitum*, & ibi Glossa verbo *Sacramentum*, de bigamis. Et hæc conditio etiam extenditur ad mulierem quæ alterius viri non est experta conjugium. Quare Isidorus lib. 2. cap. 6. de Ecclesiast. officiis asserit eligibiles ad ordinem Pontificatus debere unius virginalis matrimonii esse, nec alium ordinandum, nisi sit de monogamiâ, aut de virginitate sanctus. Cui arridens S. Hieronymus. *Nullo pacto* (inquit ad Oceanum) *bigamos vel concubinarios catenis intentos decet subire sacerdotii ministerium. In Levitico cap. 21. scriptum ac præfinitum est quales eligi debeant Sacerdotes. Si ergò Clericus monogamus fueris*

l. 3 *Reg. Cap.* 18.

S. Hieronymus.

&

& uxor ejus bigama, noli eum ad ministerium applicare. Quasi diceret, si in veteri lege hæc sacerdotalium conjugiorum forma servata est, quantò magis in lege gratiæ Apostolus injungere debuit, ut nemo ad Diaconatus, vel Præsbyteratus ordinem, nemo ad Episcopalem dignitatem evehatur, qui non est unius uxoris vir, vel non duxit uxorem unius viri, ut ait Antonius Augustinus in epist juris Pontificii veteris lib. 4. tit. 7. cap. 7. Ex Leone epist. 85. vel 87. cap. 1. ad Episcopos Africanos. Secundò Apostolus amovet bigamos ab ordine Diaconatus, Præsbyteratus, & Episcopatus, ut efficacius hortetur ad viduitatem, continentiam, & castitatem servandam, cap. *una*, cap. *tui*, 26. dist. Nec qui ad plures nuptias transiit potest apertâ fronte alios incontinentiæ redarguere, cap. *sicut*. vers. *undè cum Paulus*, 47. dist. Tertiò, cur non Apostolus monogamiam præciperet in hac lege, quæ veteri nobilior est, nisi quis blasphemus dicat hanc legem esse impuriorem lege veteri; imò & Gentilismo, qui etiam secundas nuptias ut culpabiles reprobavit, ut Servius colligit ex illo Virgilii.

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

Vocat culpam, quia Veteres repellebant à Sacerdotio eos, qui secundum matrimonium contraxerant: hinc Romæ simulachrum pudicitiæ ab iis solis contingi poterat quæ semel nupsissent. *Quantò magis* (inquit Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 6.) *habebit Episcopus inter cætera virtutum ornamenta & castitatis eminentiam, ita ut mens Christi corpus, consectura ab omni inquinamento carnis sit immunda, & libera. Quia dum secundum carnis assumptæ mysterium Ecclesiæ suæ fuerit dignatus existere ipse Christus, meritò in membris ejus intentio Episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimioris celsitudine ordinis regunt, & disponunt subjectas multitudines plebium; undè quanto ipsi sequentium fiunt ductores, tantò meritorum lumine debent præfulgere.* Hæc nunc sufficiunt.

§. 1.

Irregularitatis partitio.

OCcurrit aliud discrimen inter irregularitatem & censuram, quod alia sit censura à jure, alia ab homine, ut dictum est: at irregularitas de lege ordinariâ tantùm est à jure, non autem ab homine, ita Sotus, Suarez, Cornelio, disp. 2. dubio 2 Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, numer. 3. Probatur primò ex cap. *is qui*, de sentent excommunic. in 6. ubi habetur nullam irregularitatem incurri, quæ non sit in jure expressa. Nulla igitur irregularitas ab homine imponitur, sed à jure imposita, ut supra diximus. Secundò, jus nunquam procedit ab aliquo judice, ut pœnam irregularitatis imponat pro aliquo delicto. Igitur pro nullo potest eam imponere. In pœnis enim arbitrariis judex tenetur sequi regulam juris, cùm ergò nullum sit delictũ ob quod jus præcipiat judici imponere pœnam irregularitatis, nõ poterit eam inferre pro aliquo delicto etiam enormi. Quamvis autem de jure ordinario ab homine imponi nequeat irregularitas, potest tamen de plenitudine potestatis imponi à Pontifice. Primò, quia nulla ratio huic pœnæ repugnat, quàm aliis. Secundò, quia non est lex id prohibens homini, quàm Pontifex non possit derogare, cùm sit supra jus Ecclesiasticum. Tertiò, quia si Pontifex mediante jure & lege perpetuâ à se conditâ aliquid prohiberet sub pœnâ irregularitatis, id poterit mediante judicio, vel sententiâ temporali. Hoc autem jus inducens irregularitatem non potest esse lex particularis alicujus Diœcesis vel Provinciæ, sed debet jus Canonicũ universale esse à Pontifice, vel Concilio generali jurisdictionis, licet non sit redactum in corpore juris, ut patet ex cap. *& qui*, ibi *cum id non sit expressum in jure*, ubi per particulam *jure* intelligitur *canonico*, & confirmatur ex absolutâ juris appellatione. Jus enim Diœcesanum non

vocatur jus simpliciter, sed cum addito, scilicet Synodale vel Provinciale. Undè non potest pœna irregularitatis imponi ab Episcopo, vel Archiepiscopo, nec per sententiam hominis, nec per legem cõtractus Diœcesis, vel Metropolis,

II. Vera divisio irregularitatis est in eam, quæ procedit ex defectu, & eam quæ ex delicto oritur, ita Toletus, Bonacina, noster Lezana supr num. 3. Ex defectu, seu indecentiâ procedit absque culpâ, ut ex defectu natalium, ex defectu corporis, ex defectu animi, ex defectu ætatis, ex defectu libertatis, ex defectu Sacramenti, seu bigamiâ, ex defectu lenitatis, ideſt ex homicidio licitè patrato. Altera ex facto seu delicto, ut ex infamiâ, ex iteratione Baptismi, ex indebitâ susceptione vel usu ordinis, ex actu infidelitatis vel hæresis, ex illicitè patrato homicidio.

III. Dividitur etiam in totalem & partialem, ita Layman num. 7. Lezana supra. Totalis, seu propriè dicta privat susceptione omnis ordinis, & usu susceptì. Particularis non privat ministerio omnis ordinis, sed tantùm aliquo, vel ascensu ad ordinem superiorem verbi gratiâ, Diaconatus. Et cui sinister oculus erutus est, inhabilis est ad Sacerdotium, quamvis in suo ordine ministrare possit, ut colligitur ex cap. ult. dist. 55. Et Sacerdos cui pollex, vel medietas palmæ cum duobus digitis abscissa est, inhabilis fit ad sacrificandum, non autem ad alia officia sacerdotalia, verbi gratiâ, ad cõfessiones excipiendas, cap. 2. de *Clerico ægrotante*, ubi hanc regulam dat Abbas. Navarrus cap. 27. num. 200. Suarez, Molina, Layman. Deformitatem, vel debilitatem supervenientem Clero reddere illum inhabilem dumtaxat respectu illius officii, quod ratione talis infirmitatis nequit ritè exercere communis est opinio. Quod si irregularitas non sit perpetua, sed ad tempus, verbi gratiâ tempore, infantiæ, morbi, infamiæ, facti poterit vocari partialis, sed impropriè.

§. 2.

Causæ Irregularitatis.

CAusa materialis subjectiva, seu quæ est capax irregularitatis est omnis, qui potest suscipere, vel administrare ordinem, ita Bonacina, Corneio disp. 4, dubio 1. Lezana supra num. 4. Ratio est, quia irregularitas est quædam privatio seu impedimentum ad suscipiendos vel exercendos ordines, Igitur solus ille est capax irregularitatis, qui est capax ordinis. Undè sequitur primò Episcopum vel Cardinalem posse contrahere irregularitatem in jure expressam, ita Bonacina. Ratio est, quia subjiciuntur juri communi, quamvis ipsorum non fiat expressa mentio. Nec obstat cap. *periculosum*, de sentent. excommun. quia ibi tantùm sermo est de censuris suspensionis & interdicti, quibus Episcopus non ligatur nisi exprimatur. Secundò sequitur Summum Pontificem ad supremum Ecclesiæ regimen evectum non posse fieri irregularem, ita Bonacina supra numer. 8. Corneio supra dubio 1. Lezana num. 4. Ratio est, quia cùm ipse non sit subditus juri Canonico, sed supra ipsum, ideò non est capax ullius irregularitatis. Tertiò, sequitur omnes tam clericos quàm laicos esse subjectum irregularitatis, ita Sylvester, Reginaldus, Bonacina. Infideles, seu non baptisatos, quamdiu baptisati non sunt, non esse capaces irregularitatis docent Bonacina, Corneio, & Lezana citati. Primò probatur ex titulo de Clerico nõ baptisato & præsertim ex cap. 1. & 2. Deindè ratione, quia caret baptismo, qui est janua sacramentorum. Ex Concilio Tridentino sessione 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 2. & cap. *venientes*, de Præsbytero non baptisato. Undè non est propriè irregularis ob defectum Baptismi, cùm hæc non sit sola privatio ordinis supponens capacitatem, sed sit mera negatio & incapacitas, sicque non baptisatus est pluisquam irregularis. Nec etiam erit irregularis I.

licet

licet habeat eos defectus. qui solent reddere irregulares eos, qui sunt baptisati. Ut si illegitimus sit, vel homicida, vel bigamus. Ratio est, quia ante susceptionem baptismi non ligatur legibus Ecclesiasticis. Undè nulla irregularitas per baptismum incurritur cùm nulla contrahatur ante. Quod si dicas aliquam irregularitatem non tolli per baptismum, sensus est perseverare illud fundamentum; ex quo adveniente baptismo resultat quod sit capax irregularitatis. Quartò sequitur fœminam non esse capacem irregularitatis, sicut nec ordinis, ita D. Thomas dist. 25. quæst. 2. art. 1. Bonacina, nostri Corneio & Lezana supra. Ratio est, quia susceptio ordinis gradum superioritatis denotat, sed fœmina est incapax superioritatis. Genes. cap. 3. vers. 6. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et docuit S. Augustinus supra Genesim cap. 53. Et refertur in cap. *est ordo naturalis*, 36. quæst. 5. & colligitur ex cap. *nova* de pœnitentiis & remissionibus, ubi Innocentius III. hoc probat clarissimè Christum non tradidisse B. Virgini, sicut Apostolis. Vide cap. *final.* dist. 32. undè fœmina non est etiam capax propriè ratione sexus. Ratio est (inquit Corneio) quia capacitas irregularitatis supponit capacitatem ad ordinem. Nec etiam est capax specialis irregularitatis provenientis ex homicidio, bigamiâ, &c. Idem dicendum de Hermaphrodito, si magis ad fœmineum sexum inclinetur.

Genes 3. vers. 6.

II. Homo irregularis est capax alterius irregularitatis. Patet primò, quia ex D. Thomâ in addit. quæst. 22. art. 6. semel excommunicatus potest iterùm excommunicari, & interdictus interdici: ut etiam innuitur cap. *officii*, de sentent. excommunicat. cap. *Capitulum sanctæ Crucis*, de rescriptis, Clementin. 2. *excommunicationis*, extravagante *una*, de Schismaticis. Ratio est, quia ad multiplicandam irregularitatem sufficit multiplicatio causarum. Igitur si multiplicentur causæ irregularitatis sivè secundùm speciē, sivè secundùm numerum, etiam multiplicandæ erunt irregularitates, verbi gratiâ, si sit homicida, illegitimus, vel bigamus, vel si plures homines occiderit. Quod si dicas duas easdem privationes numero non posse esse simul & in eodem subjecto, ut patet in duabus actionibus, nec consequenter duas irregularitates, cùm privent iisdem ordinibus. Respondet primò Corneio disp. 4. dubio 2. irregularitatem non esse formaliter privationē ordinis, sed esse positivum impedimentum inferens talem privationem, possuntque in eodem concurrere plures obligationes obtinendi uno & eodem actu, verbi gratiâ, si prohibeantur pluribus præceptis spectantibus sivè ad eandem, sivè ad diversas virtutes, sic poterit pluribus impedimentis sivè ejusdem, sivè diversæ rationis privare ordine susceptō. Respondet secundò, falsum esse antecedens, si aliter intelligatur. Et patet in peccatis mortalibus, quæ possunt plura esse simul in eodem subjecto, licet enim primum privet totaliter gratiâ Dei, tamen secundum & tertium, quantùm est ex naturâ suâ etiam privant illâ, inducuntque propriam maculam in animâ distinctam à priori, sivè secundùm rem, sivè secundùm gradum augmenti. Quod si dicas secundò privationem totalem non suscipere magis vel minus, primò sicut unus homo non est magis mortuus, quàm alter, nec consequenter irregularis potest iterùm esse irregularis. Respondet, quod licet privatio totalis non suscipiat magis & minus in se ipsâ ex parte formæ quâ privat, potest tamen ex parte causæ: ita ut propter plures causas expellentes formam privationis, privatio fiat materiæ. Sic propter plures causas inducentes irregularitatem est unus homo, & idem magis est elongatus à susceptione ordinis, quàm alius. Sicut ob plura peccata est major pœna damni, seu carentia divinæ visionis in uno damnato quàm in altero. Nec dicas tertiò, accidentia solo numero differentia non posse esse simul in eodem subjecto, nec consequenter duas irregularitates ejusmodi speciei. Hoc enim falsum est in accidentibus non inhærentibus, seu extrinsecis denominationibus. Ut patet in pariete, qui

potest

potest simul esse visus à pluribus hominibus, & in eodem homine qui potest esse doctor in eadem facultate, sic potest aliquis esse bis vel ter à jure impeditus ab ordine. Ratio est, quia cum extrinsecæ denominationes subjecto non inhærent, non potest ex duabus fieri una.

III. Causa materialis proxima est actus ille, per quem incurritur irregularitas quæ est ex delicto, qui actus debet esse peccatum mortale, ita Sotus, Filiucius, Reginaldus, Navarrus, Avila, Bonacina, Salonius, Sanchez, Suarez, Henriquez, Coninck, noster Lezana supra, contra Cajetanum, Molinam, & alios. Ratio est, quia pœna debet proportionari delicto, cap. *fœlicis*, de pœnitentia in 6. Cum igitur irregularitas ob delictum sit pœna gravissima non debet incurri ob veniale & leve peccatum, sed ob grave, alioqui non esset proportionata delicto. Dixi *ex delicto*, quia irregularitas ex defectu non præsupponit necessariò ullam culpam.

IV. Potest Summus Pontifex injungere irregularitatem ob peccatum veniale, & peccatum merè præteritum. Primam partem tenet Bonacina sup. Secundam tenent Avila, Bonacina. Ratio est, quia ad incurrendam irregularitatem non requiritur contumacia, sicut ad incurrendam excommunicationem, sed sufficit delictum proportionatum irregularitati, licet sit præteritum. Ut incurratur irregularitas necessarius est actus externus consummatus, ita Sayrus, Avila, Reginaldus, Ugolinus, Suarez, Henriquez, Valentia, Coninck Bonacina, Lezana supra numer. 4. & alii. Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ, sed extenderentur si irregularitas incurreretur ante consummationem actus externi. Nam lex requirit factum ex cap. *ultimo*. Undè ad incurrendam irregularitatem provenientem ex homicidio, vel mutilatione, non sufficit desiderium, attentio, vel conatus proximus mortis, sed requiritur mutilatio, vel mors naturalis. Nec item contrahitur irregularitas lata contra homicidas, si vulneratus ac percussus miraculosè curetur. Existimant tamen Filiucius num. 17. Suarez num. 12. & alii Ecclesiam inducere irregularitatem ob attentationem delicti non secuto effectu. Ratio cur actus internus non sufficiat ad incurrendam irregularitatem est (inquiunt Valentia, Sayrus, Coninck apud Bonacinam) quia actus internus non subjacet potestati Ecclesiæ. Nec refert quod quædam Bullæ concedunt facultatē absolvendi ab irregularitatibus mentalibus Per irregularitates mentales Covarruvias Clementina *si furiosus* part. 2. §. 3. num. 4. Sayrus, Henriquez, Coninck, & alii intelligunt irregularitates occultas contractas occultè per actum externum, ita ut nequeant probari in judicio.

V. Non incurritur irregularitas ex delicto, si quis ignoret tam peccatum, quàm irregularitatem, quæ est pœna ipsius, ita Corduba, Suarez, Sotus, Avila, Martinus Ledesma, Vasquez, Hurtado, Ugolinus, Filiucius, Bonacina, Reginaldus, Coninck, Navarrus, Sànchez, Diana. Ratio est, quia sicut ejusmodi ignorantia excusat à culpâ, ita & à pœnâ. Addit Diana resol. 85. in gratiam & solatium plurimorum ad incurrendam irregularitatem, vel excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, non sufficere quod sciam opus esse prohibitum, sed ut sciam de pœnâ, & id prohiberi sub tali pœnâ, licet ignorantia sit vincibilis. Favent huic opinioni Merolla & Portellus. Si tamen non fuerit ignorantia crassa & supina, excusat ab omnibus illis pœnis sivè latis à jure communi Papæ, sivè à particulari Diœcesanorum. Per crassam & supinam ignorantiā, intelligo eam quæ procedit ex culpâ latâ, quæ intervenit in adhibendâ diligentiâ. At culpa lata est quando ignorans, aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam, ut scire, quæ tenetur cognoscere, vel quæ ex malitia, vel ex nimiâ negligentiâ procedit. Ex quibus patet aliquem posse evadere præfatas pœnas, quamvis operetur culpabiliter mortaliter, cum ignorantiâ juris & facti: modò ignorantia non sit crassa, & supina sivè magna, & consequenter

consequenter irregularitatem homicidii ob solam culpam venialem. Hæc Diana post Portellum. Vide etiam nostrum Lezanam tomo 3. quæst. regul. verbo *censura Ecclesiastica*, num. 11. ubi docet quod metus gravis & cadens in virum constantem excuset ab irregularitate & censuris, quia excutat à transgressione præcepti Ecclesiastici, cui est annexa. Præceptum enim Ecclesiasticum non obligat cum tanto detrimento. Idem docet Corneio de irregularitate numer. 4. Plura de excusantibus ab irregularitate contrahenda alibi, & apud Summistas.

V. Causa formalis irregularitatis non habet certam verborum formam, ita noster Corneio disp. 3. de irregularitate dubio unico. Probatur ex Canone 18. Apostolorum cap. *si quis*, de laicis, cap *iurandum*, cap. *præcipimus*, cap. *si cujus uxorem*, cap. *si laici uxor*, cap. *si quis viduam*, 1. & 2. dist. 34. cap. *Clericus invidens*, dist. 46. ubi non iisdem, sed diversis verbis impedimentum irregularitatis imponitur. Illa autem verba sufficiunt, quæ propriè, clarè significent hoc impedimentum, & à cæteris distinguunt sivè exprimant ipsa m irregularitatem, sivè proprium ejus effectum, sivè communem, modò ex antecedentibus & consequentibus manifestè constet facere mentionem irregularitatis, & non alterius impedimenti. Ratio est, quia ut irregularitas incurratur, debet ex dictis supra esse in jure expressa. Quia verò verba, quibus irregularitas inducitur, practica sunt, & efficiunt quod significant, ut causent irregularitatem debent eam clarè significare. Quare si verba sint ambigua, & ex se indifferentia ad irregularitatem, vel suspensionem, vel ad aliam censuram vel pœnam, nec determinentur ex antecedentibus & consequentibus ad significandam irregularitatem sunt potius interpretanda de suspensione, vel alio impedimento, quam de irregularitate. Porrò illa verba debent significare hoc impedimentum eo ipso incurrendum non expectatâ ullâ sententiâ judicis. Ratio est; quia hoc impedimentum non apponitur ab homine, sed à jure ipso facto operante, nisi fortè quando, verbi gratiâ, infamia non est lata à jure, tunc enim non contrahitur irregularitas ante sententiam declaratoriam infamiæ. Vide plura apud Corneio loco citato.

Ex quibus liquet causam efficientem irregularitatis esse jus Canonicum, seu sacros Canones, seu Sedem Apostolicam, quæ irregularitatem induxit, eamque per sacros Canones expressit, ita Hostiensis, Bonacina, Suarez, Lezana, Corneio, & alii communiter. Probatur primò ex cap. *is qui* sentent. excommun. Ubi pro sententiâ generali statuitur nullam esse irregularitatem, nisi sit in jure, scilicet canonico, de quo fit ibi mentio. Ratio est, quia potestas ferendi irregularitatem ad eum spectat qui potest condere jus Canonicum. At illa potestas soli Pontifici Romano competit. Quoad causam finalem irregularitatis dico cum Suarez, Bonacina, Lezana supra num. 4. esse reverentiam Ecclesiasticorum ordinum, seu functionem eorundem. IV.

§. 3.

Effectus Irregularitatis.

I. QUidam effectus irregularitatis sunt primarii, ut inhabilitas ad susceptionem ordinum: alii secundarii, ad executionem ordinum susceptorum, & ad dignitates, vel beneficia obtinenda, ita noster Corneio disput. 5. Quod quædam irregularitates impediant susceptionem ordinum docent communiter Doctores, quibus subscribunt Bonacina, Corneio supra dubio 1. Lezana supra num. 3. Probatur ex cap. *curandum*, cap. *si cuius uxorem*, dist. 34. & cap. *ultimo*, de tempor. ordin. Undè irregularis graviter peccat, qui quemcumque ordinem suscipit. Ratio est quia præceptum Ecclesiasticum in re gravi violat, & recipit Sacramenta sibi prohibita. Idem dicendum de primâ tonsurâ, licet non sit Sacramentum,

quia per tonsuram constituitur in ordine Ecclesiastico, & fit capax specialis jurisdictionis, quæ sunt magni momenti. Non tamen ideò incurrit novam irregularitatem cum non sit expressa in jure.

II. Licet reddat susceptionem ordinum illicitam non illam reddit invalidam, ita Corneio supra. Nec refert quod aliqua jura dicere videantur ordinationem irregularis non valere, ut dist. 60. cap. 1. intelligenda enim sunt quoad usum & exercitium ordinis susceptí. Nec dicas ab Ecclesiâ induci de novo irregularitatem, quæ reddat personam inhabilem, & ordinem ab illâ susceptum reddat invalidum. Sicut de facto inducit impedimenta dirimentia matrimoniũ inhabilitando omninò aliquas personas ad illud contrahendum. Respondent Suarez, Corneio supra in eo differre quod ad Sacramentum matrimonii præsumitur contractus humanus subjacens potestati Ecclesiæ. Subjacet quoad conditiones, quibus fieri potest validus, vel invalidus, & sic potest reddere aliquas personas inhabiles ad matrimonium annullando earum contractus. At Sacramentum Ordinis non supponit dantem & suscipientem, qui possunt inhabilitari. Undè Ecclesia nequit inhabilem ad ordinem reddere, quem Christus habilem reddidit.

III. Quod quædam irregularitates impediant usum ordinis susceptí, docent Navarrus in manuali cap. 27. num. 200. Avila, Coninck, Bonacina. ex nostris Corneio supra & Lezana num. 5. Undè irregularis peccat mortaliter ministrãs in ordinibus susceptis, licet non contrahat novam irregularitatem. Quod si irregularitas sit totalis impedit omnem executionem ordinum susceptorum. Si partialis, prohibet solum actum, qui ponit impedimentum, ex Navarro, Bonacina, Corneio, Lezana.

IV. Effectus tertius irregularitatis est reddere hominem incapacem beneficii Ecclesiastici, ita ut collatio ipsi facta sit nulla & irrita, quamvis irregularitas sit occulta, ita Ricciusdecis. 185. Covarruvias, Navarrus cap. 25. num. 2. Henriquez, Lessius lib. 2. num. 122. Bonacina, Suarez, Reginaldus, Chokier, Sayrus, Sanchez, Porisius, Garcias, Corneio, Lezana & alii. Probatur primò ex cap. *postulasti* de Clerico excommunicato ministrante. Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. de reformatione. Secundò, Beneficium datur propter officium, cùm igitur irregularis nequeat fungi officio ad quod est inhabilis quoad usum ordinum, sequitur ipsum esse inhabilem ad beneficium. Tertiò deficit superioris voluntas, nam credibile est superiorem velle tantùm conferre beneficium non habenti, juxta Canones *Canonicum impedimentum*, ut patet ex cap. *postulasti*. Idem asserunt Navarrus consil. 63. de simoniâ, Filiucius, Ugolinus, Sayrus, Bonacina, & alii de pensione, quæ titulo clericali confertur. Ratio est, quia collatio pensionis facta irregulari videtur invalida, ut patet ex stylo Curiæ, & passim Summistæ agendo de beneficiis. Reddit etiam irregularitas inhabiles ad dignitates & prælaturas Ecclesiasticas tam sæculares, quàm regulares, ita Sayrus Bonacina, & alii, apud nostrum Lezanam tomo 1. cap. 15. num. 32. & tomo 3. verbo *beneficium*, num. 3. verbo *commissio*, *commissarius*, num. 8. & colligitur ex cap. *in quibusdam* de pœnit. Undè graviter peccat irregularis qui ante dispensationem obtinet beneficium, peccat etiam conferens si cognoscat recipientis irregularitatem. Excipio Papam, qui conferens beneficium ei, quem scit esse irregularem, eo ipso censetur cum illo dispensare, ita Corneio dubio 2. qui cum Suarez, Sayro, Avila, & aliis existimat collationem beneficii factam irregulari, non tantùm esse illicitam & irritandã à judice, sed irritam & invalidam ipso jure ante ullam judicis sententiã. Quare si irregularis etiã occultus beneficium obtineat non potest in conscientiâ fructus percipere, nec beneficium retinere. Sed vel tenetur beneficium statim dimittere, vel procurare novam collationem prius obtentâ dispensatione irregularitatis, ita tamen ut fructus non percipat,

Ita Avila, Sayrus, Suarez, Corneio supr. dubio 2. post Covarruviam, Navarrum & alios. Ratio est quia beneficium datur propter officium, seu ordinis exercitium. Qui igitur per irregularitatem non potest ordines exercere, est æquè incapax beneficii ac sæcularis carens tonsurâ.

IV. Irregularitas non privat ipso jure beneficio ante eam obtento, sed privari debet per sententiam judicis de irregularitate ex defectu. Patet, quia privatio bonorum non potest habere rationem pœnæ. De irregularitate ex delicto etiam probatur, si aliqua id præstaret, maximè ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, quæ est omnium maxima. Ex cap. *minore*, dist. 50. Sed ex hoc non sequitur ipso facto privatio beneficii ante sententiam judicis, ut patet ex cap. *ex litteris*, de exceptionibus Prælatorum, ubi Episcopus, qui contraxerat irregularitatem ob homicidium monetur Episcopatui cedere, vel si non cesserit, præcipitur eo privari Cap. *Clericis. Nec Clerici vel Monachi*, ibi, *honore privetur & loco*. Non ait in præsenti *est privatus*, sed privetur in futuro, quod significat non sententiam latam, sed ferendam. Idem habetur de irregularitate Clerici, & excommunicati celebrantis, cap. *fraternitate*, eodem tit. de Clerico excommunicato celebrante. Quare irregularis priusquam per sententiam judicis privetur beneficio, potest pendente accusatione & lite, licitè & validè renunciare beneficio in favorem tertii, ita Sayrus, Corncio supr. dubio 2. & alii. Quod etiam possit licitè tenere beneficium curatum exigens servitũ per propriam personam, modò non sit in morâ petendi dispensationem & per alium Ecclesiæ deserviat, docent Avila, Suarez, & Corneio loco citato, Navarrus lib. 5. consil. 17. & in extravagante Gregorii XIII. Molina, id absolutè & sine aliquâ limitatione asserentes. Ratio est, quia cùm totalis pœna sit privativa postulat sententiã judicis, quæ vera est, modò dispensatio non differatur.

V. Irregularis propter crimen speciale habens annexam privationem beneficii ipso facto, potest licitè fructus percipere usque ad sententiam declaratoriam criminis. Ratio est quia ex dictis potest licitè retinere beneficium usque ad totalem sententiam, igitur & fructus percipere modò recitet officium, & per alterum alia munia obeat, nec differat dispensationem.

VI. Irregularitas non privat ipso jure usu jurisdictionis habitæ ante ipsam irregularitatem, ita ut validi & liciti sint actus jurisdictionis contentiosæ facti ab irregulari, ut excommunicatio & absolutio ab illâ. Probatur quia non privat ipso jure beneficio, & dignitate obtentâ, igitur nec jurisdictione, quæ dignitatem consequitur, multò minùs jurisdictione delegatâ. Nec refert quod privet usu ordinis, quia potestas ordinis est distincta à potestate jurisdictionis. Et pœnæ sunt restringendæ ad id quod verba sonãt. Nec secundò refert quod jurisdictio Ecclesiastica supponat ordinem, saltem primam tonsuram, non sequitur quod usus jurisdictionis supponat usum ordinis. Irregularitas tamen reddit inhabilem ad acquirendam de novo juri dictionem ordinariam, cui est annexa dignitas in foro contentioso, patet ex dictis. Non tamen reddit inhabilem ad acquirendam jurisdictionem delegatam, quæ nullam postulat dignitatem vel beneficium in eo, cui confertur. Ratio est, quia nullum est jus, quo talis delegatio irritetur vel prohibeatur, potestque dari independenter ab utroque, ut patet in Vicario Episcopi. Irregularitas non privat jurisdictione fori pœnitentialis prius habitæ. Undè irregularis potest validè absolvere, & confiteri. Parochus & Prælatus regularis potest suarum ovium confessiones alteri cõmittere. Irregularitas suspendit licitum usum jurisdictionis. Ratio est, quia ille usus est actus ordinis sacerdotalis. Cùm igitur irregularis licitè uti ordine nequeat non poterit etiam uti hâc jurisdictione, quæ doctrina est vera de irregularitate tòtali nõ partiali. Nam ex dictis supra, qui amisit digitos est inhabilis ad consecrandum, non ad absolvendum.

VII. Irregularitas non privat usu activo & passivo actuum, qui à laico ut laicus est possunt exerceri vel recipi, verbi gratiâ, actu canendi in choro, ita Navarrus lib. 5. consil. consil. 3. Corneio supra dubio 4. Non privat etiam passivâ receptione cæterorum Sacramentorum præter Ordinem, si recipiantur modo laicali, ita post Navarrum cap. 27. numer. 191. communiter alii. Undè manente irregularitate potest irregularis absolvi à peccato, propter irregularitatē quam incurrit. Irregularitas non privat activâ administratione baptismi in causâ necessitatis absque solemnitate, ita Corneio suprà. Ratio est, quia laicus eodem modo potest administrare. Irregularitas non privat Parochum jure assistendi validè & licitè matrimonio, ita Corneio. Ratio est, quia Concilium Tridentinum session. 24. cap. 1. de reform. tantùm exigit ut fiat coram parocho.

§. 4.

De Irregularitatibus provenientibus ex defectu, ac primò ex defectu natalium.

I. Dicimus illum laborare defectu natalium, qui non est legitimus, seu ex legitimo matrimonio ortus, sed ex fornicatione, vel incœstu, vel adulterio. Si ex meretrice dicitur Manzer; ex soluto & concubinâ domesticâ dicitur filius naturalis; si ex adultero & soluta dicitur nothus; si ex coitu damnato, ut ex stupro, raptu, sacrilegio, incœstu, muliere conjugatâ dicitur spurius, ita Filiucius, Covarruvias, Sayrus, Bonacina, Suarez, Vasquez, Molina, specialiter Lessius lib. 2. cap. 19. dubio 6.

II. Illegitimitati cuilibet annexa est irregularitas, Bonacina, Layman, Corneio supra disp. 15. dubio 1 Lezana supr. num. 16. & alii. Probatur ex cap. *cum in cunctis*, cap. *innotuit*, de elect. cap. 1, *& vel finali*, de filiis Præsbyterorum, cap. 1. eodem titulo in 6. cap. *per venerabilem*, qui filii sunt legitimi. Alios plures textus dist. 56. & plures rationes hujus irregularitatis adducunt Summistæ & Theologi, Sayrus, Suarez, Bonacina, Layman, Corneio & alii. Quamvis illegitimitas sit occulta. Primò ob detestationē hujus flagitii. Secundò ob turpitudinis notam, quam filius ex tali nativitate moraliter censetur contrahere. Tertiò, ob metum, nè filius paternæ incontinentiæ sit imitator, ex glossâ cap. 2. de filiis præsbyter. in 6. verbo *defectu*.

III. Tribus modis irregularitas proveniens ex illegitimitate tolli potest (inquiunt Bonacina, noster Corneio supra dubio 2. & alii.) Primò per legitimationem Apostolicam, per quam fit habilis ad ordines, beneficia, dignitates, & alia omnia, ad quæ se extendit potestas legitimitatis, quatenus fieri potest sine alterius præjudicio, ut patet ex cap. *Venerabilem*, qui filii sunt legitimi, ubi habetur legitimatus à Papâ extra patrimonium, seu territorium D. Petri non censetur factus idoneus & habilis ad dignitates sæculares, & ad hæreditatem, Vide Sayrum cap. 12. num. 6. & alios. Dixi *legitimationem*, quia legitimatio differt à dispensatione. Quod illa efficiat habilem ad omnia, ac si esset verè legitimus. Dispensatio autem reddat habilem, ad certum aliquē actum juxta verba dispensationis. Cùm enim dispensatio sit res odiosa, strictè est explicanda. Undè dispensatus ad aliquod certum beneficium, censetur tantùm ad illud dispensatus. Dispensatus autem ad pastorale beneficium in communi, potest relicto primo, consequi aliud & aliud, ita Bonacina. Ratio est, quia dispensatio est generalis ad pastoralia officia. Dixi *Apostolicam legitimationem*, primò quia legitimatus à Comite Palatino non est habilis ad beneficia vel ordines, quia secundùm Covarruviam, Majolum, Sayrum, Ugolinum, Filiucium, Reginaldum, Suarem, Bonacinam, Imperator vel alius Princeps sæcularis non potest legitimare suos subditos, quoad honores, ordines, vel officia Ecclesiastica, sed tantùm quoad sæcularia.

Deindè

Deindè quando hæc irregularitas aufertur per subsequens matrimonium, quod dicitur legitimatio à jure, potest quis absque aliâ dispensatione esse capax hæreditatis, & promoveri ad ordines & dignitates. Patet primò ex cap. *conquestus*, cap. *tanta*, qui filii sunt legitimi & jure regni. Vel prima tit. 13. partita 4. Ratio est, quia hæc irregularitas adæquatè fundatur in illegitimatione. Igitur eâ cessante cessat, quæ doctrina vera est (inquit noster Corneio) modò adsit hæc conditio, scilicet, ut tempore, quo filius fuit genitus, vel natus, ejus parentes possent inter se contrahere validum matrimonium. Si enim tunc haberēt aliquod impedimentum dirimens, quamvis eo sublato postea contrahant, non legitimatur filius antea habitus, ut patet ex legibus relatis. Quare filius genitus à patre Christiano & matre gentili non legitimatur per baptismum matris, & matrimonium patris cum eâ. Ratio est, quia tempore conceptionis & nativitatis non poterant matrimonium contrahere, ob disparitatem cultus. Sic filius incœstuosus à parentibus consanguineis vel affinibus in gradu prohibito genitus & natus, quamvis post ejus nativitatem & Apostolicam dispensationem matrimonio copulentur, nisi in ipsâ dispensatione contineatur etiam legitimatio prolis antea habitæ. Censentur etiam legitimari filii per subsequens matrimonium, licet contrahatur in articulo mortis, ita Sayrus, Sanchez, Corneio supra, Idem asserunt Sanchez, & Corneio supra de matrimonio clandestino, modò sit validum. Quod si filius sit illegitimus ante matrimonium subsequens parentum ad ordines promoveatur, secuto matrimonio nullâ aliâ dispensatione indiget, ut utatur ordine suscepto, & ascendat ad alios superiores. Ratio est quia per ejusmodi matrimonium auferrur illegitimitas & consequenter irregularitas ex illâ proveniens. Nec ex promotione ad ordines ante matrimonium parentum contrahit novam irregularitatē, sed dumtaxat mortaliter offendit recipiendo ordines absque dispensatione. Legitimatus ergò per subsequens matrimonium caret irregularitate. Idem concludendum est de eo, qui fuit promotus ante religionis ingressum.

IV. Potest secundò tolli illegitimatio per professionem in religione approbatâ, ita Navarrus, Sayrus, Ugolinus Suarez, Bonacina, ex nostris Corneio & Lezana. Probatur ex cap. 7. de filiis præsbyt. Quod jus revocatum per Xistum V. fuit reintegratum per Gregorium XIV. Item ex cap dist. 56, Dixi *professionem &c.* quia (ut notat Sotus in 4. dist. 25. & alii) non sufficit susceptio habitus, sed requiritur professio quæ tollit hanc irregularitatem quoad ordines suscipiendos, & non quoad officia religionum, ita Suarez, Sayrus, Bonacina, & alii, ex Corneio & Lezana. Etsi hæc irregularitas illegitimitatis per professionem auferatur, tamen reviviscit si professio annuletur.

V. Potest Episcopus dispensare cum illegitimis ex quocumque illicito coitu ad minores ordines, & beneficium simplex. Papa autem posse dispensare quoad majores ordines, ad beneficia pastoralia, vel ea quę habent dignitatē annexam, vel annexum ordinem sacrum, docent Sayrus, Gigas, Rebuffus Lotterius, Marchinus, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 45. num. 19. Carolus de Grassis, Cardosius, Nicolaus Garcias, Ugolinus, Hieronymus Venero, Bonacina, Coninck, Azorius, Henriquez, noster Corneio supra dubio 2. Probatur ex cap. 1. de filiis præsbyt. in 6. ubi generaliter loquitur de quibuscumque filiis illegitimis. Quæ potestas Episcopi extenditur etiam ad filios suos illegitimos quoad minores ordines & beneficium simplex, ita Majolus, Alzedo, Barbosa sup. Emmanuel, Suarez. Ut autem Episcopus ejusmodi dispensationem faciat requiritur causa, & ut suffragantibus eorum meritis, ita Navarrus consil. 45. numer. 2. de homicidio. Nicolaus Garcias, Petrus Antonius à Petrâ, Carolus de Grassis, Molfesius, Vasquez, Barbosa supra. Quod si illegitimus obtineat beneficium simplex à

Papâ, non poterit Episcopus super ejusmodi illegitimitate dispensare. ita idem Barbosa post Massobrium, Simonetam.

VI. Præfata potestas dispensandi cum illegitimis ad beneficium simplex extenditur, primò ad Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum, ita Sayrus, Zerola, Belletus, Antonius Fabricius, Stephanus Gratianus, Barbosa. Squillante. Etiamsi sint Canonicatus insignium Collegiatarum, inquit Nicolaus Garcias cap. 4. num. 39. post multos alios. Ratio est, quia ad ejusmodi Canonicatus obtinendos sufficit prima tonsura, & ætas quatuordecim annorum.

VII. Extenditur secundò potestas Episcopalis dispensandi cum illegitimis pro dimidiis portionibus Ecclesiæ Cathedralis, ita Stephanus Gratianus supra cap. 39. numer. 17. Flaminius, Gomez, Gonzales, Belletus, Nicolaus Garcias, Barbosa. Ratio est, (inquit hic Garcias cap. 4. num. 38.) quia dimidiæ portiones non habent sacrum annexum, nec illius ætatem requirunt.

VIII. Extenditur tertiò ad parochialem Ecclesiam accessoriè unitam beneficio simplici, vel Canonicatui Ecclesiæ Collegiatæ, vel dimidiis portionibus aut inferioribus beneficiis Ecclesiæ Cathedralis, ita Geminianus, Zerola, Antonius Fabricius, Rebuffus, Belletus, Campanile, Stephanus Gratianus, Squillante, Alzedo, Gonzales, notanter Azorius. Ratio est, quia quod alteri accedit, sequitur conditionem & naturam principalis.

IX. Quemadmodum Episcopus potest præfatas dispensationes concedere, sic & Capitulum Sede vacante, ita Zerola in praxi Episcopali part. 2. verbo *Capitulum*, versu *tertio*, Quaranta in summa Bullarii verbo *Capitulum sede vacante*, versu *secundo quæro*, Campanile, Navarrus consil. 31. quod incipit, *An Capitulum sede vacante*. sub tit. de tempore ordinand. Lotterius, Marcellus, Diana, Sanctarellus, Barbosa. Ratio prima est, quia secundùm Cardosium, Molinam, Cenedo, Sayrum, Henriquez, Capitulum sede vacante dispensat in iis, in quibus potest Episcopus ratione jurisdictionis Episcopalis. Ratio secunda generalior est, quia Capitulum sede vacante succedit Episcopo defuncto in iis omnibus, quæ jure communi spectabant ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, exceptis quibusdam in jure prohibitis, ita Navarrus consil. 44. numer. 1. de tempor. ordin. & consil. de filiis præsbyter. Rebuffus, Sylvester, Flaminius, Aloysius Riccius, Barbosa, Suarez, Molina, Cardosius, Guitierez, & Sayrus.

X. Illa potestas Episcopalis dispensandi cum illegitimis tantùm extenditur ad obtinendum unum beneficium, non autem ad plura, ita Zerola, Avila, Filiucius, Squillante, Lotterius, Azorius, Selva contra Menochium. Probatur ex cap. 1. *quoniam*, §. *ille verò*, de filiis præsbyterorum, lib. 6. & Geminiano, ubi conceditur Episcopo facultas conferendi spurio beneficiū, modò tale sit ut Episcopus possit illud concedere. At Episcopus jure nequit concedere duo beneficia etiam simplicia eidem Clerico, sivè in eâdem Ecclesiâ, sivè in diversis: quando unum sufficit ad Clericum sustentandum. Quod si unum beneficium simplex non sufficit ad spurii sustentationem videtur posse ab Episcopo alterum conferri. Ratio prima est, quia Concilium Tridentinum concedit Episcopo, ut quando unum beneficium simplex non sufficit ad Clerici sustentationem possit Episcopus alterum conferre, modò neutrum per se sufficiat, nec alterum eorum perpetuam Clerici præsentiam postulet. Secunda ratio, qui habet beneficium quod suæ vitæ conservandæ non sufficit pro beneficio non habetur, quia modicum ac tenue beneficium non videtur beneficium. Tertia ratio, beneficiarius habens beneficium, cujus reditus sunt tenues, & exigui, compellitur mendicare, vel alio modo victum sibi comparare ob insufficientiam beneficii. Nihilominus Azorius supra probabilius existimat Episcopum non posse illi duo beneficia conferre. Primò, quia non illi permittit jus commune. Licet det

facultatem

facultatem Episcopo, ut possit spurium ad beneficium simplex eligere, non est continuò data potestas conferendi duo beneficia. Quia cùm sint duæ leges, prima, nè spurius admittatur ad beneficium. Secunda, nè uni plura beneficia conferantur, cùm datur Episcopo facultas relaxandi unam, alteram mitigandi nō censetur simul concessa. Deindè cùm Concilium Tridentinum permittit Episcopo, ut si unum beneficium non sufficit ad vitam Clerici sustentandam possit alterum dare, intelligitur quando is, cui confertur est aptus & idoneus, ita ut non sit necessaria alia juris relaxatio. At spurius non censetur habilis ad duo beneficia, nisi Episcopus in hoc etiam utatur de integro juris mitigatione, quæ tamen ipsi hâc in parte denegatur. Imò non potest Episcopus spurio conferre simplex beneficium, si in Ecclesiâ sit statutum jure jurando firmatum, vel Sedis Apostolicæ auctoritate munitum, ut in eâ nullus spurius possit ad beneficium etiam simplex admitti, ita Joannes Andræas, Joannes Monachus, Geminianus, Ancharanus in cap. 1. de filiis præsbyterorum in 6. Ratio est quia non expedit jusjurandi religionem, & Sedis Apostolicæ auctoritatem confirmantem aliquod statutum abrogare.

XI. Non potest etiam Episcopus dispensare cum illegitimis ad dignitates & personatus etiam sine curâ, quæ spectant ad Ecclesiastica beneficia, & ad quos solus Pontifex Romanus potest cum illegitimis dispensare, ita Benedictus Ægidius, Lambertinus, Campanile, Hentiquez, Barbosa, Avila, Nicolaus Garcias post Sayrum, Toletum, Ledesmam, Molinam, Lessium, Petrum Gregorium & alios, ad quos accedit Azorius supr. Probatur ex cap. 1. *finali*, de filiis præsbyter. Glossa verbo *beneficium*, in dictum cap. 1. Potest Episcopus conferre spuriis beneficia quæ requirunt sacrum ordinem non jure communi, sed ex statuto, consuetudine, vel privilegio, ita Azorius contra Glossam cap. 1. de filiis præsbyter. Archidiaconum, Joannem Monachum, Geminianum, Ancharanum, Farinacium, Campanile. Ratio est, quia Episcopus potest statuta, vel cōsuetudines in suâ Diœcesi confirmatas abrogare, vel ex toto, vel ex parte, ac proindè etiam efficere, ut beneficium quod statuto, consuetudine, vel privilegio prædecessorum sacrum ordinem postulat, amplius non postulet. Vel certè Archidiaconus, & alii auctores intelligendi sunt de beneficio postulante sacrum ordinem privilegio, consuetudine, vel statuto, in quibus Episcopus nullum jus & potestatem habet, verbi gratiâ, si beneficium ratione & institutione suâ, vel Pontificio privilegio, aut consuetudine ubique gentium receptâ illum ordinem requirat. Rursus intelligitur, quando sacer ordo est necessarius ad beneficium, dum impetratur & recipitur; non verò si dumtaxat sit necessarium, ut post acceptum beneficium Clericus ad certum tempus certis ordinibus donetur, ut annotarunt Lapus & Ancharanus in cap. *is qui*, de filiis præsbyterorum in 6.

An cum illegitimis possit Episcopus dispensare ad obtinendos Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, Auctores non conveniunt. Affirmant Glossa in cap. 1. verbo *beneficium*, ibi Joannes Andræas, Ancharanus, Geminianus, Franchis, Dominianus, Calderius, Navarrus, consil. 3. incip. *Multarum quæstionum*, numer. 4. de ætate & qualit. & consil. 4. de filiis præsbyter. Selva, Campanile, Torreblanca, Azorius citans Oldradum, Jasonem, Rebuffum, Tabienam. Ratio est, quia est magis juri consentanea. Negant Joannes Monachus, Zerola, Antonius Fabricius, Lotterius, Marcellus, Alzedo, Emmanuel Rodriguez. Felinus ait esse communem in Rotâ Romanâ decis. 136. Barbosa utramque opinionem conciliare nititur, aitque primam procedere ex jure antiquo, cui suffragantur Sayrus Zerola, Lessius de justitiâ lib. 2. cap. 34. num. 86. Avila, Henriquez, Nicolaus Garcias, Squillante, Campanile, Lotterius, Majolus. At secundam opinionē idem Barbosa vult esse intelligendam de jure cōmuni Conc. XII.

Tridentini

Tridentini sess. 24. de reformatione cap. 12. secundùm quod omnes Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis postulant aliquem initiatum sacris ordinibus, ad quos cùm Episcopus nequeat cum illegitimis dispensare, ut probat Lotterius supr. cap. 48. num. 47. Sequitur, quod nequeat etiam dispensare in beneficiis, quæ illos sibi habent annexos. Deindè Canonici Ecclesiæ Cathedralis honoris gradu præstant reliquis omnibus Beneficiariis, quia efficiunt quasi unum corpus cum Episcopo, cujus corporis Episcopus caput est, & ipsi sunt membra, ideòque in publicis Supplicationibus, Conventibus, & Actis, in quibus unà cum Episcopo, & aliis Beneficiariis & Clericis conveniunt, antecedunt illos, & immediatè sequuntur Episcopum.

XIII. Alphonsus de Leone, Lessius supr. num. 89. Layman, Vasquez, Lotterius. Nicolaus Garcias, Molfesius sustinent contra Sylvestrum, Angelum, Episcopum non posse dispensare cum illegitimo, ut beneficium simplex obtineat in Ecclesiâ patris, & probant ex Concilio Tridentino sessione 25. de reformatione cap 15.

XIV. Cæterùm quando Episcopus cum præfatis illegitimis dispensare intendit ut in suâ Diœcesi aliquod beneficium obtinent, præfati illegitimi dispensati in aliâ Diœcesi beneficiari possunt, ita Barbosa post Lotterium, Majolum. Probatur ex cap. *cum olim*, ubi Abbas num. 1 de clericis conjug. Notant tamen Lotterius, Rebuffus dispensationem debere expressè fieri ante promotionem ad beneficium. Ratio est, quia Episcopus promovendo illegitimum, non censetur cum eo dispensare secundùm communem opinionem. Monet etiam Barbosa ut Episcopus non excedat limites potestatis à jure sibi concessæ, ita ut ad ordines minores, & ad beneficium tantùm extendatur, quæcumque subsit causa utilis vel necessaria. Quoad simplicia non excedat quantitatem, idest, non dispenset ultra unum. Quoad qualitatem, non dispenset in beneficiis habentibus curam animarum ut dictum est.

Disputant Doctores an irregularitas occulta ex defectu natalium possit ab Episcopo dispensari quoad sacros ordines & beneficia curata. Negant Piacesius, Bonacina de censuris disp. 7. puncto 3, quæst. 2. Filiucius, Reginaldus, Suarez, Ugolinus, Navarrus cap. 2. num. 194. Hurtadus, Alzedo, Turrianus. Sayrus citat pro negativâ sententiâ 20. Doctores. Ratio est, quia hæc irregularitas proximè & formaliter non est ex crimine, sed ex morali maculâ & notâ ipsius personæ. Secunda ratio, quia potest etiam contrahi absque ullâ culpâ parentum, ut si proles susceptа sit ex personis in amentiâ copulatis. Affirmant Stephanus Avila, Coninck, Præpositus, Diana, noster Corneio tract. 5. de irregularit. quæst. 15. dubio 2. Peirinis, Barbosa de jure pontif. lib. 1. cap. 11. numer. 156. Hanc resolutionem probant Avila & Corneio ex cap. *nisi cum pridem*, de renunciatione, §. *personæ*, ibi *si tamen & culpa lateat.* Ubi Innocentius III. scribens Episcopo Arelatensi docet dispensandum esse cum illegitimo occulto qui laudabiliter suum implevit officium. Ex quo videtur Episcopo data facultas dispensandi, saltem in susceptis, ut voluit Henriquez lib. 14 art. 20. num. 2. Nec fuit mens Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformatione restringendi antiquam facultatem Episcopalem, sed potius illam ampliandi ad casus illos occultos. in quibus antea nequibant dispensare. Imò ex dicto loco Concilii Tridentini hæc facultas videtur concessa Episcopis. Cùm enim non exprimat quod tale delictum debeat esse proprium ipsius, cui conceditur, licet sit alienum, videtur comprehendi sub decreto Concilii. Et favet ratio prima, si recurrendum esset ad Sedem Apostolicam quot animæ suæ salutis periculo & scandalo se exponerent ob occultorum criminum revelationem. Secunda ratio, facultas dispensandi favorabilis est, & latè interpretanda. Quamvis ipsa actualis dispensatio sit odiosa, & strictè interpretanda, ut fusè deducit Suarez tract. 5. de matrimonio lib. 8. disp. 2. undè minus

XV.

benè

benè loquitur idem Suarez sect. 5. dicens hanc opinionem esse improbabilem, eo quod Tridentinum loquatur de irregularitate contractâ ex proprio delicto, quod tamen non est omninò certum, cùm non exprimat de quo delicto loquatur. Et quamvis daremus loqui de delicto proprio, non est illius mens coarctare potestatem, quam jure communi habet Episcopus ex dicto cap. *nisi cum pridem*, sed eam extendere ad irregularitatem ex proprio delicto, in quibus nō poterat antea dispensare, Navarrus cap. 27. num. 44. melius loquitur, absolutè dicens Episcopum non posse dispensare. quia Concilium citatis locis solùm concedit Episcopis, ut possint dispensare in irregularitate proveniente ex delicto. Ex quibus infert Corneio Concilium non dare facultatem dispensandi in illegitimitate, Ratio est, quia hæc non tam videtur derivare in mentem ex crimine parentum, quàm ex defectu personali, quem ipse illegitimus habet in se, quam sententiam ait esse communem & tutiorem. Præpositus ita ratiocinatur. Non est improbabile, quod Episcopus possit dispensare in irregularitate illegitimi, ut (inquit Avila asserens viros doctos id sentire) quia licet illius prolis hæc irregularitas sit ex defectu, rem tamen moraliter considerando oritur ex delicto, & Ecclesia eam inducendo voluit punire parentum incontinentiam, atque adeò potest sortiri rationem pœnæ. Confirmatur, quia omnia jura hanc irregularitatem inducentia supponunt communiter peccatum in parentibus, ex quo illa oritur, & variis casibus, ubi peccatum illorum non intervenit, proles non est irregularis quamvis natasit extra matrimonium verum à parte rei. Nec refert, quod si proles absque culpâ parentum nasceretur extra matrimonium etiam putatum legitimum censenda esset irregularis; quia nonobstantè tali casu rarissimo, & quem lex non spectavit, dicendum quod moraliter, & secundùm quod communissimè accidit, illegitimitas prolis oriatur ex peccato parentum, & quod lex spectavit, id quod sæpius accidit, quamvis in eo casu rarissimo, quem non excipit, etiam incurreretur irregularitas, in quo tamen invenitur actio materialiter mala, & sufficiēs fundamentum malitiæ, si adessent cœteræ requisita; undè fit verisimile quod Episcopus in casu resolutionis possit dispensare absolutè (sicut potest absolutè dispensare per Concilium quoad sacros ordines & beneficia majora, seu dignitates & prælaturas.) Hinc si quis susceptus ex occulto adulterio habeatur passim legitimus posset ab Episcopo impetrare dispensationem ad sacros ordines suscipiendos, & beneficia duplicia, hæc Præpositus. Quamvis Diana putet non esse recedendum ab opinione negativâ, tamen animadvertit Episcopum posse cum illegitimis ex quocumque damnato coitu dispensare ad majores ordines & beneficium simplex, cum causâ tamen & eorum suffragantibus meritis, quod etiam procedit quoad Canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum, & in dimidiis portionibus, seu inferioribus beneficiis Ecclesiæ Cathedralis, & hanc dispensationem posse etiam à Capitulo sede vacante concedi existimat. Addit Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 5. num. 2. quod si bonâ fide aliquis ordinatus fuerit, cognito deindè natalium defectu, haud dubiè Episcopus dispensare potest, ut in susceptis ministret, sicut etiam notavit Henriquez & Avila. Imò fortasse etiamsi malâ fide ordines acceperit occultū natalium defectum subticēdo, sicut colligi videtur ex cap. *nisi cum pridem*, §. *persona*, de renunt. *Licet irregularitatem non potuerit subticere, si tamen & culpa latet & causa, cum eo qui laudabiliter suum implevit officium, injunctâ sibi pœnitentiâ salutari potest non minus utiliter, quàm misericorditer dispensari.* Diana subjicit quod si primogenitus Regis occultè sciens se esse illegitimum, hæreditatem legitimo fratri non posset aliter relinquere, quam si fiat Cardinalis, vel Sacerdos, non teneretur se infamare apud sedem Apostolicam. Ita si filius sciat, aut credat se esse illegitimum, & ex unâ parte causa urgeat cur sacros ordines suscipiat, & ex

altera parte si hoc faceret petendo dispensationem se infamaret graviter apud Papam, tamen absque dispensatione Apostolica potest ordinari.

XVI. Qui dispensatus est ab Episcopo, vel alio superiore ut possit promoveri ad ordines sacros, multò magis censetur dispensatus, ut promoveri possit ad minores ordines, ita post multos Carolus de Graffis de effectibus Clericalibus effectu 4. num. 205. Non tamē dispensatus simpliciter ad ordines censetur dispensatus ad majores, sed tantùm ad minores, ita Rebuffus in praxi beneficiali, Suarez, Sanchez, Molfesius, Campanile, Barbosa de officio & potestat. Episcop. part. 2. alleg. 45. numer. 4. Azorius post Hostiensem, Abbatem speculatorem. Probatur ex Glossa verbo *ordinari*, in cap. *litteras*, de filiis presbyterorum, & Glossa verbo *ad omnes*, in cap. ultim. eodem titul. in 6.

XVII. Dispensatus ab Episcopo quoad unum impedimentum, verbi gratiâ, illegitimitatem non censetur dispensatus quoad aliud, verbi gratiâ, defectum ætatis, ita Simon de Prætis, consil. 51. numer. 6. Surdus, Joseph Gonzales, Joannes Baptista. Probatur ex lege *si quando*, C. *de inofficioso testamento*. Vide Interpretes ibi. Ratio est, quia dispensationes sunt stricti juris, & odiosæ, strictamque recipiunt interpretationem cap. 1. in fine de filiis presbyterorum, libr. 6. Nicolaus Garcias, Gironda, Carolus Tapia, Sayrus, Hoieda, Moneta, Campanile, Suarez.

XVIII. Nec dispensatus ad unum effectum censetur dispensatus ad alium, ita Carolus de Graffis, Riminaldus, Simon de Prætis, Berous Unde dispensatio facta ab Episcopo, vel alio superiore ad ordines non extenditur ad beneficia, ita cap. 2. & ibi Glossa de filiis presbyterorum, Geminianus in cap. 1. & ibi Archidiaconus, Joannes Andreas, Ancharanus, Monach. Marcellus Vulpe, Barbosa, Alphonsus, Sayrus, Parisius, Marius Antoninus, Molfesius, Filiucius, Vasquez. Non extendi etiam ad aliquod simplex beneficium obtinendum tenent Rebuffus, Campanile, Borgasius, Marcus Antoninus, Garcias, Marchinus, Azorius part. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 5. post Dominicum Francum, Antoninum, Abbatem, Navarrum contra Majolum, Oldradum, Michaelem Martinum, Henriquez, Belletum. Ratio est, quia primâ concessione factus est dumtaxat habilis, & aptus ad ordines, non ad beneficia. Sicut si Titius è Clericorum gradu omninò dejectus, seu degradatus, ad ordines restitueretur, non ob id intelligeretur restitutus ad beneficia, ut docet Abbas in cap. *litteras*, de filiis presbyterorum in 6. post Joannem Andreæam.

XIX. Dispensatus tamen super Clericatu potest obtinere pensionem, ita Sarnensis, Seraphinus, Farinacius decis. 549. num. 3. part. 2. testaturque hanc opinionem perpetuò servatam in Rotâ, Campanile, Alphonsus, Barbosa, supra numer. 6. contra Garciam. Ratio est, quia illegitimus non est inhabilis ad obtinendam pensionem, nisi ratione Clericatus, super quo si sit dispensatus non indiget dispensatione super illegitimitate. Vide plura apud Azorium, Barbosam, & alios.

§. 5.

De Irregularitate proveniente ex defectu ætatis.

I. SUppono ex Concilio Tridentino sessione 23. cap. 12. pro recipiendis sacris Ordinibus requiri ad Subdiaconatum ætatem viginti duorum annorum, ad Diaconatum viginti trium, ad Presbyteratum viginti quinque. Prædictum autem numerum annorum sufficit attigisse, seu incœpisse, ita Navarrus in manuali cap. 25. num. 69. & seq. & numer. 101. Placesius, Petrus Ledesma, Franciscus Leo, Majolus, Zerola, Henriquez, Nicolaus Garcias, & alii à Barbosa citati. Quibus adde ex nostris PP. Corneio disput. 16. de irregulari-

irregularitate ex defectu ætatis, Lezanam quæst. regul. tomo 1. cap. 14. num. 1. & tomo 3. verbo *ætas*, num. 6. Ratio est, quia propria significatio dictionis *ante vigesimum secundum, &c.* de quâ in Tridentino, non includit annum perfectum & consummatum & expletum, ut sess. 25. cap. 15. de regularibus. *Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum.* Adeò ut Professio ante decimum sextum annum emissa non subsistat, sed debeat esse completum anni curriculum, nec sufficiat dies ultima illius anni inchoata, ut patet ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barbosam in collectaneis Bullarii verbo *professio regularis*, Navarrum in lucernâ regularium, verbo *annus*, num. 4. & 5. & alios. Secundò si ad receptionem ordinis annus expletus requireretur, non posset quis promoveri ad ordinē Subdiaconatus nisi anno vigesimo tertio, & ad Diaconatum anno vigesimo quarto; & ad Præsbyteratum anno vigesimo sexto. Quod manifestè ex Concilio Tridentino patet, & hoc non esset ante sed post, ut notant Auctores citati. Sufficit ergò ad singulos ordines per unum medium diem annum necessarium à Concilio Tridentino inchoatum fuisse, ita Bonacina de sacramentis disp. 8. quæst. unicâ, puncto 5, Petrus Ledesma, Coninck, Diana, Barbosa. Ratio est, quia in jure sivè agatur de materiâ favorabili, sivè de materiâ odiosâ, vel pœnali, ubicumque requiritur ætas ad aliquē actum vel exercitium sufficit attigisse primum diem, quia annus cœptus habetur pro completo, Glossa verbo *decimum octavum annum*, in Clement. *ad nostram*, de reg. Guitierez, Cevallos, Gironda. Nec Regulares virtute privilegiorum posse ordinari ante præfatam ætatem docent Sayrus, Petrus Miranda, Emmanuel Rodriguez, Marchinus, ex nostris Lezana & Corneio supr. Urbanus ab Ascensione Theologiæ moralis tractat. 2. regul. 2.

II. Defectus legitimæ ætatis requisitæ inducit irregularitatem quamdiu defectus durat, ita Bonacina, Navarrus, Toletus, Corneio supr. disp. 16. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 17. Probatur ex Canone dist. 50. cap. ultim. de tempore ordin. & promotus ante ætatem etiā suspensionem incurrit.

III. Hujusmodi irregularitas in promoto ante ætatem cùm habeat suspensionem annexam, habet etiam duplex impedimentum ad non celebrandum. Primum ratione suspensionis, quam incurrit suscipiendo illum ante legitimam ætatem. Secundum, ratione prætatæ irregularitatis provenientis ex defectu ætatis. Undè quamvis absolvatur à prætatâ suspensione non ideò potest celebrare ante completam ætatem requisitam, ita Suarez, Portelius, Lezana verbo *Ordines sacri*, num. 15. Econtra verò licet ob adventum legitimæ ætatis tollatur impedimentum irregularitatis, non tamen tollitur suspensio, seu impedimentum ex illâ proveniens etiam superveniente ætate, sed indiget absolutione, seu dispensatione, ita noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 17. & tomo 4. verbo *ordines sacri*, num. 15.

IV. Tollitur autem hæc irregularitas dupliciter. Primò, adveniente ætate, Navarrus, Gattius, Lezana & Corneio supr. *Ita tamen* (inquit hic) *ut si ante ætatis complementum suscepit Ordines & in illis non ministravit, solùm indigeat absolvi ab incursâ suspensione propter ordinis susceptionem. Si verò in illis ministravit, ultrà absolutionem à tali suspensione, indiget dispensatione, vel absolvi ab irregularitate incursâ propter malam ordinis administrationem.* Secundò tollitur per dispensationem Apostolicam, ita Chapeauville casu 22. reservato, Corneio, Lezana supr. & alii. Episcopus Leodiensis potest permittere ut aliqui promoveantur ad sacros ordines aliquot mensibus ante ætatem completam, sivè ex privilegio, sivè consuetudine, & praxi receptâ, toleratâ, & non reprobatâ, seu impugnatâ à Nunciis & Legatis Apostolicis ad tractum Rheni, ac præcipuè à Sanctissimo Alexandro VII. nuper sedente, aliàs hic Nuncio Apostolico cassatâ, vel damnatâ.

V Quod si ante absolutionem suspensionis incurſæ ob susceptos ordines ante legitimam ætatem ministrare præsumpserit in iis susceptis ordinibus aliam irregularitatem contrahit, ita Bonacina, Aloysius Riccius, Gutierez, Barbosa, ex nostris Corncio, Lezana, Urbanus ab Ascensione sup. contra Dianam. Ratio est, quia suspensus impeditur ea exercere, quæ ab ordine, jurisdictione, vel administratione Ecclesiasticâ pendent ac procedunt, Suarez, Alterius, Ugolinus, Bellerus, Moneta. Et confirmatur ex cap 1. de sentent. & re judic. lib. 6. Nec sufficit dispensatio fundatâ in tolerantiâ Episcopi per longum tempus, ita Roman. Consil. 216. num. 6. & 7. Gabriel, Berous, Flaminius Parisius. Ratio eorum est, quia cum non probetur illius scientia de ejusmodi malâ promotione tolerantia nihil operatur ultra quod ex dispositione Pii II. *cum ex sacrorum*, suspensio incurritur ipso jure, & celebrans fit irregularis a solo Papâ absolvendus, ex Navarro in manuali cap. 25. uum. 70. & in cap. *acceptâ* oppos. 8. num. 34. de restitut. spoliat. Covarruviâ, Rota decis. 481. num. 5. Barbosæ.

VI. Quod si delictum ejusmodi promotionis ante ætatem legitimam sit occultum, quamvis exercitium ordinis suscepti sit publicum poterit dispensari per Episcopum, ita Navarrus cap. 27. num. 241. Vivaldus, Majolus, Aloysius Riccius, Campanile, Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 2. alleg. 39. numer. 44. Henriquez, Avila, Ugolinus, Alzedo, Rodriguez, Perez, & alii. Addunt Joannes Præpositus in 3. part. quæst. 1. de censuris in communi dubio 14. Sanchez, Diana posse Episcopos dispensare suos subditos extra suam Diœcesim, & extra forum conscientiæ. Ratio est quia Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 6. non apponit illa verba *in foro conscientiæ*, & *in Diœcesi suâ*. In priori parte, in quâ conceditur potestas dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus. Igitur Episcopus potest præfatam potestatem exercere in subditos suos absentes, sivè Episcopus, sivè subditi sint extra Diœcesim. Hæcque dispensatio proderit non solùm pro foro interno, sed etiam externo, eo quod Concilium Tridentinum absolutè & sinè præfatis limitationibus concedit Episcopis facultatem in his casibus absolvendi extrajudicialiter. Hanc opinionem etiam propugnant Henriquez in summa lib. 7. cap. 13. §. 5. Fagundez, Suarez, Marchinus, Bossi, Alzedo, contra Emmanuelem Rodriguez, Ugolinum, Avilam.

VII. Quod facultas absolvendi ab irregularitate præfatâ competat Bullæ Cruciatæ asserunt Bannez, Aragonius Salonius, Medina, Vega dicentes, esse communem in schola D. Thomæ, & illam docuisse in Academiâ Salmanticensi viros doctissimos Canum & Orellinam, Ledesma, Corduba, Fernandez, Ludovicum Carbo, Guitierez, Naldum, Carrello, Salas, Nugnum, ex nostris Corncio supra tract. 5. disp. 6. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *Bullæ Cruciatæ*, contra Chapeauvillum de casibus reservatis, part. 1. cap. 4 difficul. 5. & 6. Toletum lib. 1. cap. 85. Suarez, Filiucium, Reginaldum, Molinam, Henriquez, Sanctuarellum, Graffium, Zechium, Beiam, Liamas, Zerolam, Parisium, Mirandam, Villalobos, Fabrum, Homobonum, Cajetanum, Majolum, Navarrum, Sotum, Vivaldum, & Sayrum. Probat P. Lezana ex eo quod in formâ absolutionis tribuendæ semel in vitâ, & semel in articulo mortis accipientibus bullam, quæ posita est in summario ipsius per Commissarium Generalem edito, dicitur *Absolvo te ab omnibus & pœnis censuris*, quod verbum *pœnis* dictas irregularitates denotare videtur.

VIII. Præfatâ absolutione à suspensione & irregularitatibus non indiget, qui testimonio parentum, vel sui superioris est bonâ fide ordinatus ante legitimam ætatem, ita Navarrus, Toletus, Covarruvias, Bonacina, Quaranta, Ugolinus, Jacobus de Graffis. Laurentius de Franchis, Bellerus, Barbosa. Ratio est, quia Pontifex intendit dumtaxat tollere scandala, ac excessus reprimere, ac nimiam temeritatem ordinandi coercere, quæ

omnia

omnia non habent locum in eo, qui ex probabili ignorantiâ juris vel facti ordinatur ante legitimam ætatem. Proindèque (inquiunt Covarruvias in Clementinâ *si furiosus*, part. 1. §. 2. num. 4. Belletus §. 5. num 59. Ludovicus miranda supr. quæst. 39. numer. 10. Hieronymus Rodericus in cõpendio quæst. reg. resol. 106. n. 14.) Sic ante ætatem promotus si celebret credens id sibi licere, nõ incurrit irregularitatẽ. Addit tamen Barbosa alleg. 16. n. 12. post Emmanuelem, Nugnũ, Bonacinã, quod si ignoret, non peccat. Ratio est, quia non violat censuram. Si tamen celebret, sciens se non habere legitimam ætatem peccat (inquiunt) mortaliter. Quia si quis ante legitimam ætatem sacros ordines suscipiat habens bonam fidem in principio, ob quam à susceptione ipſi facto fuerit exemptus, si postea supervenit mala fides, & sciat se non habere legitimam ætatem, tunc celebret non incurrit irregularitatem, ita Lauretus de Franchis, Emmanuel, Barbosa supr. num. 22. Nihilominus interveniente ætate competente poterit actus ordinis exercere absque absolutione vel dispensatione; ita Diana part. 5. tract. 10 resolut. 34. Barbosa supr. num. 23. post Sotum, nostrum Cornelio in 3. part. tract. 5. de suspensione disput. 4 cap. 3.

IX. Quod si Episcopus dubitet an res egeat dispensatione, vel ipse possit dispensare, Bonacina de legibus, disp. 1. quæst. 2. puncto 1. num. 18. distinguit. Vel probabiliter opinatur casum non indigere dispensatione, & tunc non est necessariò petenda dispensatio à Sede Apostolicâ, vel alio superiore. Ratio est, quia sequi licet probabilem opinionem deposito practicè dubio Vel non probabiliter opinatur, sed practicè dubitat opus esse dispensatione, & tunc censet dispensationem esse postulandam à Sede Apostolicâ. Ratio est, quia non debet se exponere periculo delinquendi contra legem superioris, in quâ Episcopus certis diebus nequit dispensare. Pro secundâ ratione allegat praxim. Sed oppositam opinionẽ tenent Emmanuel Sa verbo *dispensatio*, num. 1. Castro Palao, Layman, Diana part. 4. tract. 3. resol. 46. Barbosa de officio & potest. Episc. part. 2. alleg. 35. num. 10. Joannes Sanctius, Antonius Bravo, & alii asserentes posse Episcopum non egere dispensatione, vel posse ad cautelã dispensare. Ratio est quia in tali eventu adest præsumptio pro libertate, nec exponitur alicui morali periculo faciendi contra legem exponentis, & licet inclineste indigere dispensatione, tamen potest te reputare non indigere illâ, quia non debes censeri lege adstrictus quousque certò moraliter constet tibi de lege. Tamen dispensatio Episcopalis in isto dubio postulanda est, primò quia non videtur Pontifici reservatus talis casus dubius, sed certus. Secundò, quia potestas dispensandi est latè interpretanda. Quod si dubium consistat in facto, & res est omninò dubia, tunc non est opus dispensatione. Ratio est, quia tunc præsumptio est pro libertate. Quod pro unâ parte præsumptio præponderat, tunc postulanda est Episcopi dispensatio ad cautelam, ita Barbosa supr. post Bonacinam. Quia potest Episcopus in lege superioris dispensare, quando dubitatur an res egeat dispensatione. Quod autem in cõflictu opinionum debeant amplecti opinionẽ veriorem, docent Malderus 1. 2. quæst. 16. art. 5. disp. 86. Tannerus, Vasquez, Villalobos, Becanus, Filiucius, Azorius, Carolus Scribanus. Vel (inquit Azorius post Sotum) causa est criminalis, cujusmodi est ea, in quâ agitur de vitâ, honore, famâ, libertate, vel possessione officii, ac muneris, vel beneficii Ecclesiastici, & tunc debet tutiorem & probabiliorem partem tueri, defendere, ac judicare. Vel causa est civilis ac levis, & tunc nullâ lege potest compelli ad amplectandam probabiliorem sententiam. Aliter de Advocatis est disserendum, qui dum patrocinantur, sententiam non ferunt, & ideò secundum Sylvestrum, Armillam, Antoniũ, Navarrum, Azorium, causæ dubiæ patrocinium suscipere possunt. Vide nostrum Cornelio de irregul. disp. 6. dubio 1.

§. 6.

De irregularitate proveniente ex Bigamiâ.

I. HÆc irregularitas nuncupari solet ex defectu Sacramenti, cap. *debitum*, de bigamis, cap. *acutius*, dist. 26. quia (inquiunt Doctores) nuptiarum seu matrimonii multiplicatio non perfectè repræsentat Christum, qui est vir unius tantùm Ecclesiæ. Est autem triplex bigamia, alia vera, alia interpretativa, alia similitudinaria, & his annexa est irregularitas. Vera bigamia contingit, cum quis contrahit successivè & validè matrimonium cum duabus, & cum eis matrimonium consummavit, ita cap. *deindè*, cap. *acutius*, Covarruvias in Clementinâ *si furiosus*, part. 1. 2. Toletus de instructione sacerdotum lib. 1: cap. 7. & alii novemdecim apud Barbosam de officio & potest. Episcopi alleg. 49. numer. 1. Quibus subscribunt ex nostris Cornetio disput. 10. de bigamiâ, Lezana quæst. regul. tomo 3. verbo *bigamis*, num. 1. Ut autem matrimonium dicatur consummatum & inducere irregularitatem, Avila, Henriquez, Vivaldus, Palacius, Tabiena, Amilla, apud Sanchez de matrimonio tomo 2. lib. 7. disp 83. num. 6. existimant sufficere copulam absque seminatione. Sed ipse Sanchez cum Borgasio ait contrariam opinionem esse veriorem, cui subscribunt Megala in 3. part. lib. 7 cap. 1. num. 65. Coninck, Præpositus, Turrianus, Hurtado. Quod si ejusmodi absque seminatione esset occultus posset quis initiari sacris ordinibus absque dispensatione, ob rationes, quas affert Sanchez. Major difficultas est ad incurrendam præfatam irregularitatem bigamiæ an sufficiat effusio seminis virilis, Turianus de censuris lib. 7. disp. 70. dubio 1. Vega in summâ tomo 1. cap. 38. caso 4. affirmant solum virile semen sufficere. Ratio eorum est, quia fœmineum semen non est necessarium ad consummationem matrimonii & generationem. Sed Joannes Præpositus, Sanchez, Diana part. 4. tract. 2. de irregul. resol. 43. judicant oppositam opinionem esse æquè probabilem. Ratio est, quia secundùm mentem medicorum ad cõsummandum matrimonium & generandum, semen fœmineum est necessarium. Undè concludunt quod si vir seminaverit, non autem mulier possunt ingredi religionem, & per professionem solvere matrimonium, ita ut pars in sæculo relicta possit aliud inire matrimonium. Concludunt secundò quod ad contrahendam affinitatem non sufficit seminatio viri in mulieris matricem, in quâ est sanguis menstruus paratus ad generationem, sed etiam (inquit Hurtado post Innocentium, & Lopez tract. de matrimonio disp. 20. difficult. 1. num. 2.) requiritur seminatio fœminæ, quam sententiam Turrianus, Sanchez, & Præpositus non improbant. Ex quibus Diana infert, qui habuit cõpulam cum consanguineâ, vel affine uxoris non contrahit ullum impedimentum si illa non seminavit, ideoque potest absque dispensatione petere debitum.

II. Altera difficultas est an is censeatur bigamus qui ante baptismum alteram cognovit, vel utramque uxorem habuit. Pars negativa in eo fundatur, quod in Baptismo solvatur quidquid in veteri homine gestum est, ex cap. *deindè*, ex Abbate in cap. *gaudeamus*, num. 16. de divortiis. Et non solùm conferatur gratia, deleatur peccatum originale & omne actuale, sed etiam omnis pœna peccati debita, ita ex D. Thomâ quæst. 69. art. 2. Pisantio, Vasquez, Bartholomæo ab Angelo, Philarcho, Toleto, Victina, Petro Ledesma, Suarez, Nugno, Coninck, & alii ibidem. Et definitum est in Florentino Concilio decreto Armenorum. Nihilominus Bellarminus in controvers. Cathol. tract. 2. de Clericis cap. 24. vers. *contra verò*, Fuscus, Campanile, Bonacina, Barbosa tenent eum censeri bigamum, qui ante baptismum alteram vel utramque uxorem habuit ob varias rationes quas congerit Glossa verbo *inter peccata*, in cap.

deindè

deinde, quarum præcipuam subministrat S. Ambrosius lib. 1. officiorum, & lib. 10 epist. 82. ad Vercellenses, scilicet quod lavacro, seu baptismo non lex, sed culpa tollitur. Atqui non iterare matrimonium legis est præceptum quoad suscipiendos Ordines. Igitur baptismus non potest matrimonium, & legem auferre, sed peccata & sequelas illorum diluere. Nec refert quod infidelis non sit Ecclesiæ subditus, nec consequenter obligetur legibus ab eâ præscriptis de bigamiæ irregularitate incurrendâ. Ad hoc respondet Suarez bigamiam non obligare infidelem tempore infidelitatis, sed ipsum jam baptisatum. Ratio est, Ecclesia hunc facit irregularem ob judicium incontinentiæ, eo quod contraxit bis matrimonium, vel ob indecentiam, quia contraxit cum corruptâ. Nec refert secundò, quod infidelis occidens alium justè tempore infidelitatis non sit irregularis. Ad hoc respondeo id ita fuisse à jure constitutum irregularitatem homicidii non afficere nisi baptisatum cap. *si quis viduam*, 50. dist. cap. *si quis post baptisatum*, 51. Ratio est, quia Ecclesia non induxit hoc impedimentum ad ordines suscipiendos in pœnam alicujus delicti, ut ea per baptisatum simul cum peccato remittatur: sed quia illud matrimonium non est aptum ad significandam unionem Christi cum Ecclesiâ, qui defectus æquè reperitur in matrimonio inito ante baptismum, quam post (inquit Sanchez, lib. 7. disp. 83. num. 9.)

III. Secunda bigamia dicitur interpretativa, quando quis revera non contraxit cum duabus, sed secundum interpretationem juris censetur contraxisse cum duabus: quod sufficit ad inducendam irregularitatem. Hæc bigamia contingit primo quando quis contrahit cum prius cognita carnaliter ab alterâ, ex canone *curandum est*, dist. 34. Ubi prædictus dicitur irregularis. Secundo contigit quando Clericus cognoscit uxorem suam postquam ipsa commisit adulterium, ita can. *si cujus uxorem* & can. *si laici uxor* dist. 34. Ubi decernitur irregularis. & quam laicus, cujus uxor fuit deprehensa in adulterio, vel fuit evidenter probata adultera. Tertiò contingit quando quis verum & validum contraxit matrimonium, & postea in sacris constitutus contrahit secundum matrimonium licet invalidè, ut patet ex cap. *nuper*, 4. de bigamis, ubi statuitur irregularis quando secundum matrimonium est nullum defectu consensus, seu intentionis, ut colligitur ex ipso contextu. Quam irregularitatem communiter Doctores extendunt etiam ad laicum, sed absque expresso jure, ob quod Ægidius censet quamvis timidè, laicum invalidè contrahentem secundum matrimonium non esse irregularem. Quartò bigamia interpretativa contingit, quando constitutus in sacris contrahit matrimonium cum viduâ, licet invalidè, ut patet ex cap. ultim. de bigamis, ubi decernitur irregularis, quod aliqui extendunt ad matrimonium invalidum laici cum viduâ corruptâ. Sed immeritò (inquiunt Henriquez, Ægidius, Avila.) Plura de hâc bigamiâ apud Bonacinam, Corneio tract. 5. de irregul. disput. 10. dubio 1. & 2. Layman supra num. 1. & seq. & præcipuè Barbosam alleg. 49. numer. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.

IV. Bigamia similitudinaria (quæ non est vera, nec interpretativa, contingit, quando quis post votum solemne castitatis emissum sivè in religione, sivè in susceptione ordinum sacrorum contrahit matrimonium cum aliquâ etiam virgine, & eam cognoscit modo præfato, cap. *quotquot*, 124. quæst. 1. Navarrus in manuali cap. 17. numer. 195. versu *similitudinaria*, & consil. 1. num. 7. versu *ex quibus*, de bigamis, Bonacina, Layman, Lezana uum. 1. & alli apud Barbosam supra num. 15. Ideò autem dicitur similitudinaria, quia assimilatur veræ, quæ contrahitur propter duplex matrimonium spirituale cum Deo. Quod hæc bigamia & irregularitas tantùm habeat locum in Religioso, & non in sæculari sacris initiato sustinent non pauci apud Arriagam contra Suarem & Ægidium. Primo quia in dicto canone *quotquot*, est dumtaxat sermo

de

de Religiosis. Secundò quia aliàs superflue sæcularibus in sacris constitutis esset apposita irregularitas in cap. *super*, quando post unum matrimonium validum ante ordinationem cõtractum, post ordinationem contrahunt aliud. Quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem, & etiam superfluè apposita esset eis irregularitas in dicto cap. *ultimo*, quando post ordinationem contrahunt cum viduâ, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinariâ sufficit contrahere cum virgine, ut patet in canone *quotquot*. Uterque tamen & Religiosus & sæcularis in sacris contrahens matrimonium incurrit etiam excommunicationem ipso facto in Clementinâ unicâ de consanguinitate & affinitate. Notat Arriaga tup. post Avilã, & Ægidium quod quia dum irregularitas bigamiæ incurritur ex eo quod quis contrahat bis, aut semel cum corrupta ab altero, aut ex eo quod cognoverit propriam uxorem post adulterium ab ipsâ commissum, ideò ad petendam dispensationem non est opus explicare ter aut quater fuisse cõtractum, aut illud factum. Quia verò hæc irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, ideò non excutatur ab eâ irregularitate, qui contrahit cum corruptâ ab altero, nec qui propriam cognoscit post adulterium, licet ignoret corruptionem & adulterium. Quidquid dicat Emmanuel Sa verbo *irregularitas ex bigamiâ*. Notat secundò irregularitatem sæcularis initiati sacris ordinibus, & Religiosi contrahentium modo præfato, non esse ex defectu, sed ex delicto, ita cap. *super*, & ultim. de bigamis, & ex se patet, & ideò ab eâ excusantur omnes qui non consenserunt actui peccaminoso mortali ob quem fertur.

V. Sedes Apostolica potest in omni bigamiâ dispensare, ita D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 3. & ibi Richardus, Paludanus, & alii. Valentia, Ludovicus Miranda, Navarrus in manuali cap. 27. num. 197. Covarruvias, Azorius, Salzedo, Sayrus, Sanchez, Filiucius, Toletus, Bonacina, Franciscus Leo, Marcellus Vulpe, nostri Corneio supr. disp. 10. dubio 1. Lezana verbo *bigamis*, numer. 4. Ratio est, quia Papa potest dispensare in iis quæ sunt de jure humano. At præfatæ bigamiæ sunt introductæ jure Pontificio, potest igitur Pontifex in ipsis dispensare. Nec refert primò quod cap. 2. de bigamis dicatur *Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet*. Dico particulam *non licet*, non importare impossibilitatem, sed difficultatem, ita ut sensus sit non esse licitum Papæ in hoc dispensare absque gravi causâ. Nec refert secundò, quod hæc irregularitas sit ex præcepto Apostolico 1. Timoth. cap. 3. versu 2. *Oportet ergo Episcopum esse, &c. unius uxoris virum*, Idest, Monogamum, qui secundas nuptias non inivit, nec successivè plures uxores habuit, sed unam dumtaxat. Respondet noster Corneio hoc præceptum non fuisse Apostoli, ut nunciantis & promulgantis jus divinum, sed ut Episcopi & pastoris, & sic fuit præceptum juris Ecclesiastici, in quo potest Papa dispensare cum æquali polleat potestate cõstituendi & instituendi in Ecclesiâ, quàm tunc: & par nequeat ligare parem. Eidem responsioni subscribunt Valentia, Henriquez, Sayrus, Filiucius, Bonacina. Nec dicas Papam non posse tollere defectum, vel impedimentum sacramenti, quod non habet ex naturâ, nec ex jure divino, sed ex prohibitione Ecclesiæ, aliàs non posset etiam dispensare in defectu ætatis, quæ etiam manet post dispensationem.

Hic obiter dicendum judicem laicum non tantùm carere jure dispensandi, sed etiam cognoscendi an clericus sit bigamus, vel non. Ita Alexander, Lotterius, Barbosa supr. numer. 11. Diana, Harpsfeldius, contra Percira. Hinc præfatus Harpsfeldius notat quod inter alios abusus & injustitias quæ contra libertatẽ & immunitatem Ecclesiasticã circumferebantur tempore Eduardi Regis in Angliâ, erat, quod laici ad se rapiebant noritiam bigamiæ. VI.

Episcopus potest dispensare ut quis inserviat ordinibus minoribus ante VII.

susceptis

susceptis, & ut beneficium simplex, quod ante obtinebat, retineat, ita Navarrus cap. 27. num. 197 Angelus verbo *bigamus*, numer. 8. Abbas ibi, Vivaldus, Philiarchus, Valentia. Episcopus potest dispensare in bigamiâ similitudinariâ cum eo, qui cōtraxit cum virgine, jure sibi concedente, cap. 1. *qui Clerici*, vel *volente*, ita Bonacina supra n. 25. Potest etiam Episcopus dispensare ad receptionem ordinum minorum, & ad usum receptorum, ita D. Thomas dist. 27. quæst. art. 3. in corpore, Paludanus ibidem, Durandus, Cevallos, Alzedo, Joannes de la Cruz, Paulus Comitolus, Ludovicus Miranda, Sanchez, Avila, Sayrus, Azorius, Bonacina, Henriquez, Borgasius, Jacobus de Grassis, Petrus Ledesma, Angelus, noster Cornejo in 3. part. tract. 5. de irregul. disput. 10. dubio 1. quæst 5. Tabiena, Turrecremata. Probatur ex cap. *si Subdiaconus*, dist. 34. ubi dicitur. *Necessitate tantùm exigente bigamus usque ad Subdiaconatum potest promoveri.* Et in cap. *Lector*, eâdem distinctione: *Lector si viduam alterius uxorem acceperit, in lectoratu permanent, aut si necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra, similiter si bigamus fuerit.* In his igitur textibus non tantùm permittitur ut ministerio fungatur in majoribus ordinibus, quos ante susceperat, sed ut necessitate exigente usque ad Subdiaconatum possit ascendere. Cùm ibi dicitur in Subdiaconatu posse dispensare, non est sermo de Papâ, sed de Episcopis. Ratio est, quia cum votum solemne castitatis sit annexum sacris ordinibus, ita ut qui semel illis initiatus est, non habeat facultatem resiliendi a divino cultu, quod in ordinibus minoribus non contingit, merito denegatur Episcopo facultas dispensandi ad sacros ordines cum eo, qui ab unitate proximi matrimonii discessit, & conceditur ad non sacros. Huic resolutioni duæ sunt opiniones contrariæ. Prima est Navarri in manuali cap. 27. num. 197. Angeli, Abbatis in cap. *super eo*, Philiarchi, Vivaldi, Emmanuelis Rodriguez, Valentiæ asserentium Episcopum non posse dispensare, ut bigamus promoveatur ad ordines minores, & beneficia simplicia, posse tamen concedere, ut inserviat ordinibus minoribus ante susceptis, & ut retineat beneficium simplex, quod antea obtinebat. Hæc opinio fundatur in cap. *Lector*, ubi dicitur, quod talis lector bigamus in lectoratu permaneat, ex quo concludit dumtaxat concedi facultatem Episcopo ut in uiu ordinis minoris ante susceptis dispenset. Sed respondet noster Cornejo statim subdi, aut si fortè necessitas subsit, Diaconus fiat, ubi apertè conceditur Episcopo facultas dispensandi in Subdiaconatu, qui tunc non erat sacer ordo. Altera opinio negat Episcopum posse dispensare cum ejusmodi bigamis etiam ad ordines minores, vel primam tonsuram, vel beneficium etiam simplex, ita Suarez disp. 49. sect 6. numer. 4. Toletus, Tamburinus, Turrianus de casibus, Marcellus, Humada, Salzedo, Villalobos, Belletus, Aloysius, Nicolaus Garcias, Piacesius, Molfesius Franciscus Leo, Bartholomæus de Vecchis, Felicianus de Vega. Sacra Congregatio apud Armendariz. Fundamentum præcipuum petitur ex textu cap. 1. de bigamis in 6. & cap. *non confidat*, dist. 50. & cap. *cognoscimus*, dist. 34. Cornejo respondet in illis textibus dumtaxat prohiberi bigamis Clericatum, non tamen tolli ab Episcopo facultatem dispensandi, quæ illi concessa est in cap. *lector*. Noster P. Lezana has omnes opiniones concilhat, dicens duas postremas opiniones esse servandas in praxi, non solum propter decretum Concilii Tridentini sess. 23. cap. 17. de reformatione, ubi prohibet Ordinariis admittere ad exercitium minorum ordinum bigamos, quo denotatur ipsos non posse cum illis dispensare, sed etiam propter declarationem Sacræ Congregationis. *Bigamus* (inquit) *effectus bigamia interpretativa, etiamsi ante constitutus esset in ordine Ostiarius, non potest mortuâ uxore dispensari per Episcopum, ut in ordine suscepto ministret.* Ex quâ decisione infert multò magis esse dicendum de dispensatione quoad receptionē ordinis

minoris. Quid autem sentiendum sit de Commissario Generali Cruciatæ, & Prælatis Regularibus in ordine ad prætatam dispensationem; Vide eundem Lezanam loco citato, & tomo 1. quæst. regul. cap. 18. numer. 40. Dianam, Barbosam, Emmanuelem, Peirinis.

VII. Ex quibus sequitur multò minus posse ab Episcopo dispensari ad sacros ordines recipiendos, reque ad unum receptorum, ita communiter omnes Doctores fundati in cap. *super eo*, de bigamis.

§. 7.

De Irregularitate ex defectu corporis.

I. PAter Lezana verbo *irregularitas*, num. 15. Layman, & alii, animadvertunt cum omnem defectum non inducere irregularitatem, qui non impedit congruum exercitium ordinis, vel notabilem deformitatem, aut horrorem non affert. Probatur ex decreto de corpor. vitiatis, C. *presbyterum*, de Clerico ægrotante. Undè ex primi capite congrui exercitii, is est irregularis, qui caret manu, vel cui manca notabiliter manus est, cap. *expositi*, de corpor. vitiatis. Vel qui caret digito qui ad frangendam hostiam, necessarius est ut sunt pollex, aut index, cap. ult. eodem tit. Vel caret aliquo ex digitis quibus datur benedictio. Item cœcus ex Canon. 77. Apostol. Qui oculi dextri, vel sinistri facultate cum notabili deformitate privatus est, ex cap. ult. dist. 55. Imò etiamsi notabilis deformitas non appareat. Item qui est orbatus oculo sinistro, vulgò canonico. Addit tamen Layman post Navarrum cap. 27. num. 199. Avilam. Hinc sequitur primò ex Molinâ, Emmanuele Sa, Suarez, Quod si oculus dexter tali polleat virtute ut absque deformi vultus conversione Canon possit legi, non inferri irregularitatem, ad quam rem potest etiam intervire libri accommodatio, etiamsi ad latus sinistrum altaris constitui debeat, cùm legendus est Canon. Alioqui in rigore (inquit Papa Gelasius, aut Pelagius cap. *si Evangelia*, dist. 15.) *Si cui cæcus est oculus non possunt secundum canones Sacerdotis jura concedi.* Nec (inquit Toletus) etiam privandus sacerdotio, qui est ita debilis visu, ut litteras non discernat etiam cum ocularibus, & qui habeat in oculo notabilem deformitatem vel oculos nimis extractos vel inæquales. Refert Soto in 4. distinct. dubio 9. quæst. 2. & apud Avilam de censuris part. 7. disp. 3. dubio 5. se vidisse Tridenti Episcopum cœcum quotidie celebrantem, sine dubio ex dispensatione Apostolicâ. Fertur in historiâ Regum lib. 1. cap. 3. vers. 2. Oculos summi Sacerdotis Heli caligavisse, nec potuisse videre. *Oculi ejus caligaverant nec poterat videre.* Hebræus, Chaldæus, & Græcus. *Oculi ejus cæperunt caligare.* Idest habuit inchoatam cœcitatem vel sanè imperfectam: vel cum Cajetano luscitatem. Lutcrosus autem ex Aristotele in Problematis sect. 1. problem. 8. & 15. obtusus & imbecillis est oculis, ita ut non videat, nisi in multâ luce scilicet diurnâ, & in vespertinâ nihil videat. Ut Varro lib. 2. disciplinarum, & D. Isidorus lib. 20. putant, vel non videat in multâ luce lædente lenium sensibili vehemente, sed sub exiguâ. Ut Festus lib. 10. Fulgentius libello de prisco sermone. Seneca lib. 3. de beneficiis, & alii apud Brissonium libr. 10. Quidquid sit visus ejus tantâ caligine offusus erat, ut secundùm Tostatum, divinis officiis non vacaret, sed filii ejus pro ipso Ophin & Phinees, quemadmodum nunc Coadjutores Episcopi, quibus male versantibus successit Samuel. De irregularitate proveniente ex defectu oculi vide Bonacinam supra quæst. 2. puncto 2. & alios. 1. Reg. c. 3. v. 2.

II. Irregularis quoque censetur surdus utraque aure, ita ut nullo modo possit audire, ita Layman. Bonacina. Probatur ex septimo Canone Apostolorum. Nec ejusmodi surdus potest promoveri ad sacerdotium. Quod si defectus surditatis contingat promoto ad ordinem sacerdotalem, potest

poterit submissè, secretò absque ministro celebrare, ita Layman & Bonacina. Non tamen solemniter, ita Reginaldus, Bonacina & Laymã. Ratio est, nè scandalũ excitet faciendo aliquid extra tempus. Quod si unâ tantùm aure surdus fiat, non videtur irregularis, ita Bonacina, Sayrus, Graffius, & alii ab iis citati, ut Filiucius. Irregularis tamen est, qui caret auriculis, ideſt externâ illâ cartilagine, quæ organo auditus adhæret, ita Navarrus in manuali cap. 27. numer. 199. Avila, Coninck, Filiucius. Quibus etiam addit Bonacina, si carens auriculis nequeat ejusmodi deformitatem celare.

III. Qui habet labia planè corrosa, vel abscissa, irregularis est, ita Bonacina. Ratio est, quia laborat magnâ deformitate. Item qui nodum linguæ ita patitur, ut vix possit verbum integrũ exprimere, ita idem Bonacina. Ratio est, quia censetur inceptus ad functionem ordinis, potestque astantium animis aliquem horrorem incutere. Non autem censetur irregularis, si careat dentibus, ita Henriquez lib. 14. cap. 8. num. 2. Sayrus, Filiucius, Ugolinus, Bonacina. Ratio est; quia privatio dentium non solet impedire usum ordinis, vel inducere notabilẽ deformitatem. Imò nec is qui per indignationem sibi dentes excussit, ita iidem Ugolinus & Bonacina contra Maiolum. Nimia dentium extra os prominentia inducit irregularitatem, ita Bonacina & Ugolinus. Ratio est, quia parit deformitatem, undè si absque periculo fieri potest, ejusmodi dentes resecandi sunt. Gibbosus, qui habet ventrem præturgidum, & nimis pinguem, ita ut notabilem deformitatem pariat, est irregularis, ita Majolus libr. 1. cap. 17. Bonacina. Quod si gibbositas non sit conjuncta cum nimiâ deformitate vel debilitate, ita ut gibbosus possit se erigere & stare rectus, tunc non est irregularis, ita Molina tomo 4. de justitiâ tract. 3. disp. 70. numer. 8. Avila, Ugolinus, Reginaldus, Bonacina, & alii communiter.

IV. Qui habet, duo vel tria capita, quatuor manus, plures pedes quàm duos, vultum adeò fœtidum, ut intuenti facilè incutiat risum vel horrorem, irregularis est, ita Bonacina, Cornelio, Sayrus supra. Ratio est, quia talis deformitas est monstruosa. Item qui habet manus tremulas, non valentes firmiter tenere calicem, si iste defectus sit notabilis, ita Cornelio supra. Qui in omnibus digitis caret unguibus est etiam irregularis, vel ob defectum notabilem, si talis appareat, vel periculum aut difficultatem frangendi hostiam, aut tenendi calicem: secus verò, si non sit tale periculum vel deformitas. Eodem modo philotophandum est de eo, qui duos vel tres digitos conjunctos habet. Balbus autem vel blebus irregularis non est, nisi defectus in linguâ notabilem difficultatem in loquendo generet.

V. Quemadmodum Levitici cap. 21. vers. 18. à ministerio altaris arcebatur claudus notabili claudicatione quæ personam vilem & contemptibilem redderet, ac vix sacrificare posset absque periculo effundendi vinum, oleum, & cætera libamina, necnon sanguinem intra crateres contentum, vel non satis commodè victimas jugulare aut excoriare posset pede non firmiter nixus. Sic in lege gratiæ Antonius Butrio in cap. ult. de corporibus vitiatis, irregularem esse docet, qui caret pede, ligneoque eget ad ambulandum, Panormitanus, noster Cornelio disp. 12. de irregularitate. Idem asserunt de claudo, qui nequit absque baculo ambulare, vel accedere ad altare, aut qui per se non valet scalas altaris ascendere, quamvis postea pedibus stare possit, ex cap. *nullus Episcopus* de consecrat. distinct. 1. Id tamen Toletus in summâ lib. 1. cap. 63. negat, si deformitas non sit notabilis, & possit stare absque baculo. Non est etiam irregularis, qui habet crura distorta, vel pedes deformes, cum hoc vitium vestibus tegere possit. Cæterùm (inquit Alexander Patri Philippo apud Plutarchum de Alexandri fortunâ & lacenâ, quem mittebat claudum in bellum) claudus ex bello per singulos gradus memor esse potest virtutis. Non enim

semper convenit claudo, quod Poeta apud Palladium 2. epigram. cecinit.

Claudam habes mentem ut pudem etenim verè
Imaginem eorum quæ insunt tua natura foris habet.

Vel certè Deus ad sacrosancta ministeria eos admittere nō vult, ut tropologicè nos doceat cum Apostolo cap. 2. vers. 13. ut rectos gressus faciamus pedibus nostris, ut non claudicantes erremus, magis autem sanemur. Vel cum Sapiente Proverb. cap. 4. vers. 26 ex translatione 70. Interpretum. *Dirige semitas pedibus tuis.* Vel juxta exhortationem S. Parentis Eliæ lib. 3. Regum cap. 18. vers. 21. ut caveamus à claudicatione, seu levitate in Religione. Sic enim claudicantibus hæc paræmia applicari potest lib. 2. Regum cap. 5. vers. 8. *Cæcus & claudus, non intrabunt in templum Domini.*

VI. Hermaphroditum esse irregularem quando particeps est masculini & fœminini sexus docent Navarrus cōsilio 47. de irregularibus, Ugolinus, Bonacina, nostri Cornelio supr. disp. 12. Lezana verbo *irregularitas*, & alii. Probatur ex cap. 2. dist. 36. ubi generaliter sunt omnes irregulares corpore vitiati. At defectus in sexu magnū est vitium. Probatur specialim ex cap. *si testes*, 4. quæst. 2. Ratio est, quia omnis monstruositas irregularitatem habet annexam, ac primò si æquè polleat utroque sexu, vel fœmineus prævaleat, omninò est incapax ordinis. Ratio est, quia non est vir, sed fœmina, seu neuter est inquiunt Navarrus, Sayrus. Si autem in eo prævaleat sexus masculinus, licet absolutè sit vir, quia tamen est omninò indecorum ut ad ministerium altaris assumantur monstra, præcipuè si defectus sit publicus, ideò nequit admitti ad ordines sacros, ita Navarrus, Sayrus, Cornelio, Lezana, supr. Bonacina. Idem concludendum est de muliere in virum conversa, quamvis talis persona sit tunc sexus masculini, nequaquam debet sacris ordinibus initiari secundum Suarem, Filiucium Bonacinam, Cornelio, Lezanam, & alios. Ratio est, quia indecorum sacris mysteriis adhibere eum, qui aliquando fuisset fœmina, ita Lezana post Victorellum in additionibus ad Toletum ex Majolo. Si tamen magis particeps masculini quàm fœminei sexus ad ordines promoveatur, licet sit irregularis, tamen imprimet characterem, ita Navarrus cap. 27. num. 27. num. 201. Avila, Ugolinus, Filiucius, Molina, Sayrus, Henriquez, Bonacina, & alii contra Toletum, Martinū Fornarium asserentes non esse irregularem modò res non sit notoria, & ex illâ promotione non oriatur scandalum. Si etiam processu temporis, quæ hactenus sub fœmineis pudendis latuerāt, prodeant, ita ut fœmineus sexus non remaneat promotus ad ordines recipiet characterem, ita Filiucius, Suarez disp. 51. sect. 2, num. 2. Bonacina. Quod si utrumque sexum æqualiter habens, vel magis inclinans ad fœmineum ordinetur, ordinatio est invalida. Ratio est quia cum non sit simpliciter & absolutè vir est omninò incapax, nec potest dici simpliciter vir. Nec refert, quod jure civili detur ei optio, ut cui maluerit sexui inserviat. Hoc enim intelligi debet dumtaxat quoad actiones civiles, nō quoad ordinum capacitatem, quæ ex solâ naturali conditione pendet, & non ex voluntario usu sexus.

VII. Febri continuò laborantes sunt irregulares, non autem quartanâ, vel levi febriculâ, ita Bonacina Ratio est quia continua impedit celebrationē, quartana non reddit ineptum ad illam. Laborantes gravi dolore capitis continuò sunt irregulares, ita Ugolinus, Suarez, Filiucius & Bonacina. Ratio fundatur in periculo. Laborantes morbo vulgò Gallico qui foris appareat, & horrorem ac scandalum generet sunt irregulares, ita Ugolinus Molina, Bonacina. Et probatur primò ex cap. 1. de Clerico ægrotante. Laborantes leprâ & multâ scabie, si duret sunt etiam irregulares, ita Molina, Ugolinus, Majolus Si enim in antiqua lege à ministerio altaris arcebantur qui jugem scabiem, vel impetiginem in corpore habebant, quanto magis nunc à sacris altaribus removeri debent, qui jugi scabie, & impetigine

impetigine laborant. Per scabiem autem debet intelligi pululenta, & crassa, asperitas summæ cutis, cum furturibus, pruritu & colliquatione corporis, vel quæ habet rubicundum tumorem ex cute prodeuntem; vel pustulæ quædam humidiores, quædam sicciores, maximè ex quibus sanies exit, fitque continuata exulceratio, uno verbo intelligi debet scabies quæ à Celso fera dicitur similis lepræ & in squamas resolvitur. Quibus applicari potest illud Epigramma Ausonii in scabiosum Polygitonem, epigram. 106. cujus varias affectiones describit.

Principio tremulis gemitibus æra pulsat, &c.
Brachia deindè rotat, velut enthea Ausonius
damone Manas
Pectus, crura, latus, ventrem, fœmora, inguina, furus,
Tergum, colla, humeros, lustrea symplegadis antrum,
Tam diversa locis vaga carnificina pererras.

Per impetiginem accipitur scabies arida, mordicans, seu scabies perpetuò durans usque ad mortem, vel scabies foris humida, intus sicca, quæ secundùm Plinium lib. 26. cap. 1. faciem præsertim infestat, & à mento, mentagra nuncupatur. Celsus lib. 3. impetiginem vocat papulam, cujus duplex est species, fera & mitis, instar licchenis. Fernelius 7. Pathol. cap. 4. ait tunc impetiginem vocari, quando cutis est aspera, dura, & sicca cum ingenti prurigine. Cujus quatuor species assignat: prima est simplex, quâ cutis rubra, dura, & exasperata roditur vehementi pruritu, retinetque absolutum nomen pruritus. Secunda asperior pustulis majoribus consurgit, & propriè vocatur impertigo, & lichen, & emergit acrius corrodens, & latius procedens, tæpèque ex neglectâ papulâ fit, & fera nuncupatur. Tertia est ploria lepræ similis, quâ cutis crassior, siccior, durior, tumentior & serpentibus pustulis asperior evadit, hinc que roditur vehementer & exeditur, passimq; finditur, ac ex se furfurea quædam emittit, procedit ex atrâ bili in cutem effusâ, quod malum ægrè sanescit, sed ab eò instar lepræ inquinatum corpus sensim tabescit. Quarta impertigo est quædam lepra quæ absque dolore corpus occupat, & absque occupati tædio crescit membrorum decorem fœdans, vocaturque a Gallis *feu volage*, dicitur que impertigo ab impetu. Unde Serenus.

Si verò est vitium, quod ducit ab impete nomen, Serenus.
Hoc matutinâ poteris cohibere salivâ.

VIII. Qui peste afflicti sunt, esse irregulares, affirmant Ugolinus, Molina, Bonacina. Ratio fundatur in periculo infectionis, quæ irregularitas cessat sublatâ peste. Continuâ tussi laborantes sunt irregulares, quamdiu illa durat, ita proximè citati Doctores. Ratio petitur ex periculo suscipiendæ Eucharistiæ. Qui in morbum caducum incidunt sunt irregulares, nec possunt ad ordines promoveri, nisi postquam fuerint perfectè sanati, ita communiter Doctores apud Ugolinum. Ratio clara est. Nihilominus Reginaldus, Bartholomæus ab Angelo, Ugolinus, S. Antoninus, Molina, Sayrus, Bonacina docent posse in ordinibus susceptis ministrare, modò liberati fuerint illo morbo. Quod si non sint plenè liberati, sed raro vere bi gratiâ, semel in mense labantur in terram absque clamore, vel spumarum emissione, vel horribili corporis agitatione possunt celebrare adjuncto sibi Sacerdote jejuno, qui perficiat sacrificium, si fortè post canonem inceptum epilepticus corripiatur, ita cap. *nuper*, distinct. 7. quæst. 2.

IX. Spectat ad Episcopum, imò ad Prælatos judicare an defectus corporis impediat celebrationem, vel inducat notabilem deformitatem subditorum; ita Sylvester, Navarrus cap. 27. num. 200. Lezana num. 12. contra Avilam. Probatur ex cap. 2. de corpor. vitiatis. Quantum ad morbum caducum Reginaldus supra, & alii addunt pertinere ad Episcopū ferre judicium an aliquis sit liberatus eâ infirmitate post factam observationem triginta dierum. Caput *nuper*. dist. 7. quæst. ordinat a tempore recu-

peratæ sanitatis unum annum, pro ut Episcopus judicaverit. At Bonacina arbitratur relinquendum esse arbitrio Episcopi. Addit Layman quod si male affectis deformitas, verbi gratiâ; oculi cœci aut maculosi supervenian Clerico, sivè ejus culpâ post susceptum sacerdotium potest celebrare donec ab Episcopo interdicatur, & citat Majolum. Addit tamen Laymã tutius esse, ut petatur arbitrium Episcopi, qui attentâ causâ poterit ixpè dare facultatem celebrandi saltem privatim, vel etiam publicè; si non sit tanta deformitas, ut scandalum generare possit. Idem dicendum de claudis, gibbosis, &c. Major enim deformitas requiritur, ut quis post ordinationem excludi debeat à ministerio, quàm admitti ad ordines.

§. 8.

De irregularitate proveniente ex amentiâ, & possessione dæmoniacâ.

I. PErpetua amentia facit irregularem & incapacem ordinis suscipiendi, ita noster Corncio disp. 13. Undè si perpetuò amens de facto ordinetur verum characterem recipit. Quamvis jure naturali & divino ordinari non debeat. Ratio est, quia ad recipiendum characterem ordinis, non est necessarius usus rationis, sed solus character baptismalis, & sexus virilis. Patet ex D. Thomâ in addit. quæst. 39. art. 2. Tantumque est incapax usus ordinis jure naturali & divino, ut docent omnes Theologi in 4. dist. 25. & Sayrus. Et cum sic perpetuo amente nemo potest dispensare, cum jure naturali & divino sit inhabilis. Idem dicendum est de furioso & insano, nisi moraliter constet insaniam esse temporalem. In quo casu poterit Papa dispensare, ut insanus ille ordinem recipiat præcisè, non autem ut utatur ordine recepto quo usque ad mentem redeat.

II. Post susceptos ordines non sunt irregulares, qui levem quandam mentis alienationem, vel vertiginem, vel deliquium animi, vel furorem, vel quid simile patiuntur, ita Reginaldus loco citato, Majolus, Filiucius, Suarez disp. 51. sect. 1. num. 6. Bonacina. Ratio est, quia non sunt habitualiter amentes. Cauti tamen esse debent ne celebrent absque loco, quando periculum est, ut ipsi hoc morbo vexentur, ita ut nequeant hoc sacrificium peragere. Nam quilibet Sacerdos curare debet, ut sacrificium integrè fiat.

III. Habitualiter amentes & furiosi sunt irregulares ob periculum scandali, & novi lapsus in amentiam, ita Bonacina, probatque ex cap. *maritum* 2. dist. 35. Nec potest Episcopus, imò nec summus Pontifex dispensare, maximè qui habet humores & organa læsa, ita Avila sup. Navarrus cap 27. num. 203. Bartholomæus, Ugolinus, Cominck, Suarez, Filiucius, Bonacina, Molina. Ratio est, quia licet habeat lucida intervalla, tamen est irregularis, & excluditur ab ordinibus suscipiendis & exercendis.

IV. Dæmoniaci, quorum corpora à dæmone obsidentur, vel fuerunt obsessa sunt irregulares, nec consequenter possunt suscipere sacros ordines, vel susceptos exercere, quamvis sint modò liberati, ita Toletus cap. 39. lib. 1. Navarrus cap. 27. numer. 203. Bonacina, & alii. Probatur ex cap. *maritum*, 2. cap. *Clerici*. 4. distinct. 33. Eum tamen, qui fuit alias possessus post susceptos ordines posse illos exercere ex dispensatione Episcopi, modò constet ipsum spatio unius anni non fuisse à dæmone vexatum, docent Navarrus, Sayrus, Reginaldus, Sebastianus Medices, Henriquez, Toletus, Molina, Cominck, Bonacina, Layman, Filiucius. Probatur ex cap. *communiter*, dist. 33. A fortiori, liberatus ab obsessione dæmonis potest ad minores ordines promoveri, ita Toletus, Sayrus, Reginaldus, Filiucius, Bonacina. Probatur ex cap. *Clerici*, dist. 55. Ubi dicitur non posse ascendere ad superiorem sacri regiminis gradum.

Quamvis

V. Quamvis maleficiatus ratione maleficii perpetui sit inhabilis ad contrahendum, est tamen aptus ad sacros ordines suscipiendos, ita Sayrus; Bonacina, Henriquez, & alii. Ratio est, quia hac ratione castior erit. Qui se dæmoniacos simulant sunt irregulares, ita Sayrus, Bonacina, Ugolinus, Reginaldus. Probatur ex sextâ Synodo generali Constantinopolitanâ canone 6.

§. 9.

De Irregularitate proveniente ex defectu libertatis.

I. SErvus seu mancipium, cùm non sit sui juris, sed Domini potestate subjectus, non potest ordinari ante manumissionem, ita Bonaventura in 4. dist. 25. art. 2, quæst. 4. Richardus, S. Antoninus, Avila, Filiucius, Reginaldus, Majolus, Navarrus, Sylvester, Henriquez, Toletus, Sayrus, Bonacina, Layman, Arriaga, ex nostris Bacconius in 4. dist. 25. quæst. 5. Corneio disp. 14. dubio 1. Lezana verbo *Irregularitas*, num. 18. Vel saltem absque tacito consensu Domini sui. Probatur ex Canone 81. Apostol. & totâ dist. 54. & lib. 1. de servis non ordinandis, & glossâ ibi cap. 2. verbo *deponatur*. Duplicem hujus irregularitatis rationē adducit Corneio. Prima, quia servitute dignitas Clericalis obscuraretur. Quam rationem attentè consideravit Ecclesia, quando hanc irregularitatem induxit. Ut patet ex cap. *admittuntur*. 54. post Sanctum Basilium epist. 8. ad Eusebium Samorensem, quidquid in contrarium dicat Suarez disp. 51. sect. 13. Secunda ratio est impotentia sui. Cùm enim per susceptionem mancipetur divinis officiis debet esse sui juris, ut possit liberè ministeriis Ecclesiasticis incumbere. At servus id præstare nequit, quia non est sui juris sed Domini.

II. Si servus ante manumissionē ordinetur Domino sciente & non contradicente, fit liber & ingenuus. Bonacina, Layman, & Arriaga. Probatur ex Canon. *si servus*, dist. 54. Quod si Domino nesciente aut contradicente servus minoribus ordinibus initietur, potest cum Dominus sibi vindicare & repetere. Argum. cap. 2. de servis non ordinandis, & cap. 2. dist. 54. Non verò si majoribus, Bonacina. Layman, Lezana, sup. Quod si Episcopus sit fraudis conscius, tenetur duplum Domino reddere, & tenentur Episcopo reddere qui ipsum induxerunt, si fraudis fuerint conscii, ita Arriaga. Probatur ex Canon. *si servus absente*, dist. 54. Quod si nemo præter ipsum sit in culpa, si non sit sacerdos, tenetur vel substitutum conferre, vel justum pretium, aliàs restituendus est Domino in servitutem. Si autem sit Sacerdos privandus est peculio, & si peculio careat, tenetur satisfacere in ministeriis sui officii vel simili servo seipsum redimere, ita Layman, Bonacina, Navarrus, Sayrus, Toletus, Arriaga, Corneio, Lezana. Probatur ex Canon. *frequens*, Canon. *ex antiquis*, dist. 54. Quod si Dominus postquàm intellexit servum ordinatum dissimulet per annum, censetur ei omnem libertatem dedisse, ità Layman. Probatur ex cap. *si servus sciente, &c.* Potest tamen Dominus permittere, ut servus ad ordines promoveatur eâ conditione, ut ipsi in spiritualibus ministrare teneatur, Layman supr. Probatur ex cap. *nullus*. Ex quo Corneio infert servitutem non inducere irregularitatem perpetuam, sed dumtaxat quamdiu durat, undè quacumque ratione servus eximatur à servitute non indiget novâ dispensatione, sicque poterit servus ordinari; ità Suarez, Sayrus, & alii. Tunc enim censetur manumissus, & Dominus consentire.

III. Notat Layman quæ de servis dicta sunt etiam locum habere in iis, qui dicuntur servi originarii, vel ascriptitii, si Dominis, non tantùm ratione possessionum, sed etiam personaliter obligati sint, ut nisi pretio persoluto, vel gratis à Domino manumissi discedere nequeant, quales multi reperiuntur in Germaniâ. Probatur ex. cap. *admittuntur*, eâdem distinct. 54.

Quod

Quod est Leonis I. epist. 1. ad omnes Episcopos, subdit, non esse ordinandos colonos, qui ratione possessionis, vel administrationis suæ sunt Domino obligati, nisi sint liberi ejusmodi obligationibus, & suæ administrationis rationem reddiderint. Probatur ex cap. *admittuntur*, & epist. 1. Gelasii ad Episcopos Lucaniæ cap. 16. & cap. *vir*, de obligatis ad ratiocinia. & cap. 13. dist. 54. Quod intelligi debet de quibuscumque personis obligatis aliquo munere, de quibus infra.

IV. Defectus libertatis ad suscipiendos sacros ordines reperitur in conjugatis, ita Bonacina supr. num. 2. Lezana num. 20. & alii probatur ex cap. *uxoratus*, de conjunctione conjugatorum, & Theologis agentibus de matrimonio. Ubi de impedimento ordinis.

§. 10.

De Irregularitate proveniente ex obligatione ad ratiocinia.

I. OBligatio ad ratiocinia facit irregularem, ita Bonacina, Layman, Arriaga, Cornelio disp. 14. dubio 2. Lezana num. 20. D. Thoma in 4. dist. 25. quæst. 2. quæstiunculâ 1. Probatur ex cap. unico de obligatis ad ratiocinia, & cap. 13. dist. 54. Ubi licet fiat dumtaxat mentio de procuratoribus, actoribus, executoribus, curatoribus, & tutoribus pupillorum. Nihilominus intelligi debet de quibuscumque obligatis ad reddendâ rationem publicæ administrationis civilis, sæcularis, ut sunt judices, tabelliones, depositarii, thesaurarii, magistratus, advocati, procuratores, curiales, qui tenentur reddere rationem actionum, quas fecerunt, vel rerum quas administraverunt, sivè privatæ respectu alicujus personæ non miserabilis, ut sunt tutores, milites, &c. & similes de quibus Sylvester, Toletus, Bonacina, Arriaga, Cornelio dubio 2. Lezana num. 12. Probatur ex cap 1 & 2. *ne Clerici & Monachi*, Suarez disp. 51. sect. 3. & Layman supra num. 3. ait eadem omninò ratione idipsum sentiendum esse de quibuscumque personis obligatis aliquo munere, quod ipsos minus expeditos reddat ad serviendum Deo in officiis spiritualibus juxta illud Apostoli 2. Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Nec depositio tali onere (inquit Layman) debent ordinari, nisi redditis rationibus ab ejusmodi curis se expediverint. Quod si post rationes redditas maneant debito pecuniario obstricti possunt sacris ordinibus initiari ab Episcopo, maximè si cautionem præstare possint de solutione debiti. ita Suarez, Arriaga, & Layman supr.

II. Dixi civilis & sæcularis. Nam si criminales causas tractaverint, certum est esse irregulares ex alio capite scilicet defectu lenitatis, Suarez, Cornelio supra dubio 2. Excipiuntur ab hâc regulâ generali Clerici qui sunt Consiliarii Principum in causis purè civilibus, sivè hæc exceptio sit expressa Pontificis concessione, sivè ex consuetudine præscriptâ. Et probatur ex cap. *sicut*, Glossa ibidem verbo *Clericis*, Abbas num. 10. Sylvester quæst. 3. Rosella. A fortiori excipiuntur secundò ab ejusmodi irregularitate qui Curiæ Episcopali inserviunt, ita Bonacina, & maximè qui in Curiâ Romanâ inserviunt, Layman num. 4. Excipiuntur tertiò (inquiunt Bonacina, Layman, Arriaga, Cornelio) qui administrationem gerunt rerum Ecclesiasticarum, rerum piarum, quamvis sæcularium, ut sunt personarum miserabilium, viduarum, pupillorum, &c. Patet ex Canone ultimo dist. 86. & ex Canone 1. dist. 86. & aliis juribus. Ratio est, quia hæc administratio censetur quodam modo spiritualis & Ecclesiastica, vel saltem non aliena à statu Clericali, maximè si hæc fiant ob defensionem fidei, vel bonum spirituale animarum.

III. Hinc olim maximè usitatum fuit, imò pene necessarium, ut fideles in litibus civilibus, præsertim si se gravatos sentirent, vel res fidei ageretur, Episcopi tanquam Christianorum, maximè oppressarum & miserabilium personarum defensoris officium & judicium

cium exercerent, ejusque sententiæ tanquam ultimæ & irrefragabili standum esset. Id figuratè patet libr. 3. Regum cap. 21. ubi S. Pater Elias videns industriâ Jezabelis nutu Achabi à falsis testibus accusatum Naboth, à Jezraelitis judicibus injustè condemnatum, vitâque & vineâ spoliatum, exitium Achabo & Jezabeli denuntiat, quodque sanguinem eorum canes lingent in agro, Vers. 19. *Naboth occidisti, insuper & possedisti hæc dicit Dominus in hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Cur Elias divinæ contemplationi addictissimus, rebus illis civilibus se implicat? ex ordinatione Dei, ut patet ex loco citato. Eodem officiò functus videtur S. Eliseus ut innuit facer Textus lib 4. Regum cap. 4. vers. 13. *Ecce sedulè ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? Nunquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, sivè Principi militiæ.* Dionysius ibi. *Si eges auxilio meo, libenter te apud Regem juvabo. Sciebat quippè Eliseus se à Rege foram, & Principe militiæ in honore haberi, tanquam successorem Eliæ.* Quæ congruè respondit. *In medio populi mei habito.* Dionysius. *Ideò inter consanguineos & propinquos ita quod nullus mihi injuriatur, ideircò non indigeo ad Regem recurrere, etsi indigerem propinqui mei loqui possent pro me.* Instar illorum Sanctus Augustinus quamvis & doctrinâ & charitate totus seraphicus ac à negotiis terrenis omninò defœcatus foret, tamen nonnunquam miserabilium personarum curam ac patrocinium suscipiebat, ut testatur Possidonius cap. 19. vitæ ejus, & ipsemet S. Augustinus de opere Monachorum cap 29. *Multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in benè moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum, pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis, quibus nos molestos affixit Apostolus 1. Corinth. cap. 6. non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebantur arbitrio.*

l. 3. Reg. 21. v. 19.

l. 4. Reg 4. v. 13.

Dionys.

S. Augustinus.

1 V. Miserabilium personarum ac præcipuè viduarum & pupillorum visitationem, curam, patrocinium Apostolus Jacobus tanti facit, ut vocet religionem mundam & immaculatam apud Deum cap 1. vers. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Cur hic specialiter viduas & pupillos commendat? quia sunt reliquis afflictis miserabiliores, sunt enim personæ ab omnibus derelictæ. Undè Dionysius existimat sub nomine pupillorum & viduarum comprehendi quoslibet miseros, ut pauperes, infirmos, nudos, famelicos, sitibundos, incarceratos, peregrinos, vexatos, oppressos. Cur solatium ejusmodi miserabilium personarum, religionem nuncupat? Quid commune habet illud levamen cum religione? quia quemadmodum in altari victimæ immolantur, & sacrificia offeruntur, ita visitationes, consolationes, refrigeria, patrocinia, viduis, pupillis, seu miserabilibus personis exhibita, sunt victimæ, quæ Deum placant. Undè Sanctus Ignatius epist. ad Tarsenses vocat *Viduas Altare Dei.* Apostolus in carcere recipiens aliquam consolationem ac eleemosynam a Philippensibus cap. 4. vers. 18, vocat sacrificium. *Repletus sum ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Notat Cornelius quod consolationem, curam hanc, ac eleemosynã Philippensium vocat hostiam, & sacrificium non proprium, sed metaphoricum. Deinde eandem hostiam per appositionem vocat odorem suaviratis, alludens ad vetera sacrificia, quæ ad Deum per ignem & fumum ascendebant, & ideò Deus ea quasi sibi oblata dicebat, quasi illa odorem suavem spargerent, & offlarent divinis naribus. Undè & thus illis imponebatur, tum ad suffitum & suavem odorem excitandum, tum ut per thus quò omnium gentium ritu Deus colitur, significaretur illa Deo offerri & dicari. Innuere ergò vult Apostolus, quod cura, quam Philippenses habuerunt, ac eleemosyna quam miserunt sit quasi thus, vel thymiama suavissimi odoris, seu potiùs quasi hostia & victima, quæ cum thure per

Iacob. 1. vers. 27.

Philip. 4. vers. 18.

ignem & fumum ascendebant, & ideò Deus ea quasi oblata dicebatur, quasi illa odorem suavem spargerent, & efflarent divinis naribus. Undè & thus illis imponebatur tum ad suffitium & suavem odorem excitandum, tum ut per thus, quo omnium gentium ritu Deus colitur, significaretur Deo offerri & dicari. Innuere ergò vult Apostolus quod cura quam Philippenses habuerunt; ac eleemosyna quam miserunt sit quasi thus, vel thymiama suavissimi odoris, seu potius quasi hostia & victima quæ cum thure per ignem & fumum ad Deum suavissimo odore ascendit, illi & Deo ipsi pergrata & jucunda fuerit. Has hostias non tantùm Augustinus, sed alii Præsules Græci & Latini spiritualibus exercitiis paululum dimissis immolabant Basilius, Chrysostomus, Gregorius, Ambrosius, &c. Quod si Hebræos exhortans ad liberalitatem exercendam omnes beneficos ac liberales vocat sacerdotes, earumq; eleemosynas hostias, quàtò magis Sacrifici censendi sunt Prælati, qui viduarum, pupillorum, afflictorum, ac aliarum miserabilium personarum curam, & protectionem suscipiunt. Idem enim suo patrocinio ferè præstant, quod sacrificio missæ dum substantiam panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis convertunt, ipsamque sub speciebus tangunt. Dum afflictorum miseriam sublevant Prælati & alii fideles, idem officium præstant ac ipse Christus, accipe verba Sapientis Proverbiorum cap. 20. vers. 10. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum nè introeas; propinquus enim illorum fortis est, & ipse judicabit contra te causam illorum.* Hebræus. *Litigabit litem eorum tecum vel contra te.* Chaldæus. *Quia redemptor eorum fortis est, & judicabit causam eorum contra te.* Symmachus & Aquila. *Vindex eorum fortis.* Quasi diceret nè invadas agros, vineas, bona, famam, honorem, vitam parvulorum, pupillorum, viduarum, miserabilium personarum: quia licet parentum, propinquorum, amicorum, procuratorum, advocatorum, judicum; vindicum ope destituantur, qui injuriam illis illatam vindicet, hostes infestantes propulset. Christus eodem officio fungetur, ac dum in carne passibili nobiscum conversatus est, ipse enim erit eorum consanguineus, propinquus, assertor, advocatus, judex, vindex, eorum causam in se devolvet, ut olim Numerorum cap. 35. vers. 12. cap. 19. vers 2ı. 24. 25. & 27 Propinqui læsi interfecti partes suscipiebant, ejus sanguinem & necem vindicabant, bona alienata recuperabant, sic pauperes, pupilli, &c. ita sunt sub curâ Christi, ut sit eorum propinquus, curator, vindex, judex, &c. Deus verè propinquus cēseri debet quandoquidem nostram carnem assumpserit, jure propinquitatis nos redemerit ac in libertatem asseruerit. Verè propinquus noster, quandoquidem pauper nascatur in stabulo, egenus vivat in hospitio, nudus in patibulo efflet animam. Tutorem, judicem, vindicem se exhibuit pluries in hoc sæculo pauperum, pupillorum, viduarum, miserorum, ac præcipuè in die judicii *litigabit, judicabit causam eorum contra te vindex erit eorum fortis*. Audi Psaltem Regium psalm. 71. vers. 4. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorē.* Vers. 12. *Et liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adjutor.* Quare Isaias ad afflictos conversus dicebat cap. 41. vers. 14. *Noli timere vermis Jacob, ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus & Redemptor tuus sanctus Israel.* Quid per vermem Jacob intelligit? Judæos afflictos ab Assyriis, & postea vastandos à Nabucodonosor (inquiunt Hugo Cardinalis, S. Thomas, Lyranus, Vatablus, & Forerius.) Vel secundùm Hieronymum, Haymonem, Adamum typicè sunt Apostoli ac fideles oppressi, qui vocantur vermis vel vermiculus ob contemptum & humilitatem, seu quia impiorum ac tyrannorum pedibus teruntur, ac proculcantur. Tandem aliquando Christus, ut alter Elias, alter Daniel non Nabuthæ & Susannæ tantùm, sed summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & Pontifex omnium vestram causam ager, ac tandem in æternam libertatē asseret.

Psal. 71. vers. 4. vers. 12.

Deus

V. Deus ipse tanti facit afflictorum sollicitudinem, patrocinium, judicium, ut singularem eorum curam in se suscipere, eos quasi clientes fovere, & velut filios adoptare non dedigne-
Proverb. 15. v. 25 tur. *Domum superborum* (inquit Sapiens Proverb. cap. 15. vers. 25.) *demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ.* Pro *superborum* Septuaginta vertunt *injuriosorum*, pro *demolietur*, Rabbi Levi habet *solo æquabit*, Septuaginta *diruet*, Syrus *eradicabit*. Quasi diceret, Deus quasi protector, judex, vindex, &c. viduarum & fidelium ab omnibus derelictorum tantam curam suscipit, ut qui alios opprimere & nomen eorum de terrâ viventium delere studuerant, suas domos, familias, stirpes (instar Achabiticæ) evulsas ac eradicatas conspi-
Psal 145 vers. 8. cient, juxta illud Psalm. 145. vers. 8. *Pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.* Egregiè Titel-
Titelmannus. mannus elucidat. *Dominus custos est, tutor, patronus, atque defensor advenarum, & peregrinorum qui in terrâ alienâ inter exteros commorantes absque amicorum sunt patrocinio, orphanos quoque ac pupillos absque parentibus, & virorum solatio orbatas vere viduas, in suam tutelam, protectionem, atque defensionem suscipit, tanquam pater orphanorum, judex viduarum, & pupillorum adiutor, eoquod soleant ejusmodi plus cæteris humano esse destituti patrocinio.* Quomodò dicitur vias peccatorum disperturus. Idem Titelmannus. *Itinera autem & actiones impiorum, dum proeis perditionis æternæ & damnationis pœnam factoribus retri-*
Michael Bonon. *buet.* Velut noster Michael de Bononiâ. *Processus peccatorum contra bonos ad nihilum redigit, sicut patet de Pharaone; quem submersit in mare, Exodi cap. 14.* Infra ostendit duplicem esse viam peccatorum, aliam superborum aliam avarorum instar Jezabelis arrogantissimæ, & Achabi bonorum alienorum cupidissimi. *Via peccatorum est multiplex, scilicet primò via montuosa, qui est superborum, qui semper incedunt per vias altiores, & montuosas, quod tamen multum est periculosum, & facilitèr incidunt in casum, quia quantò ille status est altior, tantò gravior est casus. Sed & de superbis, sicut de lepore, qui melius currit contra montem ascendendo quàm descendendo, ita superbi de monte superbiæ cum labore descendunt, sed toto conatu nituntur ascendere. Secunda est via luctuosa, quæ est avarorum quæ etiam est spinosa, &c. omnes enim per istas vias ambulantes disperdet Dominus qui iustos custodit, Psal. 1. Novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.*

VI. De hâc divinâ tutelâ, patrocinio, & vindictâ fusius prænunciat Psalmo 128. vers. 4. *Dominus justus concidet cervices peccatorum, confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Titelmannus. *Dominus Deus, qui est justus judex & ultor pau-*
Psal. 128 vers. 4. Titelm. *perum servorum suorum, ipse pro me retribuet eis, ipse faciet vindictam interfecturus eos gladio oris sui, & sententiâ condemnationis æternæ, ad eum modum quo materiali gladio solent incidi cervices & amputari capita malefactorum, confusio sempiterna, & erubescentia horribilis apprehendet in novissimo omnes, qui odio habens populum Domini, Ecclesiam sanctam, bonos, atque fideles Dei servos, &c.* Melius Michael de Bononiâ. *Quid per cervicem nisi superbiâ de-*
Michael Bononia *signatur? Quæ in morte maximè deponitur & humiliatur? Undè Iob cap. 13. superbis dicitur. Redigentur in lutum cervices vestræ.* Quod exponens Gregorius lib. 11. moral. cap. 17. ait: *Sicut per oculum visus, sic per cervicem superbia designari. Cervix namq; in lutum redigitur cum superbus quis humiliatur in morte, & elata caro tabescit in putredine. Intueamur itaque qualia latent in sepulchris cadavera super quæ illa inexsuscita sit imago mortis, qua tabes corruptionis. Et certè hi erant, qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant cæteros, & quasi solos se esse gaudebant, & dum non perpenderent quò tendebant, nesciebant quid erant. Sed in lutum cervix redacta est, quia decisi jacent in putredine qui tumebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valet tabes corruptionis probat. Undè & Psalmista ait, Dominus justus concidet cervices peccatorum. Volens ergò Psalmista consolari bonos, qui patiuntur à malis, ait Dominus justus concidet cervices*

peccatorum, &c. quasi dicat non semper expugnabunt bonos superbi, nec fabricabunt supra dorsum bonorum, quia Dominus justus concidet cervices peccatorum. Infra ostendit quare potius Deus concidet cervices peccatorum, superborum, persequentium fideles, Ecclesiam, orphanos, viduas, &c. *Non enim dixit, Dominus justus concidet manus peccatorum, aut pedes peccatorum: sed quia peccatores superbos volebat intelligi. Superbi autem omnes cervicati sunt, qui non solum faciunt mala sed nec agnoscere volunt, &c. Ideò ubi cervicem nominavit hanc superbiam significans, & de talibus superbis dicit; Dominus concidet cervices peccatorum, &c.* De eâdem divinâ ope & protectione idem Vates Regius canit psalm. 32. vers. 20. *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor & protector noster est.* Specialiter de pupillis, ac viduis ab omnibus derelictis Psalm. 67. vers. 5. canit. *Turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & judicis viduarum.* Titelmannus. *Inimici eius turbabuntur timore horribili in adventu eius, & praesentiam eius formidabunt, ac fugient, eius inquam, qui est pater orphanorum, eorum qui ab hominibus derelicti sunt, paternam curam & nutriciam solicitudinem gerens, quique pro viduis judicat, easq. quae humano patrocinio & solatio orbatae sunt, singulari sollicitudine defendendo, ac pro eis contra oppressores judicando.* Machinas opprimentium orphanos ejusmodi ac viduas postquam idem Psalmes fusè explicavit psalm. 9. vers. 9. 30. 31. 32. tandem vers. 33. de divinâ pauperum illorum oppressorum sollicitudine ac vindictâ haec vaticinatur. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se & cadet, cùm dominatus fueris pauperum.* Titelmannus. *In laqueo & in retis adinventionum suarum, quas ad pauperum deceptionem adinvenerunt, & quas veluti pedicas, sivè laqueos tetenderunt per insidias simplicibus, ita potestatem acquisierunt super eos, eisq. praevaluerunt & vix ex illarum potestate facilè evadant, quibus semel fraudulenter praevaluerint hi impii, inclinabunt se & penitus procumbent super illos, cum coeperint dominari illorum, ad eum modum, quo in luctâ fieri solet, quando unus alium prostravit in terram mox se se inclinat, ac corpore toto, omnibusq. viribus incumbit super prostratum, ut nequeat prostratus exurgere.* Vers. 37. conversus ad Deum, ita eum affatur. *Vides quoniam tu laborem & dolorem considéras, ut tradas eos in manus tuas.* Titelmannus. *Vides tu & aspicis diligenter, & qua agant homines, quoniam tu consideras afflictionem & dolorem quibus affligunt & cruciant impii innocentes, & consideras ut eos qui laborem hunc atque dolorem simplicibus inferunt, tradas ad ultionem in manus judiciariae potestatis tuae, in manus potentiae atque justitiae tuae illis qui immisè affligunt de ulcericibus manibus tuis per eandem justitiam liberatis.* Specialiter intelligendos esse pauperes & orphanos innuit versu sequenti. *Tibi derelictus est pauper orphano tu eris adjutor, contere brachium peccatoris & maligni.* Sanctus Chrysostomus in illum psalmum, ponderat illa verbà *tibi*, ajt idem esse ac tua est ars, tuum officiū. *Hoc est officium tuum egregium, quemadmodum est artificis aurificare, gubernatoris navem dirigere, & solis illuminare, ita etiam tuum est praesse orphanis, manus praebere pauperibus. Nemo qui sic eorum curam gerat, sed tu solus. Hoc enim significat illud, derelictus est. Nemo, inquam, alius, sed tu solus orphanorum & pauperum curam geris.* Infra. *Nemo ergò orbitatem defleat, nemo paupertatem. Quò enim ea majora fuerunt, eò magis eum Deus auxilio dignabitur. Nemo ac potestate sibi magnificè placeat, nec intumescat.* Quandoquidem igitur Deus ex professo orphanis, viduis ac miseris auxilietur, & dum illis subvenit, non opus extraneum, sed proprium exercere censeatur, suo officio fungi, suam artem profiteri existimetur. Nemo arbitretur Episcopos suam dignitatem tenebris offundere, seu dedecore afficere dum miserabiles personas gravatas defendunt, oppressas sublevant, & non tantum patroni sed judicis personam agunt. Illud officium tam gratum habuit Constantinus Imperator, ut statuerit in rescripto ad Ablavium l. 1 C. *Theodosius*, de Episcop. judicio,

Psal. 67. vers. 5.

Psal. 9. vers. 3.

vers. 37.

vers. 38.

S. Chrysostom.

standum esse Episcopali sententiæ, tanquam ultimæ ac irrefragabili. Idem decrevêre Arcadius & Honorius l. 9. C. *Iustinian.* de Episcop. audientiâ. *Episcopale iudicium ratum sit omnibus, quos audire à Sacerdotibus elegerunt, eamq; illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam iubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare.* Non igitur Episcopi piis ejusmodi officiis subindè vacantes irregulares sunt, sed Christi & Dei imitatores. Nec eorum aut Ecclesiarum Officiales miserabilium personarum curam & patrocinium suscipientes ordinum ac beneficiorum incapaces censendi sunt.

Iustinianus.

§. II.

De irregularitate proveniente ex defectu animi, & primò ex defectu usus rationis.

I. NOster Joannes Patriarcha Jerosolymitan. libr. de institut. Monachorum cap. 12. affirmat Jonam Prophetam esse puerum Mulieris Sareptanæ, quem S. Elias vitæ restituit, ratione cujus beneficii, Mater eum obtulit Eliæ, sicut lib. 1. Regum Anna filium suum Samuelem tradidit Eli Sacerdoti, vers. 4. *Adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.* Quorsum illos adhuc infantes teneros offerre, cùm Tabernaculo deservire nequeant? Et in veteri lege divinis officiis mancipari non possent, & in novâ censeantur irregulares, idest incepti ad suscipiendos ordines, & in iis ministrandum ex Navarro cap. 27. num. 205. Filiucio, Bonacina, Reginaldo, ex nostris Corneio disput. 13. Lezana supr. num. 9. Probatur cap. *maritum*, dist. 33. Sicut enim furiosus est inhabilis ad ordines suscipiendos, & eosdem exercendos ob defectum rationis, ita & infantulus. Anna igitur infantulum suum Samuelem recens natum, aut certè ablactatum tradidit Sacerdoti Eli, non ad ludos, jocos, nugas, ad illiberales, & serviles artes optimæ indolis ac disciplinæ corruptrices, vel prophanas artes sensim perdiscendas, sed ad templū, ut ibi sacris religionis documentis imbueretur. *A mammâ* (inquit sanctus Chrysostomus homiliâ de Samuelis educatione) *divulsus venit ad mammam spiritualem.* Et paulò ante illum comparat non agno, sed agnello, vitulo, rosæ. *Ascendit in templum, & agnellum induxit in ovile, ac vitulum perduxit ad aratrum, & in pratum deduxit rosam à spinis liberam. Rosam, inquam, quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuò, quæq; possit ad ipsum usque cœlum exilire.* S. Augustinus in psal. 98. illi arridens. *Natus* (inquit) *fuit Samuel apud matrem tempore lactis mox ut eum ablactavit, dedit in templum, ut ibi cresceret, ibi roboraretur in spiritu, ibi Deo serviret.* Non dicit ut ministraret Eli, sed primò ut roboraretur spiritu, & ibi Deo serviret, postquàm didicit religionis ac legis documenta more Levitarum, canere, custodire tabernaculum, lucernas accendere, & alia quæ refert Tostatus in cap. 2. lib. 1. Regum. *Postea* (inquit Sacer Textus cap. 2. vers. 11. *factus est puer minister in conspectu Domini ante faciem Eli.* Non vocat amplius infantulum, sed puerum rationis compotem. Sic (noster Joannes supr.) *Mater Sareptana puerum suum* (quem Jonam vocat) *ex devotione tradidit Elia erudiendum in disciplina Prophetica vitæ Monasticæ.* Et postquam in illâ aliquamdiu instructus est, minister Eliæ effectus est. *Et factus Elia discipulus ministravit ei.* Sic in lege novâ multi infantes ad scholas pias mittuntur à parentibus, tamen usu rationis non pollent, censentur irregulares, & ad sacros ordines, officiaque illorum ordinum incapaces. Quæ irregularitas cum ex jure naturali, divino & humano introducta sit, non potest Episcopus, Prælatus regularis vigore cujuscunque privilegii, imò nec ipsa Sedes Apostolica dispensare, nequit etiam per Baptismum tolli, vel casu dato, per professionem religionis, benè tamen (inquit Lezana) per cessationem

Tostatus

Lezana

causæ, scilicet si certò adveniat usus rationis.

§. 12.

De Irregularitate proveniente ex defectu scientiæ.

I. PAret ex Joanne 44. Jonam non fuisse admissum ad ministerium Elianum, nisi postquam disciplinâ Prophetica vitæ Monasticæ fuit instructus. Sic nunc defectus scientiæ ac litteraturæ reddit hominem irregularem, ita Navarrus cap. 27. num. 205. Filiucius, Reginaldus, Homobonus de Bonis, Campanile, Bellettus, Petrus Alphonsus Valconcellos, Cenedo, Gonzales, Menochius, Azorius, Lessius, Marchinus, Thomas Valascus, Hurtado, Toletus & alii. Ex nostris Cornelio supr. disp. 13. Lezana numer. 10. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. sess 24. cap. 4 11. 13. & 14. ubi exprimitur quæ scientia requiratur ad ordines. Cui arridet cap. *illiteratos*, dist. 36. ubi sermo est de omnibus illitteratis & Glossa ibidem, cum vocat omninò illitteratum, qui nunquam audivit Grammaticam, & cap. ult. de temporib. ordin. in 6 Ratio est quia jus ipsum naturale dictat non esse admittendos ad aliquod munus eos, qui nesciunt illud munus exercere. Undè (inquit Majolus lib. 1. de irregul. cap 23. num. 13. & alii citati a Bonacina) Nonpotest Episcopus, imò nec Sedes Apostolica dispensare cum penitus illitterato, ut eos ordines accipiat, qui ad sui exercitium & usum postulant scientiam qua caret promovendus. Nam Sedes Apost. nequit dispensare in jure naturali, licet possit dispensare quatenus hoc impedimentum est a jure humano inductũ. Undè infert Bonacina hanc inhabilitatem non esse dumtaxat inductam à jure humano, sed etiã a jure naturali dictante omninò illitteratos non esse admittendos ad ordines.

II. Addunt Suarez, Filiucius, Bonacina, ex nostris Cornelio, & Lezana supra, ignorantiam seu defectum scientiæ ad usum ordinum necessariæ non solum inducere inhabilitatem ad ordines suscipiendos, verùm etiam ad usum susceptorum, sivè susceptí sint bonâ fide, sivè malâ fide. Ratio prima est, quia scientia in Clerico non requiritur propter susceptionem ordinum, sed propter usum ipsorum. Secunda, quia hæc irregularitas non incurritur propter culpam.

III. Quæ autem litteratura nominatim necessaria sit ad ordines suscipiendos, Accipe ordinationem Concilii Tridentini & mentem Doctorum. *Primâ tonsurâ* (inquit Concil. Tridentin. sess. 32. cap. 4.) *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quiq; legere vel scribere nesciant.* Per primam tonsuram Stephanus Weymsad constitut. 24. ex antiquo jure desumptas, & per Concilium Trident. innovatas constit. 3. num. 11. Intelligenda est (inquit) illa prima ratio, quam Episcopus cum sacrâ benedictione facit iis, qui ex laicis volunt fieri Clerici, & indè appellata est tonsura, vel corona Clericalis ostium aperiens, & viam sternens ad sacros ordines majores, qui absque illâ nequeunt suscipi. Undè priusquam laici ad tonsuram Ecclesiasticam admittantur, oportet eos saltem aliquo modo esse litteratos, idest sufficit primò ut sciant formare characteres, quamvis nesciant perfectè scribere, ut resolvit Sacra Congregatio Episcop. regular. die 13. Octobris 1593. apud Sel in Select. Canonic. cap. 5. num. 6. & novem Doctores apud Barbosam alleg. 11. num. 5. Sufficit secundò, ut sciant scribere & legere in suâ linguâ patriâ, & nativâ. Ita Campanile, Azorius, Sanchez, Diana, Barbosa de off. & potest. Episc. part. 2. alleg. 11. num. 5. Minores ordines conferendi non sunt nisi intelligentibus linguam Latinam. *Minores Ordines* (inquit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 11.) *iis qui saltem linguam Latinam intelligant.* Conferendi sunt Marchinus cap. 5. num. 5. Homobonus de Bonis, Hurtado de Sacramentis tomo 2. tract. de ordin. diff. 22. versu *pro quatuor*, Thomas Valaschus.

Notat

Notat tamen Menochius de arbitr. casu 425. num. 58. relinquendum esse Episcopi judicio & arbitrio, ut promoveat ad ordines eum, qui licet adhuc linguam Latinam non calleat, est tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis. Ratio est quia puer illitteratus censendus non est, qui pro ætate didicit, & ostendit se posse profiteri. Seu secundùm Præpositum, Rotam Rom. divers. part. 2. decis. 16. numer. 3. Carolum de Graffis, Flaminium, Majolum, Barbosam alleg. 46. num. 10. litteratus dicitur qui prima Grammaticæ rudimenta didicit.

IV. Promovendi ad Diaconatum, & Subdiaconatum debent habere instructionem eorum, quæ spectant ad illos ordines exercendos; ita Bonacina quæst. 2. puncto 1. numer. 3. Debent insuper linguam Latinam scire, ac intelligere quæ legunt, ita Sotus in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 4. Menochius lib. 7. cap. 1. dubio 45. Ordine Præsbyteratus initiandi debent habere scientiam, quâ possint docere populum, & administrare Sacramenta, Bonacina. Seu ex Sanchez, & Soto debent benè legere cõtenta in Missâ, & mediocriter intelligere, habereque mediocrem scientiam, ut possint servare ritè ea, quæ spectant ad missæ Sacrificium conficiendum. Debent scire defectus occurrentes in missâ, materiam & formam consecrationis, dispositionem necessariam ex parte animæ & corporis, ita ut (inquit Marchinus de sacramento ordinis part. 5. tractat. 1. part. 1. cap. 1. num. 6. & seq.) Episcopus peccet mortaliter ordinans eum, qui nescit officium, & necessaria ad ejusmodi officium & ordinem. Quod etiam examen de scientiâ & doctrinâ regularium ordines suscipere volentium debeat fieri ab Episcopo, docent Vasquez in 3. part. tomo 5. disp. 246. cap. 6. Barbosa, Miranda, Portellus, Villalobos, Diana part. 2. tract. 3. miscell. resol. 31. & alii. Et patet ex Concilio Tridentino sess. 23. de reformation. cap. 12. Subdit Diana post Mirandam supra devotos atque prudentes Episcopos hac in re tuam exonerare conscientiam cum conscientiis Prælatorum ipsorum commendatitiis litteris plenam atque omnimodam fidem exhibent. Idem docet Portellus supra in addit. ad dubia regul. verbo *ordines sacri*, numer. 1.

Cæterùm Sylvester, Jacobus de V. Graffis, Miranda, Menochius, Majolus, Barbosa de officio & potest. Episc. allegat. 46. num. 14. Henriquez, Portellus, Peirinis resolvunt Religiosos benè legentes & cantantes etsi in linguâ Latinâ aliqualiter deficiant tutâ & securâ conscientiâ posse ab Episcopis ordinari, & à Prælatis regularibus præsentari ut ordinentur. Ratio est, quia hi regulariter loquendo non ordinantur ad habendam curam animarum, sed dumtaxat ad assistendum choro, divinisque officiis, & ad ministrandum altari, faciendumque rem sacram, remanetque in illis spes de comparandâ tali scientiâ & cognitione necessariâ ad suum munus & officium peragendum propter instructionem: quæ hisce de rebus habetur in cunctis religionibus. Hæc doctrina fundatur in Glossa verbo *instructis*, in cap. *legi*, 16. quæst. 1.

Idem concludendum esse de Ca- VI. nonicis & Cantoribus Cathedralium Ecclesiarum docet Barbosa, & apud ipsum Hieronymus Roder. Lotterius, Peirinis, Aloysius, Bariola, Villalobos, Dianâ, noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 14. num. 14. Tamburinus. Quamvis autem Glossa innuat, quod in Monacho bonitas, & non scientia sit necessaria, nihilominus hodie Monachi & Clerici debent esse scientia ornati cum præfatâ distinctione, ita Barbosa supra numer. 14. post alios. Nam (inquit) illi quò rudiores sunt, eò magis laborare debent.

§. 13.

De Irregularitate preveniente ex Neophytismo, seu fidei defectu.

I. SAnctus Chrysostomus homil. 3. de Eliâ, Tostatus quæst. 24. in cap. 17. lib. 3. Regum asserunt Viduam Sareptanam Matrem Jonæ fuisse Gentilem. quam cum totâ familiâ S. Propheta Elias ad fidem convertit, sed puer Eliæ imbuendus traditus primò levioribus ministeriis fuit applicatus, & inter ea (inquit Joan. 44. Joannes 44. Patriarcha de institut. Monachorum cap. 12.) *Cùm oraret Deum Elias pro pluvia in monte Carmeli, misit semel hunc Ionam puerum, ut de monte prospiceret, si aliquis in mari appareret. Qui cùm contemplatus esset ait: Non est quicquã. Et rursum dicit ei Elias* 3. Reg. 18. v. 44. *revertere septem vicibus, & in uná vidit Ionas nubeculam parvam, quasi vestigium hominis ascendentem de mari. Quod cùm Eliæ renunciasset, agnovit pluviam grandem tunc descensuram super terram, quam pluviam venturam Ionas per Eliam missus Regi Achab eam desideranti indicavit.* Quæ legatio Regi gratissima fuit: primò ob fœlix vaticinium imbris futuri. Secundò, quod per puerum omni dolo carente denunciaretur. Deindè provectior effectus Jonas ad gradum altiorem ascendit scilicet Leviticum, missusq; est ab Eliseo ad inungendum Jehu in Regem Israel. Idem Joannes Patriarcha. *Post raptum verò Eliæ in cœlum, Jonas ab Eliseo in Ramoth Galaad missus unxit Iehu in Regem Israel ad ulciscendum necem Prophetarum Eliæ discipulorum.* Tandem ingravescente ætate in numerum Prophetarum adscriptus, non ab Elia vel Eliseo, sed immediatè a Deo in Prophetam & Vatem eligitur, mittiturque à Deo in Ninivem more Prophetarum Eliæ & Eliséi, ut cladem illius Civitatis amplissimæ & materialem & spiritualem prænuncíet. *Demùm* (inquit Joannes Patriarcha) *monitus à Deo Jonas, ut in Ninivem pergens prædicaret eam infra quadraginta dies subvertendam, vidit sancto Spiritu reclamante Ninivitas per suam prædicationem convertendos ad pœnitentiam & consecuturos Dei misericordiam, &c.* Illi arridens S. Dorotheus in vitâ Jonæ scribit, subjungitque Jonam profugum in Assyriam cogitasse, hoc pacto tollam probrum meum, quod falso contra Ninivem prophetando acquisivi. *Dedit prodigia super Jerusalem, & totam terram, lapidem scilicet miserabiliter clamantem, quod finis appropinquet, & quando ab omnibus gentibus Jerusalem calcaretur, quod tunc civitas illa abolenda esset.* Eadem scribit S. Epiphanius in vitâ Jonæ, excepto lapide clamante. Sanctus Isidorus in Jonâ illis subscribens, ait. *Jonas columba & dolens filius Amathi de Geth civitate ad gentium præconium mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclitabatur navis, sed fors dormientem reperit. Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ quem à mortuis Elias suscitavit, cujus sepulchrum in quadam urbium Geth, in viculo demonstratur, qui est in secundo milliario Sephorum, itinere quo pergitur Tyberiadem.* Novis. simè Mariana, & alii eandem sententiam amplectuntur.

II. Idem accidere conspicimus in novâ lege. Neophyti enim, seu Judæi, Turcæ, Mahumetani, Gentiles, ex diversis orbis oris & regionibus, è Judaismo, Mahumetismo, Gentilismo ad baptismum convolantes, sic noviter conversi, etiamsi sint in adultâ ætate censentur irregulares, ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 205. Avila, Sayrus, Reginaldus, Filiucius, Bonacina, Toletus, Henriquez, Suarez, tomo 5. disp. 43. sect. 3. Valentia. Felicianus, noster Lezana supra num. 11. Hæc irregularitas est ab Ecclesia introducta juxta illud Apostoli 1. Timoth. cap. 3. vers. *Non Neophytum*, Et causam hujus irregularitatis subjicit. *Nè in superbiam elatus incidat in laqueum diaboli.* Idest licet adulti Baptismi lavacro renati ad sacros ordines adspirent, non tamen statim admittendi sunt, sed diuturnum faciendum experimentum bonæ illorũ perseverantiæ

perseverantiæ. *Sicut Neophytus* (inquit Sacer Canon dist. 48. cap. 3.) *dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat eruditione plantatus, sic modò Neophytus habendus est qui repentè in religionis habitu plantatus ad ambiendos sacros ordines irrepserit.* Et cap. præcedenti. *Quoniam multa sunt sivè per necessitatem, sivè ex quacumque causâ contra regulas gesta: ita ut homines ex vitâ gentium nuper catechisati, vel instructi statim ad spirituale baptisma venissent, & continuo cùm baptisati sunt, etiam ad Episcopatum, vel Præsbyteratum provecti, unt.* Ratio prima est, quia difficile est boni Præceptoris officio fungi, qui se aliquando non cognovit discipulum fuisse. Hinc electurus in locum Judæ quempiam Apostolum Petrus dixit Actor. cap. 1, vers. 21. *Oportet ergò ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intravit & exivit Dominus Iesus, & testem resurrectionis ejus nobiscum fieri existis.* Quibus verbis (inquit Stevartius) innuit conditiones eligendi aliquem ad Sacerdotium, vel Episcopatum: nempè, ut in congregatione eligendorum simul faciendâ absque acceptatione personarum fiat, simul etiam de numero fratrum congregatorum delectus aliquis eligatur. Hoc est ejusdem fidei, religionis, eorundemque morum. Nam quod attinet ad alias externas conditiones gentis sivè Patriæ, nobilitatis, doctrinæ, ætatis, famæ, statui, nihil potest nisi pro variis temporum ac locorum, similiumque rerum circumstantiis. Vult ergò Apostolus ut ad Præsbyteratum vel Episcopatum promoveatur qui longo temporis spatio in Christianismo ita profecerit, ut subditos fidei mysteria docere probè possit. *Quia in Ecclesiasticis* (inquit Hieronymus in c. 4. ad Ephesios) *quamvis sanctus sit pastoris nomen sibi assumere nemo debet, nisi possit docere, quos pascit.* Quibus Stevartius subdit. *Requiritur ergo ut eligendus sit vir sexu, ætate, gravitate, doctrinâ, prudentiâ, & qui cum Ecclesiæ doctoribus, & pastoribus omni tempore fuerit versatus, nè scilicet Neophytus aut tyro, rerumq; gerendarum expers eligatur. Sicut enim nova planta adhuc tenera ob teneritudinem facile corrumpuntur; ita etiam qui non ita radicitus in fide & charitate sunt radicati, verendum est nè facile à cæpto virtutis & religionis tramite deficiant.* Undè Apostolus subdit subministrans secundam rationem. *Nè in superbiam elatus incidat in judicium Diaboli.* Cui astipulans Canon dist. 48. cap. 3. decernit. *Ordinatè ad ordines ascendendum est, nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Scimus autem quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi à novitatis sua humore siccentur. Nè si ante ponderа, quam insolidentur accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant.* Et cap. præcedenti. *Recte igitur visum est de cætero nihil tale fieri. Nam & tempore opus est ut sit catechumenus, & post baptisma multâ probatione indiget. Evidens namq; Apostolicum præceptum, dicens, non Neophytum, nè forte elatus in superbiam in judicium incidat & in laqueum diaboli. Neophyti verò hodie appellantur propositum sacræ religionis noviter assumentes.* Ad hanc rationem & periculum alludit S. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum. *Ignorat* (inquit) *momentaneus Sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit se ipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpè reprehendit, & assiduâ meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit, de cathedrâ quodammodo ducitur ad cathedram, ideſt de superbiâ ad superbiam.* Eidem sententiæ arridens S. Ambrosius. *Verum est, quia rudis in fide solet extolli superbiâ, maximè si accipiat ordinem. Novitate enim & potestate inflatur arbitratus se præcæteris digniorem.* Specialiter de Episcopo in epist. ad Titum & summa dist. 48. hæc pronunciat. *Non licet, ut qui erat heri catechumenus hodie fiat Episcopus. Qui heri erat in theatro, hodie sedeat in Ecclesiâ: qui vesperi erat in circo, hodie ministret in altari: qui dum fuerat fautor histrionum, hodie sit consecrator virginum.* Undè concludit Origenes lib. 1. contra Celsum. *Qui ex gentili, vel Iudæo fit Christianus, aut*

Act. c. 1. vers. 21.

S. Hieronymus.

S. Ambr.

S. Hieronymus.

ex vitâ prâvâ ad honestatem convertitur, nè statim Episcopus fiat. Indignum est enim, ut qui nondum documentum vitæ suæ dederit aliorum fiat Magister. Et Sanctus Anselmus. *Nec nuper baptisatus, nec nuper à sæcularibus negotiis, vel à malitia separatus fieri debet Episcopus, quia unusquisque talis est Neophytus.*

III. Id ni fallor præfiguratum videtur in sacrâ Parentis nostri Eliæ historiâ, quamvis enim Jonas fuerit admissus in societatem hujus Prophetæ ante vocationem Elisei, nam illius fit mentio lib. 3. Regum cap. 17. & 18. At Eliseus fuit vocatus ab Eliâ cap. 19. tamen totius ordinis Prophetici, & populi Israelitici regimen spirituale non Jonæ, sed Eliseo contulit. *Elias* (inquit Siracides cap. 48. vers. 15.) *in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus.* Noster Joannes 44. Patriarcha supr. cap. 23. *Videns Elias discipulum suum Eliseum suo spiritu plenum, novit eum à Deo factum idoneum ad regendum suos discipulos filios Prophetarum. Propter quod totius religionis per eum institutæ commisit tunc regimen ac magisterium. Et in hujus rei signum tradidit tunc Eliseo suum insignem religionis habitum, relinquens ei pallium suum dum ferebatur in cælum. Quo se operiens Eliseus abjecit à se vestimenta sua scindens ea in duas partes, ut filii Prophetarum videntes eum habitu Eliæ indutum agnoscerent eum spiritu Eliæ repletum, & sic reciperent eum promptius pro Eliâ in Patrem & magistrum, &c.* Cur Eliseus posterior vocatione & discipulatu prætertur Jonæ non solùm ab Eliâ, sed etiam à Deo ipso? Cur Deus potius Eliseo spiritum Elianum infudit quam Jonæ, innuitque Eliæ potius Eliseum quàm Jonam esse destinatum ad regendos filios Prophetarum? Cur etiam Elias potius Eliseo quàm Jonæ suum habitum dimisit? ut filii Prophetarum Eliseum potius in Patrem & Magistrum agnoverunt quàm Jonam? Ratio est, quia Jonas erat ex patriâ & parentelâ gentili, Eliseus ex sanguine Hebræo oriundus. Noster Joannes 44. supr. cap. 12. *Inter hos Prophetas Eliæ Discipulos primus ordine temporis ad vitam monasticam per Elisæum vocatus fuit sanctus Jonas de regione Geth, quæ est Offir, filius illius viduæ, cui ligna colligenti in Sarepta Sidoniorum Elias obviavit, & in cujus domo latuit, dum Rex Achab per omnes gentes & regna eum ad mortem perquiri fecit.* At natale solum, & genus Eliseï veram religionem sectabatur. Nam ex S. Hieronymo, Saliano, Adrichomio, & aliis, sicut Elias erat ex tribu Gad, ita & Eliseus ex tribu Manasse. Vel secundùm Epiphanium & Isidorum in vitâ Eliseï ex tribu Ruben. Quod parentes fuerint fideles, ac veram Religionem sectarentur iidem scribunt asserentes in ortu Eliseï mugisse unum è vitulis aureis, quos conflavit Jeroboam, & illius mugitũ auditum fuisse Jerosolymis, & ex eo quendam sacerdotem prudentẽ conjectasse eo die aliquem esse natum, qui futurus esset infensus sculptilibus omnibus, atque exterminium illis. Favet Joannes 44 supr. cap 13. *Hoc sancto Eliseo nascente magnum contigit prodigium. Vnam quippe idolum ex vitulis aureis, quos filii Israel adorabant in ortu Eliseï acutè mugivit. Quod cùm sacerdos Domini in Ierusalem audisset, divino nutu, ait, Propheta natus est in Israel, qui sculptilia Deorum destituet, & fusilia.* Deindè sacer Textus non ait Eliseum ab Eliâ vocatum fuisse, documentis instructum, ut de Jonâ asserunt Joannes 44. & alii præcitati, sed assumptum in socium, & in sui instituti participem lib. 3. Regum cap. 19. vers. 19. *Profectus Elias reperit Eliseum filium Saphat arantem in duodecim jugis boûm, & ipse in duodecim jugis boûm arantibus unus erat, cùmq; venisset Elias ad eum misit pallium super illum.* Cornelius. *Vt eum vocaret ad se sequendum, eumq; faceret sibi socium, sui q; instituti participem.* Non ait ut à Gentilismo ad Judaismum, à cultu idolorum ad veri Dei fidem profitendam revocaret, sed ut socium & participem sui instituti efficeret. Quibus tacitè innuit fuisse prius à suis parentibus fidelibus veræ religionis imbutum documentis. Eandem veram parentum Eliseï religionem testantur verba sequentia, vers. 20. *Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Matthæus cap. 4. vers. 19.

Eccli 48 vers. 15.

Ioan. 44.

l. 3. Reg. 19. v. 19

Corn.

vers. 20.

Matt. c. 4. v. 19. vers. 19. narrat quod Petrum & Andræam Christus vocavit. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* & vers. 21. quod idem Christus Jacobum & Joannem vocavit scilicet eodem modò quo Petrũ & Andrẽam. *Moti tùm voce Christi, tùm miraculo capturæ piscium in navi Petri, ipsi enim quasi socii Petri eum in attrahendo reti piscium adjuvarant, ut ait Lucas cap. 5. vers. 9.* At Eliseus nullo modo vocatus ab Eliâ nec verbo nec miraculo, sed solo contactu ejus chlamydis dimisit aratrum. Ex quo infero Eliseum ante vocationem suam non minus versatum fuisse in lege Mosaicâ quàm ipsos Apostolos, imò fuisse doctiorem vel ferventiorem colligo ex particulâ *Cucurrit*, de Apostolis dicit Sacer Textus. *Relictis retibus secuti sunt eum.* At Eliseus non secutus est Eliam, sed cucurrit post Eliam: quod majorem festinationem ac impulsum Spiritus Sancti denotat. Si enim secundùm S. Ambrosium lib. 2. in Lucam. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Sanè quò anima magis festinat, eò uberiori gratiâ est perfusa. Parentelæ Elianæ veram religionem probant verba sequentia. vers. 20. Eliseus subjunxit. *Osculer oro patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te.* Ejus disciplinæ ascriptus, & ejus discipulus ac alumnus effectus postulat facultatem valedicendi parentibus suis. Dionysius. Dionys. *Da mihi licentiã valedicendi parentibus meis.* Cui Elias. *Vade & revertere quod enim meum erat feci tibi.* Si parentes Eliśei Gentiles fuissent, nec Eliseus illam facultatem postulasset, nec Elias ob periculum seductionis permisisset, multò minùs parentes permisissent strui illud solemne convivium amicis & vicinis, nec ipse Eliseus suam mentem amicis gentilibus manifestasset, cùm id à candidatis religionis inter Christianos fieri videamus. Et tamen (inquit Sacer Textus vers. 21.) vers. 21. *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo & comederunt.* Cajetanus Tostatus, & Dionysius. *Celebravit enim convivium quo suis valedixit, ut ostenderet se boves, aratrum, agrum, omniaq; relinquere, ac Iatum sequi Eliam.* Subdit Dionysius. *Ipso facto monstravit se nolle ad pristinum reverti officium, sed Eliæ inseparabiliter adhærere, quoniam aratrũ suum conscidit, & boves mactavit.* Quæ verba maximam denotant Eliśei constantiam, & dignum successione Eliæ in regimine ordinis & populi.

Nec refert quod Deus dono prophetiæ & legatione Ninivitica Jonam honorarit, sicut Eliseum, ut patet lib. 4. Regum à cap. 2. usque ad 13. ubi ad plures Reges coarguendos missus est, ideòque videtur Jonam æquè dignum fuisse regimine filiorũ Prophetarum ac Eliseum. Discrimen inter utrumque colligitur ex utriusq; historiâ. Nam Jonas dono prophetiæ insignitus & quidem *à Deo surrexit*, non ut pergeret, sed *ut fugeret in Tharsis à facie Domini.* Jonæ cap. 1, vers. 3. Fugit veritus potentiam & magnificentiam Regis ac Urbis Ninivitarũ, fugit pluris faciens suum honorem & famam, quàm divinam ordinationem; præsumebat enim Ninivitas ad has Dei minas à se proclamandas pœnitentiam acturos, & Deum pœnitentibus parciturum, sicque se fore irridendum quasi pseudoprophetam. Fugit motus pietate in Ninivitas, nè perirent. At Eliseus nusquam à facie Domini deflexit, imò semper illum sibi præsentem habuit, nec conspectum reformidavit, sed illos intrepidè ac publicè reprehendit lib. 4. Regum cap. 4. vers. 14. Sic enim Joram regem Israel coram Josaphat rege Judæ, & rege Edom affatur. *Vivit Dominus exercituum in cujus conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Cornelius ibi post Dionysium. *Iuro per Deum, quem vt mihi præsentem semper in mente habeo, revereor, colo, & amo, æquè ac magister meus Elias, à quo hoc didici, quod si vultum Iosaphat regis Iudæ, qui mecum Deum verum colit, erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem, sed despexissem, nec te dignatus essem responso, multò minùs miraculo, quia tu Deum meum negligis & despicis.* Siracides hanc Elisianam constantiã

IV. Jonæ c. 1 vers. 3. l. 4. Reg. 4. v. 14. Cornel.

ita describit Ecclesiastici cap. 48. vers. 13. *In diebus suis non pertimuit Principem, & potentiâ nemo vicit illum nec superavit illum verbum aliquod.* Græcus. *In diebus suis non est commotus à Principe, & non subegit eum quisquã.* Vatablus. *In temporibus suis non est permotus ob principes, nec imperium cujusquam pertulit.* Cornelius *Quasi diceret, Eliseus liberè prophetavit & prædicavit veri Dei cultum, nihil veritus regum idololatrarum & impiorum offensam, minas & cædes, sed intrepidè, & in barbam eis restitit eosque redarguit.* Quod probat exemplo supra allato cap. 3. lib. 4. Regum. Et altero capitis vers. 14. ubi rursum cinctus ab exercitu Regis Syriæ cum Giezi ejus minister pavidus exclamaret. *Heu heu, heu Dominus quid faciemus.* At respondit Eliseus. *Noli timere, plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Cùmq; orasset, aperuit Dominus oculos pueri & vidit, & ecce mons plenus equorum, & currorum igneorum in circuitu Elisei.* S. Ambrosius sermone 1. de Eliseo. *Divinus timor terrorem à nobis expellit hostilem.* Et sermone 2. *Quid mirùm si auxilia meretur è cælo, cuius animus semper in cælo est, sicut ait Apostolus. Nostra autem conversatio in cælis est. Ergò si nostra conversatio in cælis est, & cælestium conversatio potest esse nobiscũ.* Quibus verbis innuit Eliseum non veritum fuisse regum potentiam, vel à divinâ præsentiâ unquam deflexisse. Utrumque egregiè & fusius explicat S. Chrysostomus tomo 1. homiliâ de Eliseo, & Syrorum insidiis detectis. *Rex Syriæ mittit exercitus multitudinis aggregat, armatos instigat, vt circumdato monte hominem Dei adducerent sibi, irrisit se nequissimus hostis, irrisit & stulto consilio, de homine Dei aliud quàm debuit sensit. Si enim Eliseum Dei hominem non putavit cur multitudinem misit? &c. Cogitabant igitur Elisei indaginem hostes, & ille ad Deum dirigit preces, multitudo contra sanctum armatur, & ille in monte deprecatur. Circumdant locum, ambiunt montem, non vt Dei hominem caperent, sed per eum ipsi captivi in Samariam devenirent. Quem montem, cùm Propheta puer armatis circumdatum conspexisset. O, inquit, Domine, surge, quia circumdati sumus. Sede, inquit, fili, sede intrepidus: Sede, inquam, vt dixi, securus, quia non vides, video quod nescis, aspicio quod non putas. Recognosco plures enim sunt, qui nos tuentur, quàm illi qui contra nos missi venerunt. Domine, inquit, aperiantur istius pueri oculi, & videat quanta sit multitudo nobiscum. Confestim videt Angelorum exercitum, & quadrigam igneam stantem ante Eliseum. De hinc descendit Eliseus ad illos, & invocato Domino, dixit, Percute Domine gentem istam cæcitate.* Illis verbis, *ille ad Deum dirigit preces, &c. ille in monte deprecatur.* Innuit Eliseum nunquam oculos à Deo avertisse, sed semper eos ad ipsum directos habuisse, dicens cum Vate Regio. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* His autem verbis. *Sede fili intrepidus, sede, inquam, ut dixi securus.* Significat Eliseum non tantùm fuisse intrepidum, sed etiam alios ab omni formidine liberasse, ac hortatum fuisse nè potentiam Regum pertimescerent. Quod etiam donum Prophetiæ non reddiderit Jonam ad regimen cœtus prophetici idoneum ex eo patet, quod prophetia non sit habitus, vel qualitas permanens, sed passio transiens, quod probat D. Thomas exemplo S. Elisei 2. 2. quæst. 171. artic. 2. in corpore. *Habitus est, quo quis agit, cùm voluerit, vt dicit commentator in 3. de animâ, sed aliquis non potest uti prophetiâ cùm voluerit, vt patet lib. 4. Reg. de Eliseo, quem cùm Iosaphat de futuris requireret, & prophetiæ spiritus ei deesset, Psaltem fecit applicari, vt prophetia ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius animum de venturis impleret, vt Gregorius homil. 1. super Ezechielem. Ergo prophetia non est habitus.* Et consequenter probat inesse sanctis Prophetis lumen Prophetiæ, non per modum habitus, sed per modum passionis, seu impressionis transeuntis. *Dicendum quod sicut Apostolus dicit ad Ephesios cap. 5. Omne quod manifestatur lumen est, quia videlicet sicut manifestatio corporalis visionis fit per lumen corporale, ita etiam manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet ergò, vt manifestatio*

Eccli 48 vers 13.
Cornel.
4. Reg. 6. v. 14.
S. Ambr.
S. Chrysostomus
S. Thom
4. Reg. 3. v. 15.

festatio proportionetur lumini, per quod fit, sicut effectus proportionatur suæ causæ, &c. Ostendit lumen posse dupliciter inesse. *Vno modo per modum formæ permanentis, sicut lumen corporale est in sole & igne.* Alio modo. *Per modum cujusdam passionis, sivè impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere. Lumen autem propheticum non inest intellectui prophetæ per modum formæ permanentis, aliàs oporteret quod semper Prophetæ adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum, &c. Dicit enim Gregorius homilia 1. super Ezechielem, aliquando prophetia spiritus deest prophetis, nec semper eorum mentibus præsto est: quatenus non habent si hunc agnoscant dono habere cùm habent.* Id cõfirmat ejusdem Prophetæ Eliśei exemplo. *Vndè* (inquit Eliseus dixit de mulicre Sunamite lib. 4. Reg. cap. 4. vers. 27. *Anima eius in amaritudine est, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.* Hujus ignorantiæ Elisianæ rationem affert Angelicus Doctor. *Quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ permanentis & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum, quæ per illud lumen manifestantur. Sicut per lumen intellectus agentis, præcipuè intellectus cognoscit prima principia omnium illorum, quæ naturaliter cognoscuntur. Principium autem eorum (quæ ad supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifestantur) est ipse Deus, qui per essentiam à Prophetis non videtur. Videtur autem à beatis in Patriâ, in quibus hujusmodi lumen inest per modum cujusdam formæ permanentis & perfectæ, secundùm illud Psalmi 31. In lumine tuo videbimus lumen. Relinquitur ergò quod lumen Propheticum insit animæ per modum passionis, vel impressionis transeuntis.* Id cõfirmat exemplo Moysis & Parentis nostri Eliæ, ad illum, Exodi c. 33. v. 22. *Cùmq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, &c.* Ad hunc Lib. 3. Regum cap. 19. vers. 11. *Egredere* (inquit Deus) *& sta in monte coram Domino, & Ecce Dominus transit, &c.* Quibus Doctor Angelicus subdit. *Et indè est quod sicut aer semper indiget novâ illuminatione, ita etiam mens Prophetæ semper indiget novâ revelatione, sicut discipulus qui nondum adeptus est principia artis indiget vt de singulis instruatur. Vndè & Isaiæ cap. 50. dicitur. Mane erigit mihi aurem vt audiam quasi magistrum. Et hoc etiam modus loquendi prophetiam designat, secundùm quod dicitur, quod locutus est Dominus ad talem vel talem Prophetam, aut quod factum est verbum Domini, sive manus Domini super eum. Habitus autem est forma permanens. Vnde manifestum est quod Prophetia propriè loquendo non est habitus.* Quod etiam probari potest ex lib. 3. Regum cap. 17. vers. 22. cap. 18. vers. 1. cap. 19. vers. 9. vers. 15. cap. 21. vers. 18. Exemplo Elisei lib. 4. Regum cap. 3. vers. 15. cap. 9. vers 36. cap. 10. vers. 10. & signanter cap. 5. vers. 26. ubi Sanctus Doctor artic. 3. in corpore notat Sanctum Prophetam propheticè cognovisse quæ Giezi discipulus ejus in absentiâ fecerat. *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi, accepisti argentum, &c.* Dionysius *Hoc totum mihi ministerio Angeli per imaginarias formas ostendebatur.* Vel potius (inquit Cornelius) *Mens & oculi mentis meæ à Deo supernaturaliter elevati & adjuti fuêre, vt absentem & remotum quasi præsentem cognoscerent & cernerent, &c.* Prophetiam non esse habitum permanentem manifestè docet Cassiodorus præfatione in psalmos à quo describitur. *Divina inspiratio rerum à nobis procul distantium eventa, immobili veritate & maximâ cum certitudine prænoscens atque prænuncians.* Vocat Prophetiam divinam inspirationem. S. Thomas supra art. 3. nuncupat manifestationem, cognitionem, revelationem, seu eorum quæ fiunt procul & humano modo, ut potè absentia cognosci nequeunt. Sic (inquit lib. 4. Regum cap. 5.) *Eliseus propheticè cognovit, quæ Giezi discipulus eius in absentia fecerat*, cùm vers. 26. dixit: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui, &c.* Sic teste S. Gregorio lib. 2. Dialogorum cap. 13. 18. 19. Sanctus Benedictus vidit multa absentia. Undè idem S. Gregorius addit eum

l. 4. Reg. 4. v. 27.

S. Thom.

Exod. 33 vers. 22.

l. 3. Reg. 19. v. 11

S. Thom.

l. 4. Reg. 5. v. 26.

Dionys.

Cornel.

Cassiod.

l. 4. Reg. 5. v. 26.

habuisse spiritum Elisei. Vocat etiam revelationem, quia manifestat ea, *quæ excedunt universaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundùm se non sint cognoscibilia. sed propter defectum cognitionis humanæ, sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphim, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, vt habetur Isaiæ cap.6.* Vocat denique revelationem, quia cognoscit ea, *quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non sunt cognoscibilia, vt contingentia, futura, quorum veritas non est determinata.* Idem Sanctus Doctor quæst. 174. S.Thom. art. 3. *Dicendum quod Prophetia non est per modum habitus immanentis, sed magis per modum passionis transeuntis. Vndè non est inconveniens quod uni & eidem Prophetæ fiat revelatio prophetica diversis vicibus secundùm diversos gradus.* Et quæst. 179. art. 2. ad 3. dicendum quod *Revelatio Prophetica se extendit ad omnia supernaturalia cognoscenda. Vndè ex ejus perfectione contingit quod in statu imperfectionis hujus vitæ non potest haberi perfectè per modum habitus, sed imperfectè per modum cujusdam passionis.* Idem docet 1. 2. quæst. 68. art. 2, ad 3. At Regimen animarum est quasi habitus, undè dormienti & titulus, & nomen, & dignitas rectoris, pastoris semper manet. Secundò differt quod ut prophetia conferatur non requirit fidem, & charitatem, seu bonorum operum bonitatem, ut docet D. Thomas 1, 2. quæst. 6. art. 2. ad 3. & patet in Sybillis Paganis quæ nō dæmonis, sed Dei fuerint Prophetissæ, non merito fidei, sed virginitatis, ut affirmat S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, quæ futura præsertim de Christo tantâ prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur, ut præterita magis enarrare videantur quàm futura. Passim nominantur decem, quæ cognominantur à Patriâ, Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Lybica, Samia, Delphica, Phrigia, Tyburtina, Erythæa, Hinc S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum post tertiam libri partem. *Quid* (inquit) *referam Sybillas,* 1.Hieron. *&c. Quarum insigne virginitas, & virginitatis præmium divinatio? Quod si Aeolici sermonis genere Sybilla Sacerdos appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* De illis consulendi S. Augustinus, Eusebius, Suidas verbo *Sybilla*, Sixtus Senensis lib. 2. bibliothecæ, verbo *Sybilla.* Imò ipse Virgil. l. 6. Æneid. de Sybillâ Cumeâ, Æneæ & casus ei venturos vaticinante. Quod item absque charitate possit esse prophetia docet D. Tomas 2. 2. quæst. 72, art. 4. hac ratiocinatione. *Quidquid potest esse sine gratiâ, gratum faciente, & per consequens sine bonitate morum. Prophetia autem potest esse sine* S.Thom. *charitate, quod apparet ex duobus. Primò quidem ex actu utriusque, nam prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, quam perficit charitas. Vnde & Apostolus 1. Corinth. cap. 13. Prophetiam connumerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine charitate haberi. Secundò ex fine utriusque: datur enim prophetia ad utilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ secundùm illud Apostoli 1. Corinth. cap. 12. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem, non autem ordinatur directè ad hoc, quod affectus ipsius prophetæ conjungatur Deo, ad quod ordinatur charitas. Et ideò Prophetia potest esse sine bonitate morum, quantùm ad propriam radicem hujus bonitatis. Si verò consideremus bonitatem morum secundum passiones animæ & actiones exteriores, secundùm hoc impeditur aliquis à prophetiâ, per morum malitiam. Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualem contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum.* Vitam solitariam & contemplativam necessariam ad lumen propheticum cœlitùs recipiendum, probat exemplo filiorum Prophetarum lib. 4. Regum cap. 2. vers. 15. *Videntes Filii Prophetarum qui erant in Iericho.* Cur filii Prophetarum dicuntur, & additur *qui erant*, Dionysius, *habitabant in Iericho?* Textus Sacer id signanter subjungit, ut innuat non omnem locum, non omnem conversationem, non omnem occupationem esse idoneam ad illuminationem propheticam recipiendam, l.4.Reg. 2.v.15.

piendam : sed locum solitarium, ac remotum à sæcularibus negotiis. Angelicus Doctor. *Vnde* (inquit) *& de Filiis Prophetarum legitur quod simul habitabant cum Eliseo, quasi solitariam vitam ducentes, nè mundanis occupationibus impedirentur à dono prophetiæ.* Philo. Undè Philo Judæus lib. 2. alleg. *Si quæris Deum anima à te ipsâ egressa illum quære. Donec enim manes in mollibus corporeis, aut mentis opinationibus, non est apta ad quærendas res divinas, etiamsi præ te feras quærendi studium.* Quasi diceret ad divinas revelationes ac illuminationes Propheticas percipiendas, non tantùm corporalis egressio à societate humanâ, sed etiam à nimio sui ipsius studio & amore est necessaria.

V. Adjicit Angelicus Doctor prophetiam posse non simpliciter, sed secundùm quid competere dæmonibus, quod probat 2. 2. quæst. 172. art. 5. in corpore. Primò ex historiâ & verbis sancti Parentis Eliæ lib. 3. Regum cap. 18. vers. 19. ubi Regem Achabum sic affatur. *Congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, & Prophetas Baal quadringentos quinquaginta prophetasq; Lucorum quadringentos, &c. qui comedunt de mensâ Iezabel.* Sed (inquit S. Thomas) *tales erant dæmonum cultores, ergò videtur, quod etiam à dæmonibus sit aliqua prophetia.* Qualis est illa prophetia quæ dæmonibus competit, & quomodo percipiunt dæmones multa arcana? Respondet. *Quædam cognoscunt dæmones etiam suâ naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus revelare, simpliciter autem, & maximè remota sunt, quæ solus Deus cognoscit. Et ideò Prophetia propriè & simpliciter dicta fit per solam divinam revelationem. Sed ipsa revelatio facta per dæmones potest secundùm quid dici prophetia. Vnde illi quibus aliquid per dæmones revelatur, non dicuntur in scripturis prophetæ simpliciter, sed cum aliqua additione, puta Prophetæ falsi vel Prophetæ idolorum. Vnde S. Augustinus super Genesim ad litteram lib. 12. cap. 19. Cum malus spiritus arripit hominem in hac, scilicet visa, aut dæmoniacos facit aut arreptitios, aut falsos prophetas.* Ad secundum, hanc probationem cõfirmat. *Dicendum* (inquit) *quod dæmones ea quæ sciunt hominibus manifestant, non quidem per illuminationem intellectus, sed per aliquam imaginariam visionem, aut etiam sensibiliter colloquendo, & in hoc deficit hæc prophetia à verâ.* Ad tertium, docet modum discernendi prophetiam diabolicam à divinâ, articulo sexto ad primum ait *quod Prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divinâ. Sicut manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus Numer. cap. 22. licet esset Propheta dæmonum, quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Vnde & per Prophetas dæmonum aliqua vera prænuntiat, vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adversariis testimonium habet. Tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam Sybillæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando Prophetæ dæmonum à dæmonibus instruuntur aliqua vera prædicant, quandoq; quidem virtute propriâ naturæ, cujus auctor Spiritus Sanctus, quandoq; etiam revelatione bonorum spirituum. Vt patet per Augustinum lib. 12. super Genesim ad litteram cap. 19. Et sic etiam illud verum quod dæmones enuntiant à Spiritu sancto est.* Ad secundum. *Verus Propheta semper inspiratur à Spiritu veritatis, in quo nihil est falsitatis, & ideò nunquam dicit falsum. Prophetæ autem falsitatis non semper instruitur à spiritu falsitatis, sed quandoq; etiam inspiratur à spiritu veritatis. Ipse etiam spiritus falsitatis enuntiat vera, quandoq; falsa.* Et ad tertium. *Vtitur etiam Deus ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam, dum divina mysteria eis per Angelos revelantur.* Ex quibus patet lumen propheticum non solis fidelibus, & probis manifestari, sed etiam infidelibus, improbis, &c.

VI. At quando Deus regimen spirituale Eliseo committit, & illum præfert Jonæ, constantiæ ejus rationem habet, & ad illud munus ritè persolvendum singulare donum gratiæ communicat. Ut ingeniosè animadvertit Siracides Ecclesiastici cap. 48. vers. 13.

Eliæ

Elias (inquit) *in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus.* Va-
Eccli 48 vers. 3. tablus post Græcam versionem. *Elias qui in turbine tectus est, cujus & spiritu repletus est Eliseus.* Quibus subdit noster Joannes 44. Patriarch. Jerosol. lib. de institut. Monachor. cap. 23. *Videns itaque Elias discipulum suum Eliseum suo spiritu plenum, novit eum à Deo factum idoneum ad regendum suos discipulos filios Prophetarum, propter quod totius Religionis per eum institutæ commisit illi tunc regimen ac magisterium. Et in hujus rei signum tradidit tunc Eliseo suum insignem religionis habitum, relinquens ei pallium, dum ferebatur in cœlum.* Expende illa verba. *Novit à Deo factum idoneum ad regendum, &c* Quasi diceret; Deus non omnibus regimen spirituale committit, non quemlibet aliis spiritualiter regendis præficit, sed iis dumtaxat quos idoneos reddidit per spiritus &
2. Corin. c. 3. v. 6. gratiæ suæ infusionem, juxta illud Apostoli 2. Corinth. cap. 3. vers. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Syriaca versio, *Fecit nos dignos novi testamenti ministros non lit-*
Dionys. *tera, sed spiritu.* Dionysius. *Idest efficaces & dignos Prædicatores Evangelicæ legis, non institutione litterali, sed illustratione Spiritus sancti, à quo vita & sapientia nos ad tantum officium dignificantem accepimus.* S. Thomas lect. 2. *Non solùm fecit nos ministros, sed idoneos. Deus enim cuilibet rei dat ea, per quæ possit consequi perfectionem suæ naturæ. Unde quia Deus constituit ministros novi testamenti, dedit eis idoneitatem ad officium exercendum, &c.* Quam idoneitatem à Deo infusam Eliseo intuentes filii Prophetarum, non Jonam primogenitũ filium Eliæ, sed Eliseum sibi à Deo præfectum agnoverunt, ut Patriarcha acutè animadvertit. *Quo*, scilicet pallio, *se operiens Eliseus abjecit à se vestimenta sua, scindens ea in duas partes, ut filii Prophetarum videntes eum habitu Eliæ indutum, agnoscerent eum spiritu Eliæ repletum, & sic reciperent eum promptius pro Elia in Patrem & Magistrum.* Et infra explicans illa verba lib. 4. Regum cap.
4. Reg. 2. v. 15. 2. vers. 15. Iidem Filii Prophetarum cernentes Eliseum duplici spiritu Eliæ repletum, dixerunt ad invicem, *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum, & venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*, scilicet (inquit Patriarcha) *recipientes eum pro Elia, in præcipuum eorum Patrem ac Magistrum, quem videbant habitu Eliæ & spiritu dotatum.* Quasi diceret, ideò non receperunt Jonam in Patrem & Magistrum, licet primò vocatum ab Eliâ, quia Neophytus erat, nec duplici Eliæ spiritu dotatus. Docentes figuratè non omnes promiscuè ad fidem conversos, & qui militiæ Christianæ nomen dederunt esse admittendos ad sacros ordines, & præfecturas Ecclesiasticas, sed eos maximè qui genere, constantiâ fideles semper extiterunt, ac gratiâ speciali, ac duplici Eliæ spiritu sunt perfusi. Joan. 44.

VII. Ita ob rationes allatas qui in adultâ ætate sunt conversi ad fidem, & baptisati sivè Judæi, sivè Turcæ, sivè Ethnici cùm sint irregulares non debent temerè ad ordines sivè majores, sivè etiã minores promoveri. Quanto verò tempore aliquis sit judicandus Neophytus ut ratione irregularitatis nequeat etiam minores recipere, Navarrus, Toletus, Lezana supr. numer. 11. Filiucius, Suarez de censuris disp. 42. sect. 3. num. 6. & 7. Diana asserunt non posse ullum certum tempus assignari, sed hæc remitti arbitrio Episcopi, qui potest eum promovere, quem post aliquam temporis moram à die suscepti baptismi judicaverit sufficienter instructum, & consequenter habilem & idoneum ad ordines, & in tali casu Episcopus non dispensat in irregularitate, sed declarat irregularitatem (inquit Diana) cessasse, cùm jura certum tempus non præscribant. Hurtado disput. 2. de irregular. difficul. 19. numer. 61. Bonacina supra, & alii asserunt Neophytum post decem annos à suo Baptismo non esse amplius irregularem.

VIII. Dispensatio cum Neophyto ad ordines, beneficia, officia publica spectat ad Sedem Apostolicam, ita Suarez, Bonacina, Lezana supra, & alii. Ratio est, quia ad eam spectat dispensare in irregularitate proveniente ex

defectu

defectu, nisi in aliquo casu particulari sit concessa Episcopis vel aliis facultas dispensandi. Notant Bonacina, Corneio disp. 16. dubio. 3. cum aliis, eos qui ab infantiâ baptisati sunt nullam irregularitatem incurrere. Etiam licet ab Avo vel Patre Neophyto, vel Judæo, vel Saraceno descendat, tenent Toletus, Bonacina, Suarez, Filiucius, & alii Doctores. Ratio est, licet enim filii hæreticorum sint irregulares usque ad secundam generationem per lineam virilem paternam: per lineam verò fœmininam seu maternam usque ad primam ex cap. *Statutum*, de hæreticis, tamen filii Neophytorum non dicuntur filii hæreticorum, pro ut citata jura nomen hæretici accipiunt. Nec dicuntur Neophyti, cùm illi pueri sint baptisati in infantiâ, ut suppono. Quod etiam dici posset de Jona, si nomen infantis strictè sumatur, & non pro puero, & nonnihil adulto, & alii communiter.

§. 14.

De Irregularitate proveniente ex Hæresi.

1. LEgimus lib. 3. Regum cap. 18. quod Sanctus Parens Elias altare Domini, quod ibi erectum fuerat, & à Baalitis, vel Israelitis ad idola conversis destructum erexit, & ex duodecim lapidibus composuit, juxta numerum tribuum filiorum Jacob, quos ad unius, ejusdemque Dei cultum reducere cupiebat, Altari struem lignorum imposuit, ac lignis membra mactati bovis. Accipe verba sacri Textus vers. 30. *Dixit Elias, Venite ad me, & accedente ad se populo curavit altare Domini, quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens, Israel erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitq; aquæ ductum quasi per duas aratiunculas, & posuit super ligna.* Cur ait, *Curavit, tulit, ædificavit, composuit ligna, divisit q; per membra, fecit posuit?* Cur aliquos ex populo sibi in sacrificio faciendo socios non adhibuit, & consequenter non dicitur curaverunt, tulerunt, ædificaverunt, fecerunt, composuerunt, divisserunt, posuerunt, sicut dixit de sacerdotibus Baal. Vers. 23. *Infruitra cædentes ponant super ligna, ignē autem non supponant?* Et cōsequenter cur in singulari ait. *Et ego faciam bovem alterum*, idest sacrificabo, *& imponam super ligna, ignem autem non supponam.* Ratio cur neminem ex populo in subsidium vocaverit, sed solus sacrificaverit, imposuerit ligna, &c. est, quia populus erat in fide valdè inconstans & divisus, ut illis improperat Sanctus Propheta vers. 21. *Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal sequimini eum.* Chaldæus. *Vsquequo dubitatis in duas partes.* Quomodò claudicabant? quomodò divisi erant. Quia modò ad unam, modò ad aliam Religionem transibant, aliquando Deo vero immolabant aliquando Baal, de quorum numero erat Rex & Aulici ejus, qui religionem ad arbitrium Regis sequuntur. Modò unam, modò alteram, modò nullam. Vel claudicabant, quia (inquit Lyranus) Deo simul & idolis serviebant. Quæ explicatio fundatur in versione Hebraicâ. *Vsquequo transitis super duas cogitationes.* Et Septuaginta. *Vsquequo claudicatis ambobus poplitibus*, idest, cur non firmiter ambulatis in cultu Dei, vel Baal? Cur ut hæretici uni, modò alteri? *Tales* (inquit Procopius) *Israelitæ: nam nec Deo, nec idolis fidi & obtemperantes erant.* Illis etiam arridet Josephus lib. 8. cap. 9. *Quorsum diversas mentes & voluntates habentes in hâc conversatione confligitis.* Et Dionysius. *Vsquequo in utramque partem erratis, nec in viâ Dei inceditis, & estis ab invicem differentes, dum aliqui vestrûm, nunc Deo, nunc idolis immolant.* Divisi erant, quia aliqui verum Deum colebant, scilicet Prophetæ adhærebant, ut Abdias, centum Prophetæ quos Abdias abdiderat in speluncis, lib. 3. Regum cap. 18. vers. 13. ut ipse Abdias refert sancto Parenti Eliæ vers. 13. *Nunquid indicatum est tibi*

l. 3. Reg. 18. v. 30

vers. 23.

vers. 21.

Dionys.

vers. 13.

Domino meo quid fecerim, cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini, centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pavierim eos pane & aquâ. Sed illi non aderant. Erant etiam de populo aliqui, ut septem millia virorum, qui non curvaverant genua, lib. 3. Regum cap. 19. vers. 18. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Dionysius & Cornelius, ô Elia, remanere faciam, reservabo, custodiam, nè à Jezabele interficiantur, vel pervertantur, & ad cultum Baal traducantur. At illi erant Eliæ incogniti, occulti, & putabat Propheta illos cum aliis fuisse occisos, ut patet ex vers. 14. *Prophetas tuos occiderunt gladio, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Dionysius. *Non putans in regno decem tribuum permansisse tot cultores, quot permanserunt.* Secundò divisi erant, quia eorum aliqui sola idola colebant ut Jezabel, Prophetæ Baal: Alii autem verum Deum Israel, alii templum Dei Israel, alii templum Baal frequentabant. Ex quibus patet neminem ab Eliâ judicatum idoneum, ut sibi sacrificanti, & boum mactanti auxiliaretur. Si nullus aderat à quo juvaretur cur vers. 34. Propheta ait. *Implete quatuor hydras aquâ, fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumq; dixit, secundò hoc facite. Quod cùm fecissent secundò, ait etiam tertiò id ipsum facite, fecerunt; tertiò.* Respondeo hanc infusionem fuisse præceptam ab Eliâ, non quod essentialis vel accidentaria foret sacrificio. (Non enim hic ritus infusionis in aliis sacrificiis observabatur.) Sed (inquit Lyranus) *hoc fecit ad tollendum omnem calumniam, quâ posset dici ignem prius ibi fuisse latentem, & ut miraculum esset evidentius, quod in aquâ ignis vateret.* Quam calumniam objicere poterant Baalitæ, quod sub altari abscondisset ignem, ac proindè ignem ab eo è cœlis evocatum, non è cœlo descendisse, sed ab eo absconditum in terrâ, & indè in altare more suo ascendisse. Hanc responsionem mihi submistrat Sanctus Chrysostomus homiliâ de Petro & Eliâ. *Attendite quod dicturus sum. Vidi ego ipse quod dicam in idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiori parte altaris, & foveâ quadam obscurâ. Descendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cœlestem existiment esse. Nè igitur & Elias in suspicionem veniret, quod & ipse tale aliquid machinatus esset, aquam effudit, ut aquâ illâ nulla esse infra altaris foramina ostenderet. Ubi enim aqua foramen invenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est. Implevit igitur altare, & his verbis Deum oravit. Exaudi me Domine hodie in igne, exaudi me in aquâ, &c.* Non ergò ipsemet infudit aquam, sed infundi jussit, fortè per eos qui calumniis ipsum afficere paratiores erant.

l. 3. Reg. 19. v. 18.

vers. 34

Lyranus.

S. Chrysostom.

Per Prophetas Baal Lyranus intelligit Doctores & Prædicatores falsitatis, cujusmodi sunt Hæretici, per populum claudicantem in duas partes, possunt accipi Apostatæ à fide. Achabus, fautores & defensores hæreticorum delineat qui omnes sunt irregulares, quamvis sint occulti, ita Navarrus in manuali cap. 27. num. 205. Sylvester, Filiucius, Ugolinus, Bonacina, Toletus, Coninck, Sanchez, Felicianus, Arriaga de irregularitate diffic. 3. Lezana de irregularitate num. 61. Suarez disput. 43. sect. 1. & alii. Probatur ex cap. *Presbyter*, dist. 50. cap. 1. Can. *qui in qualibet*, cap. *saluberrimum*, 1. quæst. 7. & cap. 2. de hæreticis in 6. Felicianus probat hac ratione. Quia sunt extra Ecclesiam, Spiritum sanctum non habentes. Nam (ut benè ait Innocentius Papa) Hæretici cùm à fide Catholicâ destiterint, perfectionem spiritus quam acceperant amiserunt. Propterea Apostolus Paulus evidenter asseruit hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita, quia subversus hujusmodi est, & peccat in semetipso damnatus, 24. quæst. 3. cap. *dixit*. Quod Ecclesia Catholica omninò observat cùm hæreticis non esse orandum mandat, quæst. 1. cap. 1. Non liceat & eorum communionem

II.

communionem vitandam, atque cõsortia fugienda, quia Deus odit sacrificia hæreticorum, & a se projicit, & quotiescumq; congregati sunt in nomine ejus detestatur fœtorem eorum, & claudit aures suas. Dixi *Occultè*, idest, externi (nam merè interni non subjacent pœnis Ecclesiasticis, Suarez supra num. 3. Bonacina supr. numer. 1. Lezana sup. & verbo *hæresis*, & *hæreticus*,) qui sufficienter signo aliquo externo illam manifestarunt, ut colligitur ex concessione quadam Clementis VII. quæ refertur in direct. inquis. Cui favent aliqui Textus supra relati, & inter Doctores Majolus, Sanchez, Suarez, Lezana supra contra Sayrum, Laymann, Philiarchum, Henriquez, Avilam, Cornelio disp. 8. dubio unico in fine. Hæc resolutio non solùm intelligitur de hæretico, sed etiam de apostatâ à fide (inquit Lezana supra) Ratio est, qui talis est verè hæreticus, sicque incurrit omnes pœnas hæreticorum, ut notant Toletus lib. 1. cap. 69. num. 1. Suarez supra sect 2. Sanchez supr. num. 2. Lezana loco citato. Quod etiam fautores & receptatores eorum, consilium, auxilium, favorem ipsis præstantes sint etiam irregulares docent Navarrus, Majolus, Lezana supra contra Hurtadum. Probatur ex cap. 2. de hæreticis in 6. Ratio est, quia æquiparantur hæreticis.

III. Non sunt irregulares, qui de hæresi suspecti sunt, reverà tamen hæresim interius non habent, cujusmodi sunt Schismatici, qui non habent adjunctam hæresim: item illi qui hæresim exterius profitentur, interius tamen rectè sentiunt: item illi, qui cum dæmone pactum ineunt, vel ipsum colunt absque hæresi, & similes alii de hæresi suspecti, non sunt ex capite irregulares, ita Filiucius, Suarez, Bonacina, Sayrus, Sanchez, & alii ab eo citati. Ratio est, quia illi non sunt verè hæretici, nec eorum fit expressa mentio in jure, cap. *is qui*, de sentent. excommun. in 6. Possunt tamen ex alio capite esse irregulares, verbi gratiâ, si crimen illorum sit notorium, & aliquam hæresis abjurationem fecerunt, tunc hoc modo sunt irregulares, ita Sanchez, Bonacina, Henriquez, Lezana supr. & verbo *hæresis*, num. 11.

VI. Qui fictè negat fidem ab eâ apostatando, sivè sponte, sivè timore ductus, vel idolum adorat est irregularis, ita Majolus de irregularit. lib. 5. cap. 34. num. 2. Sanctarellus, Sanchez, Suarez, Farinacius, Lezana sup. Probatur ex Concil. Ancyrano cap. 1. & 2. Et refertur cap. *Presbyteros*, dist. 50. qui textus videtur apertè loqui de fictis apostatis. Contrariam opinionẽ probabilem existimant Filiucius, Diana part 4. resol. 47. referens Azorium tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. ultim. & cap. 21. quæst. 8. Et si crimen sit occultum, si enim sit notorium incurrit irregularitatem ex infamiâ, non verò irregularitatem peculiarem. Ratio est, quia talis irregularitas in ullo canone non videtur inflicta contra tales. Huic opinioni favere videtur sacra historia Eliæ lib. 4. Regum cap. 5. vers. 18. ubi Naaman pollicetur se soli vero Deo victimas oblaturum. *Non faciet servus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino, hoc autem solum est, de quo deprecaris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo suo pro hac re. Qui dixit ei, vade.* Hæc adoratio Naaman non fuit vera & idololatrica, sed ficta & impropria: quia talis corporis incurvatio vel genuflexio erat obsequii causa, scilicet, ut Regem ex officio sibi commisso fulciret & sustentaret in templo, sicut alibi facere consueverat, quod non poterat præstare, nisi genuflecteret. Naaman igitur adoratio erat politica & civilis, & secundùm Auctores primæ sententiæ, quibus favet Gregorius à Valentia tract. de fide & fidei professione disp. 1. quæst. 3. puncto 2. ad 3. Licet esset idololatria simulata, tamen erat illicita & cõsequenter producens irregularitatem, & secundum Auctores secundæ sententiæ. Ratio est, quia cùm Rex incedebat, aut se quacumque de causâ prosternebat, innitebatur

4. Reg. 5. v. 18.

tebatur manibus aut humeris Naaman. Quare debebat Naaman se ad Regis motum, atque habitum se accommodare, & cum illo stante stare, cum incedente incedere, cum procedente procedere, nè rusticus & incivilis censeretur. Undè nõ cooperabatur regiç idololatriæ, sed tantùm ad actionem naturalem, scilicet tantùm ad curvationem corporis, non verò ad moralem, vel ad intentionem Regis, quæ erat curvando adorare Remmon. Sic (inquit Cajetanus) nobiles comitantes suum Regem euntem ad concubinam, non peccant, quia non comitantur eum, ut vadat ad fornicandum & peccandum, sed absolutè ut vadat quocumque libuerit, comitantur enim eum tantùm honoris & obsequii causâ, sicut famuli Dominũ suum. Dices Naaman dabat scandalum Aulicis existimantibus Naaman adorare cum rege idolum Remmon. Respondet Cornelius nullum fuisse scandalum, primò, quia Aulici sciebant Naaman ex officio teneri sustinere Regem in hac corporis curvatione, nec aliud prætendere. Secundò, quia Naaman publicè renunciarat idolis, profitebaturque cultum veri Dei Israel, eique altare & sacellum erexerat, compellebat totam familiam suam verum Deum secum adorare, ita Lyranus, Cajetanus, Burgensis, Tostatus, Serarius, Sanchez, Saliahus ibi; Suarez de fide tractat. 1. disp. 14. sect. 4. num. 8. Cœterùm etsi ficta fuerit illa curvatio, quibusdam videtur inducere irregularitatem, quibusdam non, ut dictum est.

V. Filii Prædictorum hæreticorum, apostatarum, fautorum, receptatorum, &c. usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per maternam sunt irregulares, ita Navarrus, Majolus, Bonacina, Sanchez, & Lezana supr. Probatur ex cap. 2. de hæreticis dist 6. cap. *statutum*, 2. eodem tit. in 6. Quæ resolutio intelligenda est, si parentes sint defuncti in delicto hæresis, nec fuerint conversi sivè post primum, sivè post secundum lapsum, sed impœnitentes obierint, cap. *statutum*. Cui subscribunt Toletus supra numer. 3. Thesaurus in praxi part. 2. verbo *hæresis*, cap. 3. Lezana, & Bonacina supra. Quare filii & nepotes hæreticorum possunt ad ordines promoveri, quando parentes eorum ante obitum Ecclesiæ fuerunt reconciliati, licet parentes irregulares remaneant etiã post conversionem, nisi cum illis dispensetur, vel aliter sit consuetudine receptum alicubi. Ut contingit in quibusdam Germaniæ locis, ita Bonacina post Sayrum, Filiucium, Suarem & Henriquez, Coninck. Excipit Penna in directorio cum aliis, filios hæresiarcharum, vel etiam hæreticorum relapsorum, qui Ecclesiæ reconciliantur, & statim brachio sæculari traduntur. Contendunt nonnulli filium hæretici nati ante lapsum parentis in hæresim esse irregularem, ita Covarruvias 2. variar. cap. 8. Gomez. Suarez, Filiucius, Turrianus. Probantque ex cap. *statutum*. Negant Navarrus consil. 27. de hæreticis, Simancha, Ugolinus, Henriquez, Sanchez, Lessius, Coninck, Villalobos, Hurtado, Bonacina. Ratio prima est, quia versantur in materia odiosa, quæ benignè explicanda est. Secunda, argumentum desumi potest à crimine læsæ majestatis ad crimen hæresis cap. *urgentis*, extra. de hæreticis. sed filii reorum criminis læsæ majestatis nati ante delictum non subjacent pœnis, quibus subjacent nati post delictum, igitur. Diana part. 4. tesol. 45 duas illas opiniones conciliat, scilicet secundam opinionem, quæ est negativa admittendam esse pro locis hæresi valdè infectis, ubi filii hæreticorum non incurrent hanc irregularitatem ex infamiâ, aitque id observari à Tannero in 3. part. disp. 6. quæst. 10. dubio 10. Non verò in locis ubi hæresis non viget, ut etiam advertit Præpositus & Coninck.

VI. Episcopus potest dispensare in irregularitate occultâ ob hæresim, non solùm circa usum ordinum susceptorum, sed etiam circa susceptionem ipsorum. Quod privilegium Episcopo concessum esse à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de irregularitate num. 70. & 89. Sanchez, Henriquez, Felicianus de Vegâ, Ugolinus, Additionator

Additionator Toleti, Bonacina, contra Suarez tomo 5. de censuris disp. 43. sect. 1. Antonium Riccium. Ratio est, quia Concilium Tridentinum generaliter concedit Episcopis privilegium dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus. Nec hoc privilegium videtur restrictum in bullâ Cœnæ: cùm in eâ fiat tantùm mentio de revocatione facultatis absolvendi, quæ cadit supra censuras, non autem de dispensatione, quæ circa irregularitates exercetur. Revocatio autem facultatis absolvendi, non est revocatio facultatis dispensandi, nam cùm sint res distinctæ, non debet fieri extensio ab unâ ad alteram, ut resolvunt Filiucius supr. num. 240. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 25. num. 16. Suarez. Bonacina supra probabiliter existimat non solùm Episcopum per seipsum: sed etiam per Vicarium posse in foro conscientiæ in præfatâ irregularitate dispensare si delictum sit occultum. Ratio est, quia (ut etiam notant Sanchez, Filiucius supr. Vinaldus de irregularitate numer. 80. contra Suarem numer. 7. & alios. Quia in primâ parte capitis Concilii conceditur Episcopo absolutè facultas dispensandi. Tamen cùm caput sextum concludat, *Non eorum vicariis sit permissum*, scilicet generalibus, ita Zerola in praxi Episcoporum part. 1. verbo *Vicarius*, versu *primum dubium*. Et part. 4. verbo *hæreticus*, vers. 4. Sanchez, Gutierez, Narbona, Stephanus de Alvin, Emmanuel, Stephanus Gratianus, Aloysius Riccius, Erasmus à Chokier de jurisdict. Ordinarii in exemptos part. 1. quæst. 1. num. 10.

§. 15.

De irregularitate proveniente ex infamiâ.

I. INfamia est publica opinio prava de vitâ & moribus alicujus. Quemadmodum fama est bona opinio alicujus, quæ oritur ex publicâ notitiâ bonorum operum: ita infamia nascitur ex publicâ notitiâ delicti. Et infamis est homo turpis, qui propter aliquod facinus notorium, aut malum, imò vile exercitium non benè audit. Hinc est quod vitiis aut vitæ minùs laudabili dediti propriè infames vocentur, ita Sylvester in summa verbo *infamia*, num. 1. Bonacina, Gregorius Tholos. Suarez, Felicianus, ex nostris Michael de Bononia in 4. dist. 25. quæst. 5. art. 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *infamia*, num. 1. Inter infames veteris testamenti notatur Jezabel, quam ideò Jehu lib. 4. Regum cap. 9. vers. 34. vocat maledictam. *Ite & videte maledictam illam.* Ideò infamem nullo honore dignam. *l. 4. Reg. 9. v. 34.*

II. Quamvis nonnulli dividant infamiam in infamiam juris, facti, & canonicam, ut Sanchez tomo 2. consil. moral. lib. 6. cap. 3. dubio 4. num. 1. Naldus in summa verbo *infamia*, numer. 1. Tamen melius alii conjungunt infamiam canonicam, ideò per leges canonicas, cum infamiâ juris, ita ut communiter dividant in infamiam juris & facti, ideò per leges civiles introducta. Infamia juris incurritur per delictum, cui jure, sivè canonico, sivè civili imposita est pœna infamiæ. Ita Toletus lib. 1. cap. 62. Sylvester supr. Lezana supr. num. 1. Vel sententiam definitivam judicis, quâ aliquis de gravi aliquo crimine damnatur, Suarez de censuris tomo 5. disp. 48. sect. 1. Toletus & Lezana supr. Vel ex confessione rei in judicio, ita Naldus, Sayrus, Bonacina, Suarez, Filiucius, & alii. Quamvis aliter sentiat Sylvester supr. num. 12. Infamia facti oritur ex gravi aliquo delicto, propter quod ex ipso facto, absque aliquo actu judiciario delinquês apud bonos & graves viros malè audit, ac sinistra de ipso opinio divulgatur, ita Toletus & Suarez, ex nostris Corneio tomo 2. in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 8. dubio unic. Lezana supr. Infamia juris duplex est. Nam vel procedit ex delicto proprio cui ex juris constitutione est annexa infamia pro delicto proprio vel

alieno. Delictum alienum est patris, matris, avorum, &c. Lezana supr. Proprium quod ab aliquo committitur, & cui ex juris constitutione est annexa infamia, verbi gratiâ, crimen atrox notoriè perpetratum reo infert infamiam ante judicis sententiam, ita Covarruvias 3. resol. cap. 3. numer. 2. Avila part. 7. disp. 4. dubio 5. Alphonsus à Castro, Layman. Primū est crimen lenocinii, l. *athletas*, §. *ait Prætor*, ff. *de his qui notantur infamiâ*, & l. *palam*, §. *lenocinium*, ff. *de ritu nationum*, qui textus innuunt ad hanc infamiam incurrendam opus esse, ut quis lenocinium, idest prostitutionem viri vel fœminæ, quasi per consuetudinem exerceat. Talem infamiam contraxerat Jezabel ex fornicationibus suis, ut Jehu objicit Joramo lib. 4. Regum cap. 9. vers. 22. *Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.* Undè Jezabel secundùm Chaldæos, Syros, Arabes, & Pagninum idem est quod *sterquilinium*. Vel secundùm Ambrosium exhortatione ad virgines, quod *vanitatis profluvium*. Vel secundùm Rupertum in cap. 2. Apocalypsis idem quod *fluxus sanguinis*. Ad quam alludens S. Joannes Apoc. cap. 2. vers. 20. secundùm S. Epiphanium hæresi 51. Priscillam & Maximillam mulieres Montani assimilat Jezabeli. *Habeo* (inquit Episcopo Thyatiræ) *adversus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetem docere & seducere servos meos fornicari, &c.* Vel secundùm Aretam in muliere Jezabele accipit Nicolaitas. *Iezabel dicuntur Nicolaitæ, propter suas libidines & impietates.* Vel secundùm Rupertum, Primasium, Brunonem Astensem, Haymonem, Tyconum, per Jezabelem intelliguntur omnes hæretici effœminati, libidinosi, ac Christianorum persecutores. Vel secundùm Alcazar per Jezabelem intelligenda Synagoga Judæorū, quam Christus vocat generationem adulteram Matthæi cap. 11. vers. 39. *Generatio mala & adultera signum quærit. &c.* Vel secundùm Rupertum, & Primasium citatos, Bedam, Cornelium, Peremum, Joannem de la Haye comparat Jezabeli quandam mulierem Thyatirensem quæ non tantùm vocabatur etiam Jezabel quia sicut illa seduxit Achabum & populum ad idololatriam & libidines, ita hæc inducebat Thyatirenses in errores ac libidines turpes Secundum crimen, quod infamiam reo infert est matrimonium, vel sponsalitium cum duobus, l. 1. & l. *quid ergò*, ff. *de his qui notantur infamiâ*, & cap. *nuper*, de bigamis, Talis erat Achab tempore Eliæ, talis Synagoga tempore Christi: quia relicto Deo sponso, cui olim in circumcisione se despondit adhæret Dæmoni ac infidelitati, quæ ab Ezechiele cap. 16. & aliis, juxta explicationem SS. Hieronymi, Chrysostomi, Euthymii, vocatur adulterium. Quibus arridens Theophilactus ait. *Adulteram generationem vocat, quia discedebant à Deo & adharebant dæmoni.* Vel dicebatur adultera, seu adulterina: quia discedebat à fide Abraham, Isaac, & aliorum Patriarcharum credentium in Messiam, quem tamen tot miraculis probatum agnoscere noluerunt, cùm tamen esset verus sponsus Synagogæ Judæorum, & modernæ Ecclesiæ Christianorum, inquiunt Franciscus Lucas, Barradius, Maldonatus, Cornelius & alii. Quibus arridet Apostolus ad Ephesios cap. 5. vers. 32. ubi hortatur uxores, ut sint subditæ viris, viros ut diligant uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam, cùm sint duo in carne una. Concluditque hoc Sacramentum magnum esse in Christo & Ecclesiâ sponsâ spirituali. Tertium est crimen publici usurarii, l. *improbum fœnus*, C. *ex quibus causis infamia irrogetur*. Figuratum per Jezabelem, quæ à S. Ambrosio supra, *Est vana & vacua redundantia, qualis est in avaritia, ambitione, omniq; concupiscentiâ, cujus idea est Iezabel.* Quam avaritiam seu rapinam manifestavit, dum inexplebili avaritiâ & cupiditate vineā Naboth abstulit lib. 3. Regum cap. 21. Quartum est crimen læsæ majestatis, necnon hostilis persecutio Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, vel præstitum auxilium, cap. *felicis*, de pœnis in 6. apud Layman supra. Tale flagitium incurrerunt Achab & Jezabel persequentes

14. Reg. 9. v. 22.

Apoc. 2. vers. 20.

quentes Eliam & Prophetas Domini, veræ fidei propugnatores, ut ipse Elias conqueritur lib. 3. Regum cap. 19. vers. 14. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, qui dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio.* Quintum crimen perjurii promissorii, l. *si quis major*, C. *de transact.* l. *quoties*, C. *de dignit.* lib. 12. Illud piaculum commisit Jezabel per falsos testes Naboth quasi blasphemum lapidari curans lib. 3. Regum cap. 21. *Submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, &c. Fecerunt ergò cives ejus majores natu, & optimates, qui habitabant in eâ urbe, sicut præceperat eis Iezabel, &c.* Vers. 13. *Et adductis duobus viris filiis diaboli dixerunt contra eum testimonium coram multitudine.* Sextum crimen est ignominiosa exauctoratio militis ob crimen commissum, l. 1. & 2. ff. *de his qui notantur infamia.* Hujus criminis conscius videtur Rex Achab, qui post ereptam vineam, & vitam Naboth, talionis legem subiit regnoque & vitâ privatus fuit. Vers. 19 *Hæc dicit Dominus occidisti, insuper & possedisti in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, &c.* Idest, quia interfecisti Naboth, ut ejus vineam invaderes ac possideres, & iniquæ cædi iniquam possessionem addidisti privaberis vineâ, sceptro, & vitâ, non tantùm tu, sed etiam tua posteritas, quam radicitus excidam. Vers. 21. *Demetam posteriora tua.* Septimum, qui locavit operas suas, ut pugnaret cum bestiis, l. 1. §. *item senatusconsulto*, ff. *de postulando*, Quo certamine Gentiles maximè delectabantur, & ut sanguine Martyrum pascebant furorem suum, ita & oculos pugnâ cum bestiis, quibus eos objiciebant, ut patet ex Martyrio S. Ignatii. Ad hanc luctam damnatus fuit Apostolus, ut ipse testatur 1. Corinth. cap. 15. v. 34. *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi.* Idest (inquiunt S. Chrysostomus, S. Ambrosius, & alii) bestiis objectus fui. Ut aliqui Cæsari & populo aliquam voluptatem afferrent, suam operam locabant, sicque potius suam vitam in manifestum discrimen adducebant luctando cum leonibus & aliis bestiis. Octavum, qui in certamen cum homine descendit quæstus causâ, seu pretio accepto. Cur non stipendiarii illi duellatores infamiam incurrerent cùm Concilium Tridentinum usum detestabilem duellorum fabricante diabolo introductum tam rigorosè prohibeat sess. 25. cap. 19. *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserunt, eo ipso excommunicati, ac jurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent privati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, &c.* Valerius Reginaldus in praxi fori pœnitentialis, lib. 21. numer. 76. notat nonobstare quod hoc decretum utatur verbis imperativi modi, *privati intelligantur, incurrant, &c.* quæ videri possunt significare non sententiam latam, sed ferendam per judicem: quia non diriguntur ad judicem, ut censeatur requirere illius actionem, sed ad reum, quem per imperium efficax ligavit. Idem censet Trullench. Nonum crimen hæresis notoria, ita Sayrus lib. 7. cap. 12. Philiarchus, Henriquez, Avila, Layman. Ratio est, quia non propter hæresim & apostasiam secundùm se, sed quatenus juris infamiam annexam habent irregularitas videtur decreta. Arridet huic rationi historia Eliana, quæ ait Jezabelem ideò præcipuè infamię notam contraxisse, quia gentilis erat & nupta Achabo eum ad idololatriam induxit. *Duxit uxorem Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum, & abiit, & adoravit eum, & posuit coram Baal in templo*

l. 4. Reg. 19 v. 14

l. 3. Reg. 21. v. 10 vers. 11.

Concilii Trident.

l. 3. Reg 16. v. 31

templo Baal quod ædificaverat in Samariâ, &c. Inter infames infamiâ juris recensentur voluntarii Sodomitæ, mulierum raptores, joculatores, histriones, in adulterio deprehensi, Simoniaci, propriæ filiæ, vel neptis prostitutores, ducentes matrimonium cum meretrice vili abjectâ, & repudiatâ. De quibus ex diversis juribus scribunt noster Michael de Bononiâ in 4. dist. 25. quæst. 5. art. 2. Corneio tomo 2. in 3. part. tract. 5. de irregul. disp. 8. dubio unico, §. *ex quibus in foro*, Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *infamia*, num. 2. Sayrus Sanchez, Bonacina. De quibus Azorius tomo 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3. Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 43. addant maleficos, venificos, fautores, & defensores hæreticorum, & eis credentes, faventes. Item schismaticos, blasphemos, seu maledicos qui simoniam in beneficiis, vel ordinibus conferendis vel recipiendis committunt; qui calumniantur vel accusant, cum tamen crimen factum esse non probent; qui duxit mulierem saltatricem, scenicam, ancillam, concubinam, qui artem aliquam vilem, abjectam, vel ignominiosam profitetur, publicè exercet, vel qui vili officio funguntur, ut sunt Mimi, Lenones, Scenici, Carnifices, Lictores, Macellarii, Tabernarii, Cauponarii, Aurigæ, & alii his similes: Tutor vel curator, qui pupillam sibi vel filio matrimonio junxit, &c. quæ notorietas requiritur ut crimen censeatur infame, vide Lezanam sup. numer. 2. & seq.

III. Infamia facti procedit ex delicto propter quod delinquens apud bonos & graves viros malè audit, ita ut tales viri probi & graves faciant totam vel majorem partem loci, communitatis, conventus, &c. Sotus in relect. de tegendo secreto membro 2. quæst. 6. Navarrus in Manuali cap. 27. numer. 255. & cap. *inter verba*, coroll. 48. num. 584. Undè ad illam infamiâ incurrendam non sufficit rumor sparsus & creditus apud aliquos, ut notant Emmanuel Sa, Sanchez, Lezana verbo *infamia*, num. 9. Nec etiam sufficit, quod existimatus probus, vel fide dignus asserat illud crimen esse ab aliquo commissum, ita Peirinis, nisi sit persona publica, de quâ nullus dolus præsumeretur, Lezana supr. & alii.

IV. Effectus infamiæ juris vel facti sunt primò incapacitas ad dignitates Ecclesiasticas & sæculares, quas nequeunt consequi, ita Sylvester, Tamburinus, Lezana supr. numer. 12. Patet ex cap. *inter dilectos, de exceßibus Prælat.* l. *unica de infamibus*, & l. 2. C. *de dignitatibus*, lib. 12. & ex regulâ juris 87. in 6. ubi dicuntur *infamibus portæ non pateant dignitatum.* Infamia juris post sententiam declaratoriam privat dignitatibus obtinendis & obtentis, ita Molina tract. 4. disput. 11. Sanchez, Layman, ita ut collatio beneficii seu dignitatis facta infami [infamiâ juris aut facti nulla sit & irrita, ita Sanchez, Layman, Bonacina, Azorius, Avila, Parisius, Garcias. Lezana supr. Quamvis tamen Garcias cum aliis oppositum sentiat. Idem asserendum esse de religiosis docet Lezana & alii. Secundus effectus est, exclusio ab actibus legitimis, & publicis muneribus, ita ut nequeat esse judex, 3. quæst. 7. cap. *infamis*, nec accusator, nec postulator, l. *qui accusare*, ff. de accus. & l. 1. de postulat. Nec testis in causâ crimin. vel graviori quibusdam casibus exceptis, cap. *testimonium*, de testibus, & cap. *inquisitionis*, §. penult. de accus. Nec procurator cap. *deputati*, de judic. & cap. *infamibus*, de regul. juris in 6. Nec assessor, nec patronus, Sylvester, Sanchez, Gregorius Tholosanus, Molina. Nec in religionibus regulares possunt eligere, vel eligi, vel munus Concionatoris exercere, Lezana supr. Tertius & maximè conformis nostro intento, est quod infamia juris & facti irregularitatem advehat, ita communiter Doctores, [& præcipuè Glossa in cap. *quoniam verus*, 24. quæst. 1. Majolus, Reginaldus, Filiucius, Bonacina, Lezana numer. 15. Suarez. Probatur ex cap. *infames*, 6. quæst. 1. cap. *qui in aliquo*, dist. 51. cap. *omnipotens*, de accusat. & regulâ juris 87. *infamibus.* Ratio est, quia puros & immaculatos in clerum, seu sortem

sortem Domini, seu sacrum ejus ministerium adoptari convenit, Navarrus in manuali cap. 27. numer. 204. ex nostris Cornelio disp. 8. dubio 1. Lezana num. 11. Irregularitas orta ex infamiâ juris est simpliciter irregularitas, quia inducit inhabilitatem ad ad ordines suscipiendos, & exercitium susceptorum. Irregularitas orta ex infamiâ facti est irregularitas secundùm quid & non impedit exercitium susceptorum, ita Navarrus, Avila, Sayrus, Toletus, Suarez, Coninck, Tamburinus, Garcias, Lezana numer. 15.

V. Infamia censetur ablata quando nullum effectum deinceps habet. Infamia juris canonici tollitur per dispensationem Papæ, ita Navarrus, Bonacina, Ludovicus Miranda, Joannes à Cruce, Sigismundus à Bononiâ, Barbosa, Alzedo. Ratio est, quia summus Pontifex est supra omne jus Canonicum.

VI. Irregularitas ex infamiâ propter crimen, super quod Episcopus potest dispensare, cujùsmodi est adulteriũ, & illo minora potest ab Episcopo dispensari, ita Navarrus cap. 27. num. 204. Ugolinus, Avila, Henriquez, Reginaldus, Bonacina, Lezana numer. 16. Toletus. Probatur ex cap. *at si clerici*, §. *de adulter. de judic.* Ratio est, quia dispensando in delicto, censetur indirectè & accessoriè dispensare in infamiâ & irregularitate indè consurgente. Addunt Henriquez, Barbosa, Machaco. Episcopum tunc posse dispensare, ut retineat usum ordinum, & beneficia: non autem ut de novo obtineat. Advertit insuper Barbosa quod si Episcopus infamem & turpem personam ordinaverit in clericum, videtur cum eo dispensare circa infamiam in casu, quo cum illo posse dispensari, supra diximus. Ratio est, quia aliter nõ potuisset esse clericus. Abbas in cap. *fraternitatis*, col. 2. de schism. Sic Papa communicando, vel conferendo aliquid excommunicatis, vel infamibus videtur dispensare circa impedimenta, Majolus, Barbosa supr. Oldradus, Tiberius Decianus. Ratio prima est, quia ex facto ejus, qui potest absolvere inducitur absolutio realis, Alexander consil. 164. num. 8. vol. 1. Ratio secunda, quia consensus ex facto elicitur, l. *de quibus*, ff. *de legibus*, ibi. *Nam quid interest suffragio populus voluntatẽ suam declaret, an rebus ipsis & factis*, & l. *si avia*, C. *de jure debit.* l. *recusari*, & ibi Glossa §. *de acquiren. hæredit.* Imò facta exprimunt potius hominis voluntatem, quàm verba, ut prædictis juribus communiter notatur, ita Stephanus Gratianus discep. forens. cap. 594. num. 20.

VII. In infamiâ juris civilis dispensat Imperator, Rex, Princeps temporalis cum suis subditis, ita Sayrus lib. 7. de censuris cap. 15. Thesaurus, Lezana supr. Probatur ex l. 1. C. de sent. pass. & restitut. l. 1. §. penult. ff. de postul. Papa etiam ut Princeps temporalis supremus cum suis subditis, ita Sylvester, Toletus, Lezana supr. Addunt Toletus, Sanchez, Lezana sup. posse Papam dispensare cum omnibus, sivè temporaliter sibi subjectis, sivè nulli, sivè clericis, sivè sibi necessariis pro Clericatu ob Ecclesiæ utilitatem. Probatur ex cap. *per venerabilem, qui filii sunt legitimi.* Quod oblatâ infamiâ juris consequenter tollatur irregularitas, quæ in eâ fundatur: ita ut non egeat novâ dispensatione tenent Thesaurus, & Lezana supr. Sanchez, Bonacina.

VIII. Infamia facti tollitur primò per purgationem Canonicam, ita Tabiena, & Armilla, Bonacina, Lezana sup. & alii, ita ut restituatur in integrum, nec possit arceri ab ordinibus suscipiendis, à quibus arcetur, quamdiu durat infamia. Probatur ex cap. *si quis* de purgatione. Secundò per factum contrarium, publicam & constantem vitæ emendationem, & sublatâ infamiâ consequenter cessat omnis irregularitas, seu inhabilitas canonica & civilis, ita Sylvester verbo *infamia*, Emmanuel Sa, Suarez, Henriquez, Molina, Nicolaus Garcias, Avila, Coninck, Bonacina, Julius Clarus. Ratio est, quia omnis res per easdem causas dissolvitur, per quas ponitur cap. 1. de regul. juris, & cap. *testimonium*, de testibus, apud Navarrum num. 204. Cornelio supr. §. *dico primo.*

Addit Layman post Julium Clarum, Salicetum, Thesaurum requiri triennalem emendationem. Nihilominus noster Lezana ait alios Auctores nō meminisse hujus triennalis emendationis, sed sufficere ut, verbi gratiâ, sacerdos, vel adulter post peractam pœnitentiam, & publicam vitæ emendationem, post aliquod temporis spatium absque dispensatione celebret. Nec obstat, quod S. Antoninus part. 3. tit. 27. cap. 31. Sylvester, Covarruvias existiment Clericos concubinarios notorios contrahere suspensionem ab officio ex cap. *præter*, dist. 32. cap. *si qui fiunt*, dist. 81. cap. ultim. *de cohabit. Clericor. & mulierum.* Testantur enim Joannes Gerson tract. de cognit. peccati venialis, & mortal. consid. 23. Sayrus, Filiucius, Sotus, Medina, Henriquez, Suarez, Layman, illam suspensionem consuetudine sublatam esse. Quibus arridet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 14. de reformat. ubi dicitur, quod tales post unam & alteram monitionem à beneficiis suspendi debent, & si non se emendaverint, omninò privari, quamvis post manifestam vitæ emendationem cum eisdem possit dispensari, ita Layman supra, & probat ex cap. *at si Clerici*, de adulteriis, de judic. Infamia facti tollitur etiam per baptismum, ita Sylvester in summa verbo *baptismus*, 6. quæst. 1. Bonacina supra numer. 6. Lezana. Ratio est, quia Baptismus est quædam regeneratio & retractatio vitæ præteritæ, per quam tollitur omne peccatum, & omnis pœna ipsi debita. Dixi *infamia facti*, quia ex Suare, nostro Cornelio disp. 8. §. *respondeo negativè*, per Baptismum non tollitur omnis infamia juris civilis. Undè si Judæus Romæ, vel Turca esset in Hispaniâ per sententiam judicis publicè ob furtum flagris exceptus, licet postea baptisaretur, maneret tamen infamis & inhabilis ad actus civiles. Si esset condemnatus ad triremes, non liberaretur per baptismum, nisi adesset dispensatio Principis, undè etiam manet infamis infamiâ canonicâ inducente irregularitatem, ex illo principio generali, quod omnis persona infamis jure civili, est etiam infamis jure canonico, ita ut si ante baptismum erat infamis civiliter, quando baptisatur retinet semper indecentiam ratione personæ & consequenter irregularitatem. Quæ doctrina solùm procedit à Judæis, Gentilibus qui sunt subditi Principibus Christianis & per omnes leges civiles talem infamiam ante baptismum contraxerunt, secus autem in illis, qui in proprtiis provinciis infidelium degentes juxta proprias leges infames erant, nam isti statim ac baptisantur secundùm Suarem, & Corneio amittunt illam infamiam.

Ex quibus infero etiam publicam & solemnem pœnitentiam inducere irregularitatem, & impedire ordinum susceptionem, & susceptorum usum, ita Toletus lib. 1. cap. 64. Sayrus, Bonacina, & alii asserentes eos esse irregulares, quibus imponitur pœnitentia publica & solemnis manendi in foribus Ecclesiæ cum diademate in capite, & cum cereis in manibus accensis, dum persolvuntur officia divina. Loquuntur autem de pœnitentiâ publicâ, quæ infamiam generat, vel adjunctam habet. IX.

§. 16.

De irregularitate proveniente ex accusatione, testimonio, &c.

ACcusans aliquem in causâ criminali secutâ morte, vel mutilatione ob suam accusationem fit irregularis, ita Covarruvias in Clementinâ 1. de homicidio, part. 2. §. 5. Bonacina, & alii apud Ugolinum. Probatur primò ex cap. penult. de homicidio in 6. Secundò quia accusans cooperatur ad mortem vel mutilationem. At qui cooperatur ad mortem & mutilationem est irregularis. Quod si accuset aliam petendo satisfactionem pro injuriâ sibi, vel suis rebus illatâ non incurrit irregularitatem, ita Bonacina. Ratio est, quia licitum est alium accusare ad se- I.

ipsum

ipsum servandum indemnem, modò accusatio & sententia sit justa. Nam si accusator esset causa injustæ sententiæ, vel etiam justę sed per injustas accusationes peccaret contra justitiam, & reus esset omnium damnorũ & pœnarum indè provenientium, fieretque irregularis, ita Filiucius cap. 9. tract. 19. num. 248. Bonacina, Navarrus, Salonius, Arragonius, Reginaldus ab eo citati. Si igitur aliquis accuset alterum in causâ criminali petendo vindictã sit irregularis si sequatur mors vel mutilatio, licet profiteatur se non intendere pœnam mortis & sanguinis, ita Filiucius, Ugolinus, Avila, Henriquez, Molina, Suarez disp. 47. sect. 2. & 4. Coninck, Bonacina. Ratio est, quia eo ipso, quo in causâ criminali petit vindictam, vult reum plecti pœnâ sanguinis impositâ per legem ob tale delictum, & consequenter censetur postulare sanguinis effusionem. Si tamen accuset vel denunciet non postulando vindictam, sed satisfactionem vel interesse sibi debitum etiam in criminibus dignis morte, non fit irregularis protestando expressè se non intendere pœnam sanguinis, etiamsi postea sequatur mutilatio, vel mors, & accusator prævideritt eam certò secuturam, ita Filiucius, Bonacina, Ugolinus, Suarez, Coninck, & alii. Probatur ex cap. *Prælatis*, de homicidio lib. 6. ubi hoc permittitur nè laici scientes Clericos non posse absque notâ irregularitatis querelam coram judice deponere fierent audaciores ad inferendas illis injurias. Quod etiam verum videtur, licet ille qui petit satisfactionem possit res suas aliâ viâ recuperare, vel prævideat rei mortem, vel si in mente suâ intendat mortem malefactoris, ita Sayrus, Filiucius, Henriquez, Molina, Suarez, & alii contra Sylvestrum verbo *homicidium*, 2. quæst. 8. & alios, patet ex citato cap. *Prælatis*. Secundò idem dicendum de laicis accusantibus cum dictâ protestatione, ut docent Ugolinus, Filiucius, Reginaldus, Covarruvias, Sayrus, Molina, Suarez, Henriquez, Bonacina. Quamvis dicto cap. *Prælatis*, fiat tantùm mentio Clericorum. Ratio prima est, quia versamur in materiâ favorabili, quæ latè explicari potest, & privilegium Principis latissimam admittit interpretationem, l. *beneficium Principis*, ff. *de constitutionibus Principum*. Secunda ratio, ideò facta est dumtaxat mentio Clericorum, quia majus est illorum periculum: eo quod Clerici accusando non tantùm fiant irregulares, sed etiam peccent se ingerendo in causâ sanguinis. Hinc non sequitur laicos non posse hoc privilegio frui, & consequenter excusari ab irregularitate accusantes cum protestatione. Si quis tamen accuset alterum de injuriâ illatâ personis extraneis, vel etiam consanguineis, si sequatur mors, vel mutilatio fit irregularis, licet præmittat protestationem, ita Ugolinus cap. 6. §. 9. Navarrus cap. 27. num. 215. Filiucius, Suarez, Bonacina, Henriquez & Molina. Patet ex cap. *Prælatis*, ubi permittitur Clericis conqueri coram judice de malefactoribus suis, non autem de iis qui damna intulerunt aliis. Extendunt tamen Avila dubio 11. Henriquez loco citato ad eos, quorum filiis, fratribus, parentibus, domesticis, clientibus damnum illatum est. Ratio est, quia damnum illorum reputatur proprium, & injuria illis illata in ipsis redundare videtur.

II. Excusatur etiam ab irregularitate Clericus accusans injustum damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ, ita Ugolinus, Bonacina, Sayrus, Filiucius, Rodriguez, Molina, Avila, Suarez, Henriquez, & alii. Ratio est, quia bona Ecclesiæ ad ipsum spectant, qui addunt etiam excusari quando detinet, & judici tradit, vel quando indicat locum ubi latro latet, vel clamat ut capiatur, modò præmittat protestationem cum ipsâ accusatione, vel post accusationem priusquam proferatur sententia, hoc pacto satis indicat se non intendere mortem, vel habere affectum ad homicidium, vel mutilationem, ut accidit in mandante, qui revocat mandatum ante illius executionem. Clericus etiam accusans alterum ad sui defensionem vel suorum non fit irregularis, licet mors sequatur modò prius protestetur, ita

Avila dubio 9. & alii. Excusatur etiã Clericus ab irregularitate, quando accusat de crimine adeò levi, ut non videatur dignum mutilatione, quamvis postea reus mutiletur, vel occidatur ex malitiâ judicis, ita Bonacina. Ratio est, quia accusator non censetur causa efficax mortis, sed judex, quod etiam verum etiamsi acculator non præmiserit protestationem. Excusatur tertiò quãdo accusavit reum de levi crimine, & conjectus in carcerem accusatur ab aliis aliorum criminum ob quæ reus justè morte plectitur. Ita Covarruvias in Clement. *si furiosus*, Avila, Ugolinus, Sayrus, Bonacina, & alii. Ratio est, quia mors non videtur imputanda propriè ipsi accusatori, licet omiserit protestationem. Excusatur quartò, si non petat vindictam, sed satisfactionem, ita Bonacina. Excusatur quintò, quando non accusat de injuriâ illatâ extraneis sed inferendâ, nec potest aliter impedire illa damna, quàm accusando & denunciando, ita Bonacina supr. Excusatur sextò, is qui præmissâ protestatione revelat proditionem Patriæ, ita Filiucius, Sayrus, Avila, Reginaldus, Bonacina, Coninck, Salonius, Molina, & alii apud Ugolinum. Cæterùm omittens etiã inadvertenter & ex oblivione protestationem in causâ criminis quod incurrat irregularitatẽ docent Sayrus, Bonacina, alii contra. Quæ protestatio facienda est coram judice, apud quem deponitur querela his vel similibus verbis. *Domine cures mihi satisfactionem vel restitutionem exhiberi, qui mihi damnum intulit, protestorq; me nullâ ratione intendere pœnã sanguinis, mutilationem, vel mortem.* Id colligitur ex cap. 2. de homicidio. lib. 6. Nec accusans evadit irregularitatem, quando dumtaxat ait, *Peto totum interesse*, & nihil aliud addit. Ratio est, quia ex cap. citato requiritur protestatio expressa, non scripto, cùm non exprimatur in jure, sed voce, vel alio modo sensibili.

III. Ferens testimonium in causâ sanguinis, si mors, vel mutilatio sequatur, incurrit irregularitatem, etiamsi induxerit judicem dumtaxat ad capiendum, vel inquirendum, vel torquendum reum, ita Bonacina. Ratio est, quia quicumque cooperatur morti, vel mutilationi fit irregularis, cap. *si quis viduam*, dist. 30. Sed testis maximè cooperatur mutilationi vel morti, cùm ab ipsius assertione pendeat sententia judicis, &c. Quæ resolutio vera est, quamvis testis præmiserit protestationem. Protestatio enim tantùm prodest, quando de proprio agitur interesse cap. *Prælatis*, 2. de homicidio. Vel quando testis tenetur jure naturæ se offerre ad testandum. Nam tunc Ecclesia præsumitur non velle irregularitatem imponere præmissâ protestatione, ita Bonacina, & apud ipsum Navarrus, Ugolinus, Majolus, Suarez, Filiucius, & alii. An testis præcepto judicis obligatus, vel gravi metu coactus, & in casibus, in quibus jure naturali tenetur ferre testimoniũ fiat irregularis? Quoad duos primos casus negativè respondet Coninck de Sacram. disp. 8. dub. 10. n. 56. Ubi sic ait. *Dubium est inter Doctores, utrum, qui obligatus præcepto judicis agentis merè criminaliter contra reum, aut gravi metu coactus fert judicium, ex quo sequitur alterius mors fiat irregularis. Multi affirmant, sed non probant. Quare quidam viri docti putant contrarium verius esse, saltem quando testis apertè protestatur se hoc invitum facere, nec alterius mortem petere. Primò quia hic directè tantùm seipsum tuetur à damno corporis & animæ, quo casu nè quidem fit irregularis alium occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis, sed hic nullus est defectus lenitatis? Quia hic dumtaxat reperitur involuntariè occidens, non sicut faciunt ministri justitiæ, qui sponte talia officia retinent, quæ eos quandoq; ad occisionem obligant. Hic autem omninò involuntariè ad alterius mortem concurrit.* Quod si testis teneatur ferre testimonium jure naturali, non incurrere irregularitatem asserunt post Henriquez, Avila de censuris part. 7. disput. 5. sect. 2, dubio 12. Diana part. 4. tract. 2. resol. 31. Ratio est, quia jus concedens hoc privilegium Clerico accusatori, censetur consequenter favere testi in hoc casu nè privilegium reddatur inutile,

verbi

verbi gratiâ, quando tenetur testificari ad liberandum injustè accusatum à morte. Vel quando tenetur testificari, nè ille, qui justè accusavit machinantem contra Rempublicam deficiens in probatione plectatur pœnâ talionis. Huic opinioni subscribunt Mercerus de Sacramentis in 3. part. quæst. 24. dubio 8. resp. 3. noster Cornejo in 3. part. tract. 5. de irregul. disput. 10. dubio 1. quæst. 7. Præpositus.

IV. Advocatus & Procurator accusatoris fit irregularis secutâ morte, vel mutilatione rei contra quem pro accusatore agebant, ita Reginaldus tomo 2. lib. 30. tract. 2. cap. 11. Ugolinus, Villalobos, Diana, Layman, Henriquez, Turrianus, Molina, noster Corneio supr. Ratio est, quia præfata facultas protestationis cap. *Prælatis*, tantùm conceditur accusatori. Tamen Joannes de la Cruz in direct. part. 2. de irregul. dubio 6. concluf. 5 probabiliter existimat non fieri irregularem, qui in favorem alterius, & maximè Reipublicæ accusat, testificatur, aut patrocinatur in causâ sanguinis cum protestatione.

V. Clericus, quem judex consulit, si interrogetur de delicto, vel malefactore in genere, quamvis dicat esse morte dignum secundùm leges, non incurrit irregularitatem etiam secutâ morte. Ratio est, quia illa responsio est tantùm speculativa per quam non influit practicè in mortem illam. Undè Concionatores prædicando, & Doctores legendo possunt, generaliter persuadere judicibus, ut servent leges, & purgent Rempublicam à prædictis hominibus pœnas debitas illis infligendo. Item illi, qui componunt libros, & consilia criminalia, quibus docent judices, quas pœnas debeant præscribere in posterùm, licet judices pœnam sanguinis infligendo eorum doctrinam sequantur. Si Clericus interrogetur de hoc reo in particulari, non fiet irregularis si respondeat in genere illius generis reos esse secundùm legem morte plectendos, quamvis judex illos damnet, ita noster Corneio quæres quartò. Ratio est, quia tunc responsio non fuit in particulari, ut talis reus capite damnaretur, sed tantùm in communi Clericus declaravit jus. Quod si judex instet interrogando, quid de hoc particulari facere debeat, debet Clericus dicere ut consulat alios, vel jus inspiciat, vel officio suo fungatur secundùm legem. Nam si determinatè respondeat esse capite vel patibulo damnandum, vel mutilandum fiet irregularis, ita Sylvester verbo *homicidium*, noster Corneio cit. quæst. 4. suppositio, quod talis responsio influat in homicidium. Si enim non influat, verbi gratiâ, si responsio data est judici alias determinato occidere, non incurret irregularitatem, nisi operetur, ut citius plectatur. Plura apud Lezanam tomo 3. verbo *irregularitas*, num. 29. & seq.

VI. Si in Confessione judex dicat Confessario se nolle damnare capite reum, quem secundùm legem damnare tenetur, Confessarius non erit irregularis, si eum non absolvat, donec animum mutet, & proponat facere, quod tenetur secundùm leges. Ita Sayrus supr. num. 23. noster Corneio supr. Ratio est, quia tunc solùm declarat, quod ex officio facere tenetur, nec intendit mortem alterius, sed tantùm mederi animæ pœnitentis, quem aliâ viâ non valet absolvere. Nec est Confessario auferenda libertas reddendi rationem, ob quam negat absolutionem. Secùs verò si determinatè diceret, non absolvam, nisi ultimo supplicio illum afficias, quia hoc non solùm esset declarare jus & obligationem quam judex habet, sed etiam movere & incitare ad pœnam mortis exequendam, & simul cum eo ad illam cooperari. Nec etiam Confessarius manet irregularis obligans pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, de quo juridicè interrogatur, etiamsi sequatur mors. Ratio est, quia sic non est concurrere ex parte inferentis mortem, sed ex parte sustinentis, & hoc justè, præter quam quod solùm intendit consulere animæ pœnitentis, cui (inquiunt Henriquez, Sayrus, Corneio supr.) mors est per accidens secuta. Et Confessarius tunc idem præstat, quàm si consu-

leret, ut consentiat sententiæ mortis justæ, quam differre nequit, nisi per injustam appellationem. Confessarius tamen esset irregularis, si consuleret omittere appellationem jure concessam. Ratio est, quia esset causa accelerationis mortis.

VII. Episcopus vel alius Superior Ecclesiasticus aut sæcularis non fit irregularis condens legem observandam sub pœnâ mortis, propter quam reus occiditur, ita noster Corneio supr. quæst. 3. Ratio est, quia cùm lex generaliter loquatur, Episcopus seu alius Legislator est dumtaxat causa remota mortis, quæ hic & nunc infertur. Ex quo infero posse Clericos absque periculo irregularitatis consulere Principi, ut condat legem prohibentem certa delicta sub pœnâ mortis.

VIII. Quilibet judex Summo Pontifice inferior ferens sententiam mortis, vel mutilationis est irregularis, ita passim Doctores, specialiter Navarrus supr. num. 212. Suarez num. 1. Lezana num. 23. Quam resolutionem duo primi probant ex diversis juribus. Princeps tamen sivè regularis, sivè sæcularis qui contulit officium tali judici non incurrit irregularitatem, ita Suarez, Corneio disp. 11. dubio 1. quæst. 1. Lezana supr. Probatur ex cap. ultim. *nec Clerici vel Monachi*, in 6. ubi decidituer Ecclesiasticos temporalem jurisdictionem habentes posse absque irregularitate causas sanguinis aliis delegare. Quem textum fusè explicat Suarez supr. quod etiam procedit si in communi dicat judici, cui causas committit, ut contra malefactores invigilet: imò licet in particulari committat casum dignum morte, ut colligitur ex eodem textu. Quod si Prælatus præcipiat judici ut mane exequatur sententiam mortis, quam ipse tulit: in eo casu reverà esset irregularis. Sicut, si præciperet judici, ut hunc furem, vel homicidâ suspendat ex textu cap. *tui à quibus*, 23. quæst. 8. ibi aut inferendas pœnas præcipiant. Undè si Prælatus consulatur à Prætore vel Judice quid agendum sit, respondere debet, consule peritos & leges. Idem dicendum de Abbatibus, & aliis Prælatis regularibus, qui ob jurisdictionem temporalem, quam habent, creant tales judices, ita Molina, Layman, Lezana sup. num. 23. Probatur ex cap. ultim. *nè Clerici vel Monachi*, licet creent tales judices pro causâ particulari, ita Layman, Corneio, & Lezana supr. contra Henriquez. Vel si illis dicant in genere, ut faciant justitiam, ita noster Bacconius in 4. dist. 25. quæst. 7, Lezana sup. Modò non injungant ut aliquem reum in particulari occidant, vel mutilent, Navarrus lib. 5. consil. 16. de homicidio, Corneio, Layman, Lezana. Potest Prælatus Ecclesiasticus, sententiam mortis latam à præfatis judicibus commutare in aliam, quod Lezana admittit, si illa pœna, in quam commutatur non sit pœna mortis vel mutilationis. Nec Judex Ecclesiasticus, vel Inquisitor tradens reum brachio sæculari fiunt irregulares, licet Curia sæcularis reum ultimo supplicio afficiat, ita Medina, Henriquez, Lezana supr. Ratio est, quia mortis sententiam non pronunciant, nec exequuntur, sed id munus relinquunt Curiæ sæculari. Addit Corneio supr. Dominos Inquisitores tradentes hæreticum brachio sæculari præcisè & determinatè ut comburatur, etiamsi urgeant judicem sæcularem nè differat executionem, non incurrere irregularitatem, quamvis non protestentur vel intercedant, sed absolutè tradant cremandum, ita noster Corneio. Ratio est, quia est dumtaxat illis prohibita executio mortis jure novo, & per speciale privilegium Pauli IV. anno 1557. confirmatum postea à Pio V. Quod adeò verum est, ut si judex sæcularis differat executionem, possint Inquisitores absque metu irregularitatis, urgere sub gravi comminatione, ut sententia ab eis lata suum effectum sortiatur. Hanc opinionem etiam docet Sayrus lib. 6. cap. 18. & alii communiter contra Covarruviam. Idem asserunt de testibus, consultoribus, & aliis omnibus ministris & officialibus hujus tribunalis.

IX. Nunc resolvendum est, an Episcopus possit dispensare, vel tollere

ejusmodi

ejusmodi irregularitatem, quam incurrunt judices, &c. Respondeo affirmativè. Ratio est, quia ex Navarro supr. num. num. 263. Chapeauville de tertio casu reservato cap. 3, & aliis potest Episcopus dispensare in irregularitate incursâ per homicidium licitum ex defectu lenitatis, at judices tale committunt. Secundò, ejusmodi homicidium nequit dici voluntarium, cùm non sit illicitum. Subdit Chapeauville Superiores Ordinum Mendicantium, & alios qui iisdem privilegiis gaudent posse cum suis religiosis dispensare in omni irregularitate exceptâ illâ, quæ est ex homicidio voluntario, ut habetur in compendio privilegiorum verbo *dispensatio*, ita ut sicut Episcopi, ita ipsi possunt dispensare in irregularitate incursâ per homicidium licitum, putà judicis in causâ sanguinis, vel militis in bello justo alium occidentis, ita Vivaldus qui ait fuisse definitum Romæ in sacrâ pœnitentiariâ. Ratio est, quia hæ irregularitates non proveniunt ex homicidio voluntario, ut patet. Hanc opinionem etiam sequitur Covarruvias in Clementinâ *si furiosus*, part. 2. §. 3. Hieronymus Rodericus, Rochus Veronensis, Novarius de jure novo Pontif. concluf. 81. Joannes de la Cruz, Marchinus, Machado, Campanile, Emmanuel Rodriguez, Alzedo, Barbosa, Vivaldus, Medina, Majolus, Bannes. Addit Majolus quod homicidium voluntarium, cujus irregularitas soli Sedi Apostolicæ reservatur, & quod non comprehenditur in Jubileis, & in aliis privilegiis concedentibus facultatem dispensandi in irregularitatibus, comprehendit dumtaxat illud homicidium, quod est prohibitum ac illicitum. Ratio est, quia (inquit) homicidium significat factum injustum quod prohibetur per præceptum quintum decalogi. Eodem modo philosophatur Bannes de Prælatis regularibus asserens illos posse dispensare cum suis subditis, qui in bello justo aliquem occiderunt. Ratio ejus est, quia hoc homicidium non est illud homicidium volontarium ratione cujus contrahitur irregularitas dispensabilis dumtaxat per Sedem Apostolicam. Joannes Machado supr. docet Episcopum virtute Concilii Tridentini cap. 6. citato dispensare in irregularitate, quæ contrahitur ex homicidio justo, & quod procedit ex defectu lenitatis, cujus Concilii exceptionem ait esse intelligendam de homicidio voluntario injusto. Vivaldus supr. ait hanc dispensationem esse in praxi, licet contraria opinio habeat multos Auctores, quos refert Barbosa.

§. 17.

De Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario illicito.

AD irregularitatem incurrendam non sufficit intentio occidendi vel mutilandi, sed actualis occisio vel mutilatio hominis. Secundò, non debet esse amputatio membri mortui alicujus etiam hosti animo vindictæ, vel rabiei explendæ, ita Navarrus supr. numer. 218. Reginaldus, Bonacina, & alii apud Sayrum. Ratio est, quia hæc irregularitas tantùm incurritur ob homicidium, vel mutilationem hominis: Tertiò incurritur irregularitas, licet homo mutilatus, vel occisus sit infidelis, excommunicatus, infamis, vel bannitus, vel infans sit extra, vel intra uterum maternum, ita Bonacina & alii apud Sayrum Præfatæ irregularitatis solus baptisatus capax est, ita Navarrus, Suarez, Bonacina, Lezana sup. num. 12. Probatur ex cap. *si quis viduam*, dist. 50. Quartò, qui incurrit irregularitatem debet esse doli capax, Bonacina supr. Probatur primò ex Clementinâ *si furiosus*, de homicidio. Secundò, quia actus inducens irregularitatem debet esse humanus, & consequenter elicitus ab eo, qui est capax doli, Bonacina, & Lezana supr. Quintò, capax hujus irregularitatis non debet cooperari remotè, vel per accidens ad mortem; vel mutilationem, ita Lezana supr. Et probatur ex cap. *tua nos*, de homi-

1.

cidio;

cidio. Undè qui vendit funem, vel gladium, quo reus ultimo supplicio afficiatur, non erit irregularis, ita Layman lib. 3. de justitiâ, tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 2. Corneio disp. 11. num. 1. Lezana supr. Sed (inquit Layman) irregulares fiunt, qui funes ad suspendendum deferunt, scalam applicant. Hi enim censentur causa propinqua. Resolutiones varias circa homicidium voluntarium & casuale referunt Bonacina, Layman, noster Corneio, & alii. Hic præcipuè examinabimus quid possit Episcopus circa absolutionem à voluntario & casuali homicidio.

II. Potest Episcopus dispensare in irregularitatè ex homicidio occulto perpetrato causâ defensionis non servato moderamine inculpatæ tutelæ, ita Bonacina. Ratio est, quia tale homicidium volitum causâ defensionis non servato moderamine, non comprehenditur sub homicidio voluntario, imò quamvis non sit merè necessarium, tamen habet vim necessarii, in quantùm fit causâ vitandæ mortis. Undè Petrus Gegorius, Navarrus in manuali cap. 27. Ugolinus, Sayrus, Alzedo, Marchinus, Vega, Campanile, Paulus Comitolus, Avila, Guitierez, Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 3. §. 5, Molina, Bannes. Distinguunt homicidium in tres species, in voluntarium, casuale, & necessarium. Ex quibus concludo eum, qui occidit ob inevitabilem necessitatem defendendi vitam non incurrere irregularitatem, ita Riccius, Franciscus Leo, Alzedo, Bonacina, Campanile. Et probatur ex Clement. *si furiosus.*

III. Qui in se defendendo excessit moderamen inculpatæ tutelæ fit irregularis irregularitate quæ potest ab Episcopo dispensari, ita Sayrus de censuris lib. 7. cap. 7. & decis. 9. de homicidio, Jacobus de Graffis, Paulus Comitolus, Barbosa de offic. & potest. Episc. imò quod excedens in se defendendo fiat irregularis eâ irregularitate, quæ possit ab Episcopo causa cognitâ dispensari, resolvunt Belletus disq. clericalium part. 1. tit. *de disciplinâ clericali*, §. 5. Petrus de Ledesma, Cevedo, Valerius, Barbosa, Coninck.

IV. Potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali, modò delictum sit occultum, ita Nicolaus Garcias de beneficiis part. 7. cap. 11. num. 27. Barbosa, Miranda, Marchinus, Alzedo. Probatur ex Concilio Tridentin. sess. 24. cap. 6. concedente Episcopis potestatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, idest apud omnes non notorio, licet possit probari per aliquos testes, seu non divulgato, & quod possit aliquâ tergiversatione celari, ut explicant Navarrus in manuali cap. 27. num. 254. Vega, Sorbus in compendio Mendicantiũ in resp. materiæ absol. Azorius instit. moral. part. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 9. Emmanuel, Toletus, Bonacina, Gavantus, & alii triginta apud Barbosam in collect. ad Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6. Sed homicidium casuale non est propriè voluntarium, igitur potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali modò sit occultũ: imò etiamsi sit publicum & notorium inquiunt Sayrus de censuris lib. 7. cap. 7 Avila, Henriquez, Marchinus citans Navarrum.

V. Licet Episcopo dispensare non solùm in irregularitate ortâ ex homicidio casuali, non maturâ deliberatione perpetrato; sed ex repentinâ irâ, vel rixâ, ita Didacus Perez lib. 8. Ordinamenti tit. 13. Avila, Coninck, Diana, Marchinus, Emmanuel Rodrig. Probatur hæc opinio contra Suarem de censuris disp. 44. sect. 1. ex Tridentino Concilio sess. 14. cap. 7. de reformat. decernente eum, qui *per industriam occiderit proximum suum, & per insidias*, ex illis verbis, *si verò homicidium non est ex proposito, sed casu.* Quæ verba non sunt intelligenda (ut asserit Sayrus de censuris lib. 7. cum aliis) de homicidio casuali non volito in se, sed in causâ. At intelligenda sunt de homicidio quod casu solùm contingit ad differentiam homicidii voliti ex proposito. Quod patet, nam Concilium ibi loquitur de homicidio occulto

occulto, cujus dispensatio reservatur Papæ. Et tamen certum est quod post Concilium Episcopus possit dispensare in homicidio occulto, casuali, volito non in se, sed in causâ, igitur non loquitur de homicidio, quod contingit casu, seu non ex proposito. Quamvis etiam multi sciant id delictum esse perpetratum, & intueantur perpetrari, sed ignorent censuram ob id incurri, poterit in illo casu dispensare (inquit Stephanus Dalvin tract. de potestate Episcopi cap. 26.) Quod si dubitetur quam censuram contraxerit, poterit Episcopus intrepidè dispensare, ita idem Dalvin sup. post Emmanuelem Sa, item Joannes Machado, hic docet quibus casibus incurratur irregularitas ex homicidio casuali.

VI. Episcopus potest dispensare in irregularitate contractâ ex mutilatione membri etiam voluntariâ, si sit occultâ, ita Navarrus cap. 27. num. 194 Piacesius, Valerius Reginaldus, Barbosa, Bonacina, Diana, Marchinus, Alzedo, Novarius, Portellus, Homobonus, Filiucius, Gavantus, Bartholomæus de Vecchis, Hieronymus Rodericus, Hurtado, Villalobos, Avila, Coninck, Ludovicus Miranda, Molina, Suarez, Toletus, Antonius Genuensis, Emmanuel Sa, Didacus de Arroio, Præpositus, Tannerus, Contra Sanchez in summa tomo 1. lib. 1. cap. 10. Henriquez, Medinam, qui per mutilationem membri intelligunt abscissionem, ita ut si aliquis debilitet membrum alterius, & ita quidem, ut plenè mutilatus reddatur ineptus ad functiones ordinum persolvendas propter quod reddatur irregularis: ipse tamen non cõtrahet irregularitatem, sed ad hoc requiritur membri vivi abscissio. Undè Fernandez in examine Theol. moral. part. 2. cap. 10. §. 14. num. 7. ait, quod qui alium excœcat, sed oculum non eruit foras, non censetur mutilare, neque irregularis, sicut nec qui fœtum interficit antequam animetur. Probatur resolutio præfata ex declaratione sacræ Congregationis, quam referunt Nicolaus Garcias de benef. part. 7. cap. 11. numer. 30. & seq. Armendariz, Aloysius Riccius, Miranda, Homobonus, Joannes Machado.

VII. Potest Episcopus dispensare cum eo, qui aliquem interfecit non intendens occidere, ita Navarrus cap. 27. & consil. de homicidio, Henriquez, Aloysius Riccius, Bonacina. Ratio est quia ejusmodi homicidium est casuale. Nam qui fecit aliquid unde secuta est mors, non tamen fecit animo inferendi mortem, fit irregularis irregularitate ex homicidio casuali proveniente.

VIII. Potest Episcopus dispensare cum eo, qui mandavit servo, ut alterum percuteret, sed caveret nè occideret, ita Henriquez, Marchinus, Alzedo, Molina, Bonacina, Barbosa. Ratio est, quia homicidium indè sequens, non est propriè voluntarium respectu mandantis, sed casuale culpabile. Deindè mandans homicidium in personâ unius, si committatur in personâ alterius non incurrit irregularitatem, quæ incurritur ex homicidio voluntario. Ita decisum fuisse referunt Aloysius Riccius in praxi aureâ resol. 412. Campanile. Propositio facta Congregationi hæc est. *An is qui mandavit aliquem baculo vulnerari, eo expresso, ne occideretur, si mandatarius armis percusserit & occiderit, intelligatur incidisse in decretum Concilii sess. 24. de reformatione cap. 6. ut in omni ordinatione à beneficio & officio, absque spe dispensationis perpetuò carere debeat? Congregatio censuit negative. Cùm Concilium requirat homicidium per insidias, & ex proposito.* Referunt (inquit Barbosa,) Aloysius Riccius, Garcias, Diana part. 1. tract. 15. resol. 17.

IX. Urgente necessitate magnâ scandali, vel aliâ, & difficili recursu ad Sedem Apostolicam, vel ob propriã inopiam, vel magnam distantiam potest Episcopus dispensare in foro conscientiæ cum irregulari ex homicidio voluntario occulto ut ministret in ordinibus suceptis, ita Henriquez lib. 14. de irregul. cap. 14. Avila; Sylvester, noster Cornelio de irregul. disp. 1. dubio 4 & hæc potestas vel est ordinaria, vel ex tacitâ cõcessione

Sedis Apostolicæ. Ratio est, quia non est credibile Romanum Pontificem sibi reservasse dispensationem in tanto animarum periculo, ut patet in dispensatione impedimentorum dirimentium matrimonium, ut docet Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 4. num. 5.

X. Prælati regulares ordinis Sancti Dominici possunt dispensare in præfatâ irregularitate, patet ex privilegio Pii V. eisdem concesso. Cùm enim Concilium Tridentinum concesserit Episcopis ut possint absolvere in foro animæ seu conscientiæ ab omnibus peccatis & casibus occultis, & dispensare in irregularitatibus, ut habetur sess. 24. cap. 6 Nè Prælati Ordinis sancti Dominici essent in hac parte deterioris conditionis, quàm sint Clerici, vel læculares, concessit. *Priori Conventuali, & superioribus Prælatis, ut ipsi per seipsos idem omninò possint in fratres, & moniales dicti ordinis sibi subditos, tam quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quàm alias quascumque facultates.* Ita Pasiarellus lib. 1. privileg. fol. 127. Sorbus. Idem possunt ii ordines qui cum illis communicant in privilegiis. Favet ratio, quia Prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare in omnibus iis, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis ex jure communi, cum habeant jurisdictionem quasi Episcopalem ex Interpretibus Clementinæ 1. de rebus Eccles. non alienandis verbo *proprii Abbatis*, de privileg. in 6. Suare, Lezanâ tomo 1. quæst. regul. cap. 18. num. 2. & tomo 3, verbo *bellum*, n. 22. Qui autem Prælati regulares possint, vide eundē Lezanam tomo 1. cap. 18. num. 40.

XI. Ex his infero, quod si delictum omninò occultum, verbi gratiâ, homicidii, & probatione carens ex solâ suspicione vel alio modo ad forum contentiosum deducatur per accusationem vel exceptionem, ejus irregularitatem non posse ab Episcopo dispensari: si tamen per judicis sententiam absolvatur reus à tali delicto defectu probationis posse ab Episcopo dispensari. Prima pars patet, quia concessio facta Episcopo non distinguit de delicto probabili, vel improbabili, sed absolutè excipit delictum deductum ad forum contentiosum. Secunda pars probatur, quia delictum illud reducitur ad statum occulti, in quo erat ante denunciationem, maximè si nulla fuit probatio talis delicti. Si enim fuerit probatio semiplena dubitatur an delictum maneat ita occultum, ut erat ante denunciationē. Addit Sayrus lib. 7. cap. 7. num. 11. posse Episcopum licitè dispensare licet reus mediis iniquis triumpharit, & fuerit absolutus à delicto per judicis sententiam. Addit secundò noster Cornelio disp. 3. dubio ultim. illud jus absolvendi competere Episcopo electo & confirmato, licet non consecrato. Ratio est, quia absolutè & semper est Episcopus. nec indiget cōsecratione in ordine ad actus jurisdictionis. Addunt tertiò, Suarez disp. 41. sect. 2. num. 7. & Cornelio supr. contra Avilam Abbates exemptos, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes non posse suos subditos fideles absolvere ab ejusmodi irregularitate. Ratio est, quia talis concessio eâ parte quâ derogat juri cōmuni est odiosa, atque ita limitanda ad proprios Episcopos. Quare subditi horum Abbatum quoad hoc subjiciantur Episcopo intra cujus Diœcesim morantur. Ratio est, quia cùm non sint pejoris conditionis, quàm alii fideles debent alicui Episcopo subjici, qui possit in hoc cum illis dispensare, præsertim cùm Episcopus habeat per se jurisdictionem in omnes fideles suæ Diœcesis, quantùm ad eos actus, in quibus non sunt exempti. Addunt quartò Suarez supr. num. 8. & Cornelio posse hanc dispensationem ab Episcopo alteri committi. Ratio est, quia hæc facultas est concessa Episcopis simpliciter, & quasi jure ordinario annexa muneri Episcopali, & non ex solâ delegatione, igitur sicut ad cætera sui muneris potest vices suas alteri committere, ita ad dispensandum in hac irregularitate. Addunt quintò Suarez num. 12. Sayrus, Cornelio supr. Episcopum posse etiam in hac irregularitate cum Religiosis exemptis suæ Diœcesis nonobstante

speciali

speciali exemptione. Ratio est, quia licet jure speciali sint exempti, tamen jure cõmuni sunt subjecti Episcopo suæ Diœcesis. Cùm enim hoc sit favorabile non debet amitti per exemptionem, quæ etiam est favorabilis juxta regulam juris, quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Addunt sextò Suarez num. 10. & Cornelio Episcopum dispensare in hac irregularitate cum subdito existente extra territorium suum. Ratio est, quia hæc dispensatio est actus jurisdictionis secretæ & gratiosæ, quæ absque strepitu judicii exercetur. Undè notandum est in prædicto decreto Concilii dari Episcopo duplicem facultatem, unam ad dispensandum in irregularitate ex delicto occulto, & hæc exerceri potest in subditum extra territorium. Ratio est, quia absolutè sine limitatione conceditur. Alteram ad absolvendum à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, & hæc nequit exerceri nisi intra propriã Diœcesim: quamvis actus sit jurisdictionis gratiosæ & secretæ. Quia ad hoc Concilium non tribuit facultatem Episcopo absolutè: sed cum hac limitatione scilicet ut possit in suâ Diœcesi ab illis absolvere, ut patet ex ipso textu, ita ut Archiepiscopus nequeat uti hac facultate in toto suo Archiepiscopatu. Ratio est, quia ista facultas non est cõcessa ut Archiepiscopo, sed ut Episcopo. Quod adeò verum est, ut licet admittamus tanquam verius Archiepiscopum in actuali visitatione Diœcesis suffraganeæ posse uti facultate hujus decreti quantùm ad absolutionem à casibus reservatis in eo concessâ, quia tunc quantùm ad forum cõscientiæ gerit se ut Episcopus, tamen non potest eâ uti quantùm ad dispensationem ab irregularitate, eo quod talis dispensatio non spectet ad forum conscientiæ & sacramentale, sicut absolutio à reservatis. Addit denique noster Cornelio Sede vacante Capitulum non succedere in hac facultate. Ratio est, quia hæc facultas non competit Episcopo jure communi ordinario, sed extraordinario. At Capitulum non succedit per se loquendo, nisi in jurisdictione ordinariâ Episcopi. Quare concessio illa facta est dumtaxat Episcopali dignitati, atque ita solam transit in successionem ejusdem dignitatis, ut de jurisdictione delegatâ, & ex commissione, ita Doctores communiter resolvunt. Infero secundò posse Episcopum etiam dispensare in irregularitatibus contractis per omissionem impediendi homicidium vel mutilationem, pro cujus intelligentiâ. Nota quod quando exterior omissio est cõtra justitiam, inducit irregularitatem. Ita noster Cornelio supr. dubio 4. Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 3. & alii apud ipsum. Ratio est, quia ita omittens verè est homicida realis, atque ita debet incurrere irregularitatem, ex vi illorum jurium, in quibus per homicidium fertur. Eo quod iste reverà privat alium re suâ, quæ sibi necessaria est ad defensionem, non minus ac si priuaret eum propriis armis defensivis, quibus mortem vitaret, atque ita moraliter influit in homicidium exterius, executum non tantùm activè, sed etiam omissivè. Qui enim omittit, quod ex justitiâ quodammodo agere tenebatur, concurrit moraliter. Dixi contra justitiam, quia quando omissio est dumtaxat contra charitatem non inducit irregularitatem: ita ut si quis videat alterum occidi, tenetur tantùm ex charitate impedire nè occidatur, & non impediendo non incurrit irregularitatem, ita Cornelio dubio 4. post Navarrum, & alios, quos citat & sequitur Suarez. Probatur primò, ex cap. finali 23. quæst. 8. Licet Glossa id falsò exponat de eo, qui ita homicidio afficitur, ut illud impedire queat. Ratio tamen resolutionis est, quod iste vel non est homicida realis, sed tantùm intentionalis, cùm exterius omittendo non peccaverit contra justitiam, ad quam vitium homicidii spectat, ut illi oppositum: sed tantùm peccaverit contra charitatẽ quod verum est, quamvis talis voluntaria omissio fuerit ex odio interno, & gaudio mortis proximi, & licet illius gaudii signa externa dederit, modò talia non fuerint, ut ex iis homicida favorem senserit,

& animosius homicidium cõmiserit. Iste non censetur conscius homicidii nec in foro conscientiæ, nec in jure civili secundùm Bartolum l. 1. §. *sed in eo*, ff. *Senatusconsultum Sillanium*. Nec obstat cap. *sicut unùm*, §. *illi etiam*, ibi, qui potuit hominem liberare à morte, & tamen non liberavit, eum occidit, & cap. *non inferenda*, cap. *finali*, 23 cap, *facientis*, distinct. 86. Respondet noster Corncio ista jura loqui de omittente contra justitiam. Vel si loquatur de omittente præcisè contra charitatem, intelligi de homicidio purè mentali, & indirectè volito, quod non potest inducere irregularitatem, quia hoc ipso, quod talis omissio exterior non est contra debitum ex justitiâ, non censetur physicè moraliter influere in ipsam occisionem exteriorem, nec inducet obligationem restitutionis.

XII. Infero tertiò, Medicum publico, vel particulari stipendio conductum fieri irregularem, si ejus omissione, negligentiâ, vel ignorantiâ infirmus moriatur, & talis censetur à Medico occidi. Argum. *omnis absit*, distin. 50. Ratio est, quia ratione stipendii tenetur ex justitiâ. Quod etiam procedit, licet Medicus infirmum deserat, eo quod mercedem ei non solvit, quia postquam semel curam infirmo adhibuit tenetur perseverare. Quia contractus qui in initio sunt voluntarii ex post facto sunt necessarii. Et præcipuè cùm post infirmi convalescentiam vel mortem possit stipendia exigere. Excusatur ex copiâ aliorum medicorum, qui vocari possunt nisi ipse alium æquè peritum advocet, qui pro eo substituat. Nec similiter excusabitur, si infirmus nolit ei obedire, quamvis peccet ægrotus nolendo pharmaca sumere: Undè si moriatur debet sibi soli imputari, quia tamen in hoc casu tenetur Medicus invitum curare, erit in culpâ, si invito ægroto Medicus oportuna non dederit ex Glossâ in princip. 6. dist. 83.

XIII. Infero quartò irregularem esse Advocatum, & Procuratorem assumptum, qui patrocinium dolosè deserunt, si reus ob talem desertionem morte puniatur. Imò etiam erunt irregulares, si patrocinium non deserentes, ob eorum tamen ignaviam, vel imperitiam in defendendo reus ultimo supplicio afficiatur. Eadem resolutio est de teste in judicium legitimè adducto, si veritatem fileat, & ob ejus silentium reus morte plectatur, ita Majolus lib. 2. cap. 9. & lib. 5. cap. 48. §. 5. num. 4.

Infero quintò, irregulares esse XIV. Reges & Gubernatores, ob quorum omissionem & incuriam subditi occiduntur, vel mutilantur. Ratio est, quia lege justitiæ tenentur eos defendere. Idem concludendum de subditis, qui ratione subjectionis tenentur defendere suos Superiores, si eos occidi permitant. Argument. cap. *Rege*, cap. *Administratores*, 23. quæst. 5. cap. *est ergò*, de jure jurando, cap. *de form.* 22. quæst. 5. Quæ resolutio intelligenda est de iis, qui stipendio susceperunt custodiam viarum, si permittant dolosè viatorem mutilari, vel interfici. Item de iis, qui promiserunt, ac obligarunt mercenariè se alterum defensuros, & defensione omissâ interficitur. Secus si obligatio sit liberalis vel jactatoria, quia hæc non inducit obligationem ex justitiâ, sed ad summum ex fidelitate. Idem censendum est de Domino respectu servi, de Patre respectu filii, tutore respectu pupilli, de marito respectu uxoris, curatore respectu minoris, pedagogo respectu clientis, si intereant defectu alimentorum debitorum. Non quod omninò teneantur à morte eripere, sed ut faciant quantùm in ipsis est juvando eos verbo, vel facto nè occidantur: tunc enim cùm non sint culpabiles non incurrent irregularitatem, ita Corneio supra in fine.

§. 18.

De Irregularitate proveniente ex iteratâ Baptismi susceptione, vel collatione.

I. QUi finit se rebâptisari fit simpliciter irregularis, si ex parte baptisati sit dolus vel culpa crassa, ita Scotus in 4. dist. 6. quæst. 8. Sotus in 4. dist. 3. art. 9. § *unum*, Suarez tomo 3. in 3. part. disp. 31. sect. 6. §. *solet autem*, & de censuris disp. 42. sect. 1. Avila, Toletus, Henriquez, Emmanuel Sa, Layman, Covarruvias, Navarrus contra Paludanum, S. Antoninum, Majolũ. Ratio est, quia Canones ab adversâ parte producti nihil probant. Nam Fœlix III. in cap. *in quolibet*, est explicandus de qualibet ætate doli capace, sicuti Glossa ibidem explicat, & colligitur ex verbis subsequentibus. *Quibus satis esse debet* (consideratâ eorum culpâ) *quod in Catholicorum numero sint recepti.* Secundò, ex cap. *placuit*, cap. *qui apud*, 2. quæst 4. Quibus expressè decernitur parvulos ab Hæreticis rebaptisatos, cùm ad Ecclesiam Dei reversi fuerint, ordinari posse. Nec obstat cap. *qui bis*, dist. 4. de consecrat. Ille enim (inquit Covarruvias) non habet auctoritatem legis, vel juris canonici: eo quod sit desumptus à Gratiano ex pœnitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, vel intelligi ignorantiâ vincibili & culpabili. Nec obstat secundò, quod in cap. *quolibet*, 1. quæst. 6. habeatur eos qui in qualibet ætate rebaptisati sunt ad Ecclesiasticam militiam non esse admittendos, noster Corneio disp. 5. dubio 1. respondet cum Glossâ communiter receptâ intelligendum esse de qualibet ætate adultâ, & doli capace. Probatur secundò, Cùm irregularitas sit pœna non incurritur sinè culpâ. Undè si sit ignorantia invincibilis juris divini & Ecclesiastici excusabit à culpâ, & consequenter ab irregularitate. Imò existente ignorantiâ invincibili juris Ecclesiastici non incurritur hæc irregularitas, licet adsit scientia juris divini, ita Corneio supr Quod si quis sciat rebaptisationem esse prohibitam jure Ecclesiastico ignoret tamen esse prohibitam sub pœnâ irregularitatis, non excusabitur à pœnâ irregularitatis. imò Richardus Paludanus, Antoninus, Covarruvias, Majolus; & alii apud Sayrum lib. 6. cap. 8. innuunt quod si ignoranter rebaptisatus postea sciens ratam habeat, erit irregularis. Sed negat noster Corneio supra post Suarem, Henriquez, Sayrum. Ratio est, quia ratihabitio subsequens non est causa facti præteriti, nec priorem actionem aut passionem voluntariam ac culpabilem reddit: sed dumtaxat est peccatum de novo commissum, cui nulla irregularitas est in jure imposita. Sicut non contrahitur irregularitas ex ratihabitione homicidii prius ignoranter & absque culpâ perpetrati. Quod si ignorantia facti sit vincibilis incurret baptisatus irregularitatem. Ratio est, quia ejus ignorantia non excusat à culpâ, potuit enim & debuit scire se jam esse baptisatum.

II. Qui finit se baptisari ab hæretico est irregularis, ita Layman. Probatur ex cap. *Afros*, cap. *qui in quolibet*, nisi ignorantia, vel necessitas excuset à culpâ Ratio est, quia hæc irregularitas præsupponit peccatum, & est ejus pœna. ut colligitur ex cap. *placuit* & cap. *qui apud*, 1. quæst. 4.

III. Æger ob periculum mortis baptisatus non debet ab Episcopo ad Sacerdotium promoveri, ita Layman. num. 4. Probatur primò ex Concilio Neocæsariensi cap. 12. & refertur in cap. unic. dist. 57. ubi hæc ratio affertur, quia periculum est, quod fides ab ipso, non tam voluntariè, quàm ex necessitate suscepta sit. Limita primò si postea ipsius studium & fides probabilis reddatur, si desit copia Sacerdotum, modò ille qui in ægritudine baptisatus sanus effectus ex aliis causis non appareat indignus ordinatione, ut explicat Suarez disp. 42. sect. 1. Hanc irregularitatem fuisse diu ante observatam in Ecclesiâ Romanâ testatur Cornelius Papa apud

Eusebium lib. 6. cap. 35. referens Novatianum ita baptisatum postea Episcopum fuisse ordinatum, à quo universus Clerus, & multi laici abstinuerunt. Idem resolvit Majolus lib. 3. cap. 10. de iis, qui ob vim, metum, vel similem necessitatem baptismum susceperunt, quia est eadem ratio. Idem asserendum est de Neophyto, seu qui baptismo fidem susceperunt. Rationem affert Apostolus de quo supra 1. Timoth. cap. 3. *Nè in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli.* & Canon Apostolicus 79. *Eum, qui in vitâ Gentili accesserit, & baptisatus fuerit, vel ex improbâ vivendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, ut qui sui non experientiam ostenderit sit aliorum Magister, nisi fortè hoc divinâ gratiâ fiat.* Idest, vocatione, ut contigit S. Ambrosio, undè ipse epist. 82. ad Vercelle[illegible] se excusans ait. *Si dilatio ordinationi defuit vis cogentis est.* Idem de Sacerdote concludendum est, ut explicat Concilium Laodicense cap. 3. & primum Nicænum OEcumenicum can. 2. *Nè accedentes nuper ad fidem, simul ut baptisati sunt ad Episcopatum, vel Præsbyteratum promoveantur. Nam & tempore opus est ei, qui catechisatus, & post baptisma probatione quamplurimâ: Manifesta est enim Apostolica scriptura.* Concilium Sardicense OEcumenicũ Præside Osio Episcopo extendit ad Diaconos can. 13. *Conveniens non est, nec ratio, nec disciplina patitur, ut temerè ordinetur, aut Episcopus, aut Præsbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est.* S. Gregorius lib. 4. epist. 50. ad Virgilium Episcopum Arelatensem excludit non tantùm ab aliis ordinibus, sed etiam à statu clericali. Ratio est, quia novissimè ad fidem conversus nequit esse in doctrina fidei satis instructus, nec in rebus Ecclesiasticis expertus, nec in constantiâ fidei satis probatus. Undè Suarez disput. 43. sect. 3. oportunè monet Episcopum ordinantem, ut declaret spectatâ personæ qualitate & temporis intervallo effluxisse statum Neophyti, ut absque aliâ dispensatione possit ordinari. Ex quibus patet infantem rebaptisatum ante usum rationis non esse irregularem, licet postea ratum habeat rebaptisationem. Nec qui rebaptisatur, dum dormit, ita Covarruvias Clement. unic. *patrem*, num. 8. Sayrus, Navarrus, Henriquez, Suarez, Avila, Filiucius, contra Reginaldum, Ugolinum, & alios.

1 *Tim. Cap.* 3.

Canon Apsto.

II. Qui alterum rebaptisat incurrit irregularitatem, imò quoties rebaptisat, toties irregularitatem novam cõtrahit, ita Sylvester verbo *irregularitas*, quæst. 4. Filiucius, Reginaldus, Nugnus, Bonacina, Covarruvias, Navarrus, Toletus, Coninck, Suarez, Layman, & alii. Probatur ex cap. *ex litterarum*, de apostatis, cap. *confirmandum*, dist. 50. & cap. *qui in qualibet*, 1. quæst. 7. Acolythus etiam ministrans hanc irregularitatem incurrit, si delictum ejus sit publicum & notorium, ita Layman supr. Probatur ex cap. 1. ubi id notat Abbas notab. 2. Hæc porrò irregularitas Acolythi non est totalis, sed partialis, ut ad superiores ordines nequeat promoveri, ita Suarez §. *sed ad explicandum*, Parentes, Compatres, & alii cooperatores ad iterationem baptismi fiunt irregulares, ita Ugolinus, Coninck, & alii. Ratio hujus irregularitatis impositæ ab Ecclesiâ, est specialis quædã irreverentia, quæ irrogatur Christo Domino in intentione hujus Sacramentĩ contra illius sanctificationem. Cùm enim per hoc Sacramentum simul commoriamur, & consepeliamur Christo, qui semel tantùm pro nobis mortuus est, & sepultus: qui reiterat baptismum, quantùm est ex se, iterùm Christum crucifigit ad Hebræos cap. 6. Quæ culpa tam gravis est, ut præter hanc irregularitatem, incurrat alias pœnas jure Canonico inflictas, cap. *eos qui*, de consecrat. distinct. 4. censet Thesaurus in praxi part. 2. verbo *baptisma*, cap. 1. Lezana sup. num. 41. esse suspectos de hæresi Novatianorum, & Anabaptistarum. Item ex iisdem Clerici deponuntur, & laici sunt excommunicati, & in Civili jure l. 2. C. *de Sanctum Baptisma*, sic facientes merentur pœnam capitis.

III.

IV. Rebaptisatio facta sub conditione non advehit irregularitatem, ita Reginaldus

Reginaldus, Filiucius, Navarrus, Layman, Suarez, Nugnus, Henriquez, Bonacina, Lezana supr. contra Sayrum, Ugolinum, & alios. Ratio est, quia prætata irregularitas provenit ex iteratione baptismi. At hic non iteratur baptismus. Qui enim dicit *si non es baptisatus, ego te baptiso*, non intendit baptisare, si est baptisatus. Cùm ille modus loquendi regulariter hunc includat, *si es baptisatus non te baptiso*. Deindè leges pœnales debent intelligi cum effectu. At qui baptisatum sub conditione baptisat, revera non baptisat, quia oppositа conditio suspendit & impedit actum. Ob eandem causam qui metu, verbi gratiâ, vel animo simulato exterius rebaptisat, non fit irregularis, cùm non habeat animum baptisandi. Si tamen habeat intentionem conferendi vel suscipiendi baptismum incurret irregularitatem, ita Layman, Bonacina, Corneio, & Lezana supr. Ratio est, quia nulla vis aut metus potest aliquem cogere ad talem intentionem habendam.

VI. Episcopus non debet censeri irregularis, qui postquam inquisivit an alter esset baptisatus, illum absolutè rebaptisavit, & absque conditione, sed adhuc postea dubitat an esset baptisatus, ita Bonacina Ratio prima est quia ille non dicitur absolutè rebaptisare cui non constat alterum esse baptisatum. Non enim judicatur iteratum, quod ambigitur esse factum. Cap. *final.* de Præsbytero non baptisato. Secunda ratio, quia versamur in dubio facti extra casum homicidii. In dubio autem melior est conditio possidentis suam libertatem. Nihilominus Suarez, Toletus, & alii docent quod ille rebaptisando absolutè peccaret, cùm deberet rebaptisare sub conditione. Non debet etiam censeri irregularis, qui cum conscientiâ erroneâ aliquem baptisavit, credens antea baptisatum esse, ita Suatez, & Bonacina. Ratio est, quia hæc irregularitas incurritur ob iteratum baptismum, non ob solam conscientiam erroneam. Non est propterea censendus irregularis, qui baptisat filios infidelium, vel expositos absque ullo signo testante de ipsorum baptismo, ita Sayrus cap. 8. num. 11. Bonacina supra. Ratio prima est, quia adest ignorantia facti quæ excusat. Secunda ratio, quia in hoc casu militant rationes mox allatæ. Nec insuper censere debet irregularem infantem ab hæretico baptisatum. Primò quia irregularitas non incurritur, nisi, sit expressa in jure. Secundò, quia colligitur ex cap. *placuit*, quæst. 4. Ita Bonacina, post Suarem, Toletum, Reginaldum Filiucium. Quod etiam verum est, licet infans postea adultus approbaverit baptismum collatum ab hæreticis. Ratio est, quia nullo jure probatur illum subjacere huic irregularitati (inquiunt Suarez, & Bonacina sup.) Dixi infans, quia adultus baptisatus ab hæretico incurrit irregularitatem. ut habetur in cap. *quia in qualibet*, dist. 1. quæst. 7. Quod si quis rebaptiset sub conditione quem scit esse baptisatum, non debet Episcopus illum irregularem declarare, ita Navarrus in Manuali cap. 27. numer. 246. cum Avila, nostro Corneio disput. 5. dubio 1. & aliis contra Sotum, Cordubam Victorinum, Martinum de Ledesma, Majolum. Ratio est, quia iste non baptisat, igitur non incurrit irregularitatem. Patet antecedens, quia si iste absque ullâ prorsus intentione baptisandi verba proferret, & jam baptisatum ablueret, non rebaptisaret ob defectum intentionis necessariò requisitæ ad substantiam Sacramenti. Igitur idem etiam concludendum, quando rebaptisat sub conditione. Tunc enim tantùm habet intentionem baptisandi in casu quod non sit baptisatus, & in casu quod sit baptisatus habet animum & intentionem nō baptisandi. Illa enim conditio, si non es baptisatus, ego te baptiso, virtualiter continet hanc, si tu es baptisatus non te baptiso. Confirmatur, si quis contraheret cum consanguineâ ob eandem rationem cum hâc conditione, si non es consanguinea, non incurrit excommunicationem latam contra eos, qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis. Hæc doctrina etiam procedit in foro exteriori, si conditio apposita sit verbis. Quod si solùm mente apponatur,

non

non erit irregularis in foro conscientiæ. Idem concludat Episcopus de eo qui temerè & nullâ diligentiâ adhibitâ, ut sciat an puer baptisatus sit nec nè, illum rebaptisat sub conditione: Nec refert quod, is, qui sic rebaptisat sub conditione peccet mortaliter, & quod in Catechismo Romano edito de mandato Pii V. tract de baptismo cap. *de effectibus baptismi* dicatur, istum non solùm peccare, verùm etiam eam maculam suscipere, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Quamvis ille Catechismus sit editus jussu Pontificis non habet vim decisionis Pontificiæ, cùm teneamur fateri aut esse novum jus, aut declarationem juris antiqui auctoritate Pontificis factam, ita Corneio disp. 5. dubio 1.

VII. Episcopus debet censere irregularem illum, qui differt baptismum usque ad ægritudinem, vel senectutem, ita Sayrus, Filiucius, Reginaldus, Ugolinus & alii in cap. *si quis*, dist. 57. qui textus est intelligendus de adultis, non de infantibus, Suarez, Toletus, Bonacina. Ratio est, quia non videtur voluntariè fidem suscipere, sed coactè ut patet ex cap. citato. Undè Episcopus non debet ejusmodi baptisatum promovere, nisi id exigat paucitas ministrorum idoneorum, nisi ipsius fides & vita fuerit probata post baptismum.

VIII. Sedes Apostolica potest dispensare in irregularitate contractâ publicâ vel occultâ. Contracta per iterationē baptismi, ita Avila, Coninck, Filiucius, Sayrus, Sotus, Toletus, & alli. Ratio est, quia Papa potest dispensare in jure communi, Episcopus potest dispensare in rebaptisatione occultâ, ita noster Corneio cum auctoribus proximè citatis. Ratio est, quia ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. potest dispensare in irregularitate proveniente ex delicto occulto. Idem potest dispensare in irregularitate, quæ incurritur, quando quis alium publicè baptisat, sed nescitur utrum qui baptisatur fuerit antea baptisatus, ita Navarrus, Sayrus, Ugolinus, Sanchez, Bonacina, Rodriguez. Ratio est, quia delictum censetur occultum, cùm ratio rebaptisandi sit occulta, & nesciatur an ille fuerit baptisatus.

§. 19.

De Irregularitate proveniente ex susceptione Ordinum.

I. IRregularis est, qui furtivè ordinatur, idest ignorante Episcopo se ingerens per dolum ordinandis absque examine & approbatione Episcopi, ita Layman, Hurtadus, Diana, ex nostris Corneio supr. disp. 7. dubio 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, numer. 54. Probatur ex cap. 1. de eo, qui furtivè ordinem suscipit, ubi dicitur non licere ei, qui furtivè ordinem Diaconatus suscipit absque dispensatione ad sacerdotium promoveri.

II. Potest Episcopus in hac irregularitate dispensari, si sit contracta ex delicto occulto, ita Coninck, Bonacina, Hurtadus, Layman, Corneio, & Lezana sup. Colligitur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. Imò (inquit idem Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 18. & tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 53.) potest à Prælatis quarumdam Religionum habentium privilegia.

III. Potest etiam Episcopus dispensare si delictum sit publicum, si adsit duplex conditio. Prima quod in tali ordinatione imposita non fuerit ab Episcopo excommunicatio latæ sententiæ, contra eos qui se furtivè ingerunt ordinationi. Tunc enim non poterit Episcopus dispensare, nisi adsit secunda conditio, scilicet quod ita ordinatus religionem ingrediatur, & in eâ aliquamdiu laudabiliter vivat, ita Corneio supr. Existente verò primâ conditione, secundâ non est necessaria. Totum hoc colligitur ex cap. 1. *de eo qui furtivè ordinem suscipit.* Ejusmodi etiam irregularitas incurritur ab indebita ordinum susceptione à conjugato, qui illos recipit stante matrimonio etiam necdum consummato, præterquam in casibus à jure permissis, ita Sayrus, Thesaurus

Corneio

Corneio supra, Lezana num. 54. Probatur ex extravagant. *antiqua concertatione*, de voto, & voti redemptione. In quo casu non potest ab Episcopo dispensari etiam soluto matrimonio, nisi taliter ordinatus profiteatur in Religione approbatâ, ita Sanchez, Corneio, Thesaurus supr. Et patet ex eâdem extravagante. Addit noster Lezana sup. etiam tolli posse ab Episcopo post solutum matrimonium, si casus fuerit occultus, cùm sit ex delicto juxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6.

§. 20.

De irregularitate proveniente ob violatas censuras.

I. COntrahit irregularitatem ex delicto qui exercet ordines tempore censuræ, verbi gratiâ, excommunicationis majoris, suspensionis, vel interdicti, etiamsi sit toleratus, ita Majolus, Sayrus, Toletus, Villalobos, Arriaga, ex nostris Corneio in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 6. quæst. 5. & alii communiter contra Præpositum. Probatur ex cap. *si quis Episcopus in concilio*, 11. quæst. 3. & toto titulo de Clerico excommunicat. minist. & cap. 1. de sentent. & re judic. in 6. & cap. 16 *qui*, de sentent. excommunicat. in 6. Dixi etiam toleratus & occultus, quantum scilicet est ex parte suâ, si scilicet se ingerat in administratione sacramentorum. Ratio est, quia extravagans *ad evitanda*, nihil illi suffragatur, quamvis illa administret ex officio, ita Suarez, Corneio disp. 10. §. 1. dubio ult. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *excommunicatio*, num. 7. & verbo *irregularitas*, num. 55. Licet Sacramenta administrata ab excõmunicato quocumque sint valida. Vasquez tract. de excommunic. dubio 3. Bonacina disp. 2. quæst. 2. §. 3. & 4. Ratio est, quia valor Sacramentorum pendet dumtaxat jure divino ex applicatione veræ materiæ & formæ. Excipe Sacramentum pœnitentiæ, ita Vasquez, Bonacina, Lezana verb. *excommunicatio*, numer. 7. Ratio est, quia administratum ab excommunicato non tolerato nullum & irritum est defectu jurisdictionis, nisi in casu quo esset publicus error facti, & titulus præsumptus, Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 3. Ratio est, quia tunc Ecclesia ei confert jurisdictionem, l. *Barbarius*, ff. *de officio Prætorit.* Ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut talem actum ordinis exerceat solemniter, ideſt cum illis cæremoniis & vestibus, quæ ei competunt ex officio & ordine, ita Sylvester, Corneio disp. 6. §. *secunda conditio* Lezana tomo 3. verbo *excommunicatio*, num. 13. Quare, quia ex usu Ecclesiæ actus minorum ordinum, rarò, vel nunquam fiunt à Clericis, Suarez, Layman. Ideò nonnisi rarò Clerici in minoribus constituti hanc irregularitatem contrahent, quando scilicet ex usu alicujus Ecclesiæ particulares vestes illis essent assignatæ, & cum illis exercerent suum ministeriũ, Suarez & Lezana supr. Aliter de Subdiocono concludendum est, Sylvester Corneio, Bonacina, Lezana supr. Ratio est, quia ejus officium quod est cantare Epistolam ex usu Eccleæ cõceditur laicis choro absque vestibus, & non Subdiaconis in altari absque manipulo. Undè si Subdiaconus excommunicatus cantet Epistolam absque vestibus in choro, vel absque manipulo in altari non fit irregularis. Ratio est, quia tunc non exercet actũ ordinis solemniter. Addunt primò præfati Auctores hoc etiam esse verum in Diacono, si cantet Evangelium sine stolâ ob eandem rationem. Addunt secundò idem esse dicendum de Sacerdote excommunicato, qui baptisat more laicorum absque solemnitate, qui sic non erit irregularis, ita Sylvester & Lezana supr. Quod si Sacerdos excommunicatus efficiat ea quæ nullo modo ab aliis fieri queunt, verbi gratiâ, si consecret, absolvat, ungat infirmos, etsi dato casu ea præstet absque solemnitate contrahet irregularitatem, ita Corneio supra, §. *sed notandum est secundò*, Lezana supra. Ratio est, quia sunt actus

proprii ordinis Sacerdotalis.

II. Qui innodatus est multis censuris diversæ rationis, verbi gratiâ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si exerceat ordines plures incurret irregularitates, ita Garcias, Bonacina, Lezana supr. Ratio est, quia violat duplicem, vel triplicem censuram specie diversam. Sicut sepeliens excommunicatum vitandum in loco interdicto incurrit duplicem excommunicationem. Quod si sit irretitus multis censuris ejusdem rationis, verbi gratiâ excommunicationibus multis non incurret plures irregularitates, Thesaurus, Lezana supr. Undè sæpius celebrans cum excommunicatione, quamvis semper peccet mortaliter, tamen incurrit dumtaxat unam irregularitatem resultantem ex omnibus illis causis illius, ita Thesaurus & Lezana supr. post Sanchez. Irregularitatem eandem & ejusdem speciei incurrunt Clerici excommunicati, suspensi, vel interdicti etiam occulti, qui auctoritativè, seu præceptivè faciunt coram se celebrari, ita Sylvester, Navarrus, Sayrus, Layman, Thesaurus, Lezana. Probatur ex cap. *illud*, de Clericis excommunicatis, ubi licet id non exponatur, tamen communi consensu Doctorum & consuetudine id habetur.

III. Clericus nullâ censurâ ligatus in loco interdicto actum ordinis sacri exercens fit irregularis, ita Sylvester verbo *interdictum*, Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Covarruvias, Navarrus, Corneio disput. 6. Probatur ex textu cap. *is qui*, §. *si verò*, de sentent. excommunic. in 6. Quæ resolutio non procedit primò de eo, qui administrat ea Sacramenta, quæ licitè possunt administrari tempore interdicti, ita Corneio supr. Ratio est, quia cum non peccet in tali administratione, consequenter non incurrit hanc irregularitatem. Non procedit secundò, quándo talis celebratio divinorum officiorum fit cum moderamine, cap. *Alma Mater*, scilicet januis clausis, voce submissâ, non pulsatis campanis. Ratio Corneio est, quia si ita fiant non inducent irregularitates. Non procedit tertiò de loco generali interdicto, sed specialiter interdicto, cap. *Alma Mater*. Plura de hac irregularitate apud Auctores citatos, & Dianam part. 4. tract. 2. resolut. 57.

IV. Præfatas irregularitates Sedes Apostolica tollere potest, ita Sayrus, Bonacina, ex nostris Cordeio supr. Lezana. Si sint publicæ, cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6. Quod si casus sit occultus, idest quando etsi constet aliquem publicè exercuisse ordines non tamen constat id fecisse censurâ irretitum potest tolli ab Episcopo, ita Sayrus, Navarrus, Reginaldus, Bonacina, Corneio, Lezana supra. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. Addit noster Lezana jam citatus, & tomo 1. cap. 18. num. 40, quoad regulares posse absolvi a suis Prælatis regularibus.

§. 21.

De Irregularitate proveniente ex paupertate, seu defectu bonorum.

I. Hic defectus quamdiu durat facit irregularitatem, undè qui patrimonio, vel beneficio caret, non est ordinandus. Probatur ex Concilio Tridentino sessione 21. de reformatione cap. 2. ubi de patrimonio id statuit. *Statuit Sacra Synodus, nè quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat pacificè possidere, &c.* Menochius de arbitr. casu 216. & seq. Ludovicus Beia, Flaminius Pariſ. Nicolaus Garcias, Thomas Valascus, Rodericus Conha, Jacobus de Graffis, Lotterius, Narbona, Barbosa alleg. 19. Molfesius, Sanchez, Azorius, Henriquez. Quod quidem beneficium debet pacificè possideri ab eo, qui ad ejus titulum vult ordinari, ita Azorius, Flaminius Pariſ. Ugolinus, Barbosa.

Barbosa. Ita ut si lis ei mota sit de ejus beneficio ad ejus titulum lite pendente nequeat ordinari, cùm illo possit privari. Barbosa docet quis titulus beneficii dicatur litigiosus. Vel debet habere patrimonium, vel pensionem sufficientem ad honestè vivendum, non attentâ nobilitate, vel aliâ qualitate ordinandi, quia Concilium supr. postulat eam sufficientiam, quæ impediat mendicitatem, ita Nicolaus Garcias cap. 5. num. 114. post Petrũ de Ledesma in summa part. 1. de Sacramento ordinis cap. 7. Barbosa sup. num. 8.

II. Examen hujus patrimonii spectat ad Episcopum privativè quoad alios, ita decisum fuisse à Sacrâ Congegatione 16. Maii 1630 refert Barbosa supr. num. 12. & in Collectaneis Bullarii verbo *patrimonium*. Et pro congruâ summâ judicandâ, debet attendere consuetudinem loci, ita Archidiaconus in cap. *si Episcopus*, num. 3. de præbend. in 6. Geminianus in cap. *sicut*, num. 7. de suppl. neglig. Prælat. Ancharanus in cap. 1. vers. *tertiò potest queri*, de præbend. in 6. Menochius casu 216. Nihilominus quidam assignant decentem beneficii valorem, scilicet debere attingere summam, quæ sibi sustentando, & suis sufficiat, imò pauperibus, peregrinis, & advenis.

III. Ad sufficientiam Prosper de Augustino, & Quaranta in summa Bullarii verbo *ordo*, Ugolinus de potest. Episc. cap. 16. §. 3. & 8. Zerola, Molfesius, Bonacina, Armendariz, & alii docent quod si quis careat sufficienti titulo beneficiali, tamen tantundem patrimonii constituat, quod æquivaleat sufficienti beneficio, poterit ab Episcopo ad sacros ordines promoveri. Armendariz, Garcias, & Barbosa num. 4. addunt beneficio, vel patrimonio sufficienti non posse jungi pitantias, eleemosynas, anniversaria, & alia emolumenta, quæ ex celebratione missarum in exercitio sacrorum ordinum, (si ad eos promoveantur) possunt percipere, quæ omnia ad victum honestè sufficiant.

IV. Potest Episcopus promovere ad sacros ordines Subdiaconatus & Diaconatus ad titulum beneficii, quamvis non lucretur illius fructus, nisi post susceptum ordinem Præsbyteratus, Ita decisum scribunt Armendariz, Marcellus, Garcias, Barbosa numer. 27.

V. Episcopus potest in hâc irregularitate dispensare, modò se obliget subministrare alimenta Clerico sic ordinato, donec de beneficio sufficiente illi provideatur, ita noster Cornejo disput. ultim. & probat ex cap. *Episcopus*, & cap. *secundùm Apostolum*, de præbendis.

§. 22.

De Irregularitate proveniente ex medendo, vel chirurgiam exercendo.

I. MEdicus vel Chirurgus exercentes Medicinam vel Chirurgiam secundùm regulam artis, si membrum aliquod abscindant causâ sanitatis non fiunt irregulares, ita Navarrus cap. 27. num. 209. Filiucius, Sylvester, Bonacina, Ugolinus, Suarez. Ratio est, quia in ejusmodi abscissione, vel exercitio non deest lenitas vel mansuetudo, cùm pars abscindatur, ut servetur totum. dixi secundùm regulam artis, quia si mors sequatur culpâ, aut imperitiâ Medici vel Chirurgi incurrunt irregularitatem ex delicto. Ratio est, quia censentur causa injusta mortis. Undè Medicus, aut Chirurgus, quorum culpâ ægrotus interiit, nequeunt promoveri ad ordines, ita Ugolinus, Bonacina, & alii.

II. Peccat Medicus, & fit irregularis secutâ morte, si habeat certum remedium ad sanitatem, & tamen adhibeat remedium incertum & dubiũ. Ita Bonacina. Ratio est, quia imprudenter agit relinquendo remedium certum in re tanti momenti. Quod si careat remedio certo, debet uti remedio meliore, & magis oportuno, juxta probabiliorum Medicorum sententiam, ita idem Bonacina. Ratio est quia alioqui imprudenter agit; &

temerè exponit periculo salutem infirmi non adhibendo remedium magis oportunum, & consequenter si infirmus moriatur incurrit irregularitatem. Quod si nullum illi adsit remedium certum vel oportunũ juxta probabiliorem Doctorum opinionẽ, sed dumtaxat remedium dubium, de quo dubitat, an proderit vel nocebit, peccat & fit irregularis adhibendo ejusmodi remedium, quando salus infirmi necdum desperata est, ita Bonacina. Ratio est, quia fieri potest, ut infirmus ob illud pharmacum moriatur, cùm omnia medicamenta venena sint juxta l. *qui venenum*, ff. de verborum significatione. Quod si salus infirmi jam desperata est, Medicus non peccat, nec fit irregularis præbendo pharmacum de quo dubitat an sit profuturum, aut nociturum, nec Medicus habet aliud remedium, ita Valentia, Corduba, Sanchez, Clavis, & alii apud Bonacinam tractat. de peccatis, quæst. 6. part. 3. quæst. 3, agentem de opinione probabili. Idem dicendum de Chirurgo dubitante an membrum sit abscindendum.

III. Qui curam habent infirmorum incurrunt irregularitatẽ quoties culpabiliter, moraliter sunt causa accelerationis mortis Si autem conveniente provident â, & absque notabili negligentiâ se gesserint non fiunt irregulares, ita Filiucius, Majolus, Navarrus, Tabiena, Sylvester, Sotus, Angelus, Armilla apud Cajetanum disp. 47. sect. 7. Ratio est, quia si essent irregulares, maximè ex delicto, sed irregularitas ex delicto supponit culpam gravem,

IV. Clericus etiam Beneficiatus non fit irregularis exercendo munus Medici vel Chirurgi secundùm regulam artis absque ullâ incisione vel adustione, ita Sayrus, Henriquez, Molina, Bonacina. Ratio est, quia nullo jure probatur id esse prohibitum sub mortali & irregularitate. Secundò, quia hoc est opus pietatis & misericordiæ. Dixi secundùm regulam artis, quia nemo mederi potest omissis regulis artis, alioquin exponit infirmum periculo vitæ, & secutâ morte fit irregularis ex delicto, & mors imputatur culpæ illius.

V. Medicus majoribus ordinibus initiatus exercens artem chirurgiæ cum incisione vel adustione fit irregularis, ita Molina, Bonacina, ex nostris Corneio tract. 5. de irregularitate disp. 3. dubio 2, Lezana quæst. regul. tomo 1. cap. 9. num. 15. Ratio est, quia dat operam rei sibi prohibitæ, ex cap. *sententiam sanguinis.*

VI. Clerici etiam in minoribus constituti, si habeant beneficium nequeunt etiam artem Medicam & Chirurgicam exercere cum abscissione vel adustione morte & secutâ fiunt irregulares, ita Sayrus, Avila, noster Corneio contra Molinam & Bonacinam. Ratio est, quamvis præfatus textus tantùm loquatur de constitutis in sacris ordinibus, tamen Doctores communiter illum extendunt ad Clericos etiam minorum ordinum, modò habeant beneficium. Ex quo sequitur Sacerdotem, qui secundùm regulam artis applicat remedium, seu emplastrum mollificativum, quo apostema aperitur, & mors indè sequitur absque culpâ Sacerdotis non esse irregularem, ita Molina, Rodriguez, Bonacina. Ratio est, quia non dicitur propriè artem Medicam exercere scindendo, vel adurendo. Sequitur secundò, Clericum qui secundùm peritiam artis jubet incisionem, vel adustionem non fieri irregularem, quamvis mors indè sequatur, ita Molina, Rodriguez, Bonacina, & alii. Ratio est, quia jus prohibet sub pœnâ irregularitatis Clerico incisionem vel adustionem morte indè secutâ. At ille qui jubet, vel persuadet incidi, non dicitur propriè incidere vel adurere, nec consequenter irregularis sicut censura & pœna lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes. Sequitur tertiò, Clericum posse absque irregularitate consulere secundùm regulam artis, ut membrum cancro infectum abscindatur, ita Bonacina. Sequitur quartò, Clericum præfatum non fieri irregularem abscindendo, vel adurendo secundùm regulam artis, si mors non sequatur, ita Avila part. 7. disput. 6. sect. 10. Sayrus, & Bonacina. Ratio

est

est, licet enim sit illi prohibitum abscindere vel adurere; tamen non fit irregularis ex eâ mutilatione vel abscisione, cùm irregularitates non oriantur ex quacumque mutilatione, sed ex eâ, quæ dirigitur ad privationem membri, & est conjuncta cum defectu lenitatis, cujusmodi est illa, quæ fit a judice, vel ministris justitiæ. Ex eâ autem mutilatione, quæ fit ad vitam conservandam non oritur irregularitas, modò Clericus adhibeat debitam diligentiam, nec indè mors sequatur. Vel si sequatur, non sequatur ex adustione vel incisione, sed ex gravitate morbi. Sequitur quintò, Clericum vel alium, qui adjuvat Chirurgum abscindentem membrum ægroti non fieri irregularem. Ita Ugolinus de irregularitate cap. 19. Sayrus, Navarrus, Molina, Henriquez, Avila, & alii. Ratio est, quia Chirurgus qui secundùm regulam artis abscindit non fit irregularis. Igitur nec Clericus adjuvans. Nec refert, quod cooperans justæ sententiæ mortis fiat irregularis. Nam dispar est ratio, quia judex præ se fert nescio quid crudelitatis cùm mutilet in vindictam & pœnam à delinquente sumendam, nec Christi mansuetudinem imitetur. At Chirurgus exercet suam artem.

VII. Potest Episcopus dispensare cum Clericis, qui præfatam irregularitatem contraxerunt si sit occulta. Ratio est, quia ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione potest Episcopus dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, & casu tali provenientibus exceptâ irregularitate homicidii voluntarii, & aliis ad forum contentiosum deductis.

VIII. Religiosi nullo modo queunt exercere artem Chirurgiæ cum incisione, vel adustione, ita Summistæ verbo *Medicus* vel *Medicina*, quos sequitur noster Lezana tomo 1. quæst. regul. cap. 9. num. 15. Nequeunt etiam causâ pietatis illam exercere, ita Navarrus in manuali cap. 25. num. 110. Armilla, Lezana supr. Ratio hujus, & prioris resolutionis petitur ex cap. *tuas nos*, de homicidio; & cap. *sententia sanguinis*, cap *Nè Clerici & Monachi* Quod si illam exerceant incurrent irregularitatem, si indè mors sequatur, quantumcumque advigilent nè sequatur, ita Corncio tomo 2. in 3. part. tract. 5. de irregularitate disput. 3. dubio 2. Lezana supr. Ratio est, quia dant operam rei sibi prohibitæ ob periculum homicidii.

IX. Nequeunt etiam Religiosi officio Medici & Chirurgi fungi, etiam seclusâ incisione & adustione, ita Navarrus, Sanchez, Lezana supr. Ratio est, quia licet nullus textus expressè id prohibeat, tamen implicitè prohibetur in toto titulo *Nè Clerici vel Monachi*, ubi frequenter habetur negotia secularia non posse exerceri à Religiosis maximè quæ eorum statum dedecent; sed munus Chirurgiæ illis indecens est. Addit tamen Sanchez supr. concessum esse à Gregorio XIII. privilegium Societati Jesu, ut Religiosi Medicinæ periti possint mederi quibuscumque infirmis, quando Medici sœculares commodè haberi nequeant, modò id fiat de licentiâ, & citra adustionem & incisionem per ipsos faciendam.

X. Religiosi irregulares ob exercitium Medicinæ & Chirurgiæ cum incisione & adustione dispensari possunt. Probatur ex privilegio Sixti IV. in Bullâ seu Mari magno nostræ Religionis Carmelitanæ, quæ incipit, *Dum attentâ, &c.* ubi declarat *Hæreticos rebaptisatos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam merittò destinandos. Reliquis verò etiam simoniæ prævitate qualitercumque irretitis posse per illos, quibus inibi conceditur absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam juxta casuum exigentiam impertari.* Præterea facultatem dat superiori dicti Ordinis pro tempore existenti dispensandi dicti ordinis Professoribus defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incæstu, & quovis alio nefario, & illicito coitu provenientem patientibus, nec non cum his, qui ex quâvis causâ, præter quàm homicidii voluntarii, bigamiæ & mutilationis membrorum irregulares forent; postquam

ordinem ipsum professi fuerint, ut defectu & irregularitate nonobstante, irregulares ipsi ad quoscumque sacros ordines promoveri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & quod tam ipsi irregulares, quàm defectum natalium patientes prædicti ad quascumque administrationes, & officia dicti ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere & exercere libere, & licitè valeant. Accedit Chapeauville de casibus reservatis, casu 13. cap. 3. ubi hæc habet Superior Ordinum Mendicantium, & alii, qui iisdem gaudent privilegiis, ut sunt Superiores Societatis Jesu, possunt cum suis Religiosis dispensare in omni irregularitate, exceptâ illâ, quæ est ex homicidio voluntario. Ita habetur in privilegio privilegiorum, verbo *dispensatio*. Undè infertur posse illos dispensare in irregularitate incursâ per homicidium licitum, putà judicis in causâ sanguinis, &c. Ratio est, quia hæ irregularitates non proveniunt ex homicidio voluntario. Secundò infertur Superiores eorundem ordinum posse dispensare in irregularitate contractâ per homicidium casuale, etiam culpabile, imò & mortale per eandem rationem. Quod asserit Covarruvias part. 2. §. 3. in fine. At ars Medica & Chirurgica etiam cum incisione, vel adustione, non committunt homicidium voluntarium, sed ad summum casuale, culpabile, & mortale. Potest igitur Superior regularis dispensare in irregularitate per adustionem vel incisionem contractâ.

§. 23.

Quomodò Episcopus debeat aliquem in dubio judicare irregularem.

I. DUbium Juris (inquit noster Corneio tract. 5. de irregularitate disp. 6. dubio 1.) contigit, quando aliquis ignorat, seu dubitat existentiam legis, an sit, vel non sit lata talis lex irregularitatem inducens pro tali delicto, vel cum constet de lege, dubitatur de sensu & intelligentiâ, an scilicet irregularitatem inducat, necnè. Dubium facti (inquit idem supr. dubio 2.) contigit quando quis sciens latam esse legem continentem irregularitatem, verbi gratiâ, prohibitum homicidium, vel iterationem baptismi dubitat an factum tale perpetraverit advehens irregularitatem.

II. Episcopus vel quivis alius neminem judicare debet irregularem in dubio juris, ideſt, qui dubitavit an lata esset irregularitas, verbi gratiâ, contra surripientes, vel qui dubitavit, an sub talibus verbis contineatur irregularitas, & adhibitâ sufficienti diligentiâ ad rei veritatem investigandam, adhuc permansit in dubio, & potuit practicè dubium deponere judicando non posse esse latâ irregularitatem, ita Sayrus, Rebellus, Covarruvias, Reginaldus, Filiucius, Bonacina disp. 7. quæst. 1. puncto 5. Suarez, Navarrus cap. 27 Avila, Valentia, Toletus, Coninck, Emmanuel, Sanoster Corneio supr. dubio 1. contra Garciam, & alios. Ratio prima est, quia non incurritur irregularitas nisi adsit jus expressum sufficienter judicans irregularitatem. Argumento, cap. *is qui*, de sentent. excommunic. in 6. Secunda est, in dubio juris nullus in foro externo judicatur irregularis, igitur neque judicandus est irregularis in foro conscientiæ, quod est forum animæ & misericordiæ. Tertia ratio, qui adhibuit sufficientem diligentiam ad rei veritatem inveniendam, & ad expellendũ dubium juris censetur laborare ignorantiâ invincibili, si rei veritatem invenire nequeunt, nec dubium expellere: sed qui ignorat invincibiliter aliquod præceptum, non tenetur illud servare, ut docent Theologi tract. de peccatis. Igitur qui debitam diligentiam adhibuit ad inveniendam rei veritatem, & ad expellendum dubium juris circa irregularitatem, non tenetur servare irregularitatem, nec judicari ab Episcopo vel alio irregularis. Ratio quarta, lex non obligat subditos, quando non est illis sufficienter proposita,

posita, nec per ipsos fiat, quominus proponatur: atqui ei; qui dubitat latam esse irregularitatem, & adhibuit diligentiam ad veritatem cognoscendam, non est sufficienter proposita irregularitas. Igitur qui dubitat irregularitatem esse latam, non tenetur eam servare, vel se judicare irregularem post adhibitam sufficientem diligentiam ad rei veritatem inveniendam.

III. Quod si non sit dubium de jure, sed sint tantùm opiniones contrariæ probabiles, Episcopus non debet etiã illum censere irregularem, ita Suarez disp. 40. sect. 5. noster Cornelio supr. dubio 2. Ratio est quia irregularitas, de quâ viri docti probabiliter opinantur contineri in jure, non potest dici quod sit in jure expressa. Igitur cùm non incurritur, nisi in jure expressa sit, non est probabilis opinio, quæ asserit oppositum. Et confirmatur, quia ex duabus opinionibus licitum est in praxi sequi quamlibet, etiam eam, quæ minus tuta est, ita Garcias Villalobos, Barbosa, Sanchez, Layman, Tannerus, Sanctarellus, Lorca, Portellus, Diana, Basilius Pontius, Malderus, noster Cornelio supr. dubio 1. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *dubia regularia*, num. 8. contra Antonium Perez, Gabrielem, S. Antoninum, Comitolum, & multos Thomistas, præcipuè Cajetanum, Sylvestrum, Conrardum, Sotum, &c. Ratio prima est, quia operans secundùm opinionem probabilem non potest judicari temerarius, neque imprudens, cùm habeat pro se rationes alicujus momenti, igitur si operans non est imprudens, nec temerarius non peccat. Secunda ratio, licet hæc opinio tutior sit, nemo tenetur sequi quod perfectius est, & securius, modò sequatur perfectum ac tutum, igitur, &c. Tertia ratio, cùm omnimoda certitudo in rebus agendis nequeat haberi, satis est, quod cum opinione probabili operemur, nec necessaria est omnimoda certitudo. At opinio minùs probabilis & minùs tuta est aliàs sufficiens ad benè operandum moraliter. Nam esset onus intolerabile & multis scrupulis expositum, si semper teneremur investigare, & sequi opiniones probabiliores. Imò ex duabus opinionibus probabilibus inæqualiter eam possumus eligere, quæ est minus probabilis, & eam sequi potest etiam judex tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis, ut docent Morla in emporio juris part. 1, tit. 2. quæst. 2. Lorca, Martinez. Martinus Delrius asserit esse communem sententiam Casuistarum. Idem sentiunt Sancius, Trivigno, Bonacina, & alii apud Sanchez, Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. Malderum, Filiucium, Tannerum, Portellum, Villalobos, Becanum, Azorium, & alios.

IV. Episcopus debet judicare illum irregularem, qui habet dubium facti homicidii, ita Filiucius tract. 10. cap. 2. quæst. 7. Reginaldus, Sayrus, Bonacina, Sanchez, Suarez, Salas, Valentia, Coninck, Avila, noster Cornelio supr. dubio 2. Hæc resolutio probatur ex cap. *significasti*, cap. *ad audientiam*, 2. de homicidio. Secundò quia in foro interno idem judicandum est, quod judicatur in foro externo, sed in foro externo judicandus est irregularis in dubio facti circa homicidium, ut patet ex cap. citato *ad audientiam*, igitur etiam judicandus est irregularis in foro conscientiæ, nam in cap. *significasti*, & cap. *ad audientiam*, fit tantùm mentio de dubio homicidii, ita ut secundùm Avilam, & Bonacinam censendus sit irregularis qui in bello justo habet remorsum conscientiæ de homicidio patrato. Quod probant ex cap. *petitio tua*, de homicidio.

V. Quod si in aliis peccatis, aut actibus irregularitatem inducentibus aliquis dubius est postquam sufficientẽ diligentiam adhibuit ad veritatem facti cognoscendam, non est censendus irregularis, licet ante illam teneatur abstinere à susceptione, vel exercitio ordinum, alioqui se exponeret temerè manifestis periculis errandi, imò prudenterque ac peccaminosè ageret. Nec obstat quod cap. *juvenis*, de sponsalibus, cap. *ad audientiam*, cap. *significasti*, cap. *petitio*, de homicidio, in dubiis tutior pars sit eligenda, & cõsequenter in omni dubio facti censendus

sendus quis irregularis, quæ est pars tutior. Cornelio respondet illam regulam procedere in aliis dubiis facti, non inducentis irregularitatem, in quibus regulariter & per se loquendo est intelligenda tutior pars ad evitandum periculum peccandi, licet ex accidenti possit eligi ea, quæ est minus tuta, si ex eo, quod tutior eligatur grave damnum immineat. At in dubiis facti irregularitatem inducentis non procedit, cùm eligendo partem minus tutam, scilicet eam, quæ non esse irregularem asserit nullo periculo se exponat, quandoquidem propter rationem conclusionis tutum & certum sit in duqio facti extra casum homicidii non incurri irregularitatem. Nam hoc ipso, quod non est expressa in jure talis irregularitas, nullo periculo errandi exponitur, qui eam partem eligit, quæ affirmat nullam irregularitatem posse induci. Dices, ratio assignata in prædictis cap *ad audientiam* cap. *significasti*, ob quam in dubio homicidii homo est censendus irregularis, est quia in dubiis tutior pars est eligenda. Sed hæc ratio æquè militat in aliis dubiis, igitur. Ad hoc noster Cornelio respondet negando consequentiam: eo quod argumentum non valeat à simili casu. Nam ut irregularitas contrahatur debet exprimi in jure. Respondet secundò Pontificem in dictis capitibus ob specialem indecentiam homicidii, & altaris reverentiam voluisse irregularitatē incurri de homicidio, idque dumtaxat quantùm ad illius effectum, qui est à suspensione, vel executione ordinum: non autem quoad privationem beneficiorum, & alias pœnas: ut omnes docent cum Abbate in cap. *significasti*. In aliis autē actibus inducentibus irregularitatem non est tanta indecentia, sicut est in homicidio. Undè negandum est illā fuisse adæquatam rationem ob quam Pontifex definierit irregularitatem in dubio homicidii.

VI. Ex quibus infero primò cum Navarro cap. 27. num. 223. Rodriguez, Sanchez, Avila, nostro Cornelio, & Suarez supr. censendum esse ab Episcopo & aliis irregularem qui fuit causa abortus, & dubitat an fœtus esset animatus. Vel dubitat an ipse inflixerit vulnus læthale, ex quo aliquis moritur, vel Chirurgus aut Medicus dubitans, an suâ culpâ & negligentiâ ægrotus moriatur. Ratio est, quia hic versatur in dubio facti circa homicidium injustum.

VII. Infero secundò cum Bonacina, & aliis Doctoribus contra Sanchez illum judicandum esse irregularem, qui dubitat, an ille cui dedit consilium occidendi, commiserit homicidium. Ratio est quia versatur in dubio facti, in quo est expressa irregularitas in juribus citatis. Nec est eadem ratio de obligatione restituendi, & de irregularitate. Nam jus disposuit de irregularitate, non autem de obligatione restituendi.

VIII. Infero tertiò, à fortiori censendum esse irregularem, quando dubitat, an suo consilio aliquid operatus sit circa homicidium patratum ab eo, cui dedit consilium, ita Maschardus de probat. tomo 1. concl. 419. Avila, Sayrus, Bonacina contra Henriquez lib. 13. cap. 16. Avilam loco citato, & alios. Ratio prima est, quia versamur in dubio facti, cui jus annexuit irregularitatem. Secunda, quia possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum. Pro eo enim stat possessio, pro quo stat juris præsumptio. At juris præsumptio stat contra consulentem. Jus enim judicat consulentem esse irregularem, eo quod existimet homicidam non commissurum delictum absque consilio, l. *meritum*, ff. *pro socio*.

IX. Infero quartò, cum Mercero de sacramentis in 3. part. Tannero in 3. part. disp. 6. Hurtado disp. 2. de irregul. Coninck de sacramentis disp. 18 Diana, nostro Cornelio in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregularitate, disp. 4. dubio 1. quæst. 11. Covarruvia, Majore, Suarez apud Turrianū de censuris lib. 3. disp. 65. dubio 4. contra Layman, Avilam, & quosdam alios, non esse judicandum irregularē qui cum moderamine inculpatæ tutelæ alterum interficit in defensionē proximi innocentis, præsertim sibi propinqui, nō tantùm quando defensio innocentis cadit sub obligatione,

sed

sed etiam (inquiunt Filiucius tomo 1. tract. 20. cap. 5. num. 159. & 160. Villalobos in summa tomo 1. tract. 21. difficul. 24. num. 11. Diana supr. resol. 5. quando tantùm est licita. Nec Clementina *si furiosus*, adducit jus novum, quod declaret antiquum.

X. Infero quintò, non esse censendum irregularem, qui occidit invasorem in defensionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c. Ita Turrianus de censuris lib. 9. disp. 65. dubio 3. Coninck, Hurtado, Tannerus, Præpositus, Mercerus, Portellus, Villalobos, Filiucius, Alphonsus à Castro, Suarez, & alii penes ipsos contra Salonium, Bannes, Reginaldum, S. Antoninum, Abbatem, Sylvestrum, Armillam, Molinam, Gutierez, Henriquez, & alios apud Layman part 3. tract. 3. sect. 5. cap. 9. num. 3. Ratio est, quia tale homicidium non est peccatum, at non est imposita irregularitas nisi homicidio peccaminoso. Ad hanc autem defensionem absque periculo irregularitatis requiritur primò, ut nocumentum temporale sit grave, & actu injustè inferatur. Secundò, ut non sit reparabile, vel cum tantâ difficultate, ut ob eam censeatur nimis grave detrimentum. Tertiò, ut verè sit defensio & moderata. Quartò, ut defensio nequeat alio modo fieri nisi per mortē aggressoris.

XI. Infero sextò non censendum irregularem, qui fugiendo potuit mortem evadere, & maluit invasorem occidere, ita Filiucius, Villalobos, Diana, Suarez, Tannerus, Præpositus, Coninck, Hurtado, Turrianus, noster Cornelio in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 4. dubio 1. quæst. 4. contra Navarrum, Ugolinum, Majolum Reginaldum, Villadiego, Layman, Avilam, Vegam, Sylvium in 2. 2. quæst. 64. art. 7. quæritur 9 Cornelio & Portellus in dubiis regularib. verbo *homicidium*, num. 34. Suarez de censuris disp. 46. 1. num. 12. absolutè docent, quod si quis aggressori alapam dedit, vel verbum injuriosum dixit, vel cum ejus uxore inventus est, in tali casu si aggressus potest fugere, non potest se licitè defendere occidendo, undè imputet sibi infamiam fugæ, cùm ipse occasionem dederit. At Diana asserit eum, qui nō potuit evitare occasionem invadentis injustè, nisi fugiendo cum dedecore notabili non esse irregularem. Ratio est, quia tunc non tenetur cum tantō detrimento proprio vitare mortem injustè invadentis, nisi quando invasus dedit causam gravem invasioni, ut quando adulterio, aut verbis contumeliosis incitavit injuriatum ad invasionem. Verùm si hæc per accidens consecuta essent occidentem etiam in hoc casu non incurrere irregularitatem docet Filiucius tomo 1. tract. 20. cap. 5. num. 135. ita ut tunc incurratur irregularitas, quando in tali casu homicidium prævisum est, vel potuit prævideri ab inferente injuriam.

Infero septimò cum Cornelio, Suarez, Portello citatis Clericum incurrere irregularitatem occidendo invasorem, si non fugiat cum possit. Ratio est, quia non est ignominiosum Clericis fugere, & à fortiori Religiosis. Idem affirmat Sotus de justitiâ lib. 5. quæst. 2. art. 8. & alii de homine infimæ notæ, qui nullam contrahit infamiam ex fugâ. Existimant tamen Felinus in cap. *suscepimus*, Filiucius sup. quod in alio casu fuga esset Clerico ignominiosa non contrahetur irregularitas. Subdit Diana supr. irregularitatem contractam ex homicidio facto in defensionem sui culpabilē esse moraliter dispensabilem juxta decretum Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. quia idem Concilium sess. 14. cap. 7. de reformatione, distinguit homicidium factum in defensionem immoderatā; & homicidium casuale ab homicidio facto ex industriâ in ordine ad irregularitatem, cui arridēt Juris periti, & Mercerus resolventes homicidium factum in defensionem immoderatam non pœnâ ordinariâ. XII.

Infero octavò cum Soto de justitiâ lib. 5. quæst 1. art. 9. Gordono, Avilâ, Turriano, Lessio, Mercado, Hurtado, nostro Cornelio in 3. part. tract. 5. de irregul. disp. 4. dubio 1. quæst. 3. & aliis, apud Sayrum contra Navarrum cap. 27. Gutierez, Philiarchum, XIII.

Majolum, Ugolium, Molinam, Villalobos, quod adulter non sit irregularis si occidat maritum aggressorem causâ necessariæ defensionis. Ratio est quia ex Clement *si furiosus*, de homicidio, absolutè & sinè ulla distinctione habetur, quod qui se invadentem occidit pro defensione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ non est irregularis. Nec refert quod iste adulterando, vel aliâ injuriâ proximum afficiendo det operam rei illicitæ & periculosæ, quæ de se viam aperit ad homicidium, atque ita poterant prævideri & debuerant ab interficiente ejusmodi effectus antequã alterum afficeret injuriâ. Undè mirum non est, quod fiat irregularitas cùm voluntariè se ingerit iis, ex quibus probabiliter sequitur propria vel alterius occisio, aut mutilatio. Ad hoc respondet noster Corneio, quod postea se defendendo non dat operã rei illicitæ, sed licitæ: Nec ideò quod culpabiliter se in eam necessitatem ingesserit, amisit jus naturale tuendi vitam suam, præcipuè cum maritus adulteræ, aut quomolibet aliâ injuriâ affectus non acquisierit jus per peccatum alterius ad occidendum eum suâ privatâ auctoritate, sed solùm ut ordine juris suã injuriam repellat. Respondet secundò, quod si adulter advertit ad periculum mortis, quæ potest subsequi ex adulterio vera est opinio Navarri. Ratio est, quia voluntariè & advertenter se ingessit actui periculoso, ex quo probabile erat quod mors subsequeretur. Quod si hoc non advertit, vel nulla fuit ratio apparentis periculi, tunc non erit vera doctrina Navarri, quia non satis est ad irregularitatem quod mors omninò casualiter & præter intentionem occidentis evenerit. Huic secundæ opinioni favent Suarez de censuris disp. 46. sect. 1. num. 12. Coninck, Layman.

XIV. Præfatis irregularitatibus Bonacina disp. 7. quæst. 3. puncto 7. Reginaldus, Filiucius, Suarez, Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 83. & 84. addunt alias & eas explicant. Cœterùm quod in irregularitatum dissipensatione debeat imponi pœnitentia condigna patet ex praxi Ecclesiæ, Bullis Pontificiis, Brevibus S. Pœnitentiariæ, Decretis Rotæ. Plura hic de amplissimâ Episcoporum spirituali potestate dicenda forent, sed ex præfatis sufficienter deduci possunt.

FINIS TRACTATUS II.

TRAC-

TRACTATVS TERTIVS DE DIGNITATE ET POTESTATE Archiepiscoporum, & jure militari Præsulum jurisdictionem temporalem habentium.

PROLOGUS.

I. OLIM in Ecclesiâ fuisse Præsbyteros, Episcopos, Archiepiscopos, seu Primates patet ex Cõcilio Nicæno canone 6. & alibi passim, quos titulos & dignitates adhuc retinet Ecclesia Romana, quam Hierarchiam tempore Apostolorum extitisse docet Apostolus ad Ephesios cap. 4. vers. 11. loquens de Christo. *Et ipse* (inquit) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Quinam nunc in Ecclesiâ tenent locum Apostolorum? S. Anselmus ait esse Primates & Archiepiscopos. *Quorum locum Apostolicum Primates & Archiepiscopi tenent in Ecclesiâ.* Per Pastores & Doctores accipit Episcopos & Præsbyteros. Pastores sunt Episcopi, *quibus* (inquit Theophilactus) *commissa sunt Ecclesia.* Uti Timotheo cõmissa fuit Ephesis, Tito Creta. Quod autem hi gradus sint instituti, & hujusmodi Hierarchia sit condita in Ecclesiâ, non tantùm ad ornatum & decorem Ecclesiæ, sed etiam ad ejus sanctitatem fovendam & propagandam innuit idem Apostolus vers. 12. *Ad consummationem sanctorũ.* Idest (inquiunt S. Ambrosius, Oecumenius) ad cõpletionem Sanctorum, ut Sancti & Electi in Christo tum numero, tum meritis compleantur & perficiantur. Seu ex omnibus sanctis quasi membris suis, vel quasi partibus absolvatur Ecclesia, quæ est ædificium, & domus Christi, ut ejus fabricæ nihil desit, sed tota quaquaversum sit consummata. Quod Apostolus id intendat, patet ex sequentibus verbis Apostoli. *In ædificationem Corporis Christi.* S. Anselmus. *In hoc ut Corpus Christi, quod est Ecclesia ædificetur, sivè in virtutibus, sivè in conversione infidelium ad fidem, &c. Quoniam de illis, qui Diabolo tenebantur captivi, ædificatur Ecclesia, quæ & domus & corpus Christi est.*

Ephes. 4. vers. 11. — *S. Anselmus.* — *Theoph.* — *vers. 12.* — *S. Anselmus.*

II. Ipse Calvinus lib 4. instituit. cap. 4. sect. 2. & 4. illã Hierarchiam admittit fateturque eam ad Ecclesiæ sanctimoniam cõducere. *Quod autem* (inquit) *singulæ Provinciæ unum habebant inter Episcopos Archiepiscopum. Quod item in*

Nicanâ Synodo constituti sint Patriarcha, qui essent ordine & dignitate Archiepiscopis Superiores, id ad disciplinæ conservationem pertinebat, &c. At moderni hæretici prisicos Ecclesiæ gradus & dignitates ita averlantur, & horum voces & vocabula ita sunt illis odiosa, ut suos ministros detrectent Præsbyteros appellare. Quamdiu hic ordo Hierarchicus durabit? Respondet Apostolus vers. 12. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* vers. 13

S. Anselmus. Sanctus Anselmus. *Donec efficiatur vir perfectus, hoc est quando omne membrũ Ecclesiæ suam quantitatem habebit, & ita occurremus, vt nullum membrum remaneat quod suam quantitatem non recipiat.* Et paulo post. *Tamdiu dabit Doctores & Pastores, quamdiu necessarium erit, donec Ecclesia efficiatur vir perfectus, cui nihil desit; & nihil post addendum sit in numero vel viribus.* Infra. *Vitra nõ erit necessaria Prælatio, neque durabit amplius, quæmodò necesse est, vt permaneat usque ad illum terminum.* Temerè igitur moderni Acatholici destruere contendunt non tantùm spiritualem, sed etiam temporalem eorum jurisdictionem, & jus belli in casu iniquæ occupationis, quos conatus hoc tractatu convellemus.

CAPUT I.

De Archiepiscopi dignitate.

I. NOnnulla dixi de Archiepiscopo præcipuè tomo 4. tract. 2. cap. 21. quibus hæc adjicio. Archiepiscopus sic vocatur, quia est Princeps Episcoporum, seu quia præsidet uni Provinciæ quæ multas cõplectitur Civitates, quarum Prælati, seu Episc. Suffraganei nuncupantur. Undè Pelagius II. cp. 1. ad Episcopos cap. *scitote*, 6. q. 3. asserit eam esse Provinciam, cui præest Archiepiscopus, quæ habet sub se decem aut undecim Civitates, & totidem Episcopos. Vide Rebuffum in concord. de collat. §. 1. verbo *Metropolitanæ*. Tamen Petrus Syntagm. lib. 15. cap. 11. num 3. negat cum aliis hanc constitutionem fuisse perpetuam: sed annorum curriculo, & Principum nutu numerum Episcoporum fuisse constitutum in qualibet Provinciâ prout videbatur singulis magis expedire. Undè Covarruvias practic. cap. 19. num. 2. Gambara de offic. Legati de latere lib. 2. tit. *de variis ordin. nominibus*, num. 34. & seq. Stephanus Forcatulus dial. 61. num. 4. Dionysius Paulus de verâ quatuor Patriarchalium sedium erectione cap. 1. num. 23. docent Metropolitanum nominari non à numero Civitatum, sed à Matrice Civitate. Hinc nonnulli colligunt ex cap. *Pastoralis*, de offic. Ordinarii, & extravagante *Salvator*, de præbend. inter comm. Quod Archiepiscopus & Metropolitanus idem sint, & quod Ecclesia Metropolitana sit insignioris dignitatis & tituli, quàm Suffraganea. Sustinent Zarabella, Imola, & Vital. in Clement. *Archiepiscopo*, de privilegiis, quod Archiepiscopus & Metropolitanus idem sit, expressis terminis docent Bartholus in l. *unica*, num. 2. de Metropol. Beryto num. 2. lib. 11. Rabanus Maurus de institut. Clericorum lib. 1. cap. 5. de ordine tripartito Episcoporum. Moneta de Conservat. cap. 5. num. 43. Gomez in repetit. cap. 1. num. 20. de constitut. in 6. Perrus Syntag. p. 2. Dionysius Paulus, Michael Ferrus, Panormitanus. Sed optimè animadvertunt Azorius institut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 33. quæst. 1. Barbosa de officio & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. num. 14. Homobonus, & alii, olim non fuisse Archiepiscopos sine Episcopis Suffraganeis, sed cursu temporis, auctoritate Apostolicâ quidam Episcopi fuerunt exempti, & eorum Ecclesiæ Archiepiscopales dictæ sunt. Ut in Sardiniâ Insulâ Archiepiscopus Calaritanus, in Regno Neapolitano Archiepiscopus Lancianensis à Pio IV. erectus ad instantiam Regis. In Apuliâ Archiepiscopus Nazarenus, in Castro Baroli sub invocatione S. Mariæ Nazareth. In Calabica Archiepiscopus Rossanensis. In Sclavoniâ Archiepiscopus Duichiensis. In Lusitaniâ Archiepiscopus Elborensis erectus à Paulo III. instante Henrico Cardinale primo Archiepiscopo, ut testatur

testatur de Acunnâ in historiâ Ecclesiasticâ Archiep. Brachar. part. 2. cap. 6. In Indiâ Orientali Archiepiscopus Angamalensis, institutus à Paulo V. anno 1607. ejus Archiepiscopus vulgò vocatur Archiepiscopus Christianorum S. Thomæ.

II. Animadvertit secundò, Azorius supr. quæst. 2. quod olim Archiepiscopus idem erat quod Patriarcha, probatque ex Justiniano Imperatore novellâ 11 & 123. dicente. *Jubemus Beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est seniores Romæ, & constantinopoleos, & Alexandriæ, & Theopoleos, ideſt Antiochiæ, & Hierosolymorum,* Et in Novellâ 16. *Imperator Justinianus Augustus Anthemio Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & universali Patriarchæ.* Concilium Matisconense sub Guntranino Principe in Galliâ, Archiepiscopum Lugdunensem vocat Patriarcham. Idem nomen illi attribuit Gregorius Turonensis in historiâ Francorum Conquest. 9. quæst. 3. ubi Archiepiscopus Patriarcha nuncupatur. In Ecclesiâ Orientali non tantum Antiocheni & Constantinopolitani Præsules Patriarchæ nominantur, sed etiam nonnulli Archiepiscopi. Quia Episcopi & Præsbyteri Dalmatiæ, & Istriæ more Orientalium suos Archiepiscopos appellant Patriarchas. In Occidente Archiepiscopus Aquilcienſis idem nomen assumpsit, & hoc maximè cum etymologiâ nominis. Patriarcha enim Græcè ideſt quod Princeps Patrum, seu primus Episcoporum. Antiquitus tres primi Archiepiscopi Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus dicti sunt Patriarchæ. Quibus additi sunt Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, hi quinque non solùm Episcopis, sed etiam Archiepiscopis cœperunt præesse.

III. Notat tertiò idem Azorius supra quæst. 3. olim Archiepiscopos solitos dici primates: quia reverà erant principalium Civitatum Episcopi, & primas erat, idem quod primæ Sedis seu Civitatis Episcopus, postea quia multi aliarum Civitatum Episcopi creati sunt Archiepiscopi, nomẽ Primatis illis tantum Archiepiscopis datum est, qui præerant Civitatibus, sub quibus erant aliæ civitates habentes Archiepiscopos. Undè Primates sunt Patres, non tantùm Episcoporum, sed etiam Archiepiscoporum. Ut Episcopus Cantuariensis vulgò dicitur Primas Angliæ. Eboracensis olim dicebatur primas Scotiæ, Bituricensis est primas Aquitaniæ, Toletanus primas Hispaniæ, Carthaginensis primas Africæ. Anicetus Pontifex prohibuit postea cap. *nulli*, distin. 49. nè Archiepiscopi vocarentur Primates. Ex quibus patet, quod Archiepiscopus quoad potestatem ordinis non differt ab Episcopo, nec quo ad Sacramenta, & cœtera, quæ sunt potestatis ordinis Archiepiscopus nihil amplius habet, quàm Episcopus, sed quoad potestatẽ jurisdictionis differt, estque amplius in Archiepiscopo. quàm Episcopo. Ratio est (inquit Azorius supr. quæst. 4.) quia Episcopus præest Civitati & vicis ei subjectis, Archiepiscopus autem Civitati, quæ est mater & caput aliarum Civitatum habentium Episcopos, cui sunt subjectæ aliæ civitates. Hæc ratio non habet locum in Germaniâ, maximè in Archiepiscopatu Colonienſi, nam inter alias suffraganeas Diœceses, Ditio temporalis Leodienſis nullo modo subjecta est ditioni temporali Colonienſi, &c.

IV. Dices malè attribui Præsulibus superioribus nomen Archiepiscopi. Habetur enim in cap. *primæ sedis*, dist. 99. prohibitum fuisse in Cõcilio Carthaginensi nè Episcopus primæ Sedis summus Sacerdos, vel Princeps Sacerdotum appelletur. Respondeo Patres istius Concilii humilitatis & modestiæ rationem habuisse. Usus tamen obtinuit, ut vocetur non tantùm primæ Sedis, vel Civitatis Episcopus, sed etiam Archiepiscopus. Idem asserendum est de Patriarchâ & Primate.

§. I.

De Pallio.

I. PAllio (inquit Isidorus) scupulæ administrantium conteguntur, ut dum ministrant expeditius discurrant juxta illud Plauti.

Plautus. *Si quid facturus es, appende in humeris pallium,*
Et pergas quantùm valet tuorum pedum pernicitas.

Isidorus scribit pallium à pellibus derivari, quia veteres vestiebantur indumentis pelliceis, seu pelleis. Talis erat toga Græcorum & Romanorum, tale erat pallium S. Patris Eliæ, quod imposuit humeris Eliśei discipuli sui lib. 3. Regum cap. 19. vers. 20. *Misit pallium super illum.* & libr. 4. Regum cap. 2. vers. 13. *Levavit pallium Eliæ quod ceciderat.*

l.3.Reg. 19.v 20

l.4. Reg. 2.v.13.

II. Pallii usum antiquissimum esse in Ecclesiâ, & Archiepiscopis competere docet vetus Auctor rituum Ecclesiasticorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ lib. 1. tit. 10. cap. 5. ut colligitur ex Maximo Episcopo & Eusebio Cæsariensi. Scribit Rupertus lib. de officiis cap. 27. S. Maternum missum à sancto Petro reliquisse Ecclesiæ Trevirensi, seu successoribus suis pallium hæreditarium. S. Gregorius pallii frequentem mentionem facit, maximè lib. 1. epist. 30. & 39. lib. 6. epist. 23. lib. 7. epist. 112. & 126. lib. 4. epist. 14. 15. & 54 lib. 12. epist. 42. Hunc secuti Rabanus, Innocentius, Angelus de Clavasio in suâ summâ Angelicâ verbo *pallium*, Baptista Trovalum in summâ Rosellâ verbo *pallium*, Guilelmus Durandus in rationabili divinorum officiorum lib. 3. cap. 17. num. 4. ejus formam ita describit. *Pallium de candidâ lanâ contextum, habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte videlicet ante & retrò pendentes, à sinistris est duplex, à dextris simplex, habet quatuor cruces purpureas, scilicet ante & retrò, à dextris & à sinistris. Infiguntur pallio tres acus.*

III. Tam necessarium est pallium Archiepiscopis, ut ante illius acceptionem nequeant Archiepiscopalia munia obire, nec exequi quæ sunt potestatis ordinis vel jurisdictionis, ita cap. *nisi*, de auctoritate & usu pallii, Durandus, & alii. Verbi gratiâ, nequit Concilium convocare, Chrisma conficere, Basilicas dedicare, ordinare Clericos, nec Episcopos consecrare, ita cap. *quod sicut, §. præterea*, de elect. quia sicut ex dictis tomo 3. de potestate spirituali Sedis Apostolicæ tract. 2, cap. 10. num. 1. Pallium Eliæ datum fuit Eliseo, ut signum singularis beneficii, potestatis & dignitatis præ aliis, sic ex cap. 1. *de auctoritate & usu pallii*, dicitur cum pallio plenaria potestas communicari. Dices cap. *Suffraganeis*, de elect. Legimus mandato Metropolitani post confirmatam electionem non recepto pallio licere Suffragancis electum qui ad ipsius Metropolitani jurisdictionem spectat consecrare. Quasi diceret Metropolitanus confirmatus antequam pallium acceperit, potest aliis Episcopis committere, ut suum Suffraganeum consecrent & ordinent. Respondent aliqui cum Glossâ illam constitutionem Suffraganeis non esse receptam. Melius respondent Panormitanus, Azorius cum aliis, in cap. *Suffraganeis*, Archiepiscopum confirmatum, & nondum pallio donatum posse aliqua quæ sunt potestatis jurisdictionis, non tamen omnia scilicet maiora & graviora, ut sunt convocatio concilii, ut patet ex cap. *quod sicut, §. præterea*, de elect. ex hâc responsione concluditur posse dare facultatem Episcopis ut suum Suffraganeum consecrent, & consequenter ut Clericos sacrent & dedicent, Ecclesiasque consecrent. Ratio est, quia largiri ejusmodi facultatem est quædam potestatis jurisdictionis, sed non annuere ea, quæ majora & digniora sunt. Nam (inquit Hostiensis in summâ, *de auctoritate & usu pallii*) quæ sunt potestatis ordinis nequit facere, ut Sacramentum confirmationis administrare, virgines vel Abbates consecrare, publicam & solemnem pœnitentiam agentes Ecclesiæ reconciliare, & similia, quia hæc non obit absque

Missæ

Missæ sacrificio. Potest autem illa, quæ stolâ tantùm indutus exequi solet, cujusmodi sunt benedictio calicis, & similium vasorum, consecratio Cœmiterii, ita idem Hostiensis supra §. *quid pallium*, Azorius supr. Quæres, si Archiepiscopus faciat ea, quæ sunt potestatis ordinis priusquam pallium obtinuerit, an sint rata & firma. Respondeo cum distinctione, si ante consecratus fuerit Episcopus, peccat quidem contra canones & jura exequendo quæ sunt potestatis ordinis, tamen ab ipso facta subsistent, verbi gratiâ Clericorum ordinatio, confectio Chrismatis, puerorum baptismate renatorum confirmatio. Ratio est, quia hæc vim & firmamentum accipiunt à potestate ordinis. Quod si prius non erat consecratus nec ordinatus, ea erunt irrita & inania. Ratio est, qnia Sacerdos nequit præstare, quæ potestatis Pontificiæ sunt. Quod si illa munera obeat nullam pœnam juris contrahit, potest tamen ab officio & ministerio removeri, aliâquæ mitiori pœnâ plecti.

IV. Nequit extra Ecclesiam suam pallio uti, ita cap. *de auctoritate & usû pallii*, ubi dicitur quod nomine Ecclesiæ intelligantur omnes Ecclesiæ Provinciæ subjectæ ipsius ditioni & potestati. ita Stephanus Durandus de ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap: 9. Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 32. Petrus Gregorius Syntagm. lib. 15 cap. 9. Sanchez opusc. moral. lib. 7. dubio 16. Lotterius, Novarius Ruhænus, Barbosa, & alii. In illis ergò Ecclesiis potest intra Missarum solemnia uti pallio, non verò extra, verbi gratiâ, in Comitiis, in consessu, in Processionibus. Imò nequit alteri suum pallium commodato dare, verbi gratiâ si det alteri Archiepiscopo facultatem solemniter rem divinam faciendi in suis Ecclesiis, patet ex cap. *ad hoc*, de auctor. & usu pallii. *Quoniam pallii usus est personæ privilegium, ac proindè ad alium non transit, ob eam causam jure est constitutum, ut Archiepiscopus suo pallio indutus sepeliatur*, cap. de auctor. & usu pallii. *Quod si superioris auctoritate Archiepiscopus ad aliam sedem transierit, secum etiam pallium, quod in Ecclesia priori transfert, ac novum accipit, & cum utroque sepelitur.* Layman de Prælat. Eccles. Elect. cap. 14. quæst. 159. Quaranta supra. Durandus, Barbosa. Notat Durandus supra enumerata de pallio moralibus esse imbuta mysteriis & divinis gravida sacramentis. *Nam* (inquit) *ut scriptura testatur in thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. In lanâ quippè asperitas, in candore benignitas designatur, nam Ecclesiastica disciplina contra rebelles & obstinatos severitatem exercet, sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem. Propter quod de lanâ, non cujuslibet animalis, sed ovis dumtaxat efficitur, quæ est animal mansuetum. Vndè Propheta 1. ai. cap. 35. Tanquam ovis ad occisionem ducturus est & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum. Hinc est quod Luc. cap. 10. illius semivivi vulneribus quem Samaritanus duxit in stabulum & vinum adhibetur & oleum, ut per vinum moderentur vulnera, & per oleum foveantur. Quatenus qui sanandus vulneribus præest, in vino morsum severitatis adhibeat, in oleo molliciem pietatis. Hoc nimirùm, & per arcam tabernaculi designatur 45. dist. Disciplina, in quâ cum tabulis virga continetur & manna, quoniam in mente rectoris cum scripturæ scientiâ virga debet esse directionis, & manna dulcedinis, ut severitas immoderate non sæviat, & pietas plusquam expedit non indulgeat.* Durand.

V. *Item sit de vili materiâ scilicet lanâ ut habeat pretium non à se, sed ab eo, quod significatur in se, ut non oculis, sed menti spectabile sit, ut non ad ornandum, sed ad significandum indui intelligatur.*

VI. *Circulus pallii per quem humeri constringuntur est timor Domini, per quem opera exercentur, ne vel ad illicita defluant, vel ad superflua relaxentur: quoniam disciplina sinistram cohibet ab illicitis formidine pœnæ, dextram verò temperat à superfluis justitiæ amore. Proverb. cap. 28. Beatus ergò vir, qui semper est pavidus. Nam juxta sententiam Ecclesiastici cap. 21. Timor Domini peccatũ repellit. Qui verò sine timore existit, justificari non poterit. Ideò ideò circulus pallii sub collo humeros constringit ad*

notandum

notandum, quod illum ferens debet esse idem opere & sermone.

VII. Duas verò lineas, quarum una post dorsum, & altera progreditur ante pectus hujus vitæ curas & sollicitudines significare putamus, quibus & cor & humeri Pontificis sic sæpissimè gravantur & impediuntur, ut à proprio statu eam avertant, & vana quædam & transitoria cogitare compellunt.

VIII. Hinc quod pallium ante & retrò, à dextris & à sinistris, ante pectus & super humeros frequenter aptatur, ut his posthabitis in seipsum sæpè redire intelligatur. Activam quoque & contemplativam vitam significant, quas ita debet exercere Prælatus, ut exemplo Mosi nunc in montem ascendat, ibi philosophetur cum Domino, & nunc ad castra descendat, & ibi necessitatibus provideat populorum. Provisurus attentius, ut cùm sæpè se dederit aliis, interdum se sibi restituat, quatenus & cum Martha circa frequens ministerium satagat, & cum Maria verba audiat Salvatoris, extra. de renunc. nisi, ad finem 88. dist. decr. Vtraque tamen linea gravat inferius, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sap. cap. 10.

IX. Pallium duplex est in sinistra, sicut & rationale, sed simplex in dextra, quia vita præsens, quæ per sinistram accipitur, multis est subjecta molestiis, & in eâ duplicitate carere non possumus, quia nunc prosperis extollimur, nunc adversis frangimur. Nunc terrena petimus, nunc cœlestibus adhæremus. Nunc carni nunc menti servimus. Sed vita futura quæ per dextram significatur, in unâ semper est collecta quiete, quod Veritas ipsa designavit, cùm intulit Luc. 10. Martha, Martha sollicita es, turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab eâ. Rursus pallium duplex est in sinistra, quatenus ad tollendas vitæ præsentis molestias Prælatus fortis existat. Simplex in dextra, quatenus ad obtinendam vitæ futuræ quietem, toto suspiret affectu, juxta verbum Psalmistæ dicentis psal. 23. Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Illic enim nulla est duplicitas sive ruga, sed prosperitas sine adversitate, gaudium sine tristitiâ, felicitas sine miseriâ.

X. Quatuor Cruces purpureæ sunt quatuor virtutes politicæ, scilicet justitia, fortitudo, temperantia, & prudentia, quæ nisi in Crucis Christi sanguine purpurentur falsum sibi nomen virtutis usurpant, & ad veram beatitudinis gloriam non perducunt. Vnde Dominus (inquit Apostolis Matth. cap. 5.) nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Hæc est purpura Regis tincta canalibus, quam Salomon commemorat in Canticis Canticorum. Is ergò, qui palli gloriâ decoratur, si cupit esse quod dicitur in anteriori parte, debet habere justitiam, ut reddat unicuique quod suum est. Prudentiam in posteriori ut caveat quod cuique nocivum est. Fortitudinem à sinistris, ut eum adversa nõ deprimant. Temperantiam à dextris, ut prospera non extollant.

XI. Tres autem acus in pallio infiguntur, scilicet ante pectus, & super sinistrum humerum, & post tergum, non ad pungendum, idest hujus vitæ punctiones, sed ad planetam palliumq; jungendum: ut si quædam ansulæ antiquitus in planetis positæ erant, quibus acus inferebantur, & pallium simul cum planeta firmabant nè à suo loco pallium moveretur. Possumus tamen per tres acus fidem, spem, & charitatem intelligere, sine quibus palliũ ab Episcopo ritè teneri non potest. Rursus tres acus compassionem proximi, administrationem officii, distinctionem judicii significant, quarum prima pungit animam per dolorem, secunda per laborẽ, tertia per terrorem. Prima pungebat Apostolum cùm dicebat 1. Corinth. cap. 2. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalisatur, & ego non uror, extra de renunc. nisi. Secunda, cùm aiebat præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Tertia pungebat Iob dicentẽ, Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi apparebit. Super dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in æternâ quiete nullus est afflictionis aculeus, nullus stimulus punctionis. Apoc. cap. 21. Absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, mors ultra

non

non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor quia priora abierunt. Acus autem esse debet, sed inferius est acuta, & superius est rotunda lapidem continens pretiosum: quia nimirùm bonus pastor propter curam ovium in terris affligitur sed in cœlis coronabitur, ubi illam pretiosam margaritam habebit, de quâ Dominus inquit in Evangelio, simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, &c.

XII. Anno 631. cùm divini Numinis Providentia ad Tongrensem seu Leodiensem Ecclesiam regendam B. Joannem Agnum, nihil minus cogitantem, ob eximias virtutes evexisset, ut hanc sanctam dignitatem auspicaretur, Romam contendit, maximè ut summi Pontificis auctoritate tantum onus aggrederetur ab Honorio Papâ. *Propter insignem & raram hujus* Fisen. *Episcopii prærogativam, quod per quingentos & triginta annos omnes suos Antistites ostentaret albo Sanctorũ inscriptos.* (inquit Fisen.) Anno 920. Richarius Romæ cõsecratus est à Joanne X. Pontifice, obtinuitque (inquiunt Miræus, Fisen, & alii) à Pontifice pallium Archiepiscopale, non tam sibi quàm Ecclesiæ suæ proprium, fortasse (inquit iterùm Fisen,) *Propter intaminatam per tot sæcula religionis integritatem, quam singulari quopiam honore dignissimam nemo non judicaret, &c. Inter cætera Leodiensis Episcopi insignia servatur in S. Lamberti sacrario palliũ multò latius quàm hodie Româ mitti soleat, & in unionibus, gemmis, doctâq; artificis manu nobile.* Eo utitur Serenissimus noster Episcopus & Princeps dum solemniter in Cathedrali & in suâ Diœcesi celebrat, nec præter morem Archiepiscoporũ cum eo nostri Antistites expeliuntur.

XIII. Pallium universaliter à solo Romano Pontifice conferri potest. Probatur ex cap. *nisi*, de auctorit. & usu pallii. Ratio est, quia datur in signum plenitudinis potestatis, ita cap. *ad honorem*, illo tit. & cap. *antequam*, Quæ plenitudo potestatis nequit aliis cõpetere, nisi Pontifici Romano Petri successori, à quo ut capite profluit in alios Prælatos, velut membra omnis jurisdictio potestatis Ecclesiasticæ, cap. *in novo*, 21. distinct. Nec refert quod cap. *antequam*, 23. de privileg. Abbas in rub. de auctor. & usu pallii, num. 2. Petrus Gregorius Syntagm. juris part. 2. lib. 15. cap. 9. numer. 6. Sebastianus Cæsarius in select. de Ecclesiast. hierarch. part. 1. disp. 4. §. 4. num. 2. Christophorus Marcellus in cærem. Rom. lib. 1. cap. 8. Azorius in instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 4. Lancelotus Conrard. Ancona dicant quod privilegium Patriarcharũ sit accipere immediatè pallium à Pontifice, Archiepiscopi autem a Patriarchâ Respondeo enim Patriarcham auctoritate à Sede Apostolicâ sibi cõcessâ pallium Archiepiscopo concedere, ac proindè Archiepiscopus non ab alio accipit, quàm a Sede Apostolicâ. Undè Archiepiscopus pallium à corpore B. Petri tantùm suscipere dicitur; quia accipit à Romano Pontifice ut Petri successore, ità Lælius Zechius de republic. Eccles. tit. *de statu reverendorum Patriarcharum*, numer. 5. vers. *traditur*, Petrus Alphonsus Vasconcellos, Durandus in rationali divinorum offic. Polydorus Virgilius, Petrus Gregorius Syntagm. Stephanus Durantes de ritibus Ecclesiæ, Conrardus Brunon. Henriquez, Guido Pancirola. Vel potiùs pallium dicitur de corpore B. Petri assumi, quia pallium consecratum defertur ad altare sacrum in memoriam corporis B. Petri, ut indè tradatur Archiepiscopo præsenti, vel procuratori ejus, si adsit, ita Fr. Hieronymus Roman. lib. 1. de Republ. Christian. cap. 6. Stephanus Durantes, Guido, Pancirola. Probatur ex cap. *quoniam*, 100. dist. & aliis, ibi. Archiepiscopus qui renunciat Episcopatui, & consequenter loco, non dignitati nequit exercere Pontificalia cum pallio in Diœcesi, & Provinciâ renunciatâ, etiam cum consensu Archiepiscopi successoris, & Suffraganeorum, sed dumtaxat exercere Pontificalia absque pallio cum consensu prædictorum, sicut in aliis Diœcesibus de consensu Diœcesanorum, ita Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam verbo *Archiepiscopus*, Barbosa part. 1. titul. 4. numer. 1.

XIV. Archiepiscopus regulariter pallio utitur in solemnibus diebus, & in aliis quæ in Ecclesiæ suæ privilegiis continentur, extra cap. penult. & ult. præcipuè in festivitatibus Natalis Dñi, S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ramis Palmarum, Cœnæ Domini, Sabbathi sancti, in tribus diebus Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, omnium Apostolorum, in quatuor festivitatibus Deiparæ Virginis, S. Michaelis, & omnium Sanctorum, S. Martini, qui par est Apostolis, in festivitatibus principalis Ecclesiæ pallio decoratæ, in dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, & Anniversario consecrationis palliati, ita Guilelmus Durandus lib. 3. cap. 17. de pallio numer. 13. Probatur ex consecrat. dist. 1. cap. *porrò*. Quidam addunt dies Dominicos, qui ad Resurrectionē spectant, sed non est in usu. Durandus subdit, quod ubicumque in suâ provinciâ Corpus alicujus Sancti quiescit, Archiepiscopus in festo ejusdem Sancti, & in principali festo cujuslibet loci suæ provinciæ ad locum illum declinans potest pallio & sandaliis uti, non autem in exequiis defunctorum, vel benedictione nuptiarum, nisi hoc contineatur expressum in privilegio, extrav. *eo*, cap. *si Episcopus Hostiensis*, qui Papam consecrat pallio utitur ex institutione Marci Papæ, & etiam quidam Episcopi ex privilegio speciali, ut Papiensis in Lombardiâ, Lucensis in Tusciâ, Bambergensis in Germaniâ, ut habetur in cap. *extra de præsumpt. cùm in juventute*, Quinquecclesiensi in Hungariâ, & Leodiensi ut supr.

§. 2.

De Cruce, & aliis insignibus.

I. IN Archiepiscopis & Patriarchis quædam sunt insignia denotantia superioritatem seu potestatem in loco, & illis nequeunt uti ex extra suam Provinciam & Diœcesim absque privilegio, ita cap. *Antequam*, ubi particula *ubique*, accipitur pro quocumque loco, ut notat Barbosa in suis remissionibus de clausulis, distinct. 358. numer. 2. Quædam etiam insignia denotantia dignitatem personæ. Insigne prioris generis est Crux elata, quam ex cap. *antequā*, Abbate, ubi Gonzales ad regul. 8 cancell. glosâ 41. num. 25. Stephano Gratiano Marchiæ, Lælio Zechio, Petro Gregorio Syntagm. Sebastiano Cæsario, Henriquez, Paciano, Ancuna, Alzedo, possunt liberè ubique præ se ferre præterquam in urbe Româ, vel ubicumque Romanus Pontifex, vel ejus Legatus utens insigniis dignitatis Apostolicæ præsens fuerit. Pancirola lib. 1. Variarum, cap. 20. §. *habent*, & aliud malè notat (inquit Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 1. tit. 3. cap. 1. num. 25.) Abbatem in cap. 1. ut litt. non contest. num. 7. contrarium consuluisse, quod scilicet Patriarchę possunt dumtaxat ferre Crucem intra Provincias sui Patriarchatus. Nam Abbas manifestè dixerit de Archiepiscopis, in quibus distinctionem verissimam & utilem atque receptam affert; quam etiam repetit cap. *antequam*, numer. 10. scilicet esse quædam insignia denotantia superioritatem cujusmodi est Crux, quam ferre possunt Patriarchæ extra suam provinciam. At verò Archiepiscopi nequeunt extra suam provinciam, nisi illi, quibus speciali Sedis Apostolicæ privilegio concessum est, ita Zechius, Ancuna, Barbosa. Crux Patriarchalis iterùm differt ab Archiepiscopali, quod Patriarchæ gerant constantem gemino transversario, cujus lignum superius tranversum est brevius, inferius longius. Archiepiscopus autem intra suam Provinciam uno tantùm transverso ligno in Cruce utatur, ita Cujacius in paralel. ad tit. de foro competen. in cap. *fanè*, 3. Jacobus Gretserus de ortu sanctæ Crucis, part. 3. in descript Crucis Werreanæ, vers. *verum cum circa*, Justus Lipsius in notis ad suos libros de Cruce, Alzedo, Hieronymus Rom. Jaym. Bleda, Barbosa.

Insignia

II. Insignia secundi generis sunt, annulus, celebratio cum mitrâ & baculo. Et his potest Archiepiscopus & similis Prælatus uti extra locũ sui territorii, ita Glossa, quam sequuntur omnes in Clement. *Archiepiscopo*, de privileg. Alzedo, Barbosa asserens etiam Episcopum in alterius Diœcesi absque proprii Episcopi licentiâ dare suis subditis tonsuram, benedictionem solemnem, & celebrare missam in Pontificalibus. Ratio est, quia hi actus non spectant ad jurisdictionem contentiosam cum strepitu judicii. Potest etiam vestem caudatam portari facere, ita Abbas, Pancirola loco citato, Barbosa supra, num. 23. Ratio est, quia hoc spectat ad dignitatem personæ, & decentiam incessus. Auctores citati notant hunc habitum fuisse quorundam Palatinorum Principis Constantinopolitani.

§. 3.

Tempus & Formula postulandi, & dandi pallium.

I. ARchiepiscopus intra tres menses à die consecrationis, vel confirmationis, vel institutionis, vel collationis petere debet pallium, si ante non fuerit consecratus, nisi obsistat justum impedimentum, ita Azorius part. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 3. Probatur ex cap. *quoniam*, dist. 100. Addit Azorius quod debet illud obmixè & totis viribus petere, ex priscâ eâdem distinctione, petensque debet jure jurando polliceri se obtemperaturum Romano Pontifici, ex cap. *optatum*, eâdem distinctione. Item jurejurando promittere, se fidem Catholicam, ac Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ unitatem, pacem, & concordiam servaturum, ita cap. *significasti*, de elect.

II. Formula autem, quâ pallium confertur Archiepiscopo, hæc est inquit Glossa in cap. *ad honorem*, de auctoritate & usu pallii. *Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ, & N. Papæ Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi N. pallium de corpore Beati Petri sumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut uteris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis Ecclesiæ tuæ commissis à Romanâ Ecclesiâ.* Barbosa supra numer. 41. notat post Castaldum, pallium debere dignè & honorificè asservari serico obvolutum in capsulâ intus & extra pulchrè ornata, ut ipso possit uti temporibus suis.

§. 4.

De excellentiâ Archiepiscopi præ Episcopo.

OLim Archiepiscopus confirmabat Episcopum electum, ita Quaranta in summa verbo *Archiepiscopi auctoritas*, numer. 3. vers. *secunda*, Sbroz de Vicario Episcopi lib. 2. quæst. 76. num. 1. Probatur ex cap. 1. dist. 64. cap. *innotuit*, & cap. *dilectus*, de elect. cap. *inter corporalia*, de translat. Episcopi, cap. *quâ fronte*, de appellat. Quod si electione non factâ intra tres menses, tamen justo impedimento cessante ab iis, qui debuerant eligere, carebunt illâ vice eligendi facultate, & devolvetur ad Archiepiscopum superiorem proximum, ita idem Quaranta loco citato. Probatur ex cap. *pro defectu*, de elect. cap. *quamquam*, eodem tit. in 6. Idem Quaranta cap. *dilectus*, de concess. præbendæ observat, quod olim devolvebatur ad Sedem Apostolicam. Similiter Quaranta supra, verbo *quarta*, & alii ab eo citati notant, quod confirmato & electo in Episcopum Archiepiscopus in consecratione sui Suffraganei debebat intervenire, vel eum committere, nec aliis Episcopis absque ejus mandato licebat consecrare. Et habetur 64. distinct. & cap. *qui in aliquo*, 51. distinct. cap. *Suffra-* I.

ganeis, cap. *si Archiepisc.* de tempore ordinationis. At (inquit idem) Metropolitani non utuntur hac auctoritate. Ratio est, quia provisio fit à Romano Pontifice, & sic promotum ab eo consecrant quicumque Episcopi Catholici juxta licentiam datam in litteris promotionis.

II. Episcopi Suffraganei non tantùm tenentur concurrere ad consecrationem Archiepiscopi, ex Quarantâ sup. num. 4. vers. *septima*, Barbosa in collect. ad cap. *si Archiepiscopus*, num. 2, Marco Antonio Genuensi in praxi Archiepiscop. Neapol. cap. 70. & ex cap. *qui in aliquo*, 55. distinct. cap. *si Archiepiscopus*, cum seq. de temp. ordin. sed etiã iidem Suffraganei vocati ab Archiepiscopo pro consecratione alterius Suffraganei accedere tenentur, ita idem Quaranta supra num. 4. vers. *septima*, Marcus Antonius Genuensis, Barbosa. Quod si Episcopus non sit ordinatus in Civitate Metropolitanâ intra duos vel tres menses, debet Metropolitano se sistere, vel impeditus scribere, ut ab eo plenius instructus monitis Ecclesiasticis cognoscat quid debeat observare. Quaranta supra num. 6. Marcus Antonius Genuensis citatus num. 28, Probaturque ex cap. *cùm longè*, 63. dist.

III. Tantam obedientiam & reverentiam Episcopi Suffraganei exhibere debent suo Archiepiscopo, ut patet ex Cæremoniali Episcoporum cap. 4. ut ipso præsente & adveniente cesset Episcopus à benedictionibus privatis. Imò statutum fuit in Concilio quinto Mediolanensi, quod illi præsente suo Archiepiscopo nequeant deferre Rochetum detectum. Et in moderno Cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 3. habetur insuper, quod Episcopi in Congregatione Concilii Episcopalis coram Archiepiscopo nequeant uti Rocheto nisi cooperto cum Mozzeta. Potest Archiepiscopus suis Suffraganeis injungere, ut faciant servari quod in Metropolitanâ Ecclesiâ servatur, ita Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 7. vers. *decimũ*, Marcus Antonius Genuensis in praxi Archiepisc. Neapol. cap. 70. num. 21, Barbosa sup. num. 9.

IV. Potest Archiepiscopus vocare Episcopos Suffraganeos ad Provinciale Concilium, ita Abbas in cap. *grave* num. 8. Imola num. 10. de præbend. Cardinalis Alexand. in cap. *si quis Episcoporum*, 18. distin. Marcus Antonius Genuensis supra. num. 22. Barbosa sup. num. 10. Probatur ex Conlio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 2. in quo Concilio principaliter judicat de consilio Episcoporum Suffraganeorum, ita Quaranta verbo *Concilium Provinciale*. Archiepiscopus compellere potest Episcopum, ut fungatur suo officio, ita Abbas in cap. *si quis*, contra Clericum numer. 40. Marcus Antonius Genuensis, Barbosa, Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 9. vers. 14. Verbi gratiâ potest compellere Episcopum ut singulis annis Synodum celebret. Item cogere, verbi gratiâ, ut constituat OEconomum, ita Sbroz de Vicario Episcopi lib. 1. quæst. 46. Probatur ex cap *in nova* 16. quæst. 7. & cap. *cùm simus*, 9. quæst. 3. Item ut erect Archipræsbyterum ruralem, ita Barbosa. Patet ex cap. *finali*, de officio Archipræsbyteri. Item cogere ut erigat Seminarium, ita statuit Concilii Tridentinum sess. 23. de reformatione cap. 48. & ita de cæteris.

§. 5.

Quoad Seminarium.

I. SPecialiter potest Archiepiscopus cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Provinciâ erigere unum vel plura Collegia Seminarii ob paupertatem Ecclesiarum, ita Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 38. Marcus Antonius Genuensis, Gonzales, Aloysius Riccius, Paulus Fuscus, Moneta, Lotterius, Hieronymus Venero, Barbosa, Novarius. Hæc resolutio fundatur in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 18. *Cùm adolescentium ætas nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur antequã virtutũ habitus totos homines possideat,* Concilii Trident.

nunquam

nunquam perfectè ac ſine maximo & ſingulari propemodùm Dei Omnipotentis auxilio in diſciplinâ Eccleſiaſticâ perſeveret, Sancta Synodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales Metropolitanæ, atque his minores Eccleſiæ, pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine certum puerorum ipſius Civitatis & Diœceſis, vel ejus Provincia, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc propè ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti ab Epiſcopo eligendo alere, ac religiosè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur, &c.

II. Ad hoc Seminarium contribuere debet Epiſcopus ex ſuâ & Capituli menſâ, aliosque cogere ſuo exemplo ut contribuant, niſi quos nominatim excipit Concilium. Quod ſi Epiſcopus in erectione ejuſmodi Seminarii fuerit negligens, vel denegaverit ſuam portionem, ejus negligentiam ſupplear Archiepiſcopus, aut ſine causâ omittentem ſeverè corripiat: & in Archiepiſcopum negligentem tam circa ejus erectionem quàm conſervationem Synodus Provincialis pari correctione animadvertat. *Quod ſi* (inquit Concilium Tridentinum ſupra cap. 18.) *Cathedralium & aliarum majorum Eccleſiarum Prælati in hac erectione, ejusq; conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectaverint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum Superiores Synodi Provincialis acriter corripere, & ad ſupradicta cogere debent, vt quamprimum hoc ſanctum & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, ſtudiosè curabit.*

III. Non tantùm Epiſcopus & Capitulum, ſed etiam Cardinales tenentur contribuere Seminario de fructibus beneficiorum quæ habent in Diœceſi ubi ſeminarium erectum eſt. Sic reſolvit Sacra Congregatio. Ad eandem contributionem tenentur Confraternitates, Capituli, & Scholæ habentes reditus Eccleſiaſticos etiam exiſtentes intra Eccleſias regularium, ita Congregatio apud Aldanum in compendio canon. deciſ. lib. 2. tit. 14 num. 8. Item legata facta pro Magiſtro Grammaticæ, qui pueros pauperes doceat poſſunt applicari Seminario cum onere erudiendi pueros, juxta teſtatoris inſtitutionem. Item bona Collegii fundati pro educatione Chriſtianâ miſerabilium perſonarum, ſed ſublati applicanda ſunt Seminario, ita ſacra Congregatio apud Aldanum loco citato. Tenentur etiã ſolvere hoſpitalia data in titulum & adminiſtrationem ſi habeant beneficia annexa, vel reditus aut Eccleſiaſticos proventus. Ita Barboſa de officio & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 77. num. 6. Aloyſius Riccius, & alii ab eo citati. Poſſe etiam imponi taxam ſuper hoſpitali, quod in titulum, ſed merè in adminiſtrationem datur, ſed merè eſt laicale, refert deciſum fuiſſe Armendariz. Excluduntur tamen hoſpitalia, quæ à laicis adminiſtrantur, & in quibus ſunt laicorum bona, quæ non ſunt data in titulum commendam, ſeu adminiſtrationem, ita idem Armendariz num. 15. Item hoſpitale unius Diœceſis habens beneficium annexum, quod eſt alterius Diœceſis, tenetur contribuere pro ratâ fructuum beneficii annexi Seminario, quod eſt in Diœceſi, in quâ beneficium ſitum eſt, ita Fuſchus de viſit. lib. 1. cap. 16. num. 10.

IV. Penſionarius pro ratâ penſionis tenetur ſolvere ſubſidium & alia onera impoſita reſpectu fructuum beneficii ita Azorius inſtit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 9. quæſt. 2. Nicolaus Garcias, Moneta. Idem Garcias ſupra, & Barboſa ſup. numer. 12. addunt habere locum, ſive Seminaria ſint erecta ante reſervationem penſionum, ſivè poſt, ſubduntque titularem occaſione contributionis per eum factæ Seminario non poſſe detrahere ex penſione, quam ſolvit, niſi pro ratâ penſionis, & ad eam rationem, ad quam ipſe titularis contribuit, ut declaravit ſacra Congregatio apud præfatos. Canonici tamen nõ tenentur diſtribuere de quotidianis diſtributionibus, Moneta ſupra, Gonzales ad regul. 8. Cancell. §. 7. proem. Zerola in praxi Epiſcop. part. 1. verbo *diſtributiones*, §. 5. dicũt deciſum fuiſſe.

V. Ab hac exactione eximuntur Collegia & Monaſteria Mendicantium, ſcilicet Carmelitarum, Prędicatorum,

Minorum, Eremitarum S. Augustini, Servorum B. Mariæ, ita Novarius in Lucernâ Regul. Emmanuel quæst. regul. tomo 2. quæst. 5. art. 2. & quæst. 66. art. 3. noster Lezana tomo 4. quæst. regul. verbo *Seminarium*, num. 1, & 2. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 18. his verbis. *Non tamen Mendicantium etiam ex decimis quacumque ratione ad Laicos ex quibus subsidia Ecclesiastica solvi solent.* Item ex declaratione Pii V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, datâ 1. Octobris anno 1568. Inter Mendicantes comprehendi Patres Societatis Jesu, statuit Pius V. constitutione quæ incipit *Dum indefessâ*, datâ Romæ 7. Julii 1571. apud Azorium institut. moral. part. 1. lib. 13. cap. 7. Emmanuelem, Hieronymum, Gabrielem, Rodoanum. Idem Pius V. etiam includit ordinem Minimorum S. Francisci de Paula constitut. quæ incipit *Apostolica*, 9. Novembr. anno 1567. & alterâ *Romanus*, 29. Novembr. ejusdem anni. Omnes & singulæ personæ S. Joannis Hierosolymit. eximuntur à cõtributione Seminarii Clericorum, quomodolibet existentes in qualibet Civitate, ita Antonius Novarius verb. *Seminarium*, Barbosa supr. numer. 22. Probatur ex Concilio Tridentino. *Milites cujuscumque Militiæ aut Ordinis pertinentibus, Fratribus S. Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis partem aliquam vel portionem detrahent.* Vide plura apud Barbosam & alios supr.

Concil. Trident.

§. 6.

Defuncto Episcopo quid possit Archiepiscopus.

I. POtest Archiepiscopus deputare Vicarium seu Officialem in Ecclesiâ Suffraganeâ, si post obitum Episcopi Capitulum non provideat infra octo dies, vel non eligat idoneum, Ira Gemin. in cap. fin. numer. 8. de suppl. neglig. Prælat. Ragusius de jure Canon. in capitulo, quæst. 37. Marcus Antonius Genuensis, Quaranta, Barbosa. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. de reformatione cap. 16. *Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omninò teneatur, &c.* Auctores iidem notant, quod si Vicarius creatus sit à Metropolitano, vel alio superiore ob Capituli negligentiã, potest tamen postea Capitulũ infra octo dies creare, ut prius. Ratio est quia pro primâ vice amisit dumtaxat jus. Posse tamen prædictum numerum octo dierũ pro electione vicarii restringere statuendo breviorem tenent Ragosius de voce Canon. quæst. 37. Aloysius Riccius post resol. 505. in notab. *de materiâ vicarii à Capitulo sede vacante*, vers. 1. & in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis. 305. Quaranta verbo *Capitulum sede vacante*, §. 12. *quæro*, vers. *primò*. Undè infra illos dies octo Capitulum nequit cogi ad Vicarium constituendum, ac consequenter potest per se administrare, ita Quaranta supra vers. *terminum*, Barbosa part. 3. alleg. 54. num. 163. Terminus autem dierum octo currit Capitulo à die quo scivit sui Episcopi translationem ad Ecclesiam aliam. Quando tamen Episcopus fuerit absolutus à vinculo prioris per sedem Apostolicam, tunc Episcopus jura primæ Ecclesiæ amittit, ita Alzedo de præcell. Episc. dignit. part. 1. cap. 3. Emmanuel in summa tomo 3. cap. 56. Massobrius in suâ praxi habendi concursum requisit. 1. dubio 9. refert decisum, Rota apud Farinacium decis. 475. part. 1. ita censuit.

II. Episcopo defuncto, translato, vel amoto, si non tantùm Capitulum, sed etiam Archiepiscopus negligens fuerit Vicarium constituere, jus constituendi Vicarium devolvitur ad Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis istius Metropolitanæ. Episcopo autem exempto negligente propinquior Episcopus deputabit, ita Marcus Antonius Cuchus instit. juris canon. lib. 2. tit. 8. de officio Vicarii, Jacobus Sbrozius de Vicario Episcopi lib. 1. cap. 58. Barbosa supr. num. 164. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 16. *Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulum &*

Capitulumq; (ut præfertur) negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitanâ & propinquior Episcopus in exempto OEconomum, & Vicarium idoneos possit constituere.

III. Vicarii Capitularis designatio per octo dies notitiæ vacationis Ecclesiæ, non ita Metropolitano devolvitur, ut Capitulum non possit amplius moram purgare, & Vicarium designare, ita Quaranta verbo *Capitulum Sede vacante*, num. 4. Suarez, Garcias, Castro-Palao, Barbosa. Ratio est, quia non devolvitur ad Metropolitanum jus nominandi privativè, sed cumulativè. Secunda ratio est, quia hæc devolutio non est alicujus Ecclesiastici beneficii, sed officii, & consequenter opus non est, ut naturam devolutionis beneficiorum sequatur, præsertim cùm sit pœnalis constitutio, ita Garcias lib. de beneficiis, parte 5. cap. 7. Castro Palao in opere morali tomo 2. tract. 13. disp. 2. puncto 29. Barbosa supr. num. 164. contra Suarez tomo 5. de censuris disp. 28. sect. 3. Quaranta verbo *Capitulum sede vacante.*

IV. Si Sede Vacante Capitulum sit irretitum censurâ suspensionis, privetutque usu jurisdictionis, Vicarius ejus principalis nequit jurisdictionem exercere, ita Suarez de censuris disput. 7. sect. 3. & Barbosa supra numer. 180. contra Ugolinum tract. de centur. tab. 1. cap. 4. §. 2. Ratio est, quia vis officii & jurisdictionis Vicarii pendet à Capitulo. Quod si suspensum sit, Vicarius ejus erit pariter suspensus, ità Quaranta citatus, vers. *idem erit*, sivè Vicarius Generalis sit constitutus à Capitulo, sivè ab Archiepiscopo ob negligentiam Capituli juxta formam Concilii supr. cap. 16 Ratio est, quia ob negligentiam Capituli non devolvitur jurisdictio ad Metropolitanum. Alioqui posset auctoritate ordinariâ excommunicare, & absolvere: sed deputatio dumtaxat sivè jus constituendi Vicarium nomine Capituli. Qui quidem Vicarius sic constitutus habet jurisdictionem dependentem à jurisdictione, quæ residet in ipso Capitulo. Undè Concilium Tridentinum noluit Capituli jurisdictionem ob ejus negligentiam devolvi in Metropolitanum: sed dumtaxat obstringere & obligare, ut necessariò Vicarium nominet. Ut ingeniosè docet Suarez supra, sect. 3.

Quod si Vicarius Generalis ita delinquat in officio, ut offendat jurisdictionem Archiepiscopi, verbi gratiâ, si nolit deferre appellationi ad eum emissæ, vel contemnat ejus jurisdictionem, tunc Metropolitanus poterit eum coercere per censuras Ecclesiasticas, ita Barbosa supra, numer. 148. Patet ex cap. de officio Vicarii lib. 6. Cui favet alius textus ejusdem Innocentii IV. in câdem controversiâ inter Archiepiscopum Rhemensem, & ejus Suffraganeos, sivè eorum Officiales, cap. *Romana Ecclesia*, de appellat. Quod si Vicarius tantùm deliquerit in officio nocendo simpliciter partibus & justitiæ, cognitio & punitio spectat ad Episcopum qui habet potestatem à jure, sicut quilibet alius Magistratus coercendi suum Officialem omni appellatione remotâ, ita Lotterius de re benefic. lib. 1. quæst. 22. Barbosa supr. Patet ex l. *nulli officialium*, C. *quorum appellat. non recip.* apud Gratianum in cap. *ei, qui appellat*, §. *nulli quoque*, 2. quæst. 6. Limitat tamen Geminianus cap. 1. §. fin. nisi ob notorietatem & criminis gravitatem sit facta devolutio. V.

§. 7.

Archiepiscopi jus visitandi.

I. POtest Archiepiscopus visitare Provinciam, & procurationem exigere à subditis suorum Suffraganeorum, ita Barbosa de officio & potest. Archiepisc. part. 1. tit. 4. numer. 46. Probatur ex cap. *cùm Apostolus*, ubi Glossa verbo *Archiepiscopi*, & cap. *sopita*, cap. *super eo*, de cens. lib. cap. *cùm ex officii*, de præscrip. cap. 1. & cap. *final.* de censibus, lib. 6. ubi habetur, quod dum Archiepiscopus visitat provinciam multa potest, de quibus

quibus infra. Non potest tamen visitare Diœceses suorum Suffraganeorum nisi causa fuerit cognita & probata in Concilio Provinciali, & tunc visitando eâdem potestate gaudebit, quam habebat de jure communi ante Concilium. Item aliam quam Concilium Provinciale ei committit, ita Sanchez in præcepta decalogi tomo 1. libr. 2, cap. 11. Henriquez lib. 6. de pœnitent. cap. 14. in textu, & in comment. lib. 2.

II. Specialiter dum Archiepiscopus visitat provinciam, potest subditos Suffraganeorum audire, & absolvere confitentes, ipsisque pœnitentias salutares injungere, ita Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 33. Pavinus, Marcus Antonius Genuensis, Barbosa de officio & potest. Episc. part. 1. tit. 4. num. 47. Coninck de Sacramentis disp. 8. post Sylvestrum. Non tantùm per se, sed etiam per alios, ita Valerius Reginaldus in praxi fori pœnitent. lib. 1. num. 23. Molfesius. Item actu visitando Diœcesim Suffraganei, ac audiendo confessiones in pœnitentialibus dispensare potest in foro conscientiæ, ita Abbas *ad extirpandas*, de filiis Præsbyterorum, Gambara, Marcus Antonius supr. Borgasius de irregul. part. 5. titul. *de dispen. Archiepis.* notans quod quando in foro exteriori dispensatio debita est ratione causæ & personæ spectare debet ad Suffraganeum ejus subditum, ut dispenset cum eo, quo renuente, vel negligente Archiepiscopus ipse dispensabit. Subjungitque, quod ubicumque Suffraganeus perdidisset suâ culpâ jus dispensandi, Archiepiscopus potest dispensare. Denique subjicit, quod dum Episcopus est ad tempus suspensus, & ea dispensatio celeritatem postularet pro magno bono faciendo, vel magno scandalo vitando, tunc ad Archiepiscopum talis causa devolveretur, ita Barbosa supr. num. 50. post Prosperum de Augustino in addit. ad Quarantam verbo *Archiepiscopi auctoritas*. Item Archiepiscopus actu visitando potest subditos Suffraganei absolvere ab hæresi, & casibus concessis Episcopo à Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 6. Ratio est, quia cùm visitat, censetur illa Diœcesis quasi sua, in eâque habet jurisdictionem superiorem Episcopo, ita Suarez tomo 4. disp. 30, sect. 2. & tomo 5. disp. 41. sect. 2. & tomo 2. de religione tract. de voto, libr. 6. cap. 10. addens hoc esse verum quoad forum pœnitentiæ, & sic quoad absolutionem à casibus reservatis, non autem quoad dispensationem in irregularitate. Idem censent Sayrus in clavi Regiâ lib. 6. cap. 21, Marcus Antonius Genuensis, Sanchez contra Henriquez, Avilam, Antoninum, Gomez citatos per Sanchez, qui existimant Archiepiscopum posse dispensare in hoc casu.

III. Dum Archiepiscopus actu visitat potest absolvere ab occultâ irregularitate per Concilium Tridentinum circa subditos suorum Suffraganeorum, ita Suarez tomo 4. disput. 30. sect. 2, Bonacina de censuris disp. 1, quæst. 3 puncto 2. vers. 3. Sanchez, Henriquez, Avila, Marchinus, Joannes Valerius, Barbosa, Alzedo, Bossius. Ratio est, quia ratione sui officii, habet facultatem ordinariam ad absolvendum. Bonacina supr. vers. *secundò*, ait Archiepiscopum posse absolvere subditos Suffraganeorum à censuris latis à Suffraganeis, vel à Sede Apostolicâ, quando differunt malitiosè vel negligenter absolutionem. Vel quando ad illum appellatum, & partes vocatæ fuerunt. In actu visitationis non tantum potest dispensare cum subditis Suffraganeorum suorum, sed etiam cum ipsismet Suffraganeis subditis, ita Bonacina de censuris disp. 7. quæst. 7. puncto 1. Bossius jam citatus num. 217. Quod Archiepiscopus possit quocumque tempore etiam extra visitationem uti istâ facultate dispensandi circa suos subditos Suffraganeos, quandoquidē potest circa subditos propriæ Ecclesiæ, seu Diœcesis tenent Trullenq. in expos. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. Sayrus cap. 11. & alii. Archiepiscopus potest absolvere, quem Episcopus non vult absolvere, ita Barbosa part. 1. tit. 4. num. 23. Patet ex cap. *ad reprimendam* de offic. Ordinarii.

§. 8.

Circa Indulgentias.

1 POtest Archiepiscopus concedere Indulgentias per totam suam Provinciam etiam extra visitationis suæ tempus, modò non excedat statutum Concilii Provincialis; ita Rosella de indulgentiis num. 274. Henriquez in summâ lib. 7. cap. 32. §. 1. Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 31. Probatur ex cap. *nostro* de remiss. & pœnitent. Idem censent Bonacina de Sacramentis, disp. 6. de indulgentiis quæst. 1. puncto 3. num. 2. Marcus Antonius, Azorius institut. moral part. 2. lib. 3. cap. 55. quæst. 6. Barbosa part. 1. tit. 4. numer. 44. & part. 3. alleg. 88. numer. 15. & 16. Franciscus Leo, Lotterius, Lavorius, Coninck, Alzedo, Ugolinus, Nugnus. Ratio est, quia licet Archiepiscopus non sit judex ordinarius omnium, qui sunt in suâ Provinciâ, juxta cap. *Pastoralis*, de officio Ordinarii, nec habeat extra suam Diœcesim contentiosam jurisdictionem, tamen Indulgentias concedere potest, quia concessio illa est voluntariæ jurisdictionis, ita Aloysius Riccius resol. 306. Ugolinus part. 2. cap. 41. Suarez disp. 49. sect. 3. Franciscus Leo. Probatur ex Glossâ cap. *nostro*. Notat Henriquez cap. 32. §. 1. quod si in perpetuum cõcessit 40 dies ejus successor non potest amplius cõcedere pro eâdem causâ. Ratio est, quia reputantur unus Prælatus. Si tamen superveniat Archiepiscopus ex commissione Apostolicâ, potest dum visitat Diœcesim Suffraganei præter 40 datas ab Episcopo, concedere 80. Ratio est, quia totidem potest in suâ Diœcesi dare, ita Alzedo supr. part. 2. cap. 23. Azorius sup. cap. 55. quæst. 6. Quod si Archiepiscopus excesserit numerum taxatum in cap. *cum ex eo*, de pœnit. valent quoad numerum taxatũ in prætato capite. Probatur ex l. *sancimus*, cap. *de donat.* cap. *si quos de servitute.*

§. 9.

Circa celebrationem Missæ, & Matrimonium.

POtest Archiepiscopus divina Officia in Pontificalibus celebrare in Provinciâ etiam in loco exempto, & in suâ præsentiâ ab aliis facere in Pontificalibus celebrari. Barbosa part. 1. tit. 4. num. 43 Probatur ex Clementinâ *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 30. ubi notatur quod ad celebrandum in Pontificalibus potest collocari sedes. Ratio est quia pertinet ad dignitatem Episcopalem, estque de accessoriis ad celebrationem: utiturque his Pontificalibus absque jurisdictionis exercitio, vel officio; ut missam celebrando, vel prædicando. Quod si jurisdictione vel officio uti velit, id præstare nequit absque licentiâ Episcopi, vel Superioris loci exempti, verbi gratiâ, si velit ordinare, Chrisma conficere, degradare, vel similia facere. Ratio est, quia est actio celebris & magistra, ita Clement. cit. Covarruvias pract. cap. 9. Pavinus de visit. part. 2. quæst. 4. Etiamsi vellet in suum subditum exercere non tantùm in loco exempto, sed etiam in Diœcesi Suffraganeâ. I.

Dum Archiepiscopus actu visitat in Diœcesibus suorum Suffraganeorum, potest licentiam dare conjungẽdi matrimonio, ita Suarez tomo 4. disp. 25. sect. 1. Henriquez lib. 10 cap. 3. Coninck, Basilius de Sacramento Matrimonii, Sanchez, Guitierez. Extra visitationem nequit matrimonio conjungere subditos suorum Suffraganeorum, ita Barbosa de officio & potest. Episcop. part 2. alleg. 22. numer. 114. Sanchez, Bonacina. Ratio est, quia Archiepiscopus non est ordinarius illorum, nec superior, nisi in casu appellationis. II.

In casu autem appellationis, seu quando per appellationem causa ad ipsum devolvitur, potest conjungere matrimonio, vel licentiam dare, ita Bonacina, Basilius Pontius, Hur- III.

tado, Imola, Ledesma, Sanchez, Molina. Probatur ex cap. *Pastoralis*, de officio Ordinarii. Potest etiam matrimonio conjungere, vel dare licentiam conjungendi casu, quo nollet Episcopus, per appellationem ad ipsum devolutam, ita Auctores jam citati.

§. 10.

Circa subsidium charitativum.

I. PAtriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi possunt exigere licitè subsidium charitativum in Civitatibus, & Diœcesibus suis ob manifestam & rationabilem causam. imò (cum charitate, tamen & dubio moderamine) ad charitativum subsidium cogere subditos, qui suis necessitatibus subveniant, ita Menochius de arbit. casu 178. Navarrus consil. 7. tit. *de censibus*, Azorius institut. moral. part. 1. lib. 9. cap. 14. quæst. 5. Sayrus, Cenedo, Cassaneus, Duenas, Palatius, Lapus, Oldradus. Patet ex cap. *conquerente*, de officio ordinarii, & in cap. *cùm Apostolus*, §. *prohibemus*. Quod subsidium possunt exigere electi & non confirmati, nec consecrati, ita Azorius supr. quæst. 5. in fine. Bartholomeus Belletus. Ratio est, quia hoc est jurisdictionis non ordinis, ex cap. *conquerente*. in fine. Quod intelligendum est, quando illi ex suo vel proprio, vel per se nequeunt satisfacere, nisi illis subveniatur per ejusmodi subsidium charitativum, ita Ostiensis in cap. *cùm Apostolus*, §. *prohibemus*, num 7 Abbas num. 5. Alexander de Nevo consil. 57. & 58. Menochius de arbitr. casu 520. Belerus, & alii.

II. Præfati Præsules ab Ecclesiis, & Clericis suæ Provinciæ, extra suam Diœcesim jure tale subsidium exigere nequeunt, licet possint per consuetudinem alibi receptam, ita Azorius supra cap. 14. quæst. 5. Bellencinus sup. quæst. 2. Barbosa part. 3. alleg. 87. numer. 9.

§. 11.

Archiepiscopi potestas judicialis in Episcopos.

ARchiepiscopus est Judex Ordinarius omnium Episcoporum suæ Provinciæ, ita Abbas de officio Ordinarii cap. *sollicitudo*, de appellat. Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 10. vers. *decimâ sextâ*, Gambara de officio & potest. Legati à latere lib. 2. tit. *de variis ordinariorum nominibus*, num. 31. Sbrozius de vicario Episcopi lib. 2. quæst 58. Suarez de pace in practic. tomo 2. prælud. 1. Hostiensis in cap. 2. per textum de Gambara, Marcus Antonius Genuensis, Botteus, Barbosa, & alii. Quæ potestas judicialis versatur dumtaxat circa ea, quæ sunt expressa in jure, adeò ut illi procedere volenti possit responderi ejusmodi casum nô inveniri in jure expressum, ita Seraphinus decis. 1212. & decis. 1222. Lotterius lib. 1. quæst. 22. I.

Porrò quod Archiepiscopus Suffraganeorum suorum causas civiles cognoscere possit testatur Abbas in cap. *Pastoralis*, Quaranta supr. num. 10. Lælius Jordanus tract. de origine Sedis cap. 13. & ultim. Lotterius, Sbroz Scaccias tamen de appellat. quæst. 8. existimat Archiepiscopum indifferenter cognoscere de causâ civili, licet subditus Episcopi conveniat Episcopum, debet enim convenire coram Archiepiscopo, à quo ad Patriarcham appellabitur. Si tamen Episcopus agat cõtra subditum suum, non decet ut Episcopus eum conveniat coram Archiepiscopo, ita Scaccias de appellat. quæst. 7. Geminianus in cap. *Romana*, 3. §. *ab Archidiaconis*, Brederodius de appellat. part. 1. tit. 18. verbo *de arbitris*, Barbosa part. 1. tit. 4. num. 28. Ratio est, quia Archiepiscopus non est judex subditorũ Episcopi, nec Episcopus debet esse judex in propriâ causâ: & ideò debent eligi arbitri auctoritate juris, & à sententiâ arbitrorum appellatur ad Papam omisso medio. II.

Archi-

III. Archiepiſcopus etiam cognoſcit de cauſis criminalibus minoribus, in quibus nulla pœna depoſitionis imponenda, ita Barboſa ſupra poſt Rodoanum de ſumma cap. 17. Lotteriũ quæſt. 21. Non poteſt tamen conveniri ad Curiam Epiſcopi citatus, aut moneri ſivè procedatur ex officio, ſivè per denunciationem, vel accuſationem, niſi ob cauſam propter quam mereretur depoſitionem, aut privationem à ſolâ Sede Apoſtolicâ, tunc terminandam, ita Quaranta ſup. Eraſmus à Chokier de juriſdictione Ordinarii in exemptos part. 1. quæſt. 43. Scaccias, Gonzales, Aloyſius Riccius, Sbroz. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 6. ubi ſtatuit. *Vt Epiſcopus, niſi ob cauſam, ex quâ deponendus, ſivè privandus veniret, etiamſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſivè alio quovis modo procedatur, ut perſonaliter comparet, nequaquam citetur vel moneatur.* Et cap. 7. *Teſtes in cauſâ criminali ad informationem vel judicia, ſeu aliàs in cauſâ principali contra Epiſcopum, niſi teſtes & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint, non recipiantur. Etſi odio, temeritate; cupiditate aliquid depoſuerint gravibus pœnis mulctentur.* Et ſeſſ. 24. cap. 5: *Cauſæ criminales, graviores cõtra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantùm Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à Beatiſſimo Papâ eligendis, &c.*

Concilii Trident.

IV. Quando eſt diſcordia inter Epiſcopos Suffraganeos ſuper perceptione jurium Epiſcopalium in Eccleſiâ, quæ eſt ſita in confinibus duarum Diœceſeon, poteſt Metropolitanus eos cogere, ut concordent, ita Proſper de Auguſtino in addit. ad Quarantam verbo *Archiepiſcop. auctoritas*, verſ. 40 Bartholomæus Bellencinus. Poteſt Archiepiſcopus ad querelam Epiſcopi tanquam delegatus Papæ procedere contra Canonicos ſui Suffraganei ceſſantes à divinis abſque notâ & rationabili cauſâ, ita Quaranta verbo *Archiepiſcopi auctoritas*, verſ. 3. Marcus Antonius Genuenſis, Barboſa ſupra num. 34. Probatur ex cap. *irrefragabili*, §. *cæterùm*, de officio Ordinarii.

V. Archiepiſcopus poteſt probare in ſcriptis abſentiam Epiſcopi Suffraganei, ita Quaranta verbo *Archiepiſcopi auctoritas*, num. 7. verſ. *undecimum*, Barboſa ſupra num. 11. Patet id ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. de reformatione cap. 3. & ſeſſ. 23. cap. 1. apud Barboſam. Epiſcopoque nõ reſidente abſque cauſâ legitimâ poteſt Archiepiſcopus applicare fructus fabricæ Eccleſiæ, vel locis pauperibus, & creſcente contumaciâ denunciare Summo Pontifici, ita Quaranta & Barboſa ſupr. Probaturque ex Concilio Tridentino, & Conſtitutione Pii IV. quæ incipit *de ſalute gregis*, pridie nonas Septembr. 1560.

VI. Poteſt Archiepiſcopus Epiſcopum ſuſpendere, interdicere, & excommunicare, ita Lancelottus Conradus in templo omnium judic. lib 2. cap. 4 Roſæus de Synodo part. 1. num. 45. 46. & 47. Verbi gratiâ, ſi Epiſcopus omittat congregare Synodum poteſt ab Archiepiſcopo, cui ſubeſt, ſuſpendi ab officii executione. Marcus Genuenſis ſupr. cap. 70. animadvertit, quod quando Archiepiſcopus coercet Epiſcopum debet ſervare formam cap. 2. de offic. delegati in 6. Primò debet ei prohibere ingreſſum Eccleſiæ, vel miniſterium ſacerdotale interdicere, deindè poteſt ſuſpendere ab officio, denique eum excommunicare. Subjungitque cum Joanne Andreâ, & aliis id ita ſervandum eſſe, quamvis Epiſcopus necdum fuerit conſecratus: imò excommunicationem latam contra talem formam eſſe validam. Item quod abſente Archiepiſcopo ſeu non præſente, poſſit ejus Vicarius Epiſcopum Suffraganeum ſuſpendere, interdicere & excommunicare tenent Sbroz. de Vicario Epiſcopi lib. 2. quæſt. 58. Bertachinus de Epiſcopo part. 7. lib. 4. tit. *de Vicario Epiſcopi*, quæſt. 10. Antonius Picardus inter conſilia Menochii 52. Ampliant Cuchus inſtit. canon.

lib. 4. tit. *de consecratione Episcopi*, num. 6. & *de Vicario Episcopi*, num. 123. Sbroz, & alii. Nisi Episcopus fuerit consecratus: tunc enim excommunicari non poterit à Vicario tunc præsente. Addunt secundò Archidiaconus in cap. 1. verbo *jurisdictione*, de officio Ordinarii, Sbroz, Barbosa, Vicarium, vel Officialem Episcopi Suffraganei ex causâ rationali posse ab Archiepiscopo excõmunicari Probatur ex cap. 1. & Glossa ibi verbo *rationabili*, de officio Vicarii lib. 6. Quas causas rationabiles vicarium excommunicandi refert Glossa in cap. 1. Archidiaconus, & Geminianus ibi, Prima est, quando Vicarius impedit causam appellationis delatam ad Archiepiscopum. Secunda, quando deliquit circa officium cõmissum. Tertia quando offendit in iis, quæ sunt jurisdictionis. Quarta, si utatur jurisdictione sui Episcopi. Quinta, si Sedis Apostolicæ privilegia nõ servet. Sexta, si sit criminosus & incorrigibilis. Lotterius tamen lib. 1. cap. 22. notat quod Archiepiscopus sit Judex Vicariorum generalium delinquentium in officio non esse indistinctè accipiendum, sed duos casus esse distinguendos. Primus est, quando Vicarius ita in officio deliquit, ut offendat jurisdictionem Metropolitani, verbi gratiâ, si nolit deferre appellationi legitimè ad eundem emissæ, vel contemnat ejus inhibitionem, tunc Archiepiscopus potest eum coercere Ecclesiasticâ censurâ, ut patet ex cap. 1. de officio Vicarii. Et confirmatur ex Innocentio IV. in simili controversiâ inter Archiepiscopum Rhemensem, & ejus Suffraganeos, sivè eorum Officiales cap. *Romana*, de appellat. Secundus casus, si in officio deliquit præjudicando partibus & justitiæ, & in hoc casu ob notoreitatem & gravitatem criminis sit facta devolutio, cognitio, & punitio spectat ad ipsum Episcopum, qui habet facultatem à jure, sicut quilibet alius Magistratus coercendi suum officialem remotâ appellatione. Probatur ex l. *nulli officialium*, C. *quomodo appellatio non recipiatur*, apud Gratianum in cap. *ei qui appellat*, §. *nulli quoque*, 2. quæst. 6.

VII. Si Episcopus in ratione decidendi sit negligens facere quod debet, jurisdictio devolvitur ad Archiepiscopum, ita Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 21. Felinus in cap. *Pastoralis*, num. 6. de off. Ordinarii. Probatur ex cap. *cum simus*, 9. quæst. 3. cap. 1. §. *notoria*, de censibus in 6. Docent Gambara de off. & potest. Legati de latere lib. 2. tit. *de variis ordin. nominibus*, num. 32. Barbosa supra, num. 19. & in collectaneis ad cap. *Pastoralis*, 11. num. 8. decis. 1222. Suffraganeum posse cogi ut compellat suos Subditos ad perhibendum testimonium, & facienda alia oportuna in causis. Barbosa in cap. *Pastoralis*, & decis. 1237. scribit Metropolitanum non posse cogere testes & alios subditos non sibi, sed Episcopo Suffraganeo nisi in casu negligentiæ Suffraganei. Hæc resolutio est contra Abbatem in cap. *si quis contra Clericum*, num. 7. & in repetit. num. 46. de foro compet.

VIII. Notant Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam de auctoritate Archiepisc. num. 21. litt. M. Pavinus de visit. part. 2. quæst. 5. quod ad Archiepiscopum jurisdictio non devolvitur nisi post terminum assignatum per Archiepiscopum, cùm crimina non sint notoria. Quod si Episcopus non instituat beneficia curata infra duos menses, Patroni possunt adire Archiepiscopum qui instituet, Barbosa num. 20. Probatur ex Constitutione Pii V. quæ incipit, *in conferendis*, datâ 16. Maii 1567. apud Quarantam verbo *beneficiorum Parochialium collatio*. Potest etiam Archiepiscopus ultimas voluntates commutare, si Episcopus fuerit negligens ita Franciscus Carpius de executor. testament. lib. 1. cap. 22. Matta de jurisdictione part. 2. cap. 20. Spinellus in speculo testam. Glossa 28. Marcus Antonius Genuensis supra cap. 70 num. 4. Lancelottus in templo omnium judic. lib. 2. cap. 4. Abbas in cap. *Pastoralis*, in principio. Potest Archiepiscopus cogere Episcopum, ut exhibeat auxilium judici sæculari, ita Covarruvias practic. cap. 10. Barbosa supra num. 8.

Si

IX. Si Episcopus deneget dispensationem debitam Archiepiscopus potest dispensare, ita Borgosius de dispen. in 2. part. observat. Marcus Antonius Genuensis docens dispensationē dici debitam ratione personæ, ætatis, loci, temporis, pietatis, utilitatis, Ecclesiæ necessitatis, cui subscribit Sanchez in præcepta decalogi tomo 1. lib. 4. cap. 18.

X. Si Episcopus non sit idoneus ad regendum, vel si nequeat commodè regere, potest Archiepiscopus cogere Episcopum, ut ibi Vicarium constituat, ita Barbosa in cap. *Pastoralis*, num. 9. de officio & potest. Episcop. part. 1. tit. 4. num. 25. Sbroz. Abbas in cap. *quoniam*. Non potest tamen Archiepiscopus supplere negligentiam Episcopi exempti, ita Marcus Antonius Genuensis supr. numer. 4: Barbosa in collect. ad cap. *nullus*, Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 21. Lambertinus *de jure patronatus*, libr. 1. part. 2. art. 1. Patet ex cap. *nullus*, ubi negligentia Episcopi Adonensis Pontifici Romano nunciatur, quia non recognoscebat alium superiorem, nisi Papam, ac proindè cùm exemptus fuerit Metropolitanus ejus negligentiam supplere non poterat.

XI. Dum Archiepiscopus in Provinciâ suam jurisdictionem exercet, potest plectere subditos Suffraganei notorios, sibi injuriantes, vel nunciis & familiæ suæ, sivè sua jurisdictio impediatur, sivè non, ita Quaranta de auctoritate Archiepiscopi numer. 21. Prosper de Augustino ibidem, Hostiensis, Archidiaconus. Id patet ex cap. 1. de penitent. in 6. Addit Marcus Antonius Genuensis supra cap. 70. numer. 12. & etiam injurias occultas posse plecti ab Archiepiscopo, modò de illis constet.

§. 12.

Appellatio ad Archiepiscopum.

I. ARchiepiscopus inter subditos Suffraganeorum cognoscit in causâ appellationis, ita Covarruvias practic. cap. 9. Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. 18. Scaccias de appellat. quæst. 8 numer. 86. & seq. Seraphinus, Petrus Gregorius, Sebastianus Cæsar, Marcus Antonius Genuensis apud Barbosam de off. & potest. Episc. part. 1: tit. 4. num. 61. Probatur ex cap. *Pastoralis*, de offic. ordin. cap. *dilectus*, cap. *cum causam*, cap. *sollicitudinem*, de appel. cap. 1. de foro compet. in 6. cap. *Romana*, de appellat. eodem lib. Seraphinus sustinet, quod Archiepiscopus potest causas ad se per appellationem aut alias ab Episcopo Suffraganeo, per se, vel per Vicariū Generalem, vel per delegatum cognoscere & terminare in totum, vel in partem, etiam in Diœcesi Suffraganei. Item deputare Notarium, vel Nuntium pro jurisdictione exercendâ.

II. Quod si Episcopus post interpositam appellationem promoveatur ad Archiepiscopatum, potest esse judex appellationis à sententiâ, quam ipse protulit dum erat Episcopus, tamen ex debito potest illam alteri delegare, ac ipse abstinere ab illius cognitione, ita Scaccias tract. de appellat. quæst. 2. num. 86. Petrus Gregorius, Franchis. Appellatio ad Archiepiscopum fieri potest non tantùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, ita Scaccias quæst. 8. Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, vers. *ampliatur tamen*, Barbosa supra num. 63. inferentes Archiepiscopum esse iudicem appellationis in iis, quæ Episcopus exercet etiam ex jure accidentali, sivè non tantùm in iis, quæ exercet de jure communi, sed etiam in iis, quæ exercet ex jure speciali, sivè ex privilegio. Item id esse verum, quando jurisdictio temporalis est totaliter translata in Ecclesiam, ita ut pro illa non recognoscat superiorem temporalem, quod consequenter Scaccias variis modis declarat & restringit.

III. Potest etiam appellari ad Archiepiscopum, quamvis Episcopi jurisdictio fuerit excitata à Papâ, in eâ causâ, in quâ Episcopus sententiam pronunciavit, ita Scaccias, Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, num. 12.

vers. *Item si Papa*, Cevedo, Salgado, Marcellus Vulpe Barbosa supr. numer. 64. & part. 3. alleg. 92. num. 13. Ratio est, quia Papa committendo causam Episcopo, quam ipse Episcopus poterat cognoscere ex jurisdictione suâ ordinariâ, regulariter dicitur excitasse ejus jurisdictionem, & non delegasse causam, & consequenter est ad Archiepiscopum appellandum. Secùs si non excitaret, sed delegaret, ita Bertachinus, Albertus Brun apud Scacciam tract. de appel. quæst. 8, vers. *secus est*, & de judiciis causarum civilium, lib. 1. cap. 16. Proindeque appellandum est (inquit idem Scaccias quæst. 8.) ad delegantem.

IV. Potest Archiepiscopus etiam cognoscere inter illos, qui se sponte offerunt liti super illâ re, de quâ est appellatum, non verò inter eos invitos, ita Marcus Antonius Genuensis supr. cap. 70. num. 7. Geminianus & Franchis in cap. *Romana*, §. *in alium*, de appellat. in 6. In causâ appellationis ab interlocutoria pronunciationis benè appellatum Archiepiscopus remaneat judex in toto negotio principali, ita Scaccias, Barbosa supra numer. 66.

V. Potest Archiepiscopus compellere subditos Episcopi ut ferant testimonium in causâ appellationis, nisi aliud sit consuetum, tunc enim si Episcopus nolit compellere, Archiepiscopus id præstare potest. Nequit tamen Archiepiscopus cognoscere de nullitate sententiæ latæ inter subditos Suffraganeorum absque appellatione, ita Barbosa supra num. 69. post Franchis in cap. 1. §. *post hæc*, vers. *sed adverte*, de appellat. in 6, & in cap. *dilecto*, vers. *secundus casus*, dicens non posse adiri Archiepiscopum per viam querelæ seu nullitatis sententiæ Episcopi. Idem censent Felinus in cap. *in litteras*, 9. vers. *secundus casus* de offic. delegat. Cardinalis Alexand. num. 58. Scaccias, Marcus Antonius Genuensis cap. 70. citato. Sebastianus Cæsar §. 2. num. 14.

VI. Non potest Archiepiscopus restituere in integrum adversus sententiâ Episcopi, ita Abbas in cap. ultim. de restitut. in integrum, Scaccias supr. concl. 6. remed. 2. vers. *ad quartum*, Barbosa supr. num. 70. Ratio est, quia non potest adiri Archiepiscopus, nisi per viam appellationis. Non appellatur à delegato Episcopi ad Archiepiscopum, sed ad Episcopum delegantem, ita Franchis in cap. *dilectus*, de appellat. Marcus Antonius Genuensis qui restringit, nisi Episcopus delegaret causas in fraudem, tunc ad Archiepiscopum appellaretur.

Quod si Archiepiscopus convenit subditum sui Suffraganei Episcopi coram ipso Episcopo non datur appellatio ad Archiepiscopũ, ita Geminianus in cap. *Romana*, 3. §. *ab Archidiaconis*, casu 2. ubi Franchis limit. 8. de appellat. lib. 6. Scaccias tract. de appell. quæst. 7. Brederodius de appellat. part. 1. tit. 18. verbo *ab Archiepiscopo*, & verbo *ab Episcopo*, Marianus Socinus. Ratio est, quia in isto casu non appellatur ab Episcopo ad Archiepiscopum, alioqui appellaretur ad adversarium. Quare omisso Archiepiscopo judice superiore appellatur ad superiorem Archiepiscopi. VII.

§. 13.

Quid possit Archiepiscopus circa dispensationes.

ARchiepiscopus potest dispensare in votis & juramentis Episcoporum Suffraganeorum, ita Sanchez in præcepta decalogi lib. 4. cap. 37. Molfesius in summa Theolog. moral. tractat. 11. cap. 15. post Antoninum, Paludanum, Avilam, Sayrum, Henriquez & alios, tamen Suarez de religione lib. 6. de voto cap. 11. scribit consulendam esse consuetudinem, sed Bonacina disp. 4. quæst. 2. puncto 7, §. 4. affirmat cum Clave Regiâ, Arragonio, Sylvestro, Sanchez posse absolutè dispensare. Ratio prima est, quia Archiepiscopus videtur Episcoporum superior, saltem quando Episcopi ei subjiciuntur. Secunda, quia Archiepiscopus potest cognoscere de I.

crimine

crimine suorum Suffraganeorum, & eos plectere cap. *sacro*, de sententiâ excommunicationis, igitur à fortiori, videtur posse dispensare cum ipsis, cùm dispensatio sit actus jurisdictionis gratiosæ & voluntariæ.

II. Archiepiscopus extra visitationem Provinciæ nequit dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum, ita Clavis Regia loco citato, Suarez lib. 6. de voto cap. 10. Bonacina supr. Gratius, Reginaldus, Coninck apud eundem. Probatur ex cap. *Pastoralis*, de officio ordinarii, cap. 1. de foro compet. in 6. Ratio est, quia non habet jurisdictionem ordinariam in eos, nisi in certis casibus; quos recenset idem Bonacina de censuris, verbi gratiâ, quando fuit facta appellatio apud Archiepiscopum, & cognitum fuit de appellatione, vocatæque fuerint partes, ut patet ex cap. *Venerabilibus*, §. 1. de sent. excomm. in 6. Et favet ratio, quia superior apud quem fit appellatio acquirit jurisdictionem per appellationem, ut ingeniosè notat Suarez tomo 5. disp. 7. sect. 2. num. 12. Secundus est, quando Episcopus Suffraganeus malitiosè vel negligenter differt absolutionem. Ratio est, nam tunc æquum est ut Archiepiscopus illum absolvat. Tertius est, quando visitat Diœcesim, ita Covarruvias cap. *Alma Mater*, part. 1. §. 2. Henriquez, Sylvester, Filiucius, Suarez, Coninck, Sanchez. Ratio est, quia ratione officii habet ordinariam facultatem ad absolvendum.

III. Dices votum esse de jure naturæ & divino, at in jure naturæ & divino nullus potest dispensare. Respondeo esse in Ecclesiâ potestatem dispensandi in iis, quæ radicaliter dependent ab humanâ voluntate, sicut votum dependet, nisi fortè constet in aliquo casu hanc facultatem non esse in Ecclesiâ relictam à Christo, sicut non est relicta facultas dispensandi in matrimonio consummato, ita Azorius part. 1. lib 6. cap. 1. quæst. 4. Sanchez, & alii apud illum.

IV. Archiepiscopus nequit dispensare absque causâ in decretis Cõcilii Provincialis, ita Bonacina disp. 1. quæst. 2. punct. 3. num. 4. Navarrus consil. 7. de offic. ordin. in antiquis, & consil. 6. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 34. num. 8. Layman lib. 1. Theolog. moral. tract. 4. cap. 22. & cap. 47. num. 3. Sanchez. Aliter enim differendum est de Provinciali ac de Generali, nam Pontifex potest dispensare super Concilio generali, quia est superior, & à Concilio generali licet appellare ad Sedem Apostolicã, ita Scaccias de appel. quæst. 8. Jacobatius lib. 10. art. 2. & nos alibi. At Cõcilium Provinciale est ita majus Archiepiscopo, ut ab eo possit provocari ad Concilium Provinciale, ut illo superius, ita Glossa *final.* in cap. à collect. de appel. lib. 6. Cardinalis in Clem. 1. §. *quod etiam interdictis*, num. 1. notab. 1. de sent. excommun. Ubi Ancharanus num. 3. notab. 1. Navarrus sup. Deindè non potest Archiepiscopus condere statuta quæ obligent totam Provinciam, sed ipse cum Episcopis Suffraganeis, ex cap. *sicut olim*, & cap. *Presbyt.* Nec refert quod Archiepiscopus primo loco sedeat & sit caput Concilii, vocet & congreget; nec possit à Concilio Provinciali puniri. Respondeo eo ferè modo tenere primam sedem, &c. quo Decanus & Canonicus senior in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, &c. Undè (inquit Sanchez disp. 17. num. 16.) irrita est dispensatio si fiat absque justa causa. Ratio autem cur dispensatio ab Archiepiscopo prærequirat justam & legitimam causam est (inquiunt Suarez de legibus lib. 6. cap. 15. Salas, Sanchez, Bonacina supra numer. 14.) quia grave & incommodum onus esset subditis, ipsisque tam Archiepiscopis, quàm Episcopis, si pro singulis dispensationibus deberet adiri Sedes Apostolica, vel expectandum aliud Concilium Provinciale.

V. Possunt Patriarchæ & Archiepiscopi condere leges pro suâ Diœcesi, cùm in suâ Diœcesi eàdem polleant potestate quâ gaudent Episcopi: nequeunt tamen extra Concilium Provinciale leges ferre, quæ totam Provinciam obligent, ita Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 17 vers. *at dicendum*, Suarez, Bonacina, Graffius, Henriquez, Coninck, & alii. Ratio

est

est, quia nullus potest ferre leges ultra limites suæ jurisdictionis excepto tempore suæ visitationis, cap. *sicut primas*, 9. quæst. 3. cap. *sicut olim*, de accusationibus.

§. 14.

De unione Beneficiorum.

I. Archiepiscopus potest unire beneficia in suâ Diœcesi existentia, ita Rebuffus tit. *de unionibus*, num. 9, & 30. Hoieda de incompatibilitate beneficorum part. 1. cap. 3. num. 7. Marianus Socinus in cap. *sicut unire*, art. 3. quæst. 4. Sanchez in præcepta decalogi tomo 2. lib. 7. cap. 29. Ratio est, quia in suâ Diœcesi eandem jurisdictionem exercet, quàm Episcopus in suâ. Et patet ex cap. *unire*, de excess. Prælat.

II. Non potest tamen conjungere Ecclesias Episcopis Suffraganeis subjectas. Ratio est, quia potestas conjungendi, est jurisdictionis ordinariæ, quam Archiepiscopus non habet in ejusmodi.

§. 15.

Quid possit Archiepiscopus circa Quæstores, & Regulares.

I. Potest Archiepiscopus vel ejus Officialis mittere Quæstores eleemosynarum per totam Provinciam pro fabricâ Ecclesiæ Metropolitanæ, ita Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 1. tit. 4. numer. 37. Quibus si resistant, vel non pareant subditi Suffraganeorum, non possunt eos citare, ita præfatus Barbosa. Patet ex cap. 1. de pœnitent. & remiss. Asserunt Immola in Clementin. *abusionibus*, num. 18. Zarabella eodem tit. num. 9. Franchis procedere pro quolibet opere pio. Quaranta verbo *Archiepiscop. auctoritas.* notat, quod quamvis Archiepiscopus possit plectere subditos Suffraganeorum Episcoporum impedientes eum, vel Officiales in jurisdictione contentiosâ, vel quasi cap. 1. de remiss. & pœnis, non poterit tamen exercere jurisdictionem contra ipsos subditos Suffraganeorum impedientes eum, vel Officiales circa charitatem & exhortationem: sed benè poterit coercere ipsos Suffraganeos, vel eorum Officiales, si absque justâ & rationabili causâ non permittant, ita Barbosa supra. Ratio est, quia alioqui potestas ipsorum Archiepiscoporum esset elusoria: Vel quia sunt judices Suffraganeorum, & eorum Officialium, ut dictum est supra.

II. Potest Archiepiscopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus compellere Abbates & Prælatos Regulares negligentes, ut Evangelii prædicatio fiat in Ecclesiis Parochialibus subjectis Monasteriis, in nullâ Diœcesi existentibus, ita Quaranta verbo *Archiepiscopi auctoritas*, Barbosa supra numer. 55. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 5. de reformatione cap. 2. *Si quæ verò Parochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ Monasteriis in nullâ Diœcesi existentibus: si Abbates, & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint à Metropolitanis, in quorum Provinciis Diœceses sitæ sunt, tanquam quo ad hoc Sedis Apostolicæ delegatis compellantur. Neque hujus decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sivè recursus impedire valeat, &c.*

III. Archiepiscopus in totâ suâ Provinciâ potest monere Monachos, & alios Regulares vagabundos, & Apostatas, ut ad sua Monasteria redeant, monendo prius Episcopos Suffraganeos, ut id exequantur. Deindè Superiores Regularium, ut eos reducant. Quibus negligentibus ipse Regulares, & etiam Superiores compellet, ita Marcus Antonius Genuensis supra cap. 70. num. 20. Barbosa num. 58. Probatur ex cap. *quanto*, de offic. Ordin.

CAPUT

CAPUT II.

An Jus Militare Præsuli Ecclesiastico competat.

PROLOGUS.

I. CUm in Historiâ Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei relatâ lib. 3. & 4. Regum, lib. 2. Paralipomenon sit frequens mentio belli, certaminis, militiæ, militis, prælii, pugnæ, aliquid de iis dicendũ existimavi, an & quibus Christianis liceat bellum gerere. Quoad nomen belli accipitur modò pro pugnâ, & certamine, seu armorum conflictu. Salustius. *In illo bello trecenti milites desiderati sunt.* Judicum cap. 10. vers. 34. *Ingravatum est bellum.* Lib. 1. Regum cap. 18. vers. 17. *Præliare bella Domini.* Cap. 19. vers. 8. *Bellum est autem rursum motum.* Cap. 28. vers. 1. *Ut præpararentur ad bellum.* Lib. 2. Regum cap. 2. vers. 17. *Et ortum est bellum durum in die illâ.* Vers. 15. *Ponite Uriam ex adverso belli.* Vers. 25. *Varius enim est eventus belli.* Cap. 19. vers. 10. *Mortuus est in bello.* Libr. 3. Regum cap. 20. vers. 29. *Septima autem die commissum est bellum, percusserunt q; filii Israel de Syris centum millia peditum de Syris.* Cap. 22. vers. 30. *Porrò Rex Israel mutavit habitum suum, & ingressus est bellum.* Lib. 1, Paralip. cap. 20. vers. 4. *Post hæc initum est bellum in Gazer, &c.* Et passim alibi. Aliquando verò accipitur pro tempore belli, vel voluntate stabili, vel quasi voto offendendi, nimirùm armis, vel aliis instrumentis, ut lib. 4. Regum cap. 11. vers. 1. *Solent reges ad bella procedere.* Vers. 7. *Quo administretur bellum.* Lib. 3. Regum cap. 14. vers. 30. *Fuit q; bellum inter Roboam, & Ieroboam.* Vers. 26. *Bellum autem erat inter Asa & Basa cunctis diebus eorum.* Cap. 22. *Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israel.* Et alibi tam apud sacros, quàm prophanos Auctores. Priscianus existimat bellum dici per Antiphrasim, quo manna, bellum, seu pulchrum sit. Alii à duello deducunt mutatâ litterâ D, in B. Quia bellum suscipitur non ad inferendam, sed ad propulsandam injuriam, & pacem comparandam. Festus putat bellum dici à belluis, quia homines in certamine sunt se invicẽ mordentes, lacerantes, devorantes. Hæc etymologia placet S. Hieronymo epist. 127. ad Fabiolam, & lib. de 42. mansionibus, mans. 33. quia scilicet in bello nihil bellum ac venustum reperitur, sed omnia cruenta sunt, & potiùs barbariem, quàm humanitatem redolent. Sic lucus dicitur, quia caret luce, ut notat Servius. Parcæ à parco, eo quod nemini parcant.

Salustius

II. Noster Joannes Boets de præceptis decalogi in 8. præceptum, expositione 2. cap. 9, Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 5. Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *bellum*, num. 2. notant bellum differe à seditione & rixâ, quod bellum sit multitudinis contra extraneos. Seditio sit multitudinis contra multitudinem in eâdem Republicâ. Rixa sit paucorum contra paucos. Bellũ aliud offensivum, aliud defensivum, offensivo bello vis infertur ad vindicandam injuriam. Defensivo bello repellitur vis illata ab hoste.

III. Priusquam jura civilia essent condita nullo ordine judiciario servato unusquisque consequebatur suum jus, vel manu Regiâ, postquam Reges esse cœperunt, vel auctoritate propriâ suscepto bello, quod jure naturali & jure gentium erat licitum. Ita Castrensis consil. 400. *Priusquam* in principio lib. 1. Cardinalis Tuschus tomo 1. conclus. 33. numer. 1. Sic jure gentium bella fuerunt introducta l. *ex hoc jure*, ff. *de justitiâ, & jure*, Tuschus numer. 2. Quæ bella movere licebat pro justitiâ prosequendâ rerum, vel personarum cap. 1. 23. quæst. 2. Castrensis supra vers. *tertiò similiter*, lib. 1.

§. 1.

An Bellum Judæis licitum fuerit.

I. MAnichæi apud S. Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 74. & seq. negarunt bellum unquam esse licitum, & consequenter Abraham, Moysen, Josue, Salomonem, Gedeonem, Jephte, Davidem, Machabæos, Constantinum, & alios errasse bellum gerendo. Noster Thomas Waldensis tomo 3. de Sacramentalibus tit. 24. cap. 169. num. 3. scribit Wicleffum fuisse in eâ opinione. At in veteri lege bellum fuisse licitum positis conditionibus, de quibus infra, patet primò, quia Deus non tantùm permisit bellum, sed etiam imperavit cap. 25. vers. 16. Lib. 1. Regum cap. 15 vers. 2. & lib. 4. Regum cap. 3. vers. 17. ubi S. Propheta Eliseus sitientibus exercitibus Regiis aquam subministravit. *Non videbitis* (inquit) *ventum neque pluviam, & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos & familia vestra, & jumenta vestra.* Vers. 18, *Parumq; est hoc in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* Vers. 19. *Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & universum lignum fructiferum, &c.* Vers 24. *Porrò consurgens Israel percussit Moab.* Deindè Deus per Moysem præscripsit leges gerendi bellum, quorum aliæ obligabant, quando castra movenda erant de loco in locum, ut Numer. cap. 12. vers. 2. Aliæ, quando erat procedendum ad certamen, Numer. cap. 10. vers. 9. Deuteron. cap. 20. vers. 5. cap. 23. vers. 9. Tunc enim debebant inflare tubas per modum ululatus ad implorandam opem divinam. Deindè debebant omnes esse puri ab omni peccato, fornicatione, ebrietate, rapinâ, blasphemiâ, juramento, duello, æmulatione, & ab omni immunditiâ legali. Denique non admittendi erant pavidi, sponsi, & novam domum ædificantes. Aliæ leges quando certamen erat inchoandum, ut Deuteronomii cap. 2. vers. 2. Aliæ quando erat obsidenda civitas, ut Deuteron. cap. 20. vers. 10. Aliæ, quando continuabatur civitatis obsidio, ut Deuteronomii cap. 20. vers. 19. Aliæ quando erat parta victoria, non licebat ordinariè occidere innocentes, verbi gratiâ, mulieres, infantes, & pecora. Quâ lege nonobstante Deus mandavit Numer. cap. 13. vers. 17. ut omnes mulieres exceptis puellis, & virginibus occiderentur. Et lib. 1. Regum vers. 3. præcipit, ut omnes infantes, & jumenta interficerentur. Notat Serarius in cap. 6. Josue quæst. 36. post S. Augustinum in his & similibus casibus divinam jussionem fuisse instar legis: Deusque pollicitus est Judæis servantibus præfatas leges bellicas 1. Levit. cap. 26. vers. 7. *Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* Deindè vers. 8. *Persequentur quoque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia, cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* Quod si non observarent vers. 17. & sequentibus, oppositum minatus est. *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his, qui oderunt vos, fugietis nemine persequente.* Deuteronomii cap. 28. vers 25. *Tradat te Dominus corruentè ante hostes tuos.*

4. Reg. 3. v. 17.
vers. 18.
vers. 19.
vers. 24.

II. Castra debebant esse munda ob causam duplicem à pollutione & immunditiâ legali contractâ per contactum mortui. Prima est, propter Arcam Dei, quæ erat in medio castrorum, in quâ Deus habitare dicebatur. secunda ad conservandam valetudinem in castris. Tostatus tamen existimat istam legem tunc obligasse, quando Judæi erant in deserto, non autem postea, quando in terrâ promissionis habitarunt. Tunc autem glorioſas victorias reportarunt, vel reportassent, si divinis ordinationibus institissent. Id patet libr. 4. Regum cap. 13. ubi Propheta Eliseus dixit Regi Joas. *Affert arcum & sagittas.* Dixit vers. 16. *Pone manum tuam super arcum, & cùm posuisset ille manum suam superposuit Eliseus manus suas manibus Regis.* Cur Eliseus illud præcipit? quia volebat pronunciare Regi victoriam

l. 4. Reg. 13. v. 15 vers. 16.

victoriam de Syris, à quibus opprimebatur, vers. 17. *Et ait aperi fenestram orientalem, cùmq; aperuisset, dixit Eliseus, jace Sagittam.* Cur fenestram versus Orientem jubet aperiri, & per eam sagittam trajici? *Quia* (inquit Tostatus quæst. 8.) & ante illum Dionysius. *Erat ad partem Orientis respectu terræ sanctæ.* Textus subdit: *Et jecit*, scilicet Rex obtemperans Eliseo. *Et ait Eliseus, sagitta Domini, & sagitta salutis contra Syriam.* Tostatus supra *Sagitta data est à Domino ad salvandum Israel de manibus Syriorum, occidendo Syros, & liberando de potestate eorum.* Non tantùm prænunciat bellum & victoriam, sed etiam opem divinam & suam pollicetur, ut patet ex impositione manus suæ super arcum, & manus Regis. *Per hoc enim Eliseus* (inquit Tostatus cap. 11.) *volebat omninò certificare Israelitas, quod Deus liberaret eos de manu Syriorum, & ad hoc prophetavit in rebus, cum aliis sufficeret solis verbis. Ita ergo, quia Israelitæ credebant Eliseum esse virum sanctum, & si ipse poneret manum super arcum eorum benediceret illa, & faceret habere magnam virtutem contra Syros, decuit ut manum poneret super arcum, & manus Regis.* Et paulò post. *Quia Eliseus ex parte Dei loquebatur ita prænuncians victoriam: ita ex parte Dei voluit ostendere, quod Deus adjuturus erat Israelitas contra Syros, & istud bellum non esse Israelitarum, sed Dei sicut dictum est ad Iosue. Scribe in libro monimentum, delebo enim memoriam Amalec sub cælo, & iterùm manus solius Domini, & bellum Dei erit contra Amalec à generatione in generationem, Exodi cap. 17.* Et hoc patet, quia quando Rex jacebat sagitam Eliseus dixit, *Sagitta salutis Domini, sagitta salutis cõtra Syriam.* Idest Deus salvabit Israel de manu Syriæ, & non erit ista sub aliquo alio. Deus enim daturus erat vires & animum Israelitis ad pugnandum contra Syros, qui multò plures erant & potentiores, juxta illud Deuteronomii cap. 8. vers. 17. *Nè dicas in corde tuo, fortitudo mea & robur manus meæ. Hæc mihi omnia præstiterunt, sed recordaris Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit.* Subdit Tostatus. *Non potuit convenientius significari, quàm ut Eliseus, qui ex parte Dei ista loquebatur, poneret manum super arcum, & ex parte Dei significans à Deo adjutorium venturum.* Idem Tostatus quæst. 12. probat licitum esse bellum, tum ex Regio Psalte, tum ex historiâ Nabucodonosor. Psal. 17. vers. 38. *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Et iterum vers. 44. *Et præcinxisti me virtute ad bellum.* Vers. 37. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Vers. 38. *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Psal. 143. vers. 1. *Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos ad bellum.* Hunc postremum locũ noster Michael de Bononiâ, vulgò Incognitus, Jacobus à Valentiâ, & alii explicant de bello David contra Goliath. Tostatus supra id etiam fusè probat ex historiâ Nabucodonosor, quem Deus suscitavit contra Judæos, & tantam ei fortitudinem tribuit, ut ei non possint Judæi resistere.

Tostatus

Deuter. 8. v. 17.

Hanc divinam opem bellantibus à Deo præstitam patenter innuitur lib. 2. Paralip. cap. 20. vers. 14. cùm Moabitæ & Ammonitæ bellum indixissent Josaphat. *Erat autem Iahaziel filius Zachariæ filii Iehiel, filii Mathaniæ Levites de filiis Asaph, super quem factus est spiritus Domini in medio turbæ.* Septuaginta. *Factus est super eum spiritus Domini in concione.* Vatablus. *Super quem venit spiritus Domini in medio cœtus.* Dionysius. *In cujus corde diffusa est à spiritu Dei revelatio prophetalis.* Cajetanus. *Vidi Spiritum Dei tunc infusum in medio populi huic Levitæ, quis dixit?* Vers. 15. *Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ierusalem, & tu Rex Iosaphat. Hæc dicit Dominus vobis, nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem non enim vestra pugna, sed Dei.* Septuaginta, *Non timeatis vos, nec formidetis à facie turbæ multæ huius: quoniam non vobis est acies, sed Deo.* Cajetanus. *Sic dicit Dominus vobis, nè timeatis à facie turbæ hujus magnæ, quia non vobis est bellum, sed Deo.* Vatablus. *Sic dicit Dominus vobis, vos nè timueritis, neque animo frangamini metu tantæ multitudinis, non enim vestrûm est prælium, sed*

II.

2. Par. 20. v. 14.

vers. 15.

Dei. Idem in Scholiis. *Vos non pugnabitis, contra multitudinem istam, sed Deus.* Et paulò post. *Non enim vestrum est pugnare, id est non intererit vestra pugnare, non est vestrum officium pugnare, tantùm spectatores eritis.* Lyranus. *Quia pugnabit pro vobis inimicos vestros, sicut patebit per effectũ.* Quam opem & pugnam ab ipsomet Deo faciendam confirmat verbis sequentibus. Vers. 16. *Cras descendetis contra eos, ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, & invenietis illos in summitate montis, qui est contra solitudinem Iervel. Nõ eritis vos, qui dimicabitis; sed tantùm confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos ô Iuda & Ierusalem.* Septuaginta. *Non vobis est pugnare in hoc, state, & intelligite, & videte salutem Domini, quæ est vobiscum Iuda & Ierusalem.* Vatablus. *Nec est ut vos pugnetis, in hoc prælio consistite, state, & videbitis salutem Domini vobiscum.* Hebræus apud Cajetanum. *Non vobis pugnandum in hoc, state, & videte salutem Iehova vobiscum.* Textus. *Nolite timere, nec paveatis, cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiscum.* Septuaginta. *Nec paveatis egredi cras in occursum eorum, & Dominus vobiscũ.* Vers. 18. *Iosaphat, & Iuda, & omnes habitatores Ierusalem ceciderunt proni in terram, & adoraverunt eum.* Vers. 19. *Porrò Levita de filiis Prophetarum Caaht & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magnâ in excelsum.* Vers. 20. *Cùmq; mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue, profectisq; eis stans Iosaphat in medio eorum, attendite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem, credite in Domino Deo vestro & securi eritis, credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.* Vers. 21. *Deditq; consilium populo, & statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitũ, ac voce consonâ dicerent confitemini Domino quoniam in æternum misericordia eius.* Vers. 22. *Cùmq; cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Iudam, & percussi sunt.* Ecce quomodo Deo non displiceant bella, quomodo verò Deus Sabaoth nuncupetur. Dionysius hanc moralitatem subjicit. *Instruuntur Christiani, qualiter in omni corporali, quàm spirituali conflictu eis vel à visibilibus, aut invisibilibus hostibus imminente debeant se habere. Nempè Principes pugnâ corporali eis instante, non debent immoderatè timere, sed se totos ad Dominum exorandum conferre, in ipso confidere, subditos suos per se & spirituales viros hortari, ut vitam suam in cunctis emendent, orationibus, & jejuniis vacent. Specialiter verò à Religiosis, & Clero debent Orationum & Missarum Suffragia postulare, & ordinare ut psalteria legantur, Missa celebrentur quàm plurima, Processionesq; fiant. Quod si viderint adversarios suos existere fortiores, cum omni humilitate fateantur, dicentes in nobis; O Domine non est tanta fortitudo, ut possimus multitudini super nos irruenti resistere. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te, &c.* His verbis ostendit, quod si Principes sint viribus impares, debent non tam humanum quàm divinum auxilium petere, & ad orationum suffragia, potiùs quàm adextraneorum subsidia recurrere. Tunc nobis aderit, & nostram pugnam suam reputabit, nostram salutem suam esse asseret. Similia habet Mendoza in lib. 1. Regum cap. 7. vers. 14. sect. 1. & seq.

Dionys.

III. Licitum esse bellum maximè confirmant præclara ac omni admiratione digna miracula, quæ Deus in veteri lege perpetravit, ut dimicantium conatibus faveret, cosque sibi gratos esse testaretur. Omissâ obsidione civitatis Jerichuntinæ, cujus muri ad clangorem tubarum corruerunt Josue cap. 6. Omissâ cæde centum octoginta quinque millium Assyriorum, qui percussi ab Angelo unâ nocte perierunt, lib. 4. Regum cap. 19. Omissis quinque militibus apparentibus in cœlo, qui pro Machabæis præliati sunt. Lib. 2. Machabæorum cap. 10, vers. 19. *In equis frenis aureis decori ducatum Iudæis præstantes.* Vers. 30. *Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumen conservabant. In adversarios*

sarios autem tela & fulmina lumen jacebant, ex quo & cæcitate confusi & repleti perturbatione cadebant. Vers. 31. *Interfecti sunt autem viginti millia, quingenti, & equites sexcenti.*

IV. Paulò studiosius unicam Samariæ obsidionem expendamus, lib. 4. Regum cap. 6. vers. 24. *Congregavit Benadab Rex Syriæ universum exercitum suum, & ascendit, & obsedit Samariam,* eamque ad eas angustias & famem diuturnâ obsidione redegit, ut vers. 25. *Venundaretur caput asini octoginta argenteis & quarta pars cabi, stercoris columbarum quinque argenteis.* Notat Tostatus quæst. 28. quod tunc valebat unum caput asini, in quo nihil comestibile est, sicut quadraginta arietes in tempore fertilitatis, ideòque ista erat gravissima fames, & cubus stercoris columbarum quinque argenteis, quæ est decima sexta pars pretii capitis asini, ac una mulier proprium infantem mactavit, & comedit cum vicinâ suâ, eâ conditione ut hæc vicissim suum occideret, & eo vescerentur. Quis credat tanto malo aliquod remedium superesse; quanquidem fames malè suada sit tanti immanis flagitii, & *Jejunus stomachus rarò vulgaria temnit.* Quomodò in corpore tam debili, ac ferè mortuo, potentissimo exercitui jejuna civitas resistere poterit? nam juxta illud Ovidii lib 8. Metamorphoseos, fabulâ 14. vidisses famem.

Ovidius. *Unguibus & raris vellentem dentibus herbas.* (*in ore,*
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor
Labra incava situ, scabri rubigine dentes: (*possint*
Dura cutis, per quam spectari viscera
Ossa sub incurvis extabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & à spina tantummodò crate teneri, (*mebat*
Auxerat articulos macies genuumq; tu-
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

4. 7. v. 1. Sacer Textus cap. 7. vers. 1. *Dixit autem Eliseus, audite verbum Domini, hæc dicit Dominus, in tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno in porta Samariæ.* Dionysius. *Quam gratiosè & miraculosè, insperatè, incredibiliterq;, celeriter Deus subvenit populo Israel in tribulatione prafatâ, hic recitatur, & hoc potissimum ex propriâ pietate, precibus quoque ac meritis Elisei discipulorumq; ejus, & aliorum in Israel, qui nec Baal, nec vitulos adoraverunt, &c.* Facit mentionem similæ & hordei, ut innuat, quod non tantùm hominum, sed etiam equorum cibus vilissimo pretio emetur. Hæc oracula edidit Elisæus ad recreandum populum ad extremas angustias, & ferè desperationem redactum, ob gravissimam & diuturnam obsidionem. Quod enim majus malum poterat excogitari, quàm proprias proles comedere? Samaritani auditâ matre; quæ propriâ prolem comederat, magis afflicti, magisque lugebant, quam præsente obsidionis & famis tempore. Cui oraculo inopinabili ac inæstimabili multi fidem non adhibebant, ut patet in Principe vers. 2. *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid poterit esse quod loqueris.* Cornelius, *Ut scilicet per eas depluat triticum, sicut deplueruñ aquæ in diluvio Noe, & manna in deserto Exodi cap. 16. Impossibile est, ut in tantâ rerum inopiâ, tanta fiat subitò copia, ut tam vili pretio vendatur triticũ unusque modius comparetur uno statere.* Alii autem credebant, putantes Angelos portaturos in Samariam hordeum & farinam, quemadmodum Corvi quotidie deferebant Sancto Prophetæ Eliæ in torrente Carith latenti panem & carnes; lib. 3. Regum cap. 17, Vel sicut Angelus detulit eidem Eliæ dormienti sub junipero panem subcinericium, & vas aquæ, cap. 19. Vel quod fieret per modum multiplicationis, ita ut aliquod modicum farinæ & hordei restasset in Samariâ in aliqua domo, illudque multiplicaretur, ut citato cap. 17. oleum in lecytho Viduæ Sareptanæ ad Eliæ oraculum, ita ut in hydriâ farina non deficeret usque in diem, quâ venit pluvia super terram. Vel sicut multiplicatum est oleum alterius mulieris lib. 4. Regum cap. 4. in vasis. Alii arbitrabantur Deum missurum manna de cœlo, sicut olim dum Hebræorum

Dionys. *vers. 2.* Cornel. *l. 3. Reg. cap. 17.* *Cap. 19.*

brærorum populus esset in deserto fame laborans, Exodi cap. 16. & Exodi cap. 11. Alii quod Deus effunderet cœlitus farinam & hordeum, ut patet ex verbis istius Principis. *Si Dominus fecerit cataractas, &c.* Et psal. 77. vers. 32. *Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Vers. 33, *Et cecidit in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.* Nullus tamen poterat comprehendere, quomodò solvi posset obsidio, quomodo aperirentur portæ, & ibi fieret forum rerum venalium ad victum. Fortè etiam S. Eliseus ignorabat, quomodò res illa futura esset. Sic multi Prophetæ Deo revelante multa prædixerunt, qui tamen circumstantias rei illius eventuræ ignorabant Sic cùm Deus dixit Moysi, quod terram Chanaam non ingrederetur Numer. cap. 27. Moyses nescivit an hoc posset evitari, ideò postea oravit Dominum ut permitteretur illud ingredi. At Deus dixit illi Deuteron. cap. 3. *Nè loquaris ultra ad me de hac re.* Idem contigit Samueli, cui Deus dixit, quod Saul non regnaret in Israel, sed traderetur regnum ejus alteri. Samuel nesciebat an Deus hoc asseveranter dixisset. Undè lib 1. Regum cap. 15. oravit Deum ut non auferret ei regnum. Sic cùm S. Eliseus postulavit à Patre suo S. Eliâ lib. 4. Regum cap. 2. vers. 11. sibi infundi duplicem spiritum, respondit Elias, vers. 12. *Rem difficilem postulasti, attamen si videris me, &c.* Nesciebat an Eliseus accepturus esset spiritum propheticum. Sic cap. 13. sciebat quod Rex Israel esset percussurus Syriam, sed ignorabat quoties esset percussurus. Sic aliis Prophetis multa revelavit Deus, quorum tamen circumstantias siluit. Probabilius tamen est Sanctum Eliseum non tantùm abundantiam præsciviſſe, sed etiam solutionē obsidionis, quandoquidem dixerit, quod duo modii hordii venderentur statere uno in portâ Samariæ. Deindè quandoquidem idem Propheta dixerit Principi incredulo. *Videbis & non comedes de eo.* Sciebat ergò quod hordeum de castris deferretur, & ipse obiret, nec illis veiceretur.

14 Reg. 2. v. 11. vers. 12.

Cap. 13.

V.

Sacer Textus Cœlestis istius auxilii modum explicat, vers. 3. *Quatuor ergò viri leprosi erant juxta introitum porta*, scilicet extra urbem ad ejus introitum. Nam leprosi manebant extra urbes, nec cum reliquis hominibus communicabant, nè eos inficerent, Levitici cap. 13. His Syri non nocebant, quia erant pauperes & miseri. *Qui dixerunt ad invicem, quid hic esse volumus, donec moriamur*, ideſt cur hic inutiliter manemus, quia moriemur fame. Nemo enim nobis providebit, vers. 4. *Sivè ingredi voluerimus civitatem fame moriemur sivè manserimus hic nobis moriendum est.* Ideſt, sivè simus in civitate moriemur fame cum cæteris, qui ibi sunt, sivè hic in nostris casulis diutius moremur, moriemur fame panis & aquæ. *Venite transfugiamus ad castra Syriæ.* Deo scilicet inspirante, fugiamus ad castra Syrorum, quæ totam civitatem circumdant. *Si pepercerint nobis vivemus, si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.* Ideſt, si non interfecerint vivemus, dabunt nobis cibum. Si hostiliter agentes occiderint nō accidet malum nobis evitabile, quia erimus fame morituri vel ibi, vel in urbe, vers. 5. *Surrexerunt ergò vesperi, ut venirent ad castra Syriæ*, quæ erant magna cum copioso exercitu, & magnâ copiâ ciborum, & fortè distabant dumtaxat unâ leucâ à civitate, quæ erat sita in monte, circa quam tamen erant exploratores Syri, ut impedirent nè Samaritæ egrederentur urbe. profecti sunt ad castra post solis occasum. *Cùmq; venissent ad principium castrorum*, vel (ut Hebræus) *ad extremitatem*, seu terminum: *nullum ibi repererunt.* Quia omnes Syri fugerant illâ nocte de castris, quid supervenit, quod eos ad illam fugam accipiendam adegerit? Respondet Sacer Textus vers. 6. *Siquidem Dominus sonitum tubæ audiri fecerat in castris Syriæ currum & equorum, & exercitus plurimi.* Ideſt, in initio noctis fortè satis tenebrosæ Deus fortè audiri fecit sonitum magnum in circuitu castrorum Syriæ, quasi forent currus & equi multi, & exercitus copiosus, repentè irruens in castra. Quo audito

Cap. 7. vers. 3.

vers. 4.

vers. 5.

vers. 6.

fugerunt

audito fugerant omnes Syri relictis sarcinis, &c. ita ut secundùm Rabbi Salomonem & alios Hebræos putarēt Syri audire sonitum magni exercitus. Non quod in sensu exteriori auris aliquis sonus audiretur; sed tantùm in sensu communi Deo causante illius speciem. Nam & hoc dæmones causare possunt in phantasiâ nostrâ, ut patet in hominibus passione amoris æstuantibus. Vel si in sensu exteriori, talis sonitus auditus non fuit causatus â curribus & equis, sed Deus potuit species visibiles curruum & equorum, & exercitus magni producere, cùm ibi nullus equus vel currus speciaiiter essent, ut contigit cap. 6. ubi puer Elisei vidit montem plenum curribus & equis igneis (licet ibi nullus equus & currus veri essent.) Undè Dionysius & Tostatus quæst. 15. aiunt ejusmodi sonitum fuisse causatum ab Angelis moventibus aliqua corpora percutientia & percussa, quæ naturaliter sonum producebant, quasi artificialiter, sicut Cythariſtæ & canentes organis talem sonitum reddunt, qualem volunt ex arte. Quod probabile est. Si enim Angeli possunt vocem articulatam pecorum, imò & articulatam harmoniam cum hominibus proferunt, à fortiori sonum, cujusmodi est frangor arborum, pedum strepitus, strepitus curruum & peditum, fragor armorum, ita ut judicetur à Syris talis. Hunc secundum modum reprobant Dionysius & Tostatus citati. Tunc autem sonitum Deus audiri fecit in castris Syrorum, ut illis terrorem incuteret, & sic fugam arriperent relictis armis. Uno verbo, ut Deus ostenderet se esse Deum Sabaoth, ac regiis quibuscumque exercitibus potentiorem. Sonitus ille factus est nocte obscurâ, quia turbationes melius fiunt nocte quàm die: nox enim favet timori. Deindè Deus volebat fallere Syros formando sonitum magni exercitus, licet nullus esset, qui die fieri non poterat. Sic jussu Dei Gedeon posuit nocte trecentos viros cum laternis & buccinis in circuitu castrorum Madian, qui putabant esse copiosum exercitum. Deus igitur nō tantùm fecit audiri sonitum equitum & curruum noctu in castris Syrorum: sed etiam dum fugerent audiebatur ille sonitus quasi exercitus proximi persequentis, ita ut qui ferebant onera levia, sed pretiosa, ut aurum, argentum, vestes, &c. illa dimitterent. In discutiendâ hac historiâ prolixus fui, ut ostenderem in antiquâ lege bella non fuisse illicita, quandoquidem ad propulsandum hō. stem similitudinem exercitus fortissimi assumpsit. Samaritæ experturi an Syri fugissent, lustrarunt iter versus Syriam, illudque stratum vestibus, vasis, &c. viderunt, quæ Syri fugientes reliquerant, qui etiam nō reduxerant equos, ut diffusi per agros melius se occultarent. Imò Tostatus quæst. 34. ait, quod etiam seipsos exuerant, ut citiùs in terram suam redirent.

VI. Cœterùm Sancto Prophetæ divinæ legis Zelatori ardentissimo militiæ professionem non displicuisse patet ex lib. 4. Regum cap. 1. (Ubi duo quinquagenarii à Rege Ochoziæ missi igne cœlesti ad orationem Eliæ absumuntur, non quia conditionem militariam improbaret, sed quia nimis superbè cum eo agebant. Undè tertium quinquagenarium adventem non pari pœnâ plexit, sed ejus precibus motus descendit de monte ad Regem Ochoziam infirmum. Hunc autem tertium quinquagenarium Dionysius, noster Lezana ad annum mundi 3126. num. 2. & 3138. num. 3. & alii existimant esse Abdiā, qui timebat Dominum, quem tamen sanctus Propheta non corripit quod talem statum sequatur, nec ab eo ipse sum abducit. Nec ipse S. Eliseus Naaman Principem militiæ regis Syriæ à leprâ mundatum, ac profitentem lib. 4. Regum cap. 5. vers. 17. *Non faciet servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Non avocat à statu militari, imò Numerorum cap. 25. vers. 17. *Locutus est Dominus ad Moysem hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos.* Et lib. 1. Regum cap. 15. vers. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum, recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in viâ, cùm ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute*

l. 4. Reg. cap. 1.

Cap. 5. vers. 17

vix per modica rotarum puncta terram tangens velocissimo cursu quodlibet perficit iter, celerrimorotarum motu, quidquid sibi objicitur conculcat, & terit; ista & illi qui vix per ea, quæ carnis necessitas requirit rebus adhæsere terrenis; quia in carne ambulantes non secundùm carnem ambularunt, universam peragrantes terrā celerrimo, brevissimoq; temporis spatio quascumque sibi contrarias contrivere potentias. Undè factum est, ut tam pulchra esset Ecclesia quæ mereretur assimilari equitatui Salomonis in curribus. Huic explicationi arridere videtur S. Ambrosius serm. 2. in psalm. 118. vers. 6. & in eundem Psalmum vers. 8. serm. 4.

III. Cap. 3. vers. 3. ait Sponsa: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem, &c.* Communi omnium gentium consuetudine receptum est, ut excubiæ constituantur in Civitatibus & Oppidis, quarum munus est vigilias noctis custodire, & urbem ab externo hostium insultu, & ab internis civium motibus conservare, quæ ideò vigiles nuncupantur, quia vigilanter omnes observant, quos nocturnis horis per vicos & plateas transire contigerit singulis occurrere, inquirere, inventos detinere, interrogare, diligenter examinare. Sponsa asserit se in eiusmodi vigiles incidisse, cùm noctu circuiret civitatem quæritans suum dilectum. Per vigiles S. Gregorius homil. 25. in Evangelia intelligit Doctores Ecclesiæ, qui lucrandis animabus & dictis, & scriptis invigilant. S. Bernardus serm. 76. in Cantica nō tantùm Doctores, sed Apostolos, & Prælatos intelligit. *Quam boni* (inquit) *vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris. Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, reticula dissipant, machinamenta frustrantur. Hi sunt fratrum amatores, qui multùm orant pro populo, & universâ sanctâ Civitate, &c.* Ghislerius ibi exposit. 2. ait Ecclesiam loqui in personâ fidelium. Per vigiles accipit hæreticos, qui sunt vigiles iniquitatis, studiosissimique ac parati esse solent ad omnem deceptionem, quivè ut totius orbis populos in suas partes traducant instar satanæ sui principis circumeunt in civitate mundi hujus, quærentes quos suis decipiant sophismatum circulis; attamen Deo me protegente, quem syncero corde quærebam, nihil mihi intulerunt damni. Quanquam enim multa disputarint, multa prædicarint, multaque mihi obtulerint impudenter nullam eorum, quæ ab ipsis dicta fuissent habui rationem, nihil intendi, & id tantùm ab illis petii. *Num quem diligit anima mea vidistis?*

IV. Versu 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* S. Anselmus, Beda, Justus Orgelitanus, Cassiodorus, Philo Carpathius per Christi veri Salomonis lectulum intelligunt sanctam Ecclesiam. Per sexaginta fortes accipiunt Doctores, qui vel prædicando Ecclesiam muniunt, vel contemplando ad supernam beatitudinem pervenire desiderant. Clarius Ghislerius exposit. 2. ait esse Romanam Urbem universarum totius orbis civitatum fortissimam. Illi nomen lectuli congruentissimè convenit. Primò quia sicut proprium lectuli est, ut quietem exhibeat: ita Romanæ Ecclesiæ peculiariter competit, ut quietem quibuslibet fidelibus præstet, qui in eâ cubare volunt. Et sicut quies omnis, quam lectulus confert ex eo provenit, quod qui in eo decumbit, totum se super illum projicit, suaque & singula membra super eo sternit. Sic ideò Ecclesia Catholica dicitur quietis compos, quia singulos quosque fideles sternit quodammodo super Ecclesiâ Romanâ, ita ut toti ipsi nitantur uni, in iis quiescentes, quæ ab eâ fuerint definita, & ab eâ penitus dependeant, ut Christus pollicitus est Matthæi cap. 16. vers. 18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Dicitur lectulus Salomonis, quia Christus in eâ quiescit, vel quia stabilitatem fidei Christianæ per assistentiam Spiritus sancti perpetuò servat, & in eâ velut proprio thalamo Christus quiescit, *Matt. 16 vers. 18.*

juxta ejus oraculum Matthæi cap. 28. Matt. 28 vers. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque* vers. 20. *ad consummationem sæculi, &c.* Fortis est ille lectulus, vel ex ipsius Christi veri Salomonis ope, vel Prælatorum studio, qui in illâ residerunt super Cathedrâ Petri, quorum continuâ successio illam munit, ac quietam conservat.

V. Hanc fortitudinem militantis Ecclesiæ confirmat vers. 8. sequenti. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi unusquisque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos.* Cassiodorus, & Beda dicunt omnes, qui tenent gladios esse sanctos Doctores dum aliis prædicant verbum Dei, eoque contra adversarios fidei dimicant, suique curam habent, ideòque habent ensem super fœmur suum. *Gladios tenent, ut adversariis resistant, eosq; superent, & ut hæreticos, & omnes contradicentes sanæ fidei confodiant, & quia semper curam gerunt ut fluxus carnalium voluptatum reprimant, nè aliis prædicantes ipsi reprobi efficiantur.* Quid per *timores nocturnos* intelligit? Respondet. *Per timores nocturnos, occultas Dæmonum intelligit insidias, quas ii in nocte præsentis sæculi sanctis præcipuè moliuntur illis, qui in Ecclesia præeminent.*

VI. Cap. 4. vers. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* S. Gregorius Papa ait per collum Ecclesiæ Prædicatores designari: quia sicut collum extendimus, quando hostes procul venientes prospicimus: sic illi hostes sanctæ Ecclesiæ procul venientes speculantur. Dicuntur autem esse instar turris. *Propter fortitudinem, & propter excelsam cælestium gaudiorum contemplationem, quæ turris rectè David dicitur.* Quia *David manu fortis interpretatur, & per quod Christus significatur, cujus est quidquid forte & excelsum operatur.* Quare turris David dicitur ædificata cum propugnaculis? Respondet S. Pontifex. *Prædicatores contra adversarios homines, si necesse est miraculis armantur, contra autem vitia clypeis se muniunt, quia nè spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt, in quibus omnis armatura fortium pendet. Quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hostes strenuè superare valeat.* "Mille autem hic pro perfectione ponitur, *quia in millenario numero omnes numeri perfectè cumulentur.*" Idem ferè habent S. Anselmus, Beda, Aponius, Philo Carpathius, & alii, quos sequitur Ghislerius.

Cap. 5. vers. 7. Sponsa ait: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Philo Carpathius ait à prædictis inventam dici animâ, quia ab illâ edocta, percussa est, quia Patres dum cœlestia bona prædicant, sagittis illam vulnerant amoris, & desiderii, quia percutiunt disciplinâ salutari, quia mortificationem prædicant, quia pœnitentiam inducunt; tulisse autem eosdem custodes eidem animæ velum ignorantiæ & cœcitatis, cùm Deum piè colere docuerunt, cùm vitia relinqui docuerunt, custodes murorum sunt Prædicatores qui custodiunt scripturas sacras, mandata Dei. VII.

Cap. 6. vers. 3. *Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Ierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hebraica versio. *Terribilis ut vexillata.* Eam speciosam & decoram ait esse similem Jerusalem, quæ est visio pacis & aciei benè ordinatæ. *Nullâ siquidem* (inquit Ghislerius expos. 2.) *re hæreticis quibuscumq;, protestatibusq; tenebrarum majorem incutit pavorem, quam dum ob multitudinem pacis servatus in eâ conspicitur ordo sub Christo militantium, &c.* VIII.

Vers. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* S. Gregorius Papa, S. Augustinus epist. 80. S. Ambrosius lib. 4. Hexameron cap. 8. asserunt Ecclesiam justorum in hac vitâ prius instar auroræ à tenebris peccatorum ad sanctitatis lumen proficere, tum de virtute in virtutem crescere instar Lunæ. Postremò in die judicii relictâ caligine & putredine peccatorum ac mortalitate carnis immortalitatis lumine, & æternâ claritate vestita Solem ipsum repræsentabit. Dicitur *terribilis* IX.

ut

ut castrorum, &c. Symmachus. *Terribilis, pavoremq. incutiens secundùm aciem.* Terrorem incutit hæreticis, ipsisque Dæmonibus.

X. Cap. 7. vers. 1. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum.* S. Ambrosius orat. de obitu Valentiani, Theodoretus & alii dicunt per Sùlamitem significari Ecclesiam è multis sanctis conflatam, cùm propter fortitudinem atque excelsum animi robur, armaque militaria castris esse similem, tum etiam chorum existere divinas laudes in ore gerentem. Jure dicitur, *Quid videbitis in Sulamite, quæ venit sicut chori castrorum.* Non sicut castra chororum. Ex castris enim fiunt chori. Si quidem cum in castris vicerint virtutis milites, canentes revertuntur & choros ducentes victoriæ præconiũ laudibus concelebrant.

XI. Cap. 8. vers. 9. *Soror nostra, &c. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, &c. Si ostium est, compugnamus illud tabulis cedrinis.* Dionysius. *Ecclesia ista ante missionem Spiritus sancti fuit murus, ideſt, ædificium imperfectum, & turrim perfectionis non habens. Fuit etiam murus, ideſt æqualiter roborata in fide & gratiâ per frequentem Christi apparitionem, præsertim per ejus Ascensionem, ædificemus super eum tabernacula argentea, ideſt auctoritatibus & intelligentiis scripturarum instruamus eandem: potestate quoque faciendi miracula, & omnium dono linguarum eam firmemus, quatenus per hæc suam fidem & prædicationem queat roborare, defendere, seq. contra hostes munire, & alios rationabiliter cõfutare ac vincere, quod totum desuper Spiritu sancto, ita planè peractum est, quod multa millia adversariorum, multaq. turba Sacerdotum per beatissimas Principis Apostolorum & Coapostolorum ipsius sermocinationem, virtutes, miracula subitò sunt conversa. Si ostium est, imò quia est, quoniam per doctrinam & ministerium primitivæ Ecclesiæ, alii innumerabiles introierunt ad fidem, nam & potestatem ligandi atque solvendi à Christo accepit.*

XII. Tantùm abest ut Ecclesia militarem artem & ejus exercitium improbet, quin Cœlestis Præcursor S. Joannes spiritu Eliæ & virtute imbutus eam approbare videatur, nam milites non corripit, non avocat, sed certas illis leges præscribit Lucæ cap. 3. versu 14. *Interrogabant autem eum milites dicentes, quid faciemus & nos? & ait illis, neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Maldonatus ibi notat, non eis persuasisse, ut militiam deserent, sed ut à vitiis militaribus abstinerent. *Potissimùm militum vitia notavit, quibus id hominum genus infame est, cædes, calumniam, avaritiam, seu latrocinia, aut excursiones. Ab his abstinere jubet, non quod satis hoc illis, nihil aliud facientibus ad salutem esset: sed quod sit verisimile eos, si his rebus, quibus frequentius peccare consueverant non peccarent, nec aliis peccaturos, sed Deo gratos futuros.* Hanc igitur militarem professionem non improbat Joannes, nec ait esse illicitum, nec Deo displicere innuit, modò neminẽ offendat. Audi S. Ambrosium *Nonnulli Fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cùm peccant graviter, hæc solent à peccatis suis primâ se voce excusare quod militant, & nè benè aliquando faciant, occupatos se malis actibus conquerantur, perindè quasi militia hominum non voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt officiis suis adscribant, non enim militare delictum, sed propter prædam militare peccatum est.* Expende hoc ultimum. *Non enim militare delictum est.* Et paulò post. *Apud omnem Christianũ prima honestatis debet esse militia, non quod dicimus auctoritate Evangelicâ comprobemus. Videamus lectionem, quæ paulò ante decursa est, ait enim Evangelium: Venerunt autem & publicani ad Ioannem ut baptisarentur ab eo, & dixerunt ad eum, Magister quid faciemus, &c.* Et infra. *Interrogaverunt illum & milites, quid faciemus & nos? ait illis Ioannes, neminem concutiatis, &c. Hic jam cognoscere se debet omnis homo, qui militat.* Et paulò post. *Quicumque stipendia sibi publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor Ioannis sententiâ condemnatur.* Eundem locum Lucæ & sententiam premit D. Augustinus epist. 5.

Luc. c. 3. vers. 14.

Maldon.

Dionys.

S. Ambr.

S. Augustinus, *Si disciplina Christiana omnia bella culparet; hoc potius militibus consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seq; militia omninò substraherent. Dictum est autem eis Lucæ cap. 3. Neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, Sufficit vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit.* Idem sanctus Doctor lib. 22. contra Faustũ cap. 74. *Nec bella per Moysem gesta miretur, aut horreat, quia & in illis divina secutus imperia, non saviens sed obediens fuit. Nec Deus cum jubebat ista, saviebat sed digna dignis retribuebat, dignosq; terrebat. Quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quandoq; morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est non religiosorum, nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas implacata, atque implacabilis, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis merè culpantur, quæ plerumque ita culpantur, ut etiam jure puniantur, adversus violentiam resistentium, sine Deo, sine aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus justè ordo ipse constringit, alioqui Ioannes cùm ad eum, qui baptisandi milites venirent, dicentes & nos quid faciemus, responderet eis arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite: sed quia sciebat eos cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficit vobis stipendium vestrum:* Quibus verbis innuit militiam non tantùm esse licitam, sed etiam bonam; quandoquidem Joannes ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos, & ab irâ venturâ fugiendum non militiam dissuadeat tanquam malam, tanquam saluti contrariam, tanquam provocantem iram Dei, & cum verâ pœnitentiâ pugnantem.

XIII. Idem S. Lucas ostendit quantùm ipsum nomen militiæ sit Divino Numini gratum, dum Divini Verbi in carne passibili natalitia describens, Angelicam militiam pastoribus apparuisse ait cap. 2. vers. 13. *Et facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, &c.* Syriacus. *Et repentè apparuerunt cum Angelo multi exercitus dicentes, &c.* Cur potius sub nomine militiæ Angeli describuntur quàm alterius multitudinis? Respondet S. Ambrosius ibi. *Bene Angelorum nominantur exercitus, qui ducem militiæ Cœlestis sequebantur.* Quasi diceret, quia Verbum incarnatum apparebat, ut mundum & diabolicas potestates debellaret, ideò Angeli tanquam milites sub vexillo & ductu ejus certaturi apparent. Cui subscribens Jansenius Gandavensis Episcopus. *Benè dicitur (inquit) Angelo conjuncta est multitudo cœlestis militiæ, nimirùm ut significaretur natum puerum Dominum illum Sabaoth vel virtutum fortem in bello, qui adversus mundi hujus principes expugnare veneraț.* Vel apparet exercitus militiæ cœlestis ut innuat se eâdem animi alacritate debellaturum dæmonem, humanæ saluti insidiantem, quâ Verbi Divini majestatem contra eundem Luciferum propugnavit. Seu (inquit Cassianus lib. 1. cap. 8.) *Idcirco militia cœlestis dicitur, quia infatigabiliter pro hominibus terrenis militant, ut possint esse cœlestes simulq; concives.* Vel denique (inquit Beda) *Sicut Imperatoris optimi provisione cuncta manu militari loca adversus hostium muniuntur adventum, ita Deus quoniam immundi spiritus ad pacis everſionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, quorum præsentia dæmonum confringatur audacia.*

S. Ambr. Lucæ 2. vers. 13. Iansenius Cassian. Beda.

XIV. Militiam esse innoxiam patet cap. 8 vers. 9. ubi Centurio Christum sic affatur. *Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade & vadit, & alii veni & venit, & servo meo fac hoc & facit.* Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum ap. 74. notat vers. 10. à Christo laudatam ejus fidem, sed militiæ desertionem non fuisse imperatam. *Amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israel.* Ait Sanctus Doctor *Fidem laudavit non illius desertionem imperavit.* Quasi diceret, quamvis

foret

foret miles, aliisque militibus imperaret, tamen tanta erat in eo fides, ut à Chriſto laudari mereretur, imò Chriſtum in admirationem raperet. *Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inveni, &c.* Cur tantoperè effers fidem Centurionis, ergònè Patriarchis, Prophetis, Beatæ Virgini anteponendam cenſes? Reſpondet noſter Sylveira tomo 3. in Evangelia lib. 4. cap. 11. quæſt. 19. numer 131. poſt S. Hieronymum quod Chriſtus hic loquitur de præſentibus, non autem de omnibus prædeceſſoribus, verbi gratia, Patriarchis, Prophetis, Beatâ Virgine, ac Joanne Baptiſta. Sermo enim eſt de fide, quam invenit à tempore ſuo quando fidem cœpit ſerere per doctrinam & ſigna; Quoad Apoſtolos S. Chryſoſtomus hom. 22. in imperfecto præfert fidem Centurionis fidei Apoſtolorum & Diſcipulorum, quod intelligendum de eorum primâ converſione, quando vocati ſunt.

XV. Idem Sylveira num. 132. melius & ad intentum noſtrum reſpondet, Sylveira. quod *Centurionis fides major erat Iſraëlis fide proportione quadam. Nam Centurio extiterat Gentilis, militarem artem colens, & indoctus, ſine ullâ legis Moyſis padagogiâ, ſine audito Chriſti ſermone, vel viſis ſignis credebat abſentem ſanare poſſe.* Ex quibus patet Chriſtum Dominum laudibus efferentem Centurionis fidem non improbaſſe ejus militare exercitium.

XVI. Hanc doctrinam apertius docet Matthæi cap. 22. verſ. 21. vbi Phariſæi *Matt. c.* tentantes capere Chriſtum in ſermo- *22. v. 12.* ne quærunt an ſolvendum ſit vectigal Cæſari, quibus Chriſtus reſpondit. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Syriacus. *Date ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c.* Scilicet ad ſuſtentanda onera Reipublicæ, pro conſervandâ pace, ſivè bello, ſivè alia. S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. Subdit. *Quia Manichæi Ioannem apertè blaſphemare conſueverant, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum audiant, hoc ſtipendium jubentem reddi Cæſari, quod Ioannes dicit debere ſufficere militi. Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, ad hoc enim tributa præſtantur, ut propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbeatur.* S. Auguſtinus.

Idem Chriſtus ad conſequendam XVII. beatitudinem nos hortans belli parabolâ utitur Lucæ cap. 14. verſ. 31. *Luc. 14.* *Quis Rex iturus committere bellum adverſus alium Regem non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe.* Noſter Sylveira tomo 4. lib. 6. cap. Sylveira. 25. quæſt. 7. ſcribit. *In hâc parabolâ de bello tria notanda ſunt; Primò quod pugnando oportet pervenire ad regnum. Nam (ut ait Paulus 1. Timoth. cap. 2. verſ. 2.) Non coronabitur, niſi quis legitimè certaverit. Secundò, quod belli aut militum conſuetudine docet nos Chriſtus ut terrenis omnibus renunciemus.* Verſ. 33. *Sic ergò omnis ex vobis, qui* *verſ. 33.* *non renuntiat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Cajetanus. *Qui non valedicit, quænam coherentia terrenarum rerum exercitui? multa ſanè, Terrena opes tanquam exercitus militiæ armatus contra nos decertant, & major jactura à terrenis rebus timenda, quàm ab hoſtibus armatis, &c.* Non improbat bellum inter Reges, ſed innuit quod quemadmodum Reges ſolent committere bella, ita Chriſtianorum vitam militiam eſſe. Titus Boſtrenſis. *Per hoc ſignificatur certamen nobis eſſe cum adverſariis poteſtatibus, tum cum lege illâ, quæ in membris noſtris graſſatur plurimaſq; animi perturbationes, & infeſtina prælia quotidie iſtinc excitat.*

Ipſe Apoſtolus Paulus oſtendens XVIII. quàm grave ſit nobis bellum cum dæ- *Epheſ. 6.* monibus panopliam militis Chriſtia- *verſ. 11.* ni aſſignans utitur ſimilitudine armorum ſpiritualium cum temporalibus ad Epheſios cap. 6. verſ. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* Græcus habet, *Panopliam*, ideſt *plenam, omnem armaturam*, quâ milites à capite ad talos ſe ornant, & communiunt *inſidias* Græcus vertit *verſutias*. Vatablus. *inſidioſos congreſſus & aſſultus.* Verſ. 12. *Quo-* *verſ. 12.* *niam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem: ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harũ, contra ſpiritualia*

ronomii cap. 25. vers. 17. Ruth cap. 4. vers. 7. Vel calceus significat libertatem, sic Hebræi egredientes Ægyptiacâ servitute jubentur calceamenta habere, ècontra dum ducuntur captivi in Assyriam sunt nudis pedibus. Isaiæ cap. 20. vers. 3. Calceus militis Christiani ex S. Gregorio Nysseno de vitâ Moysis, est vita dura & aspera per mortificationē. Vel (ut volunt Hieronymus, Prado in cap. 6. Ezechielis, est animus intrepidus & audax. Vel secundùm S. Gregorium, & S. Anselmum. *Calceamenta, quæ fiunt ex corio mortuorum animalium significant exempla Patrum defunctorum, quibus ab omni terrenâ læsione defenduntur. Pedes nostræ mentis, ideſt affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendum aliquid promovemur.* Cornelius ibi scribit. *Præparationem Evangelii esse calceum militis Christiani.*

XXII. vers. 16. Vers. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ideſt (inquit S. Hieronymus) Vos in omni tentatione & opere gestate scutum fidei, ut illo possitis excipere & retundere omnia tela dæmonis, quæ ignea vocat Apostolus, quia appetitum & cōcupiscentiam inflammant, ut doctissimus Origenes notat homilia 8. in Numeros.

XXIII. vers. 17. Vers. 17. *Et galeam salutis assumite.* Vel (ut vertunt Theophilactus & Vatablus.) *Galeam salutarem*, quæ caput servet & salvet. Per galeam salutis intelligitur ab Apostolo 1. Thessalon. cap. 15. vers. 8. spes salutis. *Induite loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis.* Sicut enim galea tuetur & munit caput, quod est pars corporis à quo cætera membra, & reliquum corpus pendet, sic spes salutis & beatitudinis servat & munit cogitationes, intentiones & fines. Quemadmodum dirigit & servat membra, sic intentio dirigit humana desideria, opera, & verba in salutem & Dei fruitionem æternam. Undè Ecclesia canit quotidie. *Dirigere, & sanctificare, regere, & gubernare dignare Domine Rex cæli & terræ hodie corda & corpora nostra, &c. ut hic & in æternum semper salvi & liberi esse mereamur.* Quare S. Ignatius nos monet. *Absque eo nè respirare quidem unquam velitis. Is enim mea spes est, mea gloriatio, hic denique mea indeficientes divitiæ, in quo vincula à Syriâ Romam usque circumfero, &c.* S. Ignat.

Eodem versu *Et gladium, quod est verbum Dei.* Hoc gladio Matth. cap. 4. de dęmone Christus triumphavit. Hoc gladio Sancti omnes eundem trucidarunt, singulis tentationibus afflictionibus aliquem sacræ Scripturæ locum objicientes præfata arma nobis proponit B. Albertus Jerosolymitanę Ecclesiæ Patriarcha in primâ & primitivâ nostrâ regulâ quæ incipit. *Illud in primis statuimus, &c.* cap. 14. *Quia verò tentatio est vita hominis super terram &c.* Concludit. *Gladius autem quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & cordibus nostris, & quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.* Ideſt, dirigite ad majorem Dei gloriam. Præfatæ regulæ explicatio videri potest apud nostrum Bacconium tractat. super regulam Carmelitarum; Speculum ordinis, nostri B. Joannes Sorethus, Hieronymus Gratianus, Thomas a Jesu & specialiter Joannes Baptista Lezana tomo 5. quæst. regul. in mari magno Carmelitarum. XXIV.

§. 3.

Probatur ex Patribus.

I. S. Greg. SAnctus Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace explicans illa verba Eccles. cap. 3. vers. 15. *Tempus belli tempus pacis scribit, quamquam Salomonis illud laudem, qui ut omnibus aliis rebus, ita belli etiam & pacis tempus suum veluti latâ lege decernit. Hoc unum tamen adjiciam, quod licet utriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem juxta illius legem, atque auctoritatē præclarè interdum bellum suscipitur.* Vocat belli susceptionem præclaram.

S. Augustinus. S. Augustinus epist. 1. ad Marcellum ostendit non tantùm in militantibus virtutem residere, sed etiam bella institui, ut victi virtutem amplectantur. *Si terrena respublica præcepta Christiana custodiat, ipsa bella sine benevolentiâ*

non

S. Ambr. *non geruntur, ut ad pietatis, justitiæq; pacatam societatem victis facilius, nam cui licentia iniquitatis eripitur, facilius vincitur.* Sanctus Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 40. probat plurimos militari arti addictos à virtutis exercitio non abstinuisse, sed potius in eo excelluisse. *Quam fortis Nave, ut uno prælio quinque Reges captos sterneret cum populis suis. Deinde cùm adversum Gabaonitas surgeret prælium, & vereretur nè nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamavit, stet sol, & stetit dum victoriâ consummaretur.* Pondera hæc verba, *magnitudine mentis & fidei.* Subdit. *Gedeon trecentis viris de ingenti populo, & acerbo hoste revexit triumphum, Ionathas adolescens virtutem fecit in magno prælio.* Ait *virtutem fecit*, ideſt dum dimicaret non offendit, non aliquam actionem indifferentem exercuit, sed bonam, meritoriam. Prosequitur. *Quid de Machabæis loquar, sed prius de populo dicam Patrum qui cùm essent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis suis, dolo hostium die Sabbathi maluerunt vulneribus offerre nuda corpora quàm repugnare, nè violarent Sabbathum. Itaque omnes læsi se obtulerunt morti.* Quod si observantiæ Sabbatinæ ita tenaces fuerunt, indubiè, & cujuivis alterius præcepti. *Sed Manichæi considerantes quod hoc exemplo omnis posset perire Sabbatò etiam cum ipso in bellum provocarentur ulti sunt innocentium necem fratrum suorum.* Ibi multa eleganter refert de Eleazari fortitudine & virtute, quæ sui hæredem pacem reliquit. Cap. 41. disserit de constantiâ Judæ Machabæi, Jonathæ fratris, &c. Quibus subdit. *Habes fortitudinem bellicam in quâ non mediocris honesti & decori forma est, quod mortem servituti præferat ac turpitudini.* Per *honesti & decori*, intellige virtutem, in quâ vera honestas & decor reperitur. S. Chrysostomus in Psalm. 43. *Non enim pro uxoribus, liberis & ancillis, patriâq; eversione & captivitate, sed pro lege, & Patriæ Republicâ pugnabant. Eorum autem Dux erat Deus.* Infra. *Ad bellum autem euntes non tragœdias excitabant, non pœna canebant sicut nonnulli faciunt, non adsciverùnt tibicines, ut sit in aliis castris, sed Dei supernè auxilium invocabant ut adesset, opem ferret, & manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cujus gloriâ decertabant.* Et homiliâ in Evangelio de nuptiis, Joannis cap. 2. ex variis. *Militiam prætexis, & dicis non possum esse pius, Centurio nonnè miles erat, nihilq; nocuit illi sua militia.* Auctor homil. de urbis excidio inter opera S. Augustini scribit plurimos milites obsessos, & expugnatos fuisse beatitudinem consecutos. *Vtinam* (inquit) *videre possemus oculis animas sanctorum qui in isto bello mortui sunt. Tunc videritis quomodo Deus pepercerit civitati. Millia enim sunt Sanctorum in refrigerio, lætantium & dicentium, Deus gratias tibi, quia nos à carnis molestiis liberasti.* Sanctus Prosper de vocatione gentium lib. 2. cap. 33. *Quidam Ecclesiæ filii ab hostibus capti Dominos suos Christi Evangelio manciparunt, & quibus conditione bellicâ serviebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alii barbari dum Romanis auxiliarentur, quod in suis locis nosse non poterant in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum Christiana Religionis institutione remearunt.* Non igitur bellum semper nocivum est, quandoquidem milites gentiles è tenebrosâ abyssô idololatriæ ad lumen fidei, & religionis Christianæ emergant, & patriâ egressos filios Diaboli ad eam filios Dei remeare videamus.

S. Prosper.

S. Chrysostomus

Tertullianus vicinus temporibus Apostolorum in Apolog cap. 24. *Navigamus* (inquit) *& nos vobiscum & militamus & rusticamus, & mercamur.* S Gregorius Turonensis lib. 5. historiarum cap. 1. ad Principes Christianos hæc verba dirigit. *Vtinam & vos ô Reges in his prælia, in quibus parentes vestri, exercetis, ut gentes vestrâ pace contenta vestris viribus premerentur.*

II. Tertullianus.

Omissis plurimis aliis Patribus proferam vnicum S. Bernardum, qui sermone ad milites templi hæc mellis fluè pronunciat, cap. 1. *Impavidus profectò miles, & omni ex parte securus, qui ut corpus ferro, sic animam loricâ fidei induitur. Vtrumque nimirùm munitus armis, nec dæmonem timet, nec*

III. S. Bernardus.

hominem

Hominem, nec verò mortem formidat, qui mori desiderat. Quid enim vel vivens, vel moriens metuat, cui vivere Christus est, & mori lucrum. Stat quidem fidenter, libenterq. sed magis cupit dissolvi, & esse cum Christo, hoc enim melius. Securè igitur procedite milites, & intrepido animo inimicos Crucis propellite, certi, quia neque mors, neque vita poterit vos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Illud sanè vobiscum omni periculo replicate, sivè vivimus, sivè morimur, Domini sumus. Pondera hæc verba. *Securi igitur procedite ad bellum, &c.* Quibus testatur ejusmodi bellum non esse illicitum. Consequenter vocat eos milites martyres, qui in tali certamine occumbunt. *Quam gloriosi revertuntur victores de prælio, quàm beati moriuntur Martyres in prælio! Gaude fortis Athleta si vivis & vincis in Domino: sed magis exulta & gloriare, si moreris & jungeris Domino. Vita quidem fructuosa, & victoria gloriosa, sed utrique mors sacra jure præponitur. Nam etsi Beati, qui in Domino moriuntur, non multò magis, qui pro Domino moriuntur. Et quidem sivè in lecto, sivè in bello quis moritur, pretiosa erit sine dubio in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Cæterùm in bello tantò profectò pretiosior, quantò & gloriosior.* Subjungit egregiam exclamationem. *O vita secura, ubi pura conscientia! O inquam, Vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione! O verè tuta & sancta militia, atque à duplici illo periculo prorsus libera, quo id hominum genus solet frequenter periclitari. Vbi dumtaxat Christus non est causa militandi.* Caput tertium his verbis auspicatur. *Milites Christi securè præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de suâ cæde periculum quandoquidem mors pro Christo, vel ferenda, vel inferenda nihil habeat criminis, & plurimum gloria mereatur. Hinc quippè Christo, indè Christus acquiritur, qui nimirùm libenter accipit hostis mortem pro ultione, & libentius præbet seipsum militi pro consolatione. Miles (inquam) Christi securus interimit, interit securior. Sibi præstat cùm interit, Christo cùm interimit. Non enim sine causâ gladium portat, Dei enim minister est ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Consequenter declarat qualis censeri debeat, qui in bello pro propugnandâ Ecclesiâ aliquem interficit. *Sanè cùm occidit malefactorem, non homicida: sed (ut ita dixerim) malicida, & planè Christi vindex in his qui malè agunt, & defensor Christianorum reputatur. Cùm autem occiditur ipse non periisse, sed sed pervenisse cognoscitur. Mors ergò, quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit suum. In morte Pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur. In morte Christiani regis liberalitas aperitur, cùm miles remunerandus educitur.* Paulò post. *Non enim vel Pagani necandi essent, si quo modo aliter possent à nimiâ infestatione seu oppressione fidelium cohiberi. Nunc autem melius est, ut occidantur quàm relinquatur virga peccatorum super sortem justorum; nè fortè extendant justi ad iniquitatem manus suas. Quid enim? si percutere gladio omninò fas non est Christiano, cur ergò Præco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit, & non potius omnem militiam interdixit. Si autem (quod verum est) omnibus fas est, ad hoc ipsum dumtaxat divinitus ordinatis, nec aliud sanè quidquam melius professis, quibus quæso potius quàm quorum manibus & viribus urbs fortitudini, nostra Sion pro nostro omnium munimine retinetur, ut depulsis divinæ transgressoribus legis secum ingrediatur gens justa custodiens veritatem, &c.* Idem epistolâ 129. scribens Januensibus docet quibus bellum sit inferendum. *Quid si militare placet, & vestra fortitudinis, ac strenuitatis iterum experiri vires, arma probari delectat, non equidem id præsumendum adversus vicinos & amicos, cum magis Ecclesiæ inimicos expugnare deceret, &c.*

§. 4.

Probatur specialiter ex Pontificibus Romanis.

1. S. Gregorius.

SI militia est illicita Sedes Apostolica eam detestata fuisset, at oppositum patet in S. Gregorio Papâ, qui floruit sæculo sexto, hortatur Gennadium Patricium & Exarchum Africæ lib. 1. epist. 72. ut hæreticos bello compescat. *Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vitâ Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eum inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis & corporis obviare, quatenus ejus ex utroque triumpho magis ac magis enitescat opinio cùm & forensibus bellis adversariis Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prælia, sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est hæreticæ religionis viros si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda (si valuerint) Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Catholicam, Domino eis adversante, colla subrigere, & fidem vestræ Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.* Concludit. *Persolventes præterea paternæ charitatis affectum Dominum petimus, quo brachium vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, & mentem fidei velut mucronem gladii vibrantis exacuat.* Eidem Gennadio scribens epist. 73. gratias agit pro beneficiis S. Petro collatis. *Si non ex fidei merito & Christianæ Religionis gratiâ, tanta excellentia vestra bellicorum actuum prosperitas eveniret, non summopere mirandæ fuerat, cùm sciamus etiam hæc antiquis bellorum ducibus fuisse concessa, sed cùm futuras Deo largiente victorias non carnali providentiâ, sed magis orationibus prævenitis, fit, ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat. Ubi enim meritorum vestrorum loquar non discurrit opinio? quæ bella vos frequenter appetere, non desiderio fundendi sanguinis, sed tantùm dilatandæ Reipublicæ, in quâ Deum coli conspicimus, loquitur quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaq; discurrat.* Concludit. *Petimus Dominum Salvatorem nostrum, qui eminentiam vestram pro solatio Reipublicæ sanctæ misericorditer protegat, & ad dilatandum per finitimas gentes nomen ejus magis magisq; brachii sui firmitate confortet.* Idem variis militiæ Præfectis scribit, quos non à militiâ avocat, ut Christianæ Religionis Professoribus illicita hoc lib. 1. epist. 3. Mauritium Magistrum militum commendat Scholastico. *Veniente autem viro magnifico Domino Mauritio Cartulario, & quæso ut in Romanæ Vrbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur, &c.* Epist. 47. Egrè fert oppressiones Theodori Ducis, sed statum militarem nõ damnat epist. 58 scribit Gennadio Patricio & Exarcho Africæ ut Theodori Magistri militum violentias comprimat. *Vt ab Ecclesia se lasione removeat, & nullus eorum in angariis seu commodis ultra quàm scivit ratio prægravetur.* Non usum tolli, sed abusum emendari mandat. lib. 2. epist. 64. seu cap. 103. ostendit non virtuti militiam, sed omnipotentiæ Divinæ attribuendam Persarum subjectionem, ideòque non esse ab Imperatore impediendam habitus monastici susceptionem *Nunquid per virtutem militum subjugavit ei Omnipotens imperium Persarum, &c.* Lib. 7. epist. 10. de Tulliano Magistro militiæ defuncto honorificè loquitur. *Gloriosa* (inquit) *memoriæ Tulliani Magistri militiæ.* Lib. 8. epist. 48. Joanni Episcopo Syracusano commendat Apollonium Magistrum militum hoc insigni verborum tenore. *Quamvis glorioso Apollonio Magistro militum communi filio paternam vel pietatem noverimus impendere: quia tamen eundem dilectionis modum, quem circa eum sacerdotaliter exhibetis, nostris credidit apicibus augmentandum: idcircò eum fraternitati vestræ his epistolis commendamus, hortantes ut paternam*

in

in vobis, ſicut decet conſolationem inveniat, & ſolatiis veſtris, ſicut uſus exegerit, comitante juſtitiâ potiatur, quatenus dum veſtram erga ſe amplius fuerit dilectionem expertus, & ipſe quod de vobis confidit agnoſcat, & noſtram ſentiat epiſtolam profuiſſe. Eundem Apollonium commendat Leontio Conſuli lib. 10 epiſt. 4. cauſam Maurētii Magiſtri militum Fautino defenſori epiſt. 5. Mariniano Epiſcopo Rauennæ, epiſt. 6. Theodorico Curatori epiſt. 20. Eidem Maurentio militum Comitiolum commendat.

II. Sæculo nono Leo IV. ut refertur in Canon. *agitur*, 23. quæſt. 5. *Quia* (inquit) *quidam in Romanorum portum Saracenus, quidam clam, furtimq; venturum eſſe dicebant, noſtrum congregari præcipimus populum, maritimumq; ad littus deſcendere decrevimus.* Platina in vitis Pontificum ſcribit Urbanum II. (qui floruit ſæculo undecimo) fuiſſe virum tam doctrinâ, quàm vitæ ſanctitate conſpicuum, & Pontificatu digniſſimum. Is anno Domini 1084. in Concilio Claromontenſi Principes Chriſtianos ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum hortatus eſt. Quod negotium optimè ſucceſſit, nam per Balduinum Siciliam, & per Bohemundum Antiochiam è Turcarûm manibus recuperarunt.

III. Paſchalis II. ejus ſucceſſor, & divinitus electus, licet renuiſſet, nec acceptaturus fuiſſet niſi populus ter acclamaſſet. *Sanctus Petrus nobis Rainerum* (ſic enim vocabatur) *virū optimū Pontificem elegit.* Hic ergò hortatus eſt, & congratulatus Godefrido Bullonienſi ob Jeroſolymam ſecundò captam, cujus omnium Chriſtianorum communi calculo Rex fuit conſtitutus.

IV. Gelaſius II. de quo Platina, ſi quis vitam ejus continentiſſimam, ſi quis mores, ſi doctrinam inſpexerit, virum ſanctiſſimum, omniq; laude digniſſimum aſſeret. Is vix promotus ad Pontificatum, quin ſtatim Balduinum litteris & Nunciis hortatus eſt, ut tamdiu ſuſtineret Turcarum & Saracenorum impetum, donec in Aſiam mitterentur copiæ auxiliares, obiit anno 1119.

V. Cœleſtinus II. de Deo & hominibus benè meritus (inquit Platina) hic habito Laterani Concilio nongentorum Patrum, eorum aſſenſu decrevit ut primo quoque tempore mitteretur auxilium militare Chriſtianis in Aſiâ bellum gerentibus. Idem ſcribit quod Balduinus Rex Jeroſolymę hâc ſpe fretus Gaezim Regem Turcarum Aſiam minorem incolentium, licet magnis copiis inſtructum ſuperavit, & captum in vincula conjecit, imò Regem Damaſci venientem Jeroſolymam cum exercitu & hoſtili animo fudit, fugavit, duobus millibus hoſtium cæſis, & mille captis, moritur anno 1124.

VI. Eugenius III. (inquit idem Platina) fuit electus à Cardinalibus divino nutu, & in Galliam profectus Regem Ludovicum induxit, ut cruce ſignatus pergeret contra Turcam, obiit anno 1153.

VII. Lucius III. (quem Platina vocat optimum) in Concilio Veronenſi hortatus eſt Principes Chriſtianos, ut Chriſtianis in Aſiâ laborantibus auxiliarentur, illud Religionis quibuſvis aliis negotiis præferrent, deceſſit è vitâ anno 1185.

VIII. Idem Platina nominat Gregorium VIII. ſanctiſſimum. Is omnium conſenſu creatus, Nuncios & litteras ad Principes Chriſtianos mittit, excitatque, ut viribus omnibus comparato exercitu terrâ & mari Jeroſolymam ab hoſtibus captam recuperarent, migravit in cælis anno 1187.

IX. Clemens III. Vir ſanctiſſimus ac rerum Eccleſiaſticarum comparandarum ſtudioſiſſimus, plurimis Principibus Chriſtianis ſuaſit, ut adverſus Turcam arma caperent, è quibus præcipuè fuêre Fredericus Imperator, Philippus Rex Galliarum, Richardus Rex Angliæ, Odo Dux Burgundiæ cum multis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ad immortalem vitam tranſiit anno 1191

X. Platina de Innocentio III. ſcribit, & ait duxiſſe vitam benè, beatèque, & ut bonum Paſtorem, is unanimi Cardinalium acclamatione creatus Pontifex, ita bello Aſiatico animam adjecit, ut Germanos ob Henrici mortem in Aſiâ tumultuantes, litteris,

Nunciis, Præmiis, promissionibus in officio continere studuerit, vitam finivit anno 1216.

XI. Honorius III. Platinâ teste, pius & bonus Pastor, misit Joannem Columnam Cardinalem ad res Asiæ componendas cum ingentibus copiis in illum finem collectis, in quâ legatione optimè suo munere functus est, vitam cum morte commutavit anno 1216.

XII. Applaudente Honorio IV. Ladislaus Hungariæ Rex strenuissimè restitit copiis & armis Amurato Turcarum Imperatori, ita ut hic campo cedere coactus fuerit, præfatus Eugenius mortalitatis hujus exuvias reliquit anno 1446.

XIII. Sub Callisto III. Amuratis filius & successor apud munitissimum oppidum Belgradi fugatus fuit cum copiosissimo exercitu per modicas copias Christianorum. Idem Pontifex induxit Cæsarianium, ut bellum in Turcas verteret. Hic multa prælia gessit contra Duces Ottomanos, Historia Ecclesiastica refert simili zelo debellandi Turcam fuisse incensos Gregorium IX. Innocentium IV. Alexandrum IV. Gregorium X. Joannem XXII. Martinum IV. Nicolaum IV. Innocentium VI. Urbanum V. & novissimè Clementem IX.

§. 4.

Probatur ex victoriis Cælesti ope, potius quàm humanâ reportatis.

I. Eusebius. TEstatur Eusebius lib. 9. cap. 9. quod Constantinus Imperator pugnans contra Maxentium in medio certamine signum Crucis aspexit in cœlo, & Angelos audivit sibi dicentes, *In hoc signo vinces.* Sanctus Augustinus lib. 5. de Civitate cap. 26. narrat quod cùm Theodosius Imperator Junior esset omninò impar hostilibus armis numerosissimo exercitui Eugenii Tyranni. *Milites nobis aderant* (inquit) *retulerunt extorta sibi de manibus quacunque jaculabantur, cùm à Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solum quacunque in eos jaciebantur concitatissimè raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorquebat.* S. Augustinus. Huic auxilio divino alludens S. Ambrosius canit illud Psaltis Regii psal. 36. vers. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Quibus subjicit. *Sapè* (inquit) *in ipsos, qui ea jecerunt refunduntur, quod etiam proximo accidit bello, ut subitò ventus, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium, atque missilia in peccatoris exercitum rètorqueret.* S. Ambr. Cujus conflictus meminit etiam Paulus Orosius lib. 7. cap. 35. ubi postquam descripsit Imperatorem in preces & lacrymas effusum, subdit. *Continuò magnus ille & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit. Ferebantur per aerem spicula missa nostrorum, atque ultra mensuram humani jactus manus in aere portata, nusquam propemodum cadere priusquam impingerent, sinebantur. Tela etiam quæ hostes vehementer intorserant excepta ventis supinata, ac retrorsum coacta ipsos infæliciter configebant.* Theodoretus lib. 5. cap. 24. quod pridie istius certaminis, cùm Imperator Theodosius immensas hostium, ac modicas suorum vires conspexisset, addit non despondisse animum, nec incundi certaminis mutasse consilium, sed intrepidum, ac in Domino confidentem dixisse, ut Herculis statua, quam Eugenius in suo exercitu præferebat victrix evaderet, & Crux Christi, quam ipse præeuntem sequebatur victa despiceretur. Quare noctem integram in oratione excubanti apparuerunt Sancti Apostoli Joannes & Philippus pollicentes se futuros antesignanos exercitus Christiani, nec spem fefellit eventus. Nam prælio incœpto tutelares illi duces, juvando ac patrocinando promptissimi adfuerunt, & non tantùm turbines violentos suscitarunt, qui adversariorum spicula vehementius retorquebant, sed etiam ingentes pulveris nubes immiserunt, quibus hostes percussi suos oculos claudere, vel amittere cogebantur. Quamvis hæc prædia fuerint exigua, tamen Cæsareus exercitus tam prosperum successum habuit, ut fusis, fugatisque hostibus tandem ad tyran-

num

num ſpe victoriæ plenum in colle ſublimi recumbentem, & minimè de ſuo extremo fato cogitantem involarint. Qui faſtu tumens,& quos ſentiebat irrepere, quaſi ſuos interrogans an Cæſar victus ac vinctus adduceretur, illicò accepit non Theodoſium ad Eugenium deduci, ſed Eugenium ad Theodoſium deducendum, ideoque porrigeret manus ad vincula,collum ad jugum ſuſcipiendum,denique ſolium in carcerem inexpectatum mutatum fuit. S. Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei cap. 23. narrat exercitum Honorii ſubſidio cœleſti invincibilem de Gothis victoriam retuliſſe. S. Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſtoriæ cap. 30. ait Clodoveum Regem ſimili ope de hoſtibus triumphaſſe. Ex Theodoreto, cùm Roilas Dux Scytharum cum maximo exercitu pergeret adverſus Theodoſium Juniorem, & jam Conſtantinopolim appropipquaret, Deus immiſſis fulminibus & facibus è cœlo cunctas ejus copias Chriſtiano, pioque Imperatori inimicas diſſipavit.

II. Nicephorus lib. 14. narrat, quod cum Ardaburius ejuſdem Theodoſii exercitus Dux contra Perſas prælia retur Angeli quidam nonnullis è Bythinia Conſtantinopolim pergentibus apparuere dicentes, ut cunctos bono animo eſſe juberent, ſe namque miſſos à Deo,qui Romanis opem ferrent, acciditque, ut commiſſo prælio Saraceni, quibus Perſæ inprimis fidebant, timore correpti, cum viderentur videre ſe undique concludi à Romanis, fugam arripuerunt, ſeque in Euphratem præcipites dederunt, ibique centum millia virorum perierunt.

III. Anno 915. Cum Joannes X. exercitũ miſiſſet in Apuliã adverſus Saracenos, Sanctos Apoſtolos Petrũ & Paulum in illo certamine conſpectos fuiſſe ait victoriam Apulienſibus peperit, inquit Luitprandus cap. 14. Cùm Ravimirus totam diem pugnaſſet adverſus Saracenos circa annum 826. ad veſperam uſque in editum locum ſe recepit, ubi cuncti metu perterriti ad orationem ſe converterunt. Tum Ravimiro aſtitit in ſomnis S. Jacobus præcipiens ut omnes confeſſione ſacramentali ſua peccata diluerent, & poſt ſuſceptam ſacram Synaxim ad certamen procederent. Experrectus Rex ſomnum expônit, & mox omnes juſſis paruerunt, ſignaque contulêre, hoſtiumque ſexaginta millia cecidêre. In eo conflictu S. Jacobus equo albo inſidens vexillum niveum quod rubea Crux tranſverſa diſtinguebat, apparuit, ab eo tempore Hiſpani ejuſmodi vexillum geſtarunt, & pugnantes S. Jacobum invocarunt.

Dux Curinenſis in fines Bohemiæ IV. cum maximo exercitu ingreſſus eam Provinciam vaſtaturus, Venceſlaus Dux Bohemiç piiſſimus coactis copiis ei occurrit,& ut multorũ cędibus parceret ſingulare certamen obtulit. Ubi ad manus ventum eſt, Angeli apparuerunt, ut Venceſlaum protecturi arma ſubminiſtrarent. Eo viſu territus Curinenſis ex equo deſiliit veniã rogans, id accidit anno 1098. Cùm in expeditione Saracenorum An iocheni eſſent in maximâ deſperatione rerum, & extrema quæque ſibi timerent, quod innumeroſiſſimos Saracenorum, Turcarum, & Perſarum exercitus contra ſe progredi intuerentur, ipſi verò fame confecti vix poſſent movere pedem, pauciſſimos equos haberent, quibus in bello poſſent uti. Sanctus Andræas apparuit cuidam Petro Clerico è Provinciâ, monuitque ut Principibus militiæ Chriſtianæ, ſuo nomine ediceret, ut in Eccleſia Principis Apoſtolorum lanceam, quâ transfixus eſt Chriſtus, defoſſam humo quærerent, locum verò ubi occultabatur deſignavit, eâque prælatâ procederent ad bellum, polliceturque victoriam, quâ reportatâ, ſpolia multa & varia, optimaque ſunt adepti, Tyrius lib. 6. cap. 4. & 19.

Cùm olim Mahometes obſediſſet V. Rhodum,& Solimanus per ſuos Duces Melitam, viſus eſt tunc quidã in aere qui Turcas ſtricto gladio minitabundus ab ingreſſu Rhodi, & Oppidi ſancti Michaelis in Melita repulere, & Joannes Baptiſta militum patronus creditur fuiſſe. Olim Galli procedentes ad bellum contra hoſtes maximè hæreticos præmittebant exercitui

suo vexillum nomine Flammeam, quæ in Ædc sacrâ S. Dionysii asservabatur, & ab eâ in extremis periculis victoriam glorioſam reportarunt, ut post alios fusè deducit Papyrius Massonius.

VI. Cùm Solymanus Turcarum Princeps copioſiſſimum exercitum in Sabariam Pannoniæ Urbem duxiſſet, & obsediſſet, nec ulla spes affulgeret ab humanis auxiliis posse subveniri, Nicolitia Præsidii Dux Deo fretus adversus tantum hostem movit suas copias licet exiguas. Cùmque mœnibus adhæreret brevi omnia ferro & incēdio daturus, apparuit in aere eques qui stricto gladio juvare videbatur, quo spectaculo territus hostis fugam arripuit, & Sabariam liberavit. Creditur quod is esset S. Martinus illic oriundus.

VII. Cùm Rex Persarum Sergiopolim obsediſſet, eamque defensoribus vacuam intellexiſſet, adoriri voluit, at instructo exercitu vidit innumeros milites in mœnibus disposito, optimèque armatos. Cùmque certò sciret id naturæ viribus fieri non posse, judicabit hoc opus esse Sergii Martyris. Quare solutâ obsidione receſſit, & Sergium Martyrem summoperè colere cœpit. Alphonsus Rex Lusitaniæ cùm Boetiam obsidione cinxiſſet, fuit in somnis admonitus & confirmatus à sancto Isidoro, quod in eo prælio innumeras copias Saracenorum profligaret. Quod oraculum probavit eventus. Ecce quomodo bella justa sunt licita, quandoquidem Christi, Apostolorum, & aliorum Sanctorum subsidio fideles de hostibus triumphent. Nemo audebit asserere dæmonem illorum Divorum imaginem assumpsiſſe, quomodo enim fieri potest pro Christo contra se militent, cùm sit certiſſimum illis victoriis Ecclesiam magis propagatam, & religionem maximum augmentum feciſſe. Deindè certum est, quod Christianis magis Deus favere desideret, quàm olim Hebræis.

§. 5.

Probatur ex Jure & Ratione.

POstquam jura fuerunt condita, Magiſtratusque & Principes creati, juris publici disciplina fuit constituta, ac stabilita judicia, nè quisque sibi offensæ vel injuriæ sibi illatæ ultionem arrogaret C. de judic. l. *nullis*, Castrens. consil. 400. in princip. vers. *postquam verò*, lib. 1. Tuschus litterâ B. concl. 33. num. 3. Quod si passus injuriam, [& spolium suarum fortunarum se non posse viâ juris recuperare, auctoritate publicâ ac publicâ, seu viâ facti procedere, Castrensis supra & alii. I.

Accedit Ratio licitum est Reipublicæ & Principi tueri cives suos ab internis hostibus pacis & perturbatoribus, hos varii suppliciorum generibus afficiendo. Igitur licitum etiam erit eosdem cives suos ab hostibus defendere bello & armis, si aliam viam inire nequeat. Secundò ut Reipublicæ bona possint conservari, necessarium est, ut hostes tam interni, quàm externi possint arceri. Et cùm hoc sit de jure naturæ minimè credibile est quod sit in lege Evangelicâ sublatum, tamen non constat ullâ lege esse prohibitum. Tertiò ex Apostolo Roman. cap. 13. vers. 4. Principes Christiani habent jus gladii, quo uti possunt ut puniant publicos malefactores. Possunt igitur etiam illo uti ad vindicandam publicam injuriam. II.

§. 6.

Solvuntur Argumenta contraria petita ex Scripturâ.

PRimum, Deuteronomii cap. 32. vers. 35. *Mea est ultio & ego retribuam.* Ideſt mihi competit, ad me spectat ultio, meum est ulciſci. Respondeo vindictam quàm publicæ personæ exercent, rectè vindictam Dei nuncupari, quia sunt ministri in I.

hoc

hoc ipſum deſtinati. Undè poſtquam Apoſtolus Rom. cap. 12. verſ. 19. dixit *Mihi vindicta, ego retribuam dicit Dominus.* Vatablus. *Meum eſt ulciſci.* Quaſi diceret, Ego Deus ſum, omnium juſtiſſimus proviſor, judex & vindex, cujus munus proprium eſt injurias ulciſci, & de iis pœnas ſumere. Subdit cap. 13. verſ. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris time. Non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ideſt miniſter Dei eſt ad ſupplicio afficiendos malefactores. Ad hoc enim Princeps, ſeu Magiſtratus eſt, ut conſervet pacem publicam, & honeſtatem & ſocietatem vitæ communis tueatur.

II. Secundum, Iſaiæ cap. 2. verſ. 4. *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælia.* Ideſt tempore legis gratiæ non bellabunt Chriſtiani. Reſpondent Manichæi, Agrippa, Eraſmus, Anabaptiſtæ bellum in ſe eſſe malum, quod licet Judæis, utpotè imperfectis fuerit permiſſum: tamen ſublatum eſt, & vetitum à Chriſto, & Apoſtolis. Sed hæc reſponſio falſa eſt. Reſpondet ſecundò non minus ſtolidè, impudenter ſeu potius impiè Lutherus, bellum non tantùm offenſivum, ſed etiam defenſivum eſſe prohibitum Chriſtianis. Ratio ejus eſt. Turca eſt flagellum Dei, qui ergò ei reſiſtit, Deo reſiſtit. At pari ratione concluſiſſet, nec Diabolo, nec ulli ſcelerato eſt reſiſtendum, quos tamen Deus jubet compeſci, imò interfici. Quemadmodum igitur Deus permittit, ut dæmon & impii non tentent & vexent, ſic ex adverſo vult ut ei reſiſtamus, niſi expreſsè oppoſitum revelet, ſicut Deus revelavit Judæis, ut ſubjicerent Jeroſolymam Regi Nabucodonoſor. Melius reſpondet tertiò S. Cyrillus poſt Chriſtum & in lege novâ non eſſe tot & tanta bella, nec in viſceribus orbis ſicut erant ante Chriſtum. Sic lib. 4. Regum cap. 6. verſ. 13. dicuntur Syri non ultra veniſſe in fines Iſrael, quia ratius venerunt quàm ante. At hæc reſponſio eſto ſit vera, non tamen ſatisfacit, nec haurit vim & fundum oraculi Iſaiæ. Quare reſpondet quartò ſanctus Hieronymus & Euſebius lib. 1. de præparatione cap. 1. hoc oraculum explicandũ eſſe de Nativitate Chriſti quando Jani templo clauſo in mundo pax altiſſima diu duravit. At hæc reſponſio non ſatisfacit, cùm pax perpetua promittatur, at pax illa non fuit abſoluta, diuturna, ſeu æterna. Deindè pax vaticinio Iſaiæ promiſſa non debebat præcedere Chriſtum, ſed ſequi & introduci per prædicationem Chriſti, ut patet ex eodem verſu. *Et judicabit gentes & arguet populos multos.* Reſpondet ultimò Cornelius, quod quando Deus pollicetur aliquid Synagogæ vel Eccleſiæ licet verbis amplis & univerſalibus, tamen id intelligendum de bonis & probis dumtaxat, qui fœdus & amicitiam cum Deo promittentes ſervant. Hæc igitur pax de Chriſto, & in Nativitate ejuſdem ab Angelo decantata univerſalis & vera eſt reſpectu fidelium, qui Chriſti legem & doctrinam, &c. ſequuntur. Hi ergò ſi bellum movent juſtum eſt, cùm ſuum recipere cupiant. Undè (inquiunt Tertullianus contra Gnoſticos cap. 13. Origenes lib. 5. contra Celſum. Iræneus lib. 4. cap. 67) non bellum in ſe, ſed per bellum pacem & juſtitiam quærunt.

III. Tertium eſt Michææ cap 13. verſ. 3. *Et concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones. Non ſumet gens adverſus gentem gladium, non diſcent ultra belligerare.* Verſ. 4. *Et ſedebit vir ſuper vitem ſuam, &c.* Reſpondet Cornelius ut ſupra, quod Chriſtus quantùm eſt in ſe ex parte ſuâ vi gratiæ & Evangelii ſui tollet omnia diſſidia & bella, & perſuadebit ut gentes deponant arma bellica, & ea mutent in inſtrumenta pacis, & in aratra & ligones, quibus tempore pacis terra colitur. Reſpondet ſecundò Ribera, diu poſt Chriſti mortem fuit pax inter Gentiles converſos.

IV. Quartum, Matthæi cap. 5. verſ. 39. prohibet bellum. *Ego autem dico vobis reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit dexteram maxillam tuam, præbe & illi alteam.* Syriacus. *Sed quiſquis percuſſerit*

ferit te supra maxillam tuam, obverte ei & alteram. Theophilactus & Varablus. *Qui, quis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, &c.* Respondent Augustinus lib. de mendacio cap. 15. Paschasius lib. 3. in Matthæi. Dum colaphis cædimur in faciem aliquando responsum dandum pro nostrâ causâ & innocentiâ justificandâ instar Christi, qui respondens Pontificis servo, erat tamen in mente paratus ad obvertendam maxillam percutienti, si ad majorem Dei gloriam opus fuisset, ut patet ex ejus verbis Isaiæ 50 Isaiæ cap. 50. vers. 6. *Faciem non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Et testatur S. Joannes cap. 19. Ioan. 19. vers. 3. *Dabant ei alapas.* Eum imitati sunt Apostoli, ut testatur Apostolus 1. Corinth. c. 4. v. 11. 1. Corinth. cap. 4 vers. 11. *Colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimus.* Respondet secundò Albertus, quòd *Ex æquanimitate animi semper debemus esse parati recipere ictum secundum & tertium, & sic deinceps. At quando prævalet inimici malitia, ex charitate corripiendus est, in hoc benè fit adversario sicut fecit Christus.* Et docet Sanctus Gregorius homiliâ 5. in Ezechielem. Respondeo tertiò Christum hortari ut non resistas malo, idest, ut non quæras vindictam privatam, sed potius paratus sis præbere alteram maxillam, idest accipere alteram injuriam, quàm ulcisci acceptam. Hoc est necesse, non sequitur indè quod bellum sit illicitum, quia qui infert bellum, id facere nec debet ex affectu privato vindictæ, sed ex intentione rectâ boni publici.

V. Quintum, Jesus dixit Petro amputanti auriculam servi Pontificis Sacerdotum Matthæi cap. 26. vers. 52. *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperit gladium gladio peribit.* Syriacus. *Reconde gladium in vaginam suam.* Pagninus. *In techam suam.* Ratio Christi est, *Omnes enim, &c.* Syriacus. *Omnes enim qui acceperint* S. Ambr. *gladios gladio morientur.* Respondet S. Ambrosius lib. 3. officior. cap. 4. *Noluit se Christus à persecutionum defendere vulnere, qui voluit omnes suo vulnere salvare.* Idest prohibet pro se liberando quempiam percuti, ut ostendat, quàm sit alienum à Deo bonum quærere de alterius malo. Christus venit, ut mundi plagas curaret, quare prohibet, nè sui causâ aliquis vulneretur, non enim consuevit Deus aliquibus conferre sanitatem aliorum læsione. *Non videtur quod vir sapiens & justus quærere sibi vitam alienâ morte debeat.* Inquit idem Sanctus Ambrosius citatus. Respondet secundò idem Doctor in cap. 22. Lucæ ad illa verba Lucæ cap. 22. vers. 36. *Qui non habet vendat tunicam & emat gladium.* Subdit. *O Domine cur emere me jubes gladium, qui ferire prohibes? cur haberi me præcipis, quem prohibes promi? nisi fortè ut sit parata defensio, non ultio necessaria, & videar potuisse vindicari: sed noluisse: ut in lege æquitatis eruditio in Evangelio bonitatis perfectio.* Uno verbo præcipit gladium emi, prohibet evaginari, si defuisset gladius necessitas esset non ferire, non voluntas non posse ulcisci est nota infœlicitatis, abstinere est signum præclaræ virtutis. *Vt sit parata defensio, non ultio necessaria, & videar potuisse vindicare & noluisse.* Sic lib. 4. Regum cap. 6. Cùm milites Syri missi essent ad capiendum Eliseum, à Deo fuerunt excœcati, & ducti ad Regem Israel, quos cùm Rex Israel videret petiit à Propheta vers. 21. *Nunquid percutiam eos Pater mi?* Vers. 22. *At ille ait. Non percuties: Neque enim cæpisti eos gladio & arcu tuo ut percutias, sed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad Dominum suum, &c.* Quasi diceret noli ulcisci injuriam. Respondet tertiò Sanctus Leo sermone de Passione Domini. *Ait illi Jesus converte gladium tuum in locum suum, contra sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet. Dat ergo in se furentibus licentiam sæviendi, nè dilatato gloriosæ Crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret largior, & captivitas humana diuturnior.* Quasi diceret, non vult evaginari gladium, nè humanæ redemptionis Sacramentum impediretur, vel dilationem pateretur contra Christi nutum, qui passionis suæ accelerationem summoperè optabat

Luc. 22. vers. 36.

1. Reg. 6. v. 21. vers. 22.

ad

ad effundendas immensas suæ bonitatis opes. Respondet quartò Tertullianus lib. 2. de patientiâ cap 3. *Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladii opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat satisfecit per Patientiam. Misericordiæ Matrem.* Quomodò in Malcho Domini patientia vulnerata est? Quia potuisset aliquis nequam dubitare an discipulus impatiens didicisset impatientiam à Magistro. Quare Christus præcipit ei, ut gladium in vaginam recondat. *Nec unus quidem discentis gladium in ultorem probavit.* Inquit idem Tertullianus per nomen discentis intelligit Discipulum. Præcipit ergò recondi gladium in vaginam, & aure restitutâ vulnus servo illatum curavit per patientiam matrem misericordiæ. Respondet quintò noster Sylveira tomo 5. in Evangelia lib 8. cap. 3. expositione 7. numer. 151. & quæst. 20. numer. 151. quod Christus reprehendit Petrum, primò quia percussit Malchum omissis Principibus ac Magistratibus, à quibus missus erat Lucæ cap. 22. vers. 52. Secundò, quia nulla erat necessitas defendendi Christum. Nam si se ipsum vellet defendere, id præstari poterat variis modis, ut patefecit prostrando milites in terram. Tertiò, quia propositerat seipsum tradere Judæis, capi, mori pro salute humanâ juxta Patris ordinationem.

VI. Sextum, Apostolus scribens Romanis cap. 12. vers. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et vers. 19. *Non vosmetipsos defendentes charissimi.* Versio Græca, & S. Chrysostomus, *vindicantes*, Tertullianus, *ulciscentes.* Nam apud prophanos defendere idem est quod ulcisci. Sic Novius Marcellus ex Ennio. *Serva* (inquit) *cives, defende hostes*, idest ulciscere. Gellus lib. 1. cap. 9. *Defendere idem est quod depellere.* Virgilius. *Solstitium pectore defendite.* Undè etiam ipse Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, pro *Mihi vindicta, & ego retribuam*, legit. *Mihi defensa & ego defendam.* Respondeo quod prohibet Apostolus vindictam & appetitum ultionis auctoritate privatâ.

Septimum, idem Apostolus 2. Corinth. cap. 10. vers. 4. ait. *Arma militiæ nostræ non carnalia.* Qualia ergò sunt? Spiritualia, quæ refert & explicat ad Ephesios cap. 6. vers. 14. de quibus supra. Respondeo duos Textus illos scilicet 2. ad Corinthios & ad Ephesios, in primo loquitur Apostolus de militiâ, quam Apostoli & eorum successores exercent in prædicatione Evangelii, & hic sensus est, quamvis vivamus in carne humanâ, non utimur tamen carnalibus armis in Evangelii propagatione, ut sunt humana prudentia, scientia, facundia, simulatio, jactantia, adulatio, gravitas affectata, quæ apud homines mundanos sunt familiares, sed utimur præsidiis divinis, scilicet zelo, oratione, patientiâ, charitate, virtute miraculorum, quæ conducunt, ut destruantur humanæ munitiones cujusmodi sunt potentia sæcularis, eloquentia, sophismata, Principum favor & similia. Hoc sensu dicit 1. Corinth cap. vers. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus & virtutis. Ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.* In secundo Textu loquitur de militiâ exercendâ ab universis Christianis contra dæmonem. Quia verò dæmon nos impugnat armis spiritualibus, seu pravis suggestionibus; ideò vicissim nos debemus uti armis spiritualibus, scilicet verbo Dei, fide, justitiâ, &c. quibus illi resistamus. Neuter Textus vetat bellum externum, quod geritur contra hostes externos. Undè non benè sequitur Apostoli cùm prædicant verbum Dei abstinere debent à mediis humanis, sed uti divinis. Igitur veritum est bellare. Neque hoc Christiani contra Dæmonem uti debent armis fidei, justitiæ, &c. Igitur nequeunt contra homines uti corporalibus armis. VII.

§. 7.

Satisfit Objectionibus desumptis ex Decretis Ecclesiæ, Patribus, & Ratione.

I. PRimum, Concilium Nicænum Canone 11. pœnitentiam gravissimam injungit iis, qui militiam, cui renunciaverant, repetierint. *Si qui per gratiam Dei vocati, primò ostenderunt fidem suam depositò militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum reversi sunt, ut & pecunias darent, & ambirent rursum redire ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes.* Quæ verba refert Gratianus de consecratione distinct. 5. canon. *si quis.* Respondeo illa verba esse intelligenda de militibus, qui postquam facti essent Christiani, iterùm militare volebant Licinio Imperatori infideli, & parati erant fidem Christianam deserere, & falsam profiteri, ut patet ex his particulis, *ad proprium vomitum reversi.* Ita Valentia & Becanus post Bellarminum, Zonaram, Balsamonem, in canonem citatum Ruffinum lib. 10. cap. 6.

II. Secundum, S. Leo epist. 90. ad Rusticum, & Canon *contrarium*, de pœnitentiâ, distin. 5. scribit. *Contrarium est Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem.* Et infra. *Non est liber à diaboli laqueis, qui se militiæ Christianæ voluerit implicare.* Respondeo ibi sermonem esse de iis qui multa peccata commiserant occasione militiæ, & qui pœnitentiam egerant. Hi enim ad militiam redeuntes malè agunt, cùm ibi sint experti se non posse vivere absque offensâ, non ex vitio militiæ, sed ex proprio. Tuncque præcipuè malè faciunt, quando à Sacerdote eis fuerat præceptum nè reverterentur ad bellum.

III. Tertium, S. Gregorius distinctione citatâ, canone *falsas*, ait eos, qui exercent negotium, quod exerceri nequit absque peccato, non esse capaces pœnitentiæ, nisi ejusmodi negotio renuncient. Quod confirmat exemplo de milite. Respondeo sicut ad secundum. Cœterùm quod præfati Canones non prohibeant absolutè bellum, patet ex hoc canone *falsas.* Ubi postquam Sanctus Gregorius scripsit malè facere eos qui redeunt ad bellum post pœnitentiam, subdit, nisi consilio Religiosorum, Episcoporum pro defendendâ justitiâ.

IV. Quartum, Tertullianus de Coronâ militum post medium quærit an bellum Christiano conveniat, & respondet. *Credimus humanum Sacramentum divino superinduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum? licebit in gladio conversari, Domino pronuntiante gladio perituros, qui gladio fuerit usus, & prælio operabitur filius pacis, cui nec ligare convenit.* Respondeo primò, militiam à Tertulliano non damnari, ut per se malam, ut patet ex eodem in Apologetico cap. 5. & 24. Respondeo secundò Tertullianum, lib. citato de Coronâ militis fateri eos, qui ante Baptismum erant milites posse militiam sequi etiam post Baptismum, & dumtaxat docet eum qui liber est post Baptismum non debere ad bellum ire. *Planè* (inquit) *si quos militiâ præventos fides posterior invenit alia conditio est, ut eorum, quos Ioannes admittebat ad lavacrum, ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat, dum tamen suscepta fide atque signatâ, aut deserendum statum sit, ut multis actum, aut omnibus modò cavillandum, nè quid adversus Deum committatur.* Respondeo tertiò, præcipuas causas reddit, cur Christiani non debeant nomen militiæ dare, esse periculum idololatriæ. Nam tunc omnes ferè Principes erant Gentiles. Undè Tertullianus per accidens judicabat tunc temporis bellum esse malum. *Excubabit* (inquit) *pro templis, quibus renunciavit? & cœnabit illic, ubi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismus fugavit noctibus defensabit? Vexillum quoque portabit amulum Christo, &c.*

V. Quintum, Sanctus Augustinus in psalmum 37. scribit. *Non erare debemus*

mus ut moriantur inimici, ſed ut corrigantur. Et epiſt. 5. ad Marcellinum contra bellum multa refert. Et epiſt. 158. & alibi rogat eundem Marcellinum, ut hæreticos Donatiſtas plectat citra ſanguinem. Reſpondeo Sanctum Auguſtinum in pſalmum 37. reprehendere odium inimici, quo nonnulli preces effundunt pro morte hoſtium ſuorum. At certum eſt eſſe malum optare ex odio & cupiditate vindictæ mortem inimici: Optare tamen mortem inimico & eam inferre ſecundùm juſtitiæ ordinem non eſt malum, modò fiat nō ex odio humano ſed amore juſtitiæ & boni communis. Idem epiſtolâ 5. nihil contra bellum ſcribit, ſed potius pro bello. Epiſtolâ 158. intercedit apud judicem pro vitâ reorum, qui tunc captivi erant; & fatebantur crimen, quod etiam nunc Epiſcopi facere conſueverunt. Undè nihil ibi ad bellum, ſicut qui ſupplicat nè fur ſuppendatur, non ideo bellum prohibet.

VI. Sextum, Sanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam ad illa verba Lucæ cap. 22. verſ. 36. *Qui non habet vendat tunicam, & emat gladium.* Subdit. *O Domine cur emere me, &c.* Hunc locum ſancti Ambroſii ſupra explicavi. Addo primò nihil ibi dici de bello, quod publicâ auctoritate ſit, ſed de privatâ defenſione, ſeu ultione. Secundò, Sancti Ambroſii locus non ſpectat ad prohibitionem præcepti, ſed ad perfectionem conſilii, ut patet ex ejus verbis, ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio perfectio bonitatis.

Luc. 22. verſ. 36.

VII. Septimum, Sanctus Hieronymus epiſt ad Agerachiam de Monogamiâ ait. *Olim bellatoribus dicebatur accinge gladium ſuper fœmur tuum potentiſſimè: nunc Petro dicitur, converte gladium in vaginam, &c.* Reſpondeo ſanctum Doctorem aſſerere quod in antiquâ lege bella erant imperata à Deo, & neceſſaria ad ingreſſum terræ promiſſionis, & ejus conſervationem. At in novâ lege bella non ſunt imperata, ſed potius pax. Quia ad comparandum cœleſte regnum arma neceſſaria non ſunt. Non tamen ſequitur quin Chriſtiani ut cives Principis & temporalis Reipublicæ non poſſint bellum gerere advertus eos, a quibus fuerunt injuriis affecti.

VIII. Octavum, Origenes lib. 2. contra Celſum ante medium ſcribit Chriſtum ſuſtuliſſe omnia bella, & tractatu 7. in Matthæum explicans illud Lucæ cap. 22. *Qui non habet gladium, vendat tunicam & emat gladium.* Ait hunc Textum perniciosum eſſe iis, qui illum carnaliter intelligunt, qui de facto exiſtimant vendendam eſſe tunicam ad comparandum gladium. Reſpondeo Origenem in primo loco dicere omnia bella fuiſſe à Chriſto ſublata, non prohibita: ſed tempore ſuæ Nativitatis ſuâ providentia pacem univerſalem orbi attuliſſe, & eâdem providentiâ factum eſſe, ut totus orbis Romano Imperatori eſſet ſubjectus: ſi enim fuiſſent multi Reges, fuiſſent bella, quibus alii aliorum injurias propulſaſſent. Secundus locus nihil pronunciat contra bellum. Non enim quiſquam tam ſupidus eſt, ut exiſtimet tunicam eſſe vendendam, ut gladius ematur. ſed hoc loquendi modo Chriſtus voluit explicare Apoſtolos tempore Paſſionis dirigendos ad tales anguſtias & neceſſitates, quales patiuntur illi, qui vendunt tunicam & emunt gladium, ut ſe defendant. Ex quibus patet Chriſtum non prohibuiſſe bellum. Quod ſi idem Origenes homiliâ 15. in Joſue doceat carnalia bella non à Chriſtianis gerenda. Significat ſub Imperatore Chriſtiano militiâ Chriſtianam non eſſe carnalem contra homines, ut fuerunt bella Judæorum tempore Joſue, ſed ſpiritualem adverſus Diabolicas poteſtates. Undè concludo licitum eſſe bellum Chriſtianis, ut ſunt cives Reipublicæ Politicæ. Eodem modo reſpondendum S. Chryſoſtomo, S. Baſilio, Theophilacto ex catenâ Sancti Thomæ in cap. 22. Lucæ quos citat Eraſmus. Dicunt enim dumtaxat Chriſtum non præcepiſſe, ut verè emerent gladium.

IX. Nonum, Sulpitius in vitâ Sancti Martini narrat hunc Præſulem dixiſſe Juliano Imperatori. *Donativum*

tuum militaturus accipiat, ego Christianus sum, mihi pugnare non licet. Respondeo verba Sancti Martini (quæ Erasmus objicit) non esse fideliter relata. Non enim dixit: *Ego Christianus sum pugnare non licet, sed hactenus militavi tibi nunc patere, ut militem Deo, Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet.* Quâ responsione innuit se non tantùm esse Christianum, sed voto & proposito esse Monachum, ut constat ex his verbis *Patere, ut, &c.* Undè Sulpitius paulò supra scripsit S. Martinum biennio post Baptismum susceptum militasse, non quia non optabat valedicere mundo, sed quia militum Tribunus, cui ipse erat contubernalis pollicitus fuerat se peracto tribunatu mundo renunciaturum, sed ad statum Monachalem transiturum. Affirmavit igitur Sanctus Martinus bellum interdictum esse non Christiano, sed Monacho; ut patet ex bello non derelicto, nisi biennio post baptismum.

X. Decimum, Apostolus ad Ephesios cap. 6. supra citato, ait arma Ecclesiæ, verbi gratiâ, gladium esse verbum Dei, &c. Igitur Christiani uti non debent ferro, nec aliis armis præliari. Respondeo ex dictis, & his verbis. *Non est nobis colluctatio, &c.* Apostolum deleribere bellum non contra homines, sed contra dæmones. De hoc bello differens sanctus Basilius. S. Basil. *Attende* (inquit) *tibi ipsi miles, & collabora Evangelio, militia bonam militiam contra spiritus nequitiæ adversus vitiosas carnis affectiones, induitor omnem armaturam Dei, ut probes te ei, cui gratiosus duci tuo, qui huic te militiæ adlegit, proindè ut nullis implicetis vitæ istius negotiis & perplexis curis. Athleta es, attende tibi ipsi, nè quam ex legibus athletico agoni præscriptis inviminare transgressus, &c.* Plura ibi & præclara ad hoc certamen ineundum adducit. Respondeo secundò Christianos duplicia arma habere, & duplicia bella, alia & præcipua sunt spiritualia, alia minus necessaria & corporalia. De ambobus legimus Exodi cap. 17. Spiritualibus quidem scilicet orationibus, quibus Moyses utebatur. Corporalibus verò Josue contra Amalech, quorum intuitu Deus donavit victoriam. Utrisque Machabæi in prælio utebantur. S. Augustinus epist. 207. scribens Bonifacio Comiti. *Alii* (inquit) *orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.* S. Augustinus.

Undecimum, hâc primâ ratione bellum improbatur. Pax bello opposita est bona & effectus charitatis, igitur bellum malum est. Respondeo bellum ita esse paci oppositum, ut sit etiam medium ad pacem. Differt autem bellum justum ab injusto: quod injustum paci bonæ sit oppositum, & ad pacem malam ducat, ideoque ejusmodi bellum est vitiosum. Bellum verò justum malæ paci oppositum est, & ad bonam pacem adspirat. Quemadmodum Chirurgi opponuntur malæ & imperfectæ sanitati infirmi, respiciunt tamen ut finem sanitatem perfectam. XI.

Duodecimum, etiam à bello justo abstinendum esse patet ex malis, quæ indè proveniunt, qui etiam ab ipsis Gentilibus cognita fuerunt. Undè Virgilius lib. 11. Æneidos, Regem Latinorum ut pacè ineat cum Æneâ sic hortatur.

Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, ô Latio caput horum & causa malorum? (omnes. Virgilius
Nulla salus bello, pacem te poscimus

Idem lib. 1. Georgicon.

---Tot bella per orbem
Tam multa scelerum facies, non ullus aratro (colonis
Vilius honor, squallent abductis arva
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum
Vicina ruptis inter se legibus urbes,
Arma ferunt, toto Mars impius orbe,
Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Vocat Martem impium, & consequenter tacitè negat esse Deum, cùm

tot

tot malorum auctor sit & fautor. Illi accinens Lucanus libr. 3. de bello Pharsalico.

Lucanus

Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges, & pars vilissima rerum.

Et Horatius lib. Epod. Ode 7. ad milites conversus eos ita affatur.

Horatius

Quò quò cœlesti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atq; Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis? &c.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
unquam.
Vaquam nisi in dispar feris
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.

Tibullus lib. 1. Elegiâ 10. hanc bèlli originem in malum Numen refundit.

Tibullus

Quis fuit horrendos primus, qui protulit enses
Quã ferus & verè ferreus fuit ille.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breviter mundo mortis aperta via est
Tunc furor est atram bellis accersere mortem
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

His astipulari videtur S. Gregorius Nyssenus in quadam oratione. *Vbi arma & equi, ubi fertum acutum & tuba sonans, ubi phalanges hastis inhorrescentes, scuta cohærentia scutis, ubi cristatæ & terribiles galeæ, ubi conflictus, impressiones manuum, confertiones, prælia, cædes, fuga, persecutiones, gemitus, ululatus, ubi terra sanguine madet, ubi corpora conculcantur, obteruntur, saucii derelinquuntur, nunquid in his rebus occupato otium unquam erit cogitationem ad rem jucundam convertendi.* Maximè cùm cuncta ferè bella etiam inter Christianos à nimio pruritu excellentiæ & divitiarum oriantur, ut patet ex S. Chrysostomo de sancto Philog. asserente duas illas voces *Meum, ac Tuum innumerorum bellorum parentes esse.* S. Augustinus lib 22. contra Faustum. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implicatus & implacabilis animus, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.* S. Chrysologus serm 126. illis arridens solitâ suâ eloquentiâ hæc pronunciat de prætatâ libidine. *Imperat gentibus, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat civitates, foro præsidet, jus delet, fas nefasq; confundit, & ad mortes usque tendendo fidē tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, sopit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, multitudinem scindit, amicitiam subruit.* Quibus accinens S. Prosper epigram. 15.

S. Greg. Nyssen.

S. Chrysostomus

S Augustinus,

S. Chrysologus.

S. Prosp.

Instant terrens infesta pericula rebus:
Eruunt pro damnis prælia, proq; lucris,
Et nihil est inter carnalia vota quietũ
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo, quem linquere nolens bono.
Nunquam erit æterno non opulenta

Idem inter veteres testantur Seneca Philosophus epist. 94. de Mario. *Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, concutiebant turbinum more, qui rupta convulunt, sed ipsi ante volvuntur, & ob hæc majori impetu volvuntur quia nullis illis sui regimen est.* Sallustius in fragmentis. *Vna & ea vetus est causa bellandi profunda cupido imperii & divitiarũ.* Tacitus in hist. *Aurum & opes præcipuè bellorum causa.* Seneca Tragœdus in Hippol. idem canit.

Seneca Philos.

Sallust.

Tacitus.

Senecã Poeta.

Rupere fœdus impius lucri furor
Et ira præceps.

His & aliis omissis unicum Jacobum Apostolum audiamus cap. 4. epist. vers. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militãt in membris vestris.* Ad hæc & similia respondet primò Cornelius in illũ textum S. Jacobi, quod *Licet lis & bellum debito modo susceptum etiam Christianis licitum sit & sanctum, vix tamen caret peccatis, saltem venialibus. Ferè enim suscipitur ex nimio amore rerum terrenarum. Insuper facilè se interserit cupido vindictæ, invidiæ, malevolentiæ, superbiæ.* Secundò patet ex historiis, exercitibus benè ordinatis Deum frequenter faviſſe. Tertiò, cùm Principes neminẽ suarum contentionum judicem agnoscant, nõ sunt deterioris cõditionis quam subditi. At his licitum est litibus suum jus quærere, alioqui jus canonicum & civile foret inutile

Iacob. 4. vers. 1.

& cremandum esset. Igitur Principes nulli juri subditi aliâ viâ bonum publicum recuperare possunt: tamen quod nonnisi graviter offensi, & ex motivo notorio Religionis, Ecclesiæ & Justitiæ bellum moveri debeat infra dicemus. Quartò si à bellis omninò abstinendũ esset, Joannes VIII. apud Baronium anno 878. perperam hæc dixisset. *Qui cum pietate Catholica religionis in belli certamine cadunt requies eos vita aterna suscipiet, contra Paganos & infideles strenuò dimicantes.* Et infra. *Quantùm fas est absolvimus, precibusq; Deo commendamus.* Non dicit *absolvimus, precibusq; Deo commendamus*, sed *quantum fas est*, quia juxta receptum axioma in Ecclesiâ *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.* Nec refert quod apud Baronium & Spondanum anno Christi 610. dicatur rejecta postulatio Phocæ Imperatoris petentis, ut milites, qui in bello contra hostes fidei interfecti fuerunt, Martyres censerentur. Et anno Christi 964. idem à Nicephoro Phocâ frustra tentatum fuit. Hæ repulsæ fortè contigerunt ob aliquam circumstantiam malam, quæ in illis bellis & militibus irrepuit. Nam secundùm vulgare adagium. *Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.*

Baronius

XII. Nec secundò obstat, quod circa annum 1050 Normanis universam Europam vastantibus S. Leo Papa ad tuendam ditionem suam milites conscripserit pro justâ causâ, qui eum cæsi fuissent, multas lacrymas pro eis fudit, sacrificiaque offerri jusserit, existimans se reum esse tantæ cædis. Nam Raderus in Bavariâ sanctâ scribit quod huic Pontifici quodam die celebraturo astitit Angelus prohibens nè deinceps pro defunctis militibus celebraret, sed Deo pro corum obitu grates Deo redderet, ac Sacrum hoc introitu inciperet. *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, pretiosa mors in isto prælio interfectorum.* Idem cõtigit anno 1147 cùm S. Bernardus inter concionandum excitavit Conrardum Imperatorem, Regem Galliæ aliosque Principes, ut cum ingenti fidelium exercitu ad bellum sacrum in Syriam se conferrent, qui conatus irriti fuêre, quamvis plurimis oraculis approbati. Vndè multas querimonias & obloquia adversum S. Bernardum nonnulli effutierunt. Gaufridus in ejus vitâ scribit eum solitum dicere illam expeditionem à Deo destinatam fuisse, nõ ad liberandam terrestrem Hierosolymam, sed cœlestem implendam, lugendamque magis eorum sortem, qui indè reversi ad pristinam peccandi occasionẽ rediere, quam qui laboribus perpurgati culpis perpurgatis occubuerunt. Abbas Casæmaris epist. 333. insertâ epistolis Sancti Bernardi scribit sibi perpendenti illud divinæ providentiæ consilium adfuisse sanctos Martyres Joannem & Paulum, ac dixisse, in infructuoso illo bello sacro cœlum à multis vi captum, instauratasque Angelorum ruinas fuisse. Hæc fusius refert Baronius tomo ultimo.

Raderus

XIII. Nec tertiò objicias quod Victorinus scribit Augustino suaviorem esse Christiano, ac securiorem mortem in lecto. Respõdeo eum istâ epist. 122. dicere. *Bonos Dei servos, & fideles, & sanctos, gladio barbarorum peremptos. Quid autem interest, utrum eos febris an ferrum de corpore solverit? non quâ occasione exeant, sed quales ad se exeant attendit Dominus in servis suis.* Baronius ad annum 1147. narrat post Thomam Cantipratanum, quod dum à Saladino Hierosolyma capiebatur, ab eoque multa indigna patrabantur, ac sacra Crux cum ludibrio circumferebatur, Sancta Christina mirabilis, natione Leodiensis fortè in aliquorum piorũ societate agens, repentino gaudio exultare cœpit, scitantibusque tantæ lætitiæ motivum, respondit eo tempore captam à barbaris Hierosolymam, cùmque auditores mirarentur, quærerentque an foret gaudii materia. Omninò (inquit) nam hinc bella sancta indicentur, multique fideles pro Hierosolymæ defensione morientes cœlum merebuntur.

S. Augustinus.

XIV. Spondanus anno 1241. scribit, Sancta Hedwigis Mater Henrici cognomine boni Ducis Silesiæ, cùm Barbari vastatâ Poloniâ Silesiæ imminerent, cælitus monita fuit Hedwigis, quod filius suus ab eis interficeretur, quod

quod ut averteret non dissuasit; sed suasit & hortata est. Primo quidem præho extitit Henricus. Sed mox prælata à Tartaris hastâ, cui infixum erat caput nigrum, ignivomumque, exercitus Silesius hoc spectaculo ita territus ac conturbatus fuit, ut pars in fugam conversa, pars altera cum suo Principe cæsa sit, ita ut extremæ cadaverum auriculæ refertæ iis Barbari novem ingentes saccos impleverunt. Et cùm ad hunc infaustum successum Principis vidua cum aliis in gemitus & lacrymas penè animam exhalaret. B. Hedwigis immota stetit, siccisque oculis ac erecto animo gratias Deo egit, quod filium suum charissimum, sibique semper obedientem tam fœlici morte occumbere voluisset.

XV. Quis doleat vicem Virginum Antiochenarum, quæ cùm anno 1268. (inquit Spondanus) Antiochia capta esset à Bendochare Ægyptio Sultano, omnes exemplo Præfectæ, Abbatissæque nasum sibi præciderunt ut hostem libidine furentem à se averterent, quæ ideò à Barbaris interemptæ sunt. Hoc naturæ infortunium glorioso Martyrio, & fœlicitate externâ compensatum est. Idem Spondanus ad annum 1291. recenset similem victoriam de puellis Franciscanis sanctæ Claræ, quæ Ptolemade, seu Accone à Barbaris interfectæ virginitatem servarunt, eædemque procurarunt ob vultum fœdatum.

XVI. Quod si, qui in prælio pro fide & religione certantes intereant non modò Sancti, sed etiam Martyres appellandi sint, testatur Olysipone templum Deiparæ Virgini sacrum, & (inquit Mendoza tomo 2. in lib. 1. Regum cap. 4. vers. 11. numer. 27.) à Martyribus nuncupatum, vulgò *Martes*, ita dictum (ut Lusitani Historici referunt, propter illos strenuos milites, qui in expugnandâ urbe ac vindicandâ à Maurorũ imperio gloriosè obierunt quorum præclara in vitâ facinora, & post mortem gloriosa miracula referuntur. Nec refert quod milites Christiani repugnando interficiantur. Dico enim quod ad Martyrium causa non pœna, nec patientia pœnæ absque ullâ reluctatione requiratur. Nam si Abel fratri suo Caim restitisset, si Daniel reluctatus fuisset cùm in locum leonum demitteretur: si Petrus, Paulus & alii Apostoli conati fuissent elabi è manibus carnificum, si Sanctus Stephanus sese muniviſſet adversus lapidum imbrẽ, an ideò Martyres non essent? Multùm inter se differunt reluctari Deo & homini, pro Deo & bono publico, præcipuè religionis hostibus resistere. Christianus miles pro Deo dimicat, & pro Deo mortem suscipit, religionem propugnat, & pro ejus defensione sanguinem fundit. Nonobstante opinione Gregorii à Valentia 2. 2. disp. 8. quæst. 2 puncto 1. Lessii lib. 3. de fortitudine cap. 1. dubio 3. num. 36. Layman lib. 3. sect. 3. numer. 4. & aliorum asserentium eos esse Martyres; qui Christi patientiam imitantur in morte subeundâ, non resistendo, sed sustinendo. Concludo igitur in illis bellis sacris pro Deo & Religione susceptis contra infideles cæsos inter Martyres numerandos esse.

CAPUT III.

Quibus liceat bellum gerere.

NEmo potest bellum gerere nisi publicâ auctoritate polleat, nullum superiorem agnoscens, ita D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 1. Gabriel in 4. dist. 15. Victoria de jure belli num. 2. Layman lib. 2. tract. 5. cap. 12. num. 4. & alii communiter. Probatur primò ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum numer. 75. *Ordo mortalium accommodatus paci poscit ut suscipiendi belli auctoritas penes Principes sit.* Cui juristæ etiam subscribunt. Oldr. consil. 70. & in verbo *Principes qui possint*, concl. 574. Undè potest Imperator, vel populus Romanus indicere bellum. l. *hostes*, ff. *de capt. & postlim.* Glossa in l. *ex hoc jure*, ff. *de justit. & jure.* Joannes de Immola consil. 1. in princip. 2. Quilibet Rex. Electores laici sacri Imperii, Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Dux Brandeburgensis I.

burgensis, Dux Tuschiæ, Dux Sabaudiæ, Marchio Montis Ferrati, Dux Mantuanus, Dux Parmensis, aliique Principes possunt indicere bellum, ita Angelus 367. in quæst. vertente num. 4. vers. *ad primum autem*. Cardinalis Tuschus concl. 56. numer. 13, & alii passim.

II. Possunt etiam Respublicæ liberæ Venetorum, Genuensium, Helvetiorum, ita Layman supra numer. 4. Non tantùm instantia pericula repellere, sed etiam præteritas vindicare & plectere, præsentesque injurias arcere. Nam quælibet potestas ita cõparata esse debet, ut sibi sufficiat ad publicum statum & quietem servandam quam tamen servare nequit, nisi externorum etiam infestationes, atque injurias vindicare & bello persequi sit licitum. Alii verò Magistratus qui non sunt supremi, sed superiorem aliquem habent. Hi licet durante necessitate ac periculo vim atque injurias aliorum repellere possint cum moderamine inculpatæ tutelæ: cessante tamen necessitate ac periculo mox ipsi cessare, debent & vindicandæ injuriæ justitiam ac sententiam, ejusdemque executionem à Principe, vel supremo Magistratu postulare. Nam iste secundùm Apostolum ad Romanos cap. 13. *Gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram.* Quare in l. *hostes*, ff. *de captivis postliminium reversis*, & in l. *hostes*, ff. *de verbor. significat.* prædones atque latrunculi appellantur, qui in imperio sine consensu & auctoritate Imperatoris bellum offensivum suscipiunt. Monet tamen Becanus in 1. 2. cap. 25. quæst. 1. num. 3. post Victoriam numer. 9. Molinam disput. 100. & 101. Layman supr. Principem inferiorem in tribus casibus posse aggredi bellum offensivum. Primò quando præsumit consensum supremi Principis. Secundò, quando diuturnâ & legitimâ præscriptione hoc jus obtinuit. Tertiò quandò necessitas urget, nec propriæ securitati, aut incolumitati satis est consultum, nisi statim vindicta exerceatur.

III. Difficultas est an statum Clericalem profitentes possint indicere bellum. Dico primò Summum Pontificem posse in factis fidei, ita Innocentius in cap. *olim*, de restitut. spol. Baldus consil. 432. *ad bellum justum*, in princip. & per tot. lib. 5, Cardinalis Tuschus littera B, concl. 36. num. 2. & 15.

IV. Dico secundò posse ab Episcopo & quolibet executore Canonum indici bellum in executione juris contra declaratos hæreticos, & alios reos, ita Calder. consil. 95. numer. 3. in fine, vers. *Est etiam justum*, quod est unicum de treuga, Tuschus supr. num. 8. Sylvester Hostiensis.

V. Dico tertiò Sedem Apostolicam respectu temporalis status, quem possidet posse indicere bellum, ita Innocentius in cap. *olim*, de restitut. spol. Cui subscribunt Calder. consil. 95. num. 3. verbo *de Papa*, aliàs 1. de *Treuga*. Tuschus littera B. concl. 36. num. 2.

VI. Dico quartò quod Episcopi jurisdictionem temporalem habentes, jus & auctoritatem etiam habent bellum indicendi, ita Sylvester verbo *bellum* 1. quæst. 1, Azorius tomo 3. institut. moral. lib. 2 cap. 16. *sextò quæritur*, Layman supra num. 19. noster Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *bellum*, num. 6. Tales sunt Prælati Germaniæ. Archiepiscopus & Elector Colonienſis, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Archiepiscopus Bremensis, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopi Leodiensis, Monasterienſis, Mindensis, Osnaburgensis, Herbipolensis, Bambergensis, Paderbonensis, Wormatiensis, Spirensis, Hildesheymensis, &c. qui omnes possunt exercitum conscribere, ducem belli præficere, arma dare ad præliandum. Probatur ex cap. *Episcopus, nè Clerici, vel Monachi* in 6, ubi in fine cap. habetur. *Licet Clericis causas sanguinis agitare, non liceat eos tamen cum jurisdictionem temporalem obtinle, debent & possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare.* Ratio est, quia non sunt conditionis deterioris, quam alii Domini temporales, nec habent minus jus ad suam Rempublicam & jurisdictionem temporalem in bello,

tuendam

tuendam, quàm illi, ut docet præfatus Lezana ſupra poſt Sylveſtrum in ſumma verbo *bellum*, 3. quæſt. 1. Valentiam tomo 3. diſput. 3. quæſt. 16. puncto 4. §. *quintò certum eſt*.

Probatur ex miraculis. Omiſſis innumeris hiſtoriis & miraculis, aliquot noſtrates referã ex annalibus Leodienbus patet divis non diſplicere bellum motum ab Epiſcopis pro temporali ſuarum Eccleſiarum dominio recuperando. Cùm Rainaldus Barri Comes cœcâ ductus cupiditate Bulloniæ Arci inhiaret, apertumque Martem rideret ingenium loci, ad artes ſe cõvertit, ex quo nullam ferro ſperabat viam auro fecit, arcis cuſtodibus pecuniâ corruptis per noctis tenebras delapſo func attractus in ſummam arcem evaſit anno 1134. Tempore Alexandri Epiſcopi Leodienſis. Albero II. nomine illi ſuccedit anno 1136. cjusq; animum potiſſimũ de Bullonio recuperando cura occupavit. Cumque omni humano auxilio eſſet deſtitutus, univerſos totius Diœceſis Principes variis demereri beneficis cœpit, cum quibus decreto bello ipſe Epiſcopus cum delectâ manu proficiſcitur Bullonium verſus. At cùm vires Leodienſes non tantùm arci, ſed etiam copiis Barrenſibus agrum Leodienſem etiam tunc depopulantibus impares eſſent, Epiſcopo de repentè mens illa injecta eſt deferendum eſſe in caſtra Sancti Martyris Lamberti Corpus, cujus præſidio certiſſima foret ſperanda victoria. Nonnulli rem hanc difficultatibus implexam videbant: tamen cùm una eſſet totius exercitus ſententia, quam Divinum Numen omnibus influxiſſe videbatur, mittit Leodium, ubi etiam omnium utriuſque ordinis mens fuit nullam eſſe ſperandam victoriam, niſi auſpiciis fortiſsimi Martyris, quæ variis ſignis indicata eſt. Primò æditui Eccleſiç Cathedralis affirmarunt ſacrũ Lamberti feretrum eâ nocte frequẽti motu concuſſum eſſe nemine mortalium movente. Secundò, Deus hoc bellum ſibi gratum eſſe teſtatus eſt in itinere propè Nandrinum, hominem continuo languore contabeſcentẽ incolumitati de repentè reſtituit. Fraituræ cœcus videndi facultatem ejus beneficio recepit. Paululùm progreſſus uno Nobili quartâ jam dudum affecto febre ſacri ferculi contactu valetudinem integram reſtituit. Ubi Præſul Albero adeſſe ſuis caſtris ſacroſanctum Martyris Corpus accepit, ordinavit ut militares copiæ obviam irent. Incredibile eſt quanto gaudio perfuſi fuerint milites tanto ſubſidio roborari, religioſâ veneratione ſalutatum inducitur in tabernaculum in prato S. Lamberti (illi nomen dedit poſteritas.) Cleri ipſius pars aderat, reliqua ſacrorum Pſalmorum concentu ſolemnes in Baſilicâ Leodienſi honores glorioſo Martyri dies, noctesque deferebat. Quamvis ex univerſâ Diœceſi inventus confluceret, ut junctis armis cauſam ſuæ Eccleſiæ tueretur, tamen Deus Dominus exercituum non humanarum virium multitudini, & robori, ſed Martyri ſuo Lamberto decrevit victoria. Ipſo die quo ſacrum ferculum in caſtra inferebatur Hugo Rainaldi Comitis filius ex arce religioſam pompam proſpiciens riſit imbelle præſidium. Ridentẽ ſeverè mox corripuit ultrix Divini Numinis manus, ſui impotẽ, & velut exanimem afflixit. Ut mentis cõpos factus eſt, præcipuos Duces advocat, & iis animo conſtractus deditionem ſuadere cœpit, licet Arx foret munitiſsima generoſiſſimi juvenis excelſam olim mentem adeò nunc dejectam mirati omnes erigere certatim aggrediuntur: at fruſtra. Perſuadent non poſſe de deditione agi niſi poteſtatem faceret Parens, cui ſacramentum dictum erat. Jubet ergò mitti ad parentem, pollicentur, nec tamen obtemperant rati haud ſatis compotẽ eſſe juvenem. Ille nihilominus ſentiens animum ſtimulis urgeri Sacerdotem accerſit, eoque arbitro caſtri illius ſe poſſeſſione exuit, in quam induxerat Pater. Ubi comperit neminẽ ad parentem eſſe profectum, in voces adeò miſerabiles prorupit, ut permotis commiſeratione animis, unus aliquis ad Comitem dimiſſus ſit. Verum arce digreſſus cùm fidem feſelliſſet ingenti dolore confectus Hugo, ac in diram actus rabiem ad parentem pro-

ficisci constituit. At equus aliàs generosus, quem ascensurus erat nec voce nec flagello, nec calcaribus propelli potuit, licet post alium admitteret sessorem. Non solus Hugo plectitur, sed diræ inter obsessos simultates & dissidia grassari cœperunt: ita ut plures à socijs quotidie, quàm ab hoste cæderentur. Contra in castris quies, & pax tam alta, ut quod omnibus miraculo fuit in tantâ multitudine, nec jurgium audiretur. Copiosus erat commeatus, & cœli temperies clementissima. Adhibebantur hæc sancti Lamberti beneficientiæ, cui clientes curæ erant. Tandem anno 1141. irritis obsessorum conatibus ipso die Sanctissimi Præsulis consecrato, ita oppugnata est Arx, ut nè unus ex obsidentibus cæsus vel saucius fuerit, quamvis plerique cæco impetu, & nudo corpore in hostem ferrentur. Fertur quod quidam in carceres arcis missus longioris captivitatis tædio affectus invocatâ sancti Martyris ope, se deorsum miserit ex editâ turri per asperrima saxa devolutus vinculis suis strictus incolumis evaserit, suaque vincula divinitus soluta ad feretrum Sancti Lamberti detulerit, & in tanti prodigii argumentum appenderit anathema. Tandem Barrensis Comes Ecclesiæ Leodiensi Bullonium restituit, & ad sancti Præsulis tabernaculum penè tabe contumptus properat, & prostratus deditionem facit, scelus confitetur gloriosus Martyr pristinæ possessioni restituitur. Quam gratum fuerit conceptum bellum ab Alberone Præsule, Deus iterùm patefecit, cùm enim Leodium sacræ Lamberti exuviæ reducerentur Namurci puerum septemnem cœcum illuminavit, Andainæ Clericum juvenem mortuum vitæ restituit, Hui claudum in pedes erexit. Alteram historiam referunt iidem Annales Leodienses, & officium Ecclesiæ Cathedralis. Anno 1212. Hugone de Petroponte Episcopo ac Principe Leodiensi. Cùm Henricus Comes Lovaniensis, seu Brabantiæ Dux Mohanum Comitatum, quem anhelabat, jure & possessione ad Ecclesiam Leodiensem spectare sciret, conspiratione secretâ, Urbem Leodiensem insidiosè diripuit & atroci cujusvis ordinis, sexus, atque ætatis strage, templis prophanatis, sacrasanctis quibuscumque deprædatis omnes oppressit. Episcopus vix fugâ Huum elapsus Henricum sibi in spiritualibus, homagiisque Sacramento subditum anathemate feriit, & per sesquiannum diebus aliquot minus ipso spoliis ac viribus Ottonis IV. Imperatoris insolentiore effecto, obdurato, & graviora comminante anathemate quotidie coram imagine Crucifixi & Sanctorum Reliquiis solo inter spinas constratis in eum constanter repetitum est. Quæ irridens Henricus copioso iterùm exercitu collecto extremum intentat Leodiensibus exitium, sed ei incendiis, rapinis omnia, quæ poterat, devastanti, Episcopus imploratis Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Lamberti patrociniis impari admodum manu, occurrens, perterritum cœlitus ad Brabantiæ usque confinia repulit, ac in campis de Steph commisso prælio, Sanctoque Martyre à pluribus in aere cum armis viso, & suos propugnante, memorabilem victoriam reportant tertiò idus Octobris. Hanc victoriam cum plenâ in hostem ultione, tum futuram ex supernâ revelatione, jam antea prænunciaverant, quæ & tanta fuit, ut paulò post Henricus satisfacere coactus ad Ecclesiam Cathedralem Leodiensem nudis ab Urbis portâ pedibus supplex venerit, & inter alia defixis pavimento genibus, hærentis adhuc eo usque ibidem Sanctorum Reliquiis publicè relevarit, absolutionem & pacem ab Episcopo impetrarit. Quot annis festum huius triumphi celebratur Leodii. Undè (inquit idem Lezana) id facientes etiamsi in bello fiant homicidia non sunt irregulares, vide Suarez tomo 5. de censuris disput. 47. section. 6. numer. 11.

V. Nequeunt tamen dicti Episcopi temporalem jurisdictionem habentes munus Ducis exercitus personaliter exequi, ita Layman supra numer. 19. §. *deinde licet*, Lezana supra numer. 6. Probatur ex cap. *Episcopus*, per illa verba *possunt aliis delegare*. Addunt Layman

Layman & Lezana id esse intelligendum nisi adsit necessitas, vel Apostolica dispensatio. Et probatur ex cap. *sententia*, extra eodem tit. ubi id Abbas notat. Quod si dicas Machabæos fuisse summos Pontifices & supremos belli Duces, propriâque manu dimicasse, ut patet ex libris Machabæorũ. Ad hoc primò responderi potest hanc legem gratiæ in hac re esse strictiorem antiquâ. Secundò, propriâ manu pugnarunt necessitate urgente. Tertiò, fortè etiam ex speciali dispensatione divinâ. Quartò, pugna Episcopo est prohibita non jure naturali, sed Ecclesiastico, ut docent Bannes 12. quæst. 4. artic. 2, Layman supra §. *dixi*, Molina disp. 108. Becanus supr. quæst. 6, Ratio est, quia Pontifex potest in hac re dispensare cum Clerico, ipsique dare facultatem ut manu propriâ pugnet in bello justo, quâ facultate præsumitur auferre omne periculum incurrendæ irregularitatis ab eiusmodi Clerico, ut notat Layman supr. post Molinam, Avilam, Guitierez, Sylvestrum, Covarruviam.

VI. Dices contra ultimam hanc responsionem Christum absolutè prohibuisse Petro nè pro suâ defensione gladium evaginaret, sed illam reconderet Matthæi cap. 26. vers. 52. *Mat. 26 vers. 52.* *Converte gladium tuum in locum suum*, cum hac comminatione. *Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* S. Ansel. Ubi S. Anselmus *Datur ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus, sed sicut non cõvenit Regibus quod ad stolam pertinet, sic nec Episcopus quæ Regis sunt, exercere debet quod quia Petrus quodammodo exercuit, à Domino increpari meruit.* Igitur Episcopi nequeunt etiam Apostolicâ dispensatione pugnare & armis bellicis quempiam lædere. Respondeo meritò Petrum à Christo reprehensum fuisse, quia tunc non erat Pontifex creatus à Christo, sed dumtaxat Sacerdos & Episcopus sicut cæteri Apostoli potestate Ordinis & jurisdictionis in homines, sed non in bona eorum, & Pontificatus illi promissus erat Matthæi cap. 16. non autem collatus nisi post resurrectionem Joannis cap. 21. vers. 17. *Pasce oves meas* Cùm igitur Lucæ cap. 22. vers. 49. *Videntes hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine si percutimus gladio.* Non expectatâ responsione & licentiâ *Percussit unus ex illis servum Pontificis Sacerdotum & amputavit auriculam ejus.* Joannis cap. 18. vers. 10. *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, &c.* Post Resurrectionẽ accepit à Christo gladium spiritualem directè primariò, indirectè & secundariò temporalẽ cum cæteris Apostolis quando eorũ successores habituri essent dominium aliquod temporale independens à supremo aliquo Principe. Prohibitum ergò est summo Pontifici, ut Pontifici, & Episcopis ut Episcopis militare juxta illud Apostoli 2. ad Timotheum Episcopum cap. 2. vers. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, Sed non prohibitum ut habentibus dominium independens ab alio supremo Principe mortali. *Luc. 22. vers. 49.* *2. Tim. 2. vers. 4.*

VII. Dico quintò, quod possint Episcopi; imò Clerici ac Religiosi aliis suadere bellum justum, ita Gregorius à Valentia tomo 3. disp. 3. quæst. 16. punct 4. §. *quarto certum est.* Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. Probatur ex jure 23. quæst. 8. cap. *quicumque*, & seq. & D. Thomâ 2. 2. quæst. 40. art. 2. ad 3. *Ad Clericos* (inquit) *pertinet disponere, & inducere alios ad bellandũ in bello justo.* Nec refert quod Innocentius cap. *quod in dubiis*, de pœnit. dicat enormiter peccare Clericos, qui alios incitant ad pugnandum. Hic enim textus (inquit Lezana) intelligendus est de Clericis qui alios excitant ad præliandum in bello iniusto. Vel secundò ex Valentia & Layman de suadentibus in particulari cædem aliquorum. Nec secundùm Bonacinam de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 4 num 5. Lezana supr. numer. 7. Præfati suadentes incurrunt irregularitatem.

VIII. Possunt etiam Episcopi, Clerici, imò & Religiosi cum consensu Superioris sive expresso, sive rationabiliter præsumpto absque culpâ & periculo irregularitatis interesse bello justo, ut pugnantibus spirituale consilium

dent, confessiones excipiant, moneant ad fortiter pugnandum, fidem tuendam, Rempublicam vel Patriam defendendam, aliudvè auxilium præstent, ita Gratianus in cap. *Quicumque de Clero*, Glossa in cap. *quod in dubiis*, de pœnis, ibi monet cum Sancto Thomâ 2. 2. quæst. 40. artic. 2. Navarrus cap. 27. num. 213. Molina disput. 108. §. *his nonobstantibus*, Becanus 2, 2. Layman supr. §. *secundò*, Lezana supr. num. 8. Id delineatum deprehendo in historiâ nostrâ cùm lib. 4. Reg. cap. 3. Mesa Rex Moab esset tributarius Regi Israel Achabo, ac annuum vectigal Joramo filio ejus denegaret, Josaphati Regis Juda auxilium postulavit, cui annuit Josaphat. At cùm tres exercitus Israel, Juda, & Edom per desertum progressi siti laborarent extremâ, petiit Josaphat Rex

4. Reg. 3. v. 11. piissimus vers. 11. *Est nè hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominũ per illũ.* Cui responsum est. *Est hic Eliseus filius*

vers. 12. *Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Vers. 12. *Et ait Iosaphat, est*

Dionys. *apud eum sermo Domini.* Dionysius. *Tanto Propheta servivit, cujus spiritus super illum quievit.* Idest eâdem sanctimoniâ conspicuus, quâ Elias. Ecce quomodo absque virtutis ac religionis periculo, vel detrimento hic Propheta sequitur castra. Quo fine? ut oret pro fœlici exercitus, & armorum successu. *Ut deprecemur* (inquit Josaphat) *Dominum per eum.* Dionysius,

vers. 14. *Ut ille oret pro nobis.* Non adulatur Regi Joram, sed ipsum corripit, vers. 14. *Vrvit Dominus exercituum in cujus conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat*

Berchor. *Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Berchorius lib. 12. moralitatum cap. 13. *Propheta debet esse constans & audax ad malos Principes redarguendos, sicut iste qui Ioram legitur dixisse, si non attenderem vultum Regis Iudæ, non respicerem, inquit, &c. Vndè de eo dicitur Ecclesiastici cap. 48. In diebus suis non pertimuit Principem & potentia nemo vicit illum, nec superavit illũ verbum aliquod.* Post fusas aliquas preces, Vers. 15. *Facta est*

vers. 15. *super eum manus Domini, & ait,* Vers. 16. *Hæc dicit Dominus, facite alveum torrentis huius fossas & fossas, & ais has dixit Dominus, &c.* Dionysius. *Omnipotentia Dei mentem eius tetigit, & illustravit gratiâ revelationis Prophetica. Gratia enim Prophetica est donum actuale, non propriè habituale, &c.* Dionys.

Jussitq; in arido torrente plurimas fieri fossas, quas Dominus ad potandum exercitum repleturus esset aquis, non solùm hoc vitæ subsidiũ subministrat tam tribus exercitibus regiis, quã eorum jumentis, sed etiam tantam victoriam de Rege Moabitarum pollicetur, ut cunctis urbibus cladem, & regioni vastitatem essent allaturi, Vers. 18. *Parumq; est hoc in conspectu* vers. 18. *Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* Vers. 19. *Et percutietis omnem civitatem munitam, &c.* Idem officium præstitit Joas Regi Israel cap. 13. proximus morti, nam ejus in- Cap. 13. firmitate evulgatâ vers. 14. *Descendit* vers. 14. *ad eum Ioas Rex Israel, & flevit coram eo, dicebatq; Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus.* Quasi diceret (inquit Dionysius) *O Pater mi prædilecte. Etenim quod bis ait, Pater &* Dionys. *addit mi, signum fuit præcipuæ ac specialis dilectionis suæ ad sanctum Virum. Itaque Pater mi, cur sis auriga & currus Israel ideſt director & sustentator Israelitica plebis quid te defuncto faciemus.* Josephus addit. *Cœpit Ioas flere ac ingemiscere, ac Patrẽ eum vocare, & dicere regnũ* Josephus *suum sub ipso fuisse securum, & propter ipsum se nunquam contra hostes indiguisse; sed illos prosperè sine dimicatione vicisse, & quod ipse Eliseus decedendo relinqueret filios Israel Syris ac aliis hostibus captivandos, idcircò vitam suam ac populi sui de cætero non esse securam, sed gratum sibi esse, ut simul cum ipso à præsenti luce recederet.* Eliseus câ læthali infirmitate laborans, volens eum consolari, non pacem, sed bellum ac victoriam prænunciat & pol- vers. 15. licetur, modò suis utatur consiliis, vers. 15. *Affer* (inquit) *arcum & sagittas, cumq; attulisset ad eum arcum & sagittas.* Vers. 16. *Dixit ad Regem Israel. Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam superposuit Eliseus manus suas manibus regis.* Vers. 17. *Et ait, Aperi fenestram orientalem.* Cur illam fenestram potius quàm aliam iubet aperiri? Cornelius

Vt jaciat ſagittam victricem contra Syros, qui Iſraelis ſunt ad Orientem. Textus
Cornel. Sacer. *Cumq; aperuiſſet dixit Eliſeus jace ſagittam & jecit.* Ideſt emiſit per præfatam feneſtram. *Et ait Eliſeus ſagitta ſalutis Domini.* Dionyſius. *Sagitta hæc & ejus protectio ſignum & figura ſalutis, ſeu proſperitatis, atque victoriæ ſibi deſuper conferendæ.* Iterùm ſubdit Propheta. *Et ſagitta ſalutis contra Syriam,* ideſt Syrorum dejectionem deſignat. *Percutiesq; Syriam in Aphec donec conſumas eam.* Notat Cornelius quod Propheta alludit ad ritum Veterum, qui bellum hoſtibus denuntiabant, & prælium inchoabant jactâ in terram hoſtilem ſagittâ vel telo. Sic Romani apud Servium de Turno teſte Virgilio lib. 6. Æneid.

En ait, & jaculum in torquens emittit
Virgilius. *in auras*
Principium pugnæ, &c.

Juſtinus Juſtinus lib. 2. ſcribit, quod *Primus Alexander jaculum velut in terram hoſtilem jecit.* Quid intelligit per Syriam in Aphec? Eſt Urbs celebris in tribu Iſſachar hoſtili cæde celebris tempore Joſue, Saul, & Achab inquit Adrichomius. Iterùm Propheta ait verſ. 18. *Tolle ſagittas, qui cùm tuliſſet rurſum dixit ei. Percute jaculo terram, & cùm percuſſiſſet tribus vicibus & ſteriſſet.* Verſ. 19. *Iratus eſt vir Dei contra eum, & ait. Si percuſſiſſes quinquies*
verſ. 19 *aut ſexies, ſivè ſepties, percuſſiſſes Syriã uſque ad conſummationem: nunc autem tribus vicibus percuſſiſti.* Dionyſius. *Iratus eſt præzelo contra eum.* Eo quod tam citò ceſſaſſet ſagittas emittere, debuerât enim continuare uſque ad nutum Eliſei. Percuſſione enim quintâ, ſextâ, vel ſeptimâ futurum erat præſagium, quod Syros totaliter ſuperaſſet, ac regnum Syriæ radicitus extirpaſſet. Ex quibus patet S. Eliſeũ non tantùm Religioſorum, ſed etiam Prælatorum exemplar permiſiſſe, imò ſuaſiſſe, & præcepiſſe bellum juſtum, negligentiamq; Regis Joas ægrè tuliſſe, Deoq; ipſi cujus inſtinctu vaticinabatur non eſſe gratam. Probatur ſecundò ex cap. *petitio tua*, de homicidio & aliis juribus citatis. Tertiò hac ratione, quia Epiſcopi & alii Clerici inferiores ſuadendo, hortando, &c. opus juſtum ſuadent, &c. Ut docent Navarrus in manuali Suarez ſupr. numer. 8. Lezana eodem numero. Ideòq; nullam irregularitatem incurrunt, primò ut patet ex dictis, quia nullus textus eam infligit, ita Suarez ſupra. Ex noſtris Corneio de irregularitate diſput. 11. dubio 2. Lezana loco citato.

Nec obſtat quod Innocentius III. IX.
prohibeat Sacerdotibus, & conſequenter Epiſcopis ſub pœnâ depoſitionis, nè alios ad pugnandum incitent. Id enim intelligendum eſt de bello injuſto, non autem juſto, in quo poſſunt hortari milites, ut generosè prælientur pro patriâ, pro juſtitiâ, pro Religione, modò non dicant occide, macta. Ita Navarrus cap. 27. Becanus cap. 25. Molina diſp. 108 §. *His non obſtantibus* Imò Epiſcopum & Clericos inferiores abſque irregularitatis periculo poſſe generatim hortari milites, ut percutiant, occidant hoſtes, modò in particulari neminem ſuadeant vel jubeant occidi. Ratio eſt quia talis concurſus ad homicidium eſt directus, & valdè propinquus, ita Navarrus in manuali cap. 37. num. 215. inacto conſil 4. & 6. de homicid. Avila part. 7. de cenſuris diſp. 6. ſect. 3. dubio 2. Layman ſupr. numer. 19. verſ. *quin imò*. Henriquez lib. 14. cap. 12. numer. 4. noſter Lezana ſupra num. 8.

Dico ſextò, quamvis Epiſcopis X.
juriſdictionem tantùm ſpiritualem habentibus, Sacerdotibus & Religioſis non ſit licitum præliari etiam in bello juſto, ex D. Thomâ 2. 2. quæſt. 40. art. 2. Lezana ſupr. num. 9. juxta cap. *Clericum*, C. *de his Clericis*, diſt. 50. cap. *eos qui*, 20. quæſt 3. cap. *quicumque*, cap. *Clerici*, cap. *quicumque ex Clero*, 23. quæſt. 8. cap. *ex multis*, §. ultim. *de voto*. Quia indecens eſt, ut qui nomen dederunt militiæ ſpirituali arma vel negotia ſæcularia tractẽt: tamen ſi bello juſto aſſiſtentes militent, prælientur, & aliquem percutiant, non ideò contrahent irregularitatem, id patet ex S. Bernardo qui bellum ſacrum ſuaſit in publicis Concionibus. Si tamen actualiter mutilent, occidant, vel ſaltem ſint cauſa

proxima ut alii id præstent, & homicidia similia sequantur incurrent irregularitatem. Probatur ex cap. *petitio tua*, de homicidio, ubi cùm quidam Clericus pugnasset in justo bello & nonnullos percussisset, tamen Pōtifex ait eum non esse censendum irregularem, nisi occidisset aliquem, ita Navarrus supra, Suarez supr. numer. 9. Candidus disquis. moral. disput. 17, art. 14, Tostatus lib. 1. cap. 85. num. 5. Ex nostris Cornelio & Lezana supr. Ratio est, quia sic agentes neque mutilant, neque trucidant, nec sunt proximæ causæ illorum ex hypothesi. Non igitur contrahunt irregularitatem, etsi sic agentes peccent contra jus Ecclesiasticum.

XI. Dico septimò, quemadmodum omnes militantes in bello injusto, licet propriis manibus non effundant sanguinem, sed effundentibus commilitent, aut cooperentur, vel arma præbeant, vel eos hortentur, contrahunt irregularitatem, si homicidia in eo committantur, vel fiant mutilationes, ex Suare sup. disp. 47. sect. 5. num. 1. ex nostris Cornelio de irregul. disp. 2. §. *infero secundò*, Lezana supr. num. 23. A fortiori id concludendum est de Episcopis non habentibus jurisdictionem temporalem, de Clericis & Religiosis, non esse illis licitum isti bello cooperari, sed sic facientes esse irregulares, maximè ob belli injustitiam. Qui tamen pergunt ad bellum injustum, non ut auxilium, consilium, favorem præstent præliantibus, sed ut eos cum hostibus concilient, eorum confessiones excipiant, aliaque Sacramenta ministrent, & alia subsidia ad bellum non ordinata, non cōtrahunt irregularitatem, nec Deum offendunt, ita Lezana supra post Sylvestrum verbo *homicidium*, 3. quæst. 6. Bonacinam disp. 7. quæst. 4. punct. 4. numer. 10. Irregularitas ab eis contracta potest à solo Romano Pontifice dispensari. Ratio est, quia solus Papa (à quo est imposita) est supra jus commune. Non autem potest Episcopus ex Concilio Tridentino quæst. 24. de reformatione cap. 6. Nec etiam ex vi privilegiorum regularium (quæ refert P. Lezana.) Ratio est, quia talis irregularitas est ex homicidio voluntario, quæ excipitur in prædictis, ut docet Cornelio supra dubio 4.

CAPUT IV.

Conditiones ad Bellum licitum.

I. IUdæi bellum indicere, vel aggredi non poterant nisi ob justam causam, vel ob gravem injuriam quæ alicui Principi, vel Reipublicæ illata erat, vel imminebat. Si illata erat, ut resarciretur per bellum offensivum jure justitiæ commutativæ, vel vindicativæ. Si imminebat, ut impediretur per bellū defensivum jure defensionis, ut post S. Augustinum quæst. 10. in Josue, S. Thomam 2. 2. quæst. 40. art. 4. docet Molina de jure & justitiâ disp. 102. Hæ porrò injuriæ, seu justæ causæ erant. Prima, subditorum idololatria, sic Exodi cap. 32. vers. 36. Moyses cum filiis Levi interfecit ex filiis Israel triginta tria millia hominum ob cultum vituli aurei. Secunda, negatio transitus innoxii per terram alienam, quæ jure naturali neganda non est, sic Numeror. cap. 11, vers. 1. Hebræi moverunt bellum cōtra Arad regem Chananeorum ob negatum transitum per suum dominium. Tertia, defensio malefactorum nè justè plecterentur, sic filii Israel pugnarunt contra Beniamitas, quia noluerunt tradere quosdam ex suâ tribu, qui crimen nefandum, perpetrarant. Judic. cap. 20. vers. 1. Quarta, suppetiæ hostibus datæ, nè justæ punirentur, sic David percussit duo millia virorum de Syriâ, qui suppetias dederant Adarezer Regi Soba lib. 2. Regum cap. 8. vers. 5. Quinta, publica Principis contumelia, sic David bellum movit contra Hanon Regem Ammonitarum, eo quod affecisset magnâ ignominiâ Nuncios missos à Davide cædendo dimidiam partem barbæ, scindendo eorum vestes medias usque ad nates, & sic eos dimittendo lib. 2. Regum cap. 10. versu 4. Sexta, Subditorum rebellio, ut lib. 2. Regum cap. 20. vers. 1. iniit

bellum

bellum contra Seba filium Bochri, qui cum nonnullis aliis ſeparaverant ſe à Davide Rege ſuo legitimo. Septima, fœdus violatum, ut lib. 4. Regum cap. 3. verſ. 5. tempore ſancti Prophetæ Eliſei Rex Joram indixit bellum Regi Moabitarum nolenti ſolvere annuatim centum millia ovium, juxta fœdus antiquum. Plura apud Molinam diſp. 104. & duabus ſequent.

II. Ad juſtum bellum tres conditiones requiruntur, prima ut recuperentur amiſſa. Secunda, ut juſtè injuria vindicetur. Tertia, ut Reipublicæ pax ſtabiliatur. Malè facit qui alio fine, vel intentione inſtituit bellum. Audi S. Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia hæc ſunt, quæ in belli jure culpantur.* Conſule D. Thomam 2. 2. quæſt. 4. art. 1. Molinam diſp. 107. & alios paſſim. Si præfatæ conditiones ſerventur, licitum ac juſtum eſt bellum ex naturâ rei ſivè offenſivum, ſivè defenſivum. Quoad defenſivum patet, ſi enim ex naturâ rei licet homini privato vim vi repellere, multò magis Principi aut communitati. Quoad defenſivum, câdem ratione probari poteſt. Si enim privatus homo poteſt movere litem contra adverſarium ſuum, vel actionem injuriarum via juris. Nemo dubitare debet quin Princeps vel Communitas poſſit idem præſtare viâ belli, ſi non ſufficiat via juris, aliàs non poſſet reparari vel vindicari injuria Principi vel Communitati illata, nec conſequenter ſervari publica juſtitia & indemnitas, quod eſt abſurdum.

S. Auguſtinus.

III. His conditionibus ſuppoſitis, licitum eſt primò Clericis & etiam Religioſis ex ſupra dictis per diſpenſationem Apoſtolicam præliari in bello juſto, imò mutilare & occidere. Ratio eſt, quia cùm hoc ſolùm ſit contra jus Eccleſiaſticum, nulla eſt ratio cur rationabili causâ ſubſiſtente non poſſit Sedes Apoſtolica diſpenſare. In eo caſu mutilantes & interficientes non incurrent irregularitatem. Quia eo ipſo quod Summus Pontifex concedit facultatem pugnandi, cenſetur diſpenſare in irregularitate homicidio annexâ, ita Valentia tomo 3. diſput. 3. quæſt. 16. puncto 4. §. 7. *certum eſt.* Bannes 2. 2. quæſt. 40. art. 2, dubio 4. Candidus tomo 1. diſquiſ. moral. diſquiſ. 17. art. 14. Lezana ſupra num. 11. Cum tamen hac limitatione (inquit Suarez) quando Papa concedit facultatem propriis manibus pugnandi, non autem ſi dumtaxat det licentiam bello aſſiſtendi. Secundò, ſi Reſpublica eſſet in extremâ neceſſitate, tunc enim liceret pugnare, mutilare, & interficere, imò tenerentur id præſtare, ita Bannes ſup. dubio 3. Cajetanus ibidem, Lezana num. 11. Nec contraherent irregularitates qui ſic mutilarent vel interficerent, Suarez ſupr. ſect. 6. num. 2. Valentia ſupr. §. *contraria ſententia*, Lezana ſupr.

IV. Tertiò poſſunt etiam in offenſivo bello in caſu magnæ neceſſitatis Eccleſiæ ob victoriam inſignem reportandam redundantem in commodũ maximum Chriſtianæ Reipublicæ, ita Bannes ſupr. Valentia ſupr. §. *ſecundo certum eſt*, Lezana ſupr. num. 13. Abſque periculo irregularitatis inquiunt Bonacina de cenſuris diſp. 7. quæſt. 4. puncto 4. num. 11. Valentia ſupr. §. *contrario ſententia*, Lezana ſupra. Ratio eſt, quia tunc lex naturæ obligaret, & præſumeretur licentiâ Apoſtolicâ.

V. Quartò poſſunt ſi neceſſitas urgeat ad conſervandam vitam propriam, non excedendo in moderamine inculpatæ tutelæ, ita Lezana ſupr. numer. 14. cum Molina. Ratio eſt, quia etiam jus naturæ tunc obligat ad id præſtandum. Quod ſi id fiat pro conſervatione honoris & rerum ſuarum, ex quâ dependeat conſervatio vitæ propriæ, tunc nulla irregularitas contrahitur, ita communiter Doctores, & ſignanter Lezana ſupr. numer. 14. Suarez ſupr. num. 1. Poſſunt etiam ſi id ſit neceſſarium ad defenſionem proximi innocentis, maximè ſi ſit ſummoperè utilis & neceſſarius Reipublicæ, ita Molina ſupr. §. *tertius*, Cajetanus 2. 2. quæſt. 40. art. 2. Layman ſupr.

supr. §. *tertiò dico*, Imò nec in hoc casu incurri irregularitatem probabile existimat Lezana supr. cum Bonacina loco citato. Ratio est, quia non est credibile Ecclesiam velle plectere pœnâ irregularitatis Clericos vel Religiosos facientes id quod jure naturæ facere tenentur.

VI. Quod si dicas judicem & ministros justitiæ teneri reum mortis interficere & tamen hoc præstando irregularitatem incurrunt, Respondet Lezana post Valentiam supr. §. *quare omninò*, Molinam supr. disp. 109. concl. 2. & 3. quod quamvis sit certum, quod illi qui ex officio, cui se sponte subjecerunt ut judices & ministri justitiæ, teneantur occidere, seu mutilare, ac fiant irregulares quando id faciunt, quia est rami voluntaria illis ejusmodi occisio in voluntate tale officium accipiendi. At quando aliquis non ex officio, nec suâ culpâ, sed casu aliquo (ut in præsenti) tenetur mutilare vel occidere, sic faciendo nullam irregularitatem contrahit. Valentia supr. §. *probatur autem.* Probat quia non contrahitur irregularitas, nisi in casibus expressis a jure. Sed in jure non incurritur irregularitas ob homicidiũ nisi ab illicitis occisionibus, vel iis qui dant operam rei illicitæ, ex quâ homicidium sequitur, si scilicet ea sit prohibita ob periculum homicidii, ut scribit Lezana tomo 3. quæst. regul. verbo *irregularitas*, num. 81. Vel interficiunt ut ministri justitiæ, nec ad alios casus licet ea jura extendere. Igitur in præsenti irregularitas non contrahitur, & confirmat ex iis, quæ verbo *accusatio*, num. 21. docet de accusatione, in casu quo teneatur accusare volentem prodere Rempublicam, vel occidere volentem prodere Rempublicam, vel occidere innocentem, qui accusator non contrahit irregularitatem. Ratio est, quia Cànones non afficiunt irregularitate aliquem ob officium delictum ex præcepto naturali vel divino charitatis, justitiæ vel alterius virtutis, quod verum est, inquiunt Laymã, & ex nostris Corncio, Lezana cum nequeunt aliter impedire damnum imminens. Vide plura apud eundem Lezanam verbo *bellum*, num. 17. & seq.

Dices positis præfatis tribus conditionibus, tamen bellum non videtur tolerandum inter fideles, ut potè oppositum paci & charitati, cùm inter eos, qui bellum gerunt non sit pax, sed pugna & dissentio. Respondeo bellum esse contrarium paci ex parte illius, qui fovet causam injustam, vel bonam intentionem non habet. Non tamen ex parte illius qui habet justam causam & rectam intentionem. Ratio est, quia privatus homo, qui se diligit ex charitate & proximum suum, potest secundùm ordinem charitatis se proximo præferre, verbi gratiâ, si casus occurrat, in quo ipse, vel proximus aliquod damnum pati debeat, potest se ipsum salvare, salvâ charitate, cum damno & incommodo proximi, modò non faciat injuriam proximo, ita Becanus supr. cap. 19. quæst. 2. Idem asserendum est de Principe, vel Republicâ. Si igitur feratur injuria Principi, vel Reipublicæ, quod si Princeps ab alio Principe afficiatur injuriâ, potest illæsâ charitate injuriam bello vindicare, & se conservare indemnem, sicque simul servare justitiam & charitatem. Justitiam quidem, quia munus justitiæ est legitimè vindicare illatam injuriam. Charitatem autem, quia servatur hæc regula charitatis. *Proximus sum egomet mihi.* Quod si multæ cædes & damna ex bello procedant, illa attribuenda sunt ei, qui fovet causam injustam, scilicet Principi, qui fuit alteri injuriosus. Undè si habens justam causam abstineret à bello, impediret publicam justitiam, quæ exigit, ut injuria vindicetur, quæ in re gravis momenti præferenda est. Nam ubi non servatur justitia, impunè furta, homicidia, &c. perpetrantur. VII.

CAPUT

CAPUT V.

Ad liceat Christianis Bellum gerere contra Turcas.

I. LUtherus art. 34. ex dictis supra negat. *Præliari* (inquit *adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras.* Quasi diceret bellum à Turcis motum est virga seu flagellū Dei, quo paternè nostra peccata castigat, sed non est licitum repugnare flagello Dei. Igitur nec contra Turcas præliari. Quod à successu confirmat; quia Christiani contra Turcam militando nullum progressum fecerunt, imò Turcæ potentiores effecti sunt, igitur signum est quod bellum contra Turcas non placeat Deo. Quem errorem idem Lutherus lib. de visitatione Saxonicâ cōfirmat. Hoc autem bellum licitum esse, patet primò ex diversis Pontificibus Gregorius IX. Innocentius IV. Nicolaus IV. Martinuus IV. Innocentius VI. Urbanus V. Non minus studiosè hoc bellum Asiaticum suaserunt Alexander VII. Clemēs IX. Patet ex Cōciliis generalibus, Lateranensi, Lugdunensi, Viennensi, &c. Sub Urbano II. Paschali II. Eugenio III. & aliis Pontificibus celebratis pro bello cōtra Mahumetanos tam offensivo quàm defensivo aggrediendo. Tertiò ex variis indulgentiis plenariis concessis à Sede Apostolicâ præliantibus contra Turcas, ut potè Catholicæ Religionis hostes intensissimos. Joannes VIII. qui successit Adriano II. epist. 144. ad Episcopos Galliæ scribit eos qui occubuerunt in bello pro defensione sanctæ Ecclesiæ, & statu Christianæ Religionis indulgentiam peccatorum consequi *illos* (inquit) *qui cum pietate Catholicæ Religionis in belli certamine cadunt, requiem æterna vitæ suscipiet contra Paganos, atque infideles strenuè dimicantes, &c.*

II. Pium igitur est opus pugnare contra Paganos pro defensione Reipublicæ Christianæ, qui id negaverit se propensiorem in Paganos, aliosque infideles, quam in Catholicos ostendet. Quartò, hoc motivum concedi indulgentias pro Ecclesiæ defensione præliantibus esse justum innuerunt non tantùm moderni Pontifices, sed etiam Prædecessores. Urbanus II. in Concilio Claromontensi anno 1096. tribuit indulgentiam plenariam iis, qui ad bellum sacrū proficiscebantur, ut refert S. Antoninus 2. part. histor. tit. 16. cap. 1. §. 23. & anno 1213. Innocentius III. concessit indulgentiam plenariam pro auxilio terræ sanctæ laborantibus, ut scribit Urspergensis. Quintò confirmatur ex bullâ Cruciatæ, seu diplomate Pontificio, quo conceduntur indulgentiæ, aliaque privilegia amplissima opem seu auxilium personale, seu reale afferentibus Regi Hispaniarum in bello contra Turcas, aliosque infideles. Quam bullam fusè explicant Soto in 4. dist. 21. art. 3. §. *ad quæstionem*, Rodriguez in exposit. bullæ Cruciat. §. 1. num. 2 Ludovicus à Cruce in exposit. bullæ Cruciat. disp. 1 cap. 1. num. 1. Diana part. 1. tractat. 11. de bullâ Cruciat. resol. 1. noster Lezana tomo 5. quæst. regul. verb. *Bulla Cruciatæ.* Quæ bulla extenditur ad omnes fideles habitantes in regnis Hispaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, & adjacentibus insulis illucq; adventantes, ut etiam tenet Vega in summa lib. 4. casu 98. Quæ autem sint indulgentiæ & privilegia præfatæ bullæ Cruciatæ. Vide citatos Auctores, & maximè Dianam part. 5. tract. 11. ubi centum & novemdecim resolutionibus solvit doctissimè plurima tum ratione, tum auctoritate Autorum omni exceptione majorum. Obiter nota vocari bullam Cruciatæ, quia privilegia in ipsa contenta sunt simili a illis, quæ olim concedebantur Cruce signatis pro recuperatione terræ sanctæ, ut post Sotum, Rodriguez animadvertit Lezana supr. num. 1.

III. Sextò, ex variis devotionis generibus auctoritate Apostolicâ institutis pro fœlici successu sacri belli. Innocentius III. mandavit, ut singulis mensibus seorsim viri & mulieres, supplicationibus publicis interessent, preces que funderent pro liberatione terræ sanctæ de jugo communis hostis Religionis Christianæ. Item ut singulis

diebus tempore sacri belli omnes publicè prostrati in terra canerent psalmum 78. *Domine venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* quibus orationibus adjungi voluit jejunium. Calistus sancivit ut auditâ campanâ meridianâ fideles omnes suis precibus juvarent eos qui contra Turcas præliantur.

VI. Licitum bellum etiam ab Episcopis persuaderi, patet ex benedictionibus Crucis & armorum, quas audire non pigebit. Proficiscentibus in subsidium & defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem terræ sanctæ ab Episcopo fit benedictio Crucis. Coram eo genuflexus unus ministrorum tenet Crucem benedicendam. Tum Episcopus stans absque mitrâ dicit super Crucem ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum terrã.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens Deus qui Crucis signum pretioso filii tui sanguine dedicasti, quique per eandem Crucem Filii tui Domini nostri Iesu-Christi mundum redimere voluisti, per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chyrographo liberasti, te supplicitèr exoramus, ut digneris hanc Crucem paternâ pietate ✠ benedicere, & cælestem ei virtutem & gratiam impertiri, ut quicumque eam in passionis & crucis unigeniti tui signum ad tutelã corporis & animæ super se gestaverit cælestis gratiæ plenitudinem in eâ, munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Et quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendã benedixisti, ita & hoc signum tuâ dexterâ bene ✠ dicas, & contra omnes diabolicas fraudes, virtutem ei tua defensionis impendas, ut portantibus illud animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem, & spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Deindè Pontifex aspergit Crucem ipsam aquâ benedictâ, & super recepturum ipsam dicit. *Oremus. Domine Iesu Christe fili Dei vivi, qui es verus & omnipotens Deus, splendor & imago Patris, & vita æterna. Quæ tuis discipulis asseruisti, ut quicumque vult post te venire, semetipsum abneget, & suam crucem tollens te sequatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut hunc famulũ tuum qui juxta verbum tuum seipsum abnegare, suamq; crucem tollere, & te sequi, ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi properare & pugnare desiderat semper & ubique protegas, ac à periculis omnibus eruas, & à vinculo peccatorum absolvas, acceptumq; votum ad effectum deducas optatum. Tu Domine, qui es via, veritas, & vita, & in te sperantium fortitudo, ejus iter benè disponas, prospera cuncta concedas, ut inter præsentis sæculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei Domine Angelum tuum Raphaelem qui Tobiæ comes in itinere suo, eiusq; Patrem à corporis cæcitate liberavit, & in eundo, & redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles & invisibiles hostis insidias, & omnem mentis & corporis ab eo cæcitatem repellat. Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Tunc Pontifex imponit illi crucem, dicens. *Accipe signum Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in figuram Crucis, Passionis, & mortis Christi ad tui corporis & animæ defensionem, ut divinæ bonitatis gratiã post iter expletum salvus & emendatus ad nos valeas remeare. Per Christum nostrum.* Deindè Pontifex aspergit Cruce signatum aquâ benedictâ, qui genuflexus osculatur manum Pontificis & discedit.

Pontificale.

V. Quoad armorum benedictionem, Pontifex benedicturus arma, quæ aliquis ministrorum coram eo tenet, aut supra altare, vel aliquam mensam ponuntur, stans sine mitrâ dicit. ℣. *Adjutorium nostrũ in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Signaculum & benedictio Dei Omnipotentis Patris, ✠ Filii, ✠ & Spiritus ✠ sancti descendat super hæc arma, & super indumenta ea, quibus ad tuendam justitiã induatur. Rogamus te Domine Deus meus ut illum protegas & defendas. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen. Oremus. Deus omnipotens in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almificâ pietate bene ✠*

dicere

dicere digneris, & concede famulo tuo N. ea gestare cupienti, ut ad munimen & defensionem sanctæ Matris Ecclesiæ, pupillorum & viduarum contra visibilium & invisibilium hostium impugnationem ipsis liberè & victoriosè utatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Expende hæc verba. *Ad munimen & defensionem sanctæ Matris Ecclesiæ, &c. contra visibilium & invisibilium hostium impugnationem ipsis liberè & victoriosè utatur.* Deinde aspergit aquâ.

VI. Hæc benedictio ensi applicatur, Pontifex ensem benedicere volens, illo cui tradendus est coram eo genuflectente, quem unus è ministris coram eo tenet, stans sine mitrâ dicit: ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* ℟. *Qui fecit cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Benedicere digneris quæsumus Domine ensem istum, & hunc famulum tuum, qui eum te inspirante susc pere desiderat, pietatis tuæ custodiâ munias, & illæsum custodias. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Deindè aspergit ipsum ensem aquâ benedictâ, & tradit eum illi dicens. *Accipe ensem istum, In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ sancti, & utaris eo ad defensionē tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ & ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianæ. & quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injustè ladas, quod ipse tibi præstare dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorū.* Hæc verba *Sanctæ Dei Ecclesiæ, &c.* eodem modo intelligenda sunt quo superiora.

VII. Quæ ad traditionem vexilli bellici, hunc ritum servat Episcopus, vexillum bellicum quod unus ex ministris coram eo tenet benedicere volens, stans sine mitrâ dicit. ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus Omnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc vexillum quod bellico usui præparatum est, cælesti benedictione sanctifica, ut contra adversarias & rebelles nationes sit validum, tuoq; muniminc circumscriptum, sitq; inimicis Christiani populi terribile, ac intercedentibus sanctis tuis fundamentum, & victoriæ certa fiducia. Tu enim es Deus qui conteris bella, & cælestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per Dominum, &c.* ℟. *Amen.* Pondera hæc verba, *sitq; inimicis Christiani populi terribile, &c.* Sanctus Ludovicus (ut patet ex ejus vitâ) iter transmarinum aggressurus, armatâ manu Christiani populi hostē debellaturus, vexillum (indubiè hoc ritu benedictum) accepit ab Episcopo Parisiensi, & aquâ lustrali aspersum, & genuflexus coram eo sedente mitrâ in capite, vexillum accepit his verbis. *Accipe vexillum cæleſti benedictione sanctificatum, sitq; inimicis populi Christiani terribile, & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen & honorem cum illo hostium cuneos potenter penetres incolumis & securus.* Quibus dictis, osculum pacis accepisse credo, his verbis *Pax tibi.*

Licuit in veteri lege Judæis bello se defendere adversus Reges Gentiles à quibus tanquam flagellis Dei opprimebantur, ut patet ex dictis supra, Judicum cap. 3, & alibi passim. Imò Deus suscitavit Othoniclem, Gedeonem, Samsonem, Jephte, & alios, qui Salvatores nuncupati sunt, ut à præfatorum infidelium oppressione populum liberarent. Deindè fames, pestis sunt atque flagella Dei, Deuteronomii cap. 28. vers. 10. & lib. 2, Regum cap. 12. vers. 10. & Jeremiæ cap. 14, vers. 1. quàm bellum Turcicum vel aliorum infidelium. At licet Christianis (quantùm in se est) avertere famem, munire se contra pestem, propulsare pestem, & hoc faciendo nō censentur Deo repugnare alioqui Episcopi peccarent hortantes plebem ad varia pietatis opera, supplicationes, Litanias publicas, & Missas solemnes. Igitur licet etiam se contra hostem Christiani nominis defendere, & ei resistentes, vel impugnantes non censentur facere contra Deum. Nec refert quod eventus sæpè malus est, VIII.

ut tempore sancti Bernardi, tempore sancti Ludovici, nunc tempore Clementis IX. Nam quando filii Israel contra Beniamitas prælium inierunt, Ducem militiæ Deus illis assignavit, eos ad pugnam hortatus est Judicum cap 20. vers. 18, *Iudas sit Dux vester.* Et infra. *Ascendite ad eos, & inite certamen.* Et tamen populus Hebræus victus & fugatus fuit, Deo permittente populum affligi. Quam afflictionem (inquit S. Augustinus lib. 10. de civitate cap. 28.) non debet petere, nec amare, sed tolerare.

Iudic c. 20. v. 18

CAPUT VI.

An Christiani, & Episcopi bellum gerere possint contra hæreticos.

I. SI sit justa causa belli non est dubium quin liceat modò adsit recta intentio, cùm etiam id liceat contra Catholicos. Difficultas dumtaxat est, an sola hæresis sit justa causa, quæ ut facilius solvatur, suppono duo in hæresi considerari posse. Primum est peccatum. Secundum, quod hæresis turbat pacem Ecclesiæ. Utrumque posse, probatur ex veteri testamento. Ac in primis Hebræos fuisse punitos propter idololatriam, patet Exodi cap. 32. vers. 16. ubi Moyses & Levitæ pugnaverunt contra fratres suos ob crimen idololatriæ commissum. *Moyses stans in portâ castrorum ait Si quis est Domini jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Vers. 27. Quibus ait. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Vers. 28. *Fecerunt filii Levi juxta sermonem Moysis, ceciderunt que in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Quod factum Levitarum approbavit Moyses. Vers. 29. *Et ait Moyses, consecrastis manus vestras hodie Domino.* Numerorum cap. 25. Hebræi fornicantes cum Madianitis & colentes Beelphegor vers. 9. *Occisi sunt viginti quatuor millia hominum*, jussu Moysis, seu seu potius Domini. Vers. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel, &c.* Iidem Hebræi consulto Deo communi consensu Judic. cap. 20. bellum inferunt Beniamitis ad plectendam eorum libidinē, & tanta cædes Benjamitarum facta est ut (inquit Textus sacer vers. 47.) *Remanserūt de omni numero Benjamin qui evadere & fugere potuerunt in solitudinem sexcenti viri.* In quo bello, vers. 48 *Regressi filii Israel omnes Reliquias Civitatis à viris usque ad jumenta gladio percusserunt.* Ideò mulieres & parvuli deleti sunt ab undecim Tribubus Israel.

Exod 32 vers. 26.

vers. 27.

Iudic. 20 vers. 27.

II. Secundum patet lib. 2. Regum cap. 20 Seba rebellionē excitans contra regem David cum asseclis deletur, vers. 22. *Abscissum est caput Seba, &c.* Nec refert quod quando Roboam Rex cum domo Juda & Benjamin voluit inferre bellum domui Israel, qui omnes ex utrâque pertenerant Hebræi Deus per Prophetā dixit illi l. 3. Reg. cap. 12. vers. 24 *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel, Revertatur vir in domum suam, à me enim factum verbum hoc, audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.* Quamvis Rex Roboam haberet causam justam gerendi bellum, eo quod contenderent rebelles subditos ab obedientiâ revocare. Tamen prohibiti sunt bellum gerere, quia fratres eorum erant, undè sequitur non licuisse Regi Roboam. Dico Deum non præcepisse Roboam, ut cessaret à bello præcisè, quia illud aggressus esset contra fratres suos, sed quia volebat eos suo sceptro & dominio subjicere contra divinam ordinationem. Volebat enim Deus regnum Salomonis propter ipsius flagitia in duas partes dividere, & dare majorem partem Jeroboam Salomonis servo, minorem autem Roboam filio Salomonis. Conabatur autem Roboam solus occupare universum regnum, & ad se bello trahere

l. 3. Reg. 12. v. 24.

trahere eos, qui Jeroboam adhærebant, sed à Deo monitus à cœpto abstinuit, ut patet lib. 3. Regum cap. 12. vers. 24. supra citato.

III. Quoad hæreticos certum est ex Scripturâ de Eliâ lib. 3. Reg. cap. 18. vers. 40. qui apprehensos Prophetas Baal, *Duxit eos ad Torrentem Cison & interfecit eos ibi.* S. Basilius homil 12. de irâ. *Elias zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis Sacerdotes, & quadringentos sacrorum nemorum, comedentes de mensâ Iezabel, justâ sapientiâ, indignatione in totius Israel utilitatem ut morte mulctarentur effecit.* Auctor de mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 2. *Quippè qui Elias erat in eâ lege quæ dicit Levitici cap. 24. Blasphemum non patieris vivere, nullius hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit ac per hoc qui idololatriæ cultores maculaverat, blasphemos & sacrilegos de terra purgabat.* Vel ut Mathias qui lib. 1. Machabeorum cap. 2. vers. 23. *Videns Iudaum in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin secundum jussum Regis.* Vers. 24. *Doluit & constremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judicium legis, & insiliens, trucidavit eum super aram.* Et Hegesippus lib. 1. cap. 1. *Matathias Sacerdos non solum ipse temperavit à sacrilegio, verumetiã immolantem simulachris hostias de popularibus suis gladio transverberavit.* Scilicet juxta præceptum divinum Levitici cap. 20. vers. 20. cap 24. vers 6. Numeror. cap. 25. vers. 5. Deuteron. cap. 13 vers. 6.

l. 3. Reg. 18. v. 40

S. Basil.

S. Augustinus,

l. 1. Machab. c. 2 vers. 23.

Hegesip.

IV. In novo etiam testamento eandem pœnam statutam esse hæreticis, docet Concil. Chalcedonense art. 2. refert enim Dioscorum Episcopum Alexandrinum dixisse. *Si Eutyches propter dogma Ecclesia sapit, non solum pœna dignus est, sed & igne.* S. Augustinus epist. 48 ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium, & lib. 2. contra duas epistolas Gaudentii cap. 17. & 26. & lib 1. contra litteras Parmeniani cap. 7. & lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 83. Probat ex instituto Magistratum habere auctoritatem animadvertendi gladio in hæreticos, juxta illud Rom. cap. 13, vers. 4. *Non enim sine causâ gladium portat.* S. Hieronymus in cap. 4. ad Galatas.

Concilii Chalced.

Rom. 13. vers 4.

V. Videtur ex præfatis sequi quod Episcopi ex vi potestatis spiritualis quâ pollent, jus & auctoritatem habeant indicendi bellum hæreticis, vel aliis excommunicatis parere nolentibus, ita Sylvester verbo *bellum*, quæst. 2. ex Innocentio, Ostiensi.

VI. Possunt Principem sæcularem invocare in subsidium ad bellandũ contra infideles in defensionem Ecclesiæ exemplo Maximiani Episcopi apud S. Augustinum epist. 50. ad Bonifacium, & refertur cap. 50. cap *Maximianus*, 23. quæst. 1. & hoc bellum ab iis movendum est non propriè, quia hæresis est peccatum: sed quia turbat pacem Ecclesiæ & Reipublicæ triplici modo. Primò si subditi alicujus Regis, aut Principis præcipuè Ecclesiastici habentis jurisdictionem temporalem, deficiant à Catholicâ fide, aliosque secum trahant in eandem hæresim, sicque excitent dissensionem in regno, vel Provinciâ, potest Princeps eos bello coercere, si non supperat alius modus coercendi. Secundò si Rex, vel subditi unius Regni à fide Catholicâ deficiant, & studeant subditi vicini regni in eandem defectionem pertrahere, potest vicinus bello se defendere, & injuriam illatam vindicare. Tertiò, si sint in aliquo Regno, vel Provinciâ multi hæretici turbantes Ecclesiæ unitatem potest Pontifex tanquam Pastor universalis mandare Principi potenti ut illos compescat vi, & armis, Sic sanctus Gregorius Magnus hortatus est Exarcham Africæ, ut Donatistas bello compesceret lib. 1. epist. 72. & epist. 73. eidem gratias agit pro beneficiis Sedi Apostolicæ collatis. Motivum punitionis est, quia hæretici pertinaces non minus perturbant pacẽ & tranquillitatem Reipublicæ, quam homicidæ, adulteri, fures, sed omnes concedunt eos mereri pœnam capitis. Igitur, &c.

VII. Nec dicas non esse parem rationem, quia homicidæ, adulteri, fures pacis politicæ sunt perturbatores,

& ideò plectuntur à politico Magistratu: hæretici autè dumtaxat Ecclesiasticum statũ turbant, ideò plecti nequeunt pœnâ corporali. Respondeo utramque pacem ab iis turbari; Ecclesiasticam, quæ cõsistit in unitate fidei, Ephes. cap. 4. vers. 5, *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* Politicam etiam consequenter, quæ conservari nequit sine unitate fidei. Nam (inquit Christus) *omne regnum divisum desolabitur*, ideſt ubi est animorum dissensio, ibi pax esse nequit. Ut patet exemplo Arianorum, qui totum orbem: Macedoniorum, qui Græciam: Donatistarum, & Circumcellionum, qui Africam turbabarunt, quorum meminit sanctus Augustinus epistola 68. ad Januarium Donatistam, in Germaniâ Lutherani, Calvinistæ in Galliâ, Angliâ, Poloniâ, Belgio, Hussitæ in Bohemiâ, Iconomachi & Albigenses in Romano Imperio. Lipsius lib. contra Dialogistam de unâ religione post Ammianum refert, quod Julianus Apostata volens Ecclesiam Christianorum turbare, ac delere introduxit libertatem, ac varietatem doctrinarum.

Ephes. 4. vers. 5.

IX. Et confirmatur ex naturâ hæreseos: ubi enim est hæresis, ibi est superbia; ubi superbia, ibi discordia. Patet, cùm enim sunt superbi à nobis dissident in administratione Sacramentorum, Templa, & Monasteria evertunt, Altaria destruunt, Imagines comburunt, Episcopis & Clericis illudunt, jejunia, sacrificia, & festa execrantur, ritus & cæremoniat spernunt, ex quibus flagitiis oritur in rebus politicis etiam dissensio. Nam ubi Altare contra Altare, Templum contra Templum erigitur unio politica esse non potest, quia hæretici turbant externam justitiam & tranquillitatem.

§. I.

Diluuntur Argumenta contraria.

I. PRimum, Isaias cap. 11. vers. 9. oppositum vaticinatur. *Non nocebunt* (inquit) *& non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Ideſt Gentiles ad fidem conversi, ac in Ecclesiæ gremium admissi non nocebunt fidelibus baptisatis (inquit Sanctus Hieronymus.) Igitur non licet in Ecclesia hæreticos interficere. Respondeo primo retorquendo. Igitur hæretici (qui sunt serpentes, & aspides) non occident, neque nocebunt Christianis in Ecclesiâ, quamvis enim eis Catholici nocere videantur, revera tamen non nocent, sed eos exercent, studentque ut in doctrinâ & unitate crescant. Respondeo secundò sensum hujus vaticinii colligi ex vers. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Symmachus & Theodoretus pro *virga* vertunt *germen.* Quem locum S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Leo, S. Bernardus, & alii Patres apud Leonem Castrum dicunt virgam esse Mariam, florem esse Christum, quo adveniente quid futurum sit infra declarat. Vers. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ovis, simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Vers. 7. *Vitulus & ursus simul pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Vers. 8. *Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in cavernâ regali, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Vers. 9 *Non nocebunt, neque occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aqua maris operientes.* Hic ergò locus metaphoricè explicandus est, scilicet, quod gentes feræ & barbaræ depositâ feritate mansuescent, & cum hædis & agnis, ideſt, cum humilibus

humilibus & simplicibus Christianis sanctissimè conspirabunt in unitatem fidei & Ecclesiæ. Ut patet in Paulo, qui spirans minarum & cædis in Christianos jure comparatur lupo, Genesis cap. 49. vers. 27. Habitabit cum agno scilicet Petro, Joanne, & aliis Christianis (inquiunt sanctus Hieronymus hic, Sanctus Gregorius homil. 16. in Ezechielem, Sanctus Basilius homil. 20. in Hexameron, Origenes homil. 2. in cap. 6. Geneseos, Sanctus Chrysostomus ibidem, homil. 23. Uno verbo Isaias propherat, quod per Christi gratiam erit omnium gentium unio & concordia, quæ est radix omnis prosperitatis & fœlicitatis. Hoc oraculum non impedit quominus Christiani, non quidem ex barbarie & feritate, sed ex Christi zelo, & studio conservandæ unitatis fidei possint coercere, & sit necessarium occidere hæreticos, quando turbant pacem & unitatem. Alioqui sequeretur non posse occidi adulteros, homicidas & fures, qui etiam publicam pacem, & tranquillitatem turbant.

II. Secundum Matthæi cap. 12. vers. 19. ubi de superseminatis zizaniis in medio tritici ab inimico quærunt servi an colligent, respondit Paterfamilias. *Non nè colligentes forte zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Syriacus. *Nè forte dum collecturi estis zizania.* Pagninus & Cajetanus. *Nequando colligentes.* Vatablus. *Eradicetis unà cum eis triticum.* Vers. 30. *Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos, &c.* Syriacus. *Sinite crescant utraque simul, &c.* Zizania sunt hæretici, ut docent sanctus Augustinus lib. quæst. in Matthæum quæst. 11. Sanctus Chrysostomus homil. 47. Euthymius, Beda, Sanctus Thomas qui ab inimico seminanti fidem ac fideles à radice suffocare, ac evertere contendunt. *Certè* (inquit Sanctus Chrysostomus citatus) *moris est hæreticis, ut obumbrent seipsos, atque occultent in principiis quousque majorem fiduciam capiant, & quodam favore multitudinis juventur, tunc enim contagiosa venena effundunt.* S. Chrysostomus

Messis diem judicii, messores Angelos significant. Christus hac parabola hæreticos eradicandos non esse significat: sed usque ad diem judicii relinquendos in eodem agro seu Ecclesiâ. Vel (inquiunt Sanctus Augustinus lib. 2. retract. cap. 18. sermone 39. de Sanctis, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Paschàsius, Theophilactus, Albertus Magnus, noster Sylveira, per zizania denotantur omnes iniqui, quos Diabolus seminat inter fideles, ut suâ pravâ vitâ, & vitiis, verbis turpissimis & blasphemis societateque pestifera noceant justis, sicut zizania tritico, illudque suffocent, juxta illud D. Basilii in regulis brevioribus quæst. 6. *Promiscuè vitam agere cum iis, qui securi perfectam illam præceptorum Domini observantiam contemnunt. Perniciosum esse etiam Salomon docet Proverb. cap. 22. vers. 24. Neque habitaveris cum viro furioso, nè forte discas vias ejus, & sumas laqueos animæ tuæ.* Et Sanctus Leo sermone 4. de Quadragesimâ. *Inimicis autem Crucis Christi nullâ consensione jungamur, nè impiorum consortio sanctitas filiorum polluatur. Lux separatur à tenebris, & fugiant filios Diaboli filii veritatis.* Respondeo igitur servos Christi, seu Patris familias esse Principibus Ecclesiæ, quibus Christus prohibet nè separent bonos à malis, hæreticos à fidelibus, quamdiu non constat quinam sint mali, ut sæpè non constat. Nam timendum nè Prælati putantes separare malos à bonis, separent & eradicent bonos, & relinquant malos. Quod innuit Christus his verbis vers. 29. *Nè forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Nam (inquit sanctus Paschasius lib. 7. in Matthæum) *Zizania quod lolium esse dicimus, antequam in culmen veniant; tanta similitudo in eis est, ut discerni vix, aut nunquam possit, & Dominus ait, finite crescere usque ad messem.* Sic sunt aliqui improbi, & hæretici, qui ita occulti sunt, & ambigui, ut vix discerni possint à probis & fidelibus, & illos S. Basilius. S. Leo. S. Paschasius.

Christus

Christus vetat evelli. Hoc sensu etiam monet Apostolus 1. Corinth. cap. 4. vers. 5. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia Principum.* Quod si certum sit hos esse hæreticos pertinaces, homicidas, fures, &c. tunc possunt à bonis separari, nec timendum est, nè cum illis etiam boni extirpentur. Et de illis scribit Apostolus 1. Corinth. cap. 5. vers. 13. *Auferte malum ex vobismetipsis.* Paschasius supra. *Non dico, ut contradicam illud Apostoli auferte malum ex vobis, quod contrarium hoc loco sonare videtur. Sed aliud est de manifestis apertisq; criminibus judicare in Ecclesia, aliud de his, quæ adhuc quasi in herba latent.* Eodem sensu loquitur 2. Thessalon. cap. 3. vers. 14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & nè commisceamini in illo.* Versio Syriaca. *Nolite conversari, & commercium habere cum illo.* Hanc reiponsionem nobis suggerit sanctus Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 2. S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 8. ad 1. Ratio autem cur hæretici manifesti potius quàm occulti sunt eradicandi sivè per censuras, sivè etiã per corporalem pœnam, hæc est, quia palam turbant pacem & unitatem Ecclesiæ.

2. Cor 4. vers. 5. — Cap. 5. vers 13. — S. Pasch. — 2. Thess. 3. v. 14.

III. Tertium, Discipuli, & præsertim Jacobus & Joannes videntes Christum tam inurbanè à Samaritanis exclusum à Civitate dixerunt Lucæ cap. 9. vers. 54. *Domine vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos. Et conversus increpavit illos dicens. Nescitis cujus spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Quibus verbis corripit Apostolos qui volebant Samaritanos ob inurbanitatem igne absumere. Quemadmodum Sanctus Propheta Elias lib. 4. Regum cap. 1. vers. 10. & 12. duos quinquagenarios missos ab Ochozia imperiosè ac superbè cum eo agentes cœlesti igne percussi occubuerunt per hæc verba. *Si homo Dei sum descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Christus igitur suâ responsione innuit alium esse spiritum legis Mosaicæ, alium legis Evangelicæ, illum severum, hunc mansuetum esse juxta illud Matthæi cap. 21. vers. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Et ab ab Evangelicæ legis Rectoribus imitandum. Undè quando Christus ait Apostolis. *Nescitis cujus spiritus estis.* Innuit eos non debere imitari Eliam qui igne cœlitus emisso consumpsit quinquagenarios. Quare respondeo Christum non loqui generaliter de spiritu legis Evangelicæ, sed specialiter de genio quo volebat Evangelium annunciari, scilicet non violentiâ externâ instar tyrannorum occupantium regna, sed mansuetudine, doctrinâ, & miraculis. Non tamen sequitur, quin Evangelium prædicatum, & promulgatum non possit, nec debeat defendi & conservari spiritu severitatis. Hoc enim spiritu usi sunt Apostoli, S. Petrus Actor. cap. 5. vers. 4. quando Ananias & Saphira ad ejus verbum expirarunt. S. Paulus 1. Corinth. cap. 5. vers. 5. tradens Corinthium Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat; Actor. cap. 13. vers. 11. Elymam magum excæcans, eo quod vias Domini pervertere non desisteret. 1. Corinth. cap 3. vers. 21. scribens. *Quid vultis ut veniam ad vos in virga ferrea, an spiritu mansuetudinis.* Ipse Christus Lucæ cap. 19. vers. 45 ejiciens vendentes & ementes de templo, Sanctus Chrysostomus homiliâ 22. in Joannem existimat quod ejecit eos flagello eo modo quo Joannis cap. 2.

Act. c. 5. vers. 4. — 1. Corin. vers. 5. — Act. 13. vers. 11. — 1. Cor 3. vers 21. — Luc. 19. vers. 45.

IV. Quartum, Christus Matthæi cap. 26 vers. 52. dixit Petro percutienti aurem ministri Pontificis. *Converte gladium in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Apostolus 2. Corinth. cap. 20. vers. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei.* Hæc duo argumenta supra explicavimus.

V. Quintum, Apostolus ad Titum cap. 3. vers. 10. ait. *Hæreticum hominem devita, sciens quia subversus est.* Græcè *everſus est.* Quia (inquit Cornelius fide, spe, & bonis moribus,

ut

ut potè planè hæresi, & suâ obstinatione pervertus & immersus. Undè Tertullianus libr. de præscriptione cap. 16, docet in hæreticis non habere locum præceptum Domini Matthæi cap. 18. de ordine in correptione servando. Hinc etiam idem Tertullianus & Ambrosius ita legunt. *Hæreticum hominem post primam correptionem devita.* Igitur Hæretici pœnâ capitali plecti nō debent. Respondeo id Apostolum dixisse, quia non scribebat Principi politico corporali gladio utenti sed Episcopo, qui spirituali, idest censuris agere debebat id enim significat verbum *devita*, idest, avertare, separa. Titus tamen Episcopus potuisset pertinacem Principi sæculari plectendum tradere, quod non fecit, quia tunc non erant Principes Christiani, quibus id securè committi potuisset, sed Gentiles dumtaxat. Respondeo secundò, Apostolum scripsisse Tito, qui nullam temporalem jurisdictionem, nec tribunal sæculare & politicum habebat, à quo pœnâ capitali plecteretur, sed tantum spiritualem.

VI. Sextum, Hæretici in Ecclesiâ primitivâ non plectebantur pœnâ temporali, igitur nec nunc. Respondeo modum plectendi fuisse mutatum pro temporis necessitate. Ideò tunc pœnâ corporali non plectebantur, primò, quia Gentiles erant nimis potentes, & nimis pauci Christiani. Secundò, quia judicabat non expedire ob scandala quæ tunc potuissent nasci. Postea paulatim puniti sunt, modò multâ pecuniariâ, l. *cuncti hæretici*, modò omnium bonorum jacturâ, l. *Manichæi*, modò exilio, l. *Ariani*, de hæreticis. Tandem ob pœnarum ejusmodi contemptum, insolentiam & seditiones Valentinianus & Marcianus pœnam capitis statuerunt, l. *quicumque*, eodem codice. Hanc objectionem proponit & solvit Sanctus Augustinus epistolâ 10. ad Bonifacium circa medium.

VII. Septimum, fides libera esse debet, nullus igitur ad eam cogendus est. Respondeo fidem esse liberam dupliciter. Primò quoad assensum internum, seu actum credendi. Secundò, quoad fidei professionem externam. Primo modo semper est libera ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 2, art. 1. ad 3. Secundo modo libera est respectu infidelium non baptisatorum, qui ad fidem cogi nequeunt, maximè à Prælatis qui jurisdictionem spiritualem tantùm habent juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 5. versu 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonnè de iis, qui intus sunt judicatis? nam eos qui foris sunt Deus judicabit.* Per *foris*, intelligit extra ecclesiam, per *intus*, qui sunt in Ecclesiâ. Vide D. Thomam quæst. 10. art. 8. qui ad 2. docet etiam Principes, qui habent temporalem jurisdictionem non posse directè eos ad fidem & baptismum directè compellere, quia eorum potestas ordinatur dumtaxat ad naturalem, susceptio fidei & baptismi ad supernaturalem. Possunt tamen directè negando illis facultatem in suis Provinciis, nisi concionem Evangelicam audiant. Secundò, illis imponendo vectigalia graviora quàm Christianis. Plura apud Gratianum cap. *jam verò*, 23. quæst. 6. Fides autem libera non est hæreticis, qui illam semel in Baptismo susceperunt, & susceptam deseruerunt. Hi enim ex D. Thomâ quæst. 10. art. 8. possunt cogi. Sic enim Gentiles cogi non poterant ad circumcisionem at poterant circumcisi cogi ad legis Mosaicæ observantiam teste Apostolo ad Galatas cap. 5. vers. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendi.* Cornelius post S. Anselmum, & alios. *Est enim circumcisio tacita legis veteris onerosissima professio, quemadmodum baptismus est professio legis novæ & Christianissimi.* Galat. 5. vers. 3. Cornel.

VIII. Dum de Principe Christiano disseremus, decidemus primò quos in bello justo contra Christianos liceat in auxilium vocare. Secundò, cui in hâc causâ competat jus dicere. Tertiò, an consulenda sit Sedes Apost. de causis & conditionibus belli liciti. Quartò, quomodò princeps pius & prudens bellum non moveat, sivè externis, sivè subditis, sivè ad fovendam religionem

ac disciplinam tam politicam, quàm Ecclesiasticam nisi lacessitus & post tentata media ad pacem. Quinto, an & quando liceat uti insidiis. Sextò, an liceat innocentes captos justo bello in servitutem redigere. Cœterùm, quæ in hoc volumine scripsimus, omnia & singula Sedis Apostolicæ judicio & censuræ humiliter submittimus, & dicta volumus ad laudem & honorem Dei, Beatissimæ Mariæ Virginis, singularis nostri Ordinis Patronæ, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei hujus operis exemplarium, S. Andreæ Corsini Episcopi Fesulani ab Urbano VIII. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi à Clemente IX. Sanctorum fastis adscriptorum, & aliorum Cœlicolarum factum.

FINIS.

INDEX

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ EX VTROQVE TESTAMENTO,

Quæ in hoc Volumine ſpecialiter elucidantur

P. Paginam indicat. N. Numerum marginalem denotat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1. *Verſ.* 14. Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, dies & annos, ut luceant in firmamento cœli & illuminent terram, pag. 27. numer. 9.

verſ. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit, pag. 3. num. 1.

Verſ. 28. Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, &c. pag.

Verſ. 29. Ecce dedi vobis ommem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, &c. p. 181. num. 21.

Cap. 2. *verſ* 16. Ex omni ligno paradiſi comede, pag. 182. numer. 21.

Verſ. 17. De ligno autem ſcientiæ boni & mali nè comedas, in quocumque die comederis, ex eo morte morieris, pag. 182. num. 21.

Cap. 3. *verſ.* 4. Nequaquam moriemini, pag. 331.

Verſ. 6. Sub viri poteſtate eris, p. 421. num. 1.

verſ. 17. Maledicta terra in opere tuo, p. 182. num. 21.

Verſ. 18. Comedes herbam terræ, p. 182. n. 21.

Verſ. 19. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es, pag. 173. num. 7.

Verſ. 20. Quia pulvis es & in pulverem reverteris, pag. 182. numer. 21.

Verſ. 21. Fecit quoque Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos, p. 182. n. 21.

Cap. 4. *verſ.* 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, pag. 396.

Cap. 6. *verſ.* 5. Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terrâ, p. 31. n. 6.

Verſ. 6. Et tactus dolore cordis intrinſecus, delebo (inquit) hominem, quem creavi, p. 31. n. 6.

Cap. 8. *verſ.* 1. Recordatus autem Deus cunctorum animantium, quæ erant cum eo in arcâ, pag. 31. numer 6.

Cap. 9. *verſ.* 25. Maledictus Chanaam, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis, p. 252. n. 1.

Cap. 15. *verſ.* 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace ſepultus in ſe-

nestute bonâ, p. 405.

Cap. 19. *v.* 7. Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere, p. 315. num. 7.

Cap. 27. *vers.* 33. Expavit Isaac stupore vehementi, & ultra quam credi potest admirans, &c. pag. 328.

Cap. 34. *Vers.* 25. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, &c. pagin. 314. numer. 14.

Cap. 41. *v.* 39. Nunquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero? p. 3.

Vers. 40. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, pag. 3. numer. 2.

Cap. 43. *v.* 11. Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro, p. 91. num. 5.

Exodus.

Cap. 3. *Vers.* 2. Apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubri, p. 300. n. 2.

Cap. 7. *Vers.* 11. Vocavit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter, p. 255. n. 3.

Cap. 8. *vers.* 7. Fecerunt autem & malefici per incantationes similiter, p. 255. n. 3.

Vers. 18. Feceruntque similiter, p. 256.

Cap. 12. *vers.* 11. Sic autem comedetis, renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, p. 532. n. 20.

Cap. 18. *vers.* 18. Non bonam (inquit) rem facis, stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est, ultra vires tuos est negotium, solus illud non poteris negotium sustinere. p. 3. num. 2.

Vers. 19. Sed audi verba mea, at consilia, Deus erit tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, p. 3. n. 2.

Vers. 20. Provide autem de omni populo viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, &c. p. 3. n. 4.

Cap. 32. *vers.* 8. Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, p. 43. n. 17.

vers. 9. *&* 10. Cerno quod populus iste diræ cervicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus, & deleam eos. Moyses autem orabat ad Dominum suum, dicens, Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti, &c. p. 30. n. 3.

vers. 27. Ait filiis Levi: Ponat vir gladium super fœmur suum, & redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysis, ceciderunt que in die illa quasi viginti tria millia hominum, p. 30. n. 3.

Vers. 29. Consecrastis hodie manus vestras Domino pag. 418. numer. 2.

Cap. 33. *v.* 9. Cùm transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, p. 459. n. 4.

Leviticus.

Cap. 2. *v.* 1. Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii Domino, p. 43. n. 18.

Cap. 6. *v.* 28. Vas autem fictile, in quo cocta est caro confringetur, quod si vas æneum fuerit defricabitur, & lavabitur aquâ, pag. 91. numer. 5.

Cap. 13. *v.* 46. Omni tempore, quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra, pag. 183. num. 1. p. 414.

Cap. 18. *v.* 10. Turpitudinem *filiæ* filii, &c. pag. 255. num. 2. pag. 302. num. 5.

Cap. 19. *v.* 35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ, pag. 269. num. 1.

Cap. 21. *v.* 17. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, pag. 417. num. 1.

Cap. 21. *v.* 16. Qui blasphemaverit nomen

nomen Domini, morte moriatur, pag. 289. num. 7.

Numerus.

Cap. 12. *Verſ.* 3. ERat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, p. 30. n. 3.

Cap. 22. *v.* 17. Nè cunctèris venire ad me: Paratus ſum henorare te, pag. 42. n. 16.

Cap. 25. *v.* 4. Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem, &c. p. 562.

Verſ. 17. Locutus eſt Dominus ad Moyſem hoſtes vos non ſentiant Madianitæ & percutite eos, p. 525. num. 6.

Deuteronomium.

Cap. 8. *Verſ.* 17. NE diceres in corde tuo, fortitudo tua, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt, p. 521.

Cap. 15. *v.* 4. Omninò indigens & mendicus non erit inter vos, p. 106. num. 1.

verſ. 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, &c. *ibid.*

Cap. 16. *v.* 19. Non accipies munera, quæ etiam excœcant prudentes, p. 43. n. 17.

Cap. 17. *v.* 8. & 9. Si difficile & ambiguum apud te judicium perſpexeris, &c. p. 40. n. 6.

Cap. 18. *v.* 11. Nec incantator, nec qui Pythones conſulit, &c. omnia enim hæc abominatur Deus, pag. 256. num. 3.

Cap. 32. *verſ.* 35. Mea eſt ultio, & ego retribuam, &c. pag. 540. numer. 1.

Joſue.

Cap. 1. *Verſ.* 1. ET factum eſt poſt mortem Moyſis ſervi Domini ut loqueretur Dominus ad Joſue filium Num, &c. p. 34. n. 2.

Verſ. 10. Præcepitque Joſue Principibus populi, dicens, tranſite per medium caſtrorum & imperate populo, &c. ibidem.

Judices.

Cap. 20. *Verſ.* 27. REmanſerant de omni numero Benjamin, qui evadere & fugere potuerint in ſolitudine ſexcenti viri, &c. pag. 562. num. 1.

Lib. 1. Regum.

Cap. 1. *Verſ.* 24. ADduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus, p. 451. num. 1.

Cap. 2. Poſtea factus eſt puer miniſter in conſpectu Domini ante faciem Eli, p. 451. n. 1.

Cap. 5. *v.* 6. Et percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines ejus, p. 254. num. 1.

Cap. 6. *verſ.* 3. Si remittitis arcam Dei Iſrael, nolite dimittere eam vacuam, ibid.

Cap. 25. *v.* 2 Hæc dicit Dominus exercituum, recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, &c. pag. 525. num. 6.

Cap. 28. *v.* 13. Ait mulier ad Saul, &c. p. 254. n. 5.

verſ. 17. Dominus ſcindet regnum tuum de manu tuâ, & dabit illud proximo tuo, &c. *ibid.*

Lib. 2. Reg.

Cap. 5. *Verſ.* 2. ECce nos os tuum, & caro tua ſumus, pag. 173. num. 7.

Verſ. 8. Cœcus & claudus non intrabunt in templum Domini, p. 442. num. 5.

Cap. 12. *v.* 24. Non aſcendetis neque bellabitis contra fratres veſtros, &c. p. 562.

Cap. 13. *v.* 14. Noluit acquieſcere precibus ejus, ſed prævalens viribus oppreſſit eam, & cribavit cum eâ, p. 303, num. 5.

Lib. 3. Reg.

Cap. 1. *Verſ.* 50. ADonias autem timens Salomonem ſurrexit, & abiit, tenuitque cornu Altaris, p. 273. n. 1.

Cap. 2. *v.* 27. Ejecit ergò Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli, p. 9. n. 8.

Cap. 4. *v.* 2. Et hi Principes, quos habebat, Azarias filius Sadoc Sacerdotis, p. 3. n. 2.

Verſ. 3. Elihoreth & Ahia filii Siba Scribæ, Joſephat filius Alihud à commentariis, *ibid.*

Verſ. 4. Banaias filius Joiada ſuper exercitum. Sadoc autem & Abiathar Sacerdotes, *ibid.*

Verſ. 5. Azarias filius Nathan ſuper eos, qui aſſiſtebant Regi, pag. 3. num. 2.

Cap. 11. *v.* 43, Dormivitque Salomon cum Patribus ſuis, & eſt in civitate David Patris ſui, pag. 405. numer. 1.

Cap. 12. *v.* 14, Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus, pag. 174. numer. 8.

Cap. 13. *v.* 7. Locutus eſt Rex ad virum Dei, veni mecum domum, ut prandeas, & dabo tibi munera, p. 207. n. 1.

Verſ. 8. Reſponditque vir Dei ad Regem. Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto, *ibidem.*

Verſ. 9. Sic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini, pag. 207. num. 1.

Cap. 14. *v.* 31. Dormivit Roboam cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David, p. 405. n. 1.

Cap. 16. *v.* 31. Duxit uxorem Jezabel, filiam Ethbaal Regis Sidoniorum, & abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum, pag. 403. numer. 8. p. 469.

Lib. 4. Reg.

Cap. 17. *Verſ.* 24. ADduxit autem Rex Aſſyriorum de Babylone, &c. & collocavit eos in Civitatibus Samariæ pro filiis Iſrael, qui poſſederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus, p. 27. n. 10.

Cap. 21. *v.* 13. Extendam ſuper Jeruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Jeruſalem, &c. p. 269. n. 1.

Cap. 24. *v.* 10. Aſcenderunt ſervi Nabucodonoſor Regis Babylonis in Jeruſalem, & circumdata eſt urbs munitionibus, p. 362.

Lib. 2. Paralip.

Cap. 19. *v.* 8. IN Jeruſalem conſtituit Joſaphat Levitas, Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitantibus ejus, p. 139. num. 6.

Verſ. 3. Præcepitque eis dicens; ſic agetis in timore Domini fideliter, &c. *ibid.*

Cap. 20. *v.* 14. Erat autem Jahazael filius Zachariæ, &c. ſuper quem factus eſt ſpiritus Domini *in medio* turbæ. Et ait attendite omnis Juda, &c. p. 521. n. 15.

Cap. 21. *v.* 12. Allatæ autem ei litteræ ab Eliâ Propheta, in quibus ſcriptum erat, hæc dicit Dominus Deus Patris tui, quoniam non ambulaſti in viis Joſaphat Patris tui, p. 12. num. 6. p. 216. n. 1.

Cap. 26. *v.* 16. Cùm roboratus eſſet elevatum eſt cor eius in interitum ſuum, &c. p. 409. n. 1.

Lib. Tobiæ.

Cap. 4. *verſ.* 8. QUomodò potueris, ita eſto miſericors, p. 110. num. 7.

Cap. 7. *v.* 11. Expavit ſciens quid evenerit illis ſeptem viris, &c. pag. 328.

Cap. 12. *v.* 14. Et nunc miſit me Dominus

Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à dœmonio liberarem p. 121. num. 5.

Lib. Esther.

Cap. 3. *Verſ.* 9. SI tibi placet decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam ærariis gazæ tuæ, &c. p. 362.

Lib. Iob.

Cap. 1. *Verſ.* 5. OFferebat holocauſta pro ſingulis, dicebat enim nè fortè peccaverint filii mei, &c. p. 287. n. 2.

Cap. 2, *v.* 9. Dixit autem illi uxor ſuâ adhuc permanes in ſimplicitate tuâ, &c. p. 286.

Cap. 19. *v.* 1. Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus, p. 267. n. 4.

Cap. 35. *Verſ.* 15. Nunc enim non infert furorem ſuum, nec ulciſcitur ſcelus valdè, pag. 255, num. 1.

Cap. 41. *v.* 24. Non eſt ſuper terram, poteſtas quæ comparetur ei, pag. 532. num. 18.

Lib. Pſalmorum.

Pſalm. 5. *Verſ.* 7. PErdes omnes qui loquuntur mendacium, p. 331. num. 3.

Pſalm. 7. *v.* 7. Exurge Domine in irâ tuâ, & exaltare in finibus inimicorum tuorum, pag. 180. numer. 20.

Verſ. 14. Sagittas ſuas ardentibus effecit, p. 81. n. 20.

Pſalm. 9. *v.* 14 Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor, pag. 90. n. 14.

verſ. 29. 30. *& ſeq.* In laqueo humiliabit eum, &c. p. 450.

Pſalm. 14. *v.* 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut qui requieſcet in monte ſancto tuo, p. 331. num. 3.

Verſ. 2. Qui egreditur ſine maculâ, &c. *ibid.*

Pſalm. 15. *v.* 1. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum nõ eges, pag. 331.

Pſalm. 17. *v.* 35. Qui docet manus meas ad prælium, &c. pag. 521. numer. 2.

Pſalm. 21, *v.* 16. Aruit tanquam teſta virtus mea, &c. pag. 100. num. 15.

Pſalm. 22. *v.* 14. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, pag. 54.

Pſalm. 36. *v.* 15. Gladius eorum intret in corda ipſorum, pag. 538. num. 9.

verſ. 25. Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, &c. p. 107. n. 2. p. 296. n. 2.

Pſalm. 39. *v.* 18. Ego autem mendicus ſum & pauper, &c. pag. 109. n. 3. p. 100. n. 15.

Pſal. 44, *v.* 17. Virga directionis, virga regni tui, pag. 170. numer. 3. p. 171. n. 5.

Verſ. 18. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, &c. pag 140. num. 6.

Pſalm. 51. *v.* 4. Sicut novacula acuta feciſti dolum, pag. 330. numer. 6.

verſ. 21. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula, p. 267. n. 4.

Pſalm. 53. *v.* 6. Ecce Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ, p. 305. n. 1.

Pſalm. 57. *v.* 6. Non exaudiet Dominus vocem incantantium, &c. pag. 256. n. 3.

Pſalm. 61. *v.* 12. Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, &c. p. 176. numer. 3.

Pſalm. 67. *v.* 5. Turbabuntur à facie orphanorum & judicis viduarũ, pag. 450.

Pſalm. 68. *v.* 22. Et in ſiti meâ potaverunt me aceto, pag. 100. numer. 16.

Pſalm. 71. *v.* 4. Judicabit pauperes populi, &c. p. 448.

Pſalm. 72. *verſ.* 22. Ad nihilum redactus ſum & neſcivi, pag. 178. num. 17.

Pſalm. 77. *v.* 25. Panem Angelorum manducavit homo, pag. 171. num. 5.

num. 5. & pag. 524.

Psalm. 79. *v.* 6. Potum dabis lacrymas in mensurâ, pag. 170. numer. 3.

Psalm. 98. *v.* 6. Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, pag. 418. numer. 2.

Psalm. 101. *v.* 8. Misericors & miserator Dominus longanimis, &c. p. 177. n. 15.

Psalm. 125. *v.* 6. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, pag. 26. num. 9.

Psalm. 128. *v.* 4. Dominus concidet cervices peccatorum, &c. pag. 449

Psalm. 134. *v.* 7. Fulgura in pluviam fecit, p. 170. n. 3.

Psalm. 136. *v.* 2. In salicibus suspendimus organa nostra, &c. p. 376. num. 2.

Psalm. 143. *v.* 1. Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas, p. 521.

Psalm. 145. *v.* 8. Pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet, p. 449.

Psalm. 146. *v.* 8. Et pullis corvorum invocantibus eum, &c. pag. 90. num. 4.

Lib. Proverb.

Cap. 4. *Verf.* 6. DIrige semitas pedibus tuis p. 442. n. 5.

Cap. 7. *v.* 16. Intexui funibus lectulum meum, p. 302. n. 4.

Cap. 10. *v.* 13. In labiis sapientis invenitur sapientia, pag. 255. numer. 1.

Cap. 15. *verf.* 25. Domum superborum demolietur Dominus, pag. 449.

Cap. 23. *v.* 10. Nè attingas terminos parvulorum, Principi diligenter attende, p. 97. n. 12.

Cap. 25. *v.* 18. Jaculum, & gladius, & sagitta acuta homo qui loquitur contra proximum suum testimonium, p. 267. n. 3.

Cap. 29. *v.* 26. Qui affligit patrem, & fugat matrem ignominiosus est, p. 252. n. 1.

Cap. 30. *v.* 8. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, pag. 108. num. 3.

verf. 17. oculum, qui subsannat patrem, &c. effodiant eum corvi, p. 252. n. 1.

Lib. Ecclesiastes.

Cap. 7. *verf.* 12. VTilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem, pag. 109. num. 5.

Canticum Canticorum.

Cap. 3. *verf.* 1. IN lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea, p. 169.

verf. 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, p. 527.

verf. 4. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, pag. 299. num. 1. p. 527. num. 4.

verf. 8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c. pag. 528. num. 5.

Cap. 4. *v.* 1. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, p. 95. n. 11.

verf. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, p. 528. n. 5.

Cap. 5. *v.* 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, pag. 528. n. 6.

Cap. 6. *v.* 3. Pulchra es amica mea, & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata, pag. 528. num. 7.

verf. 9. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. terribilis ut castrorum acies ordinata, p. 528. n. 9.

Cap. 8. *verf.* 6. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum, pag. 49.

verf. 8. Soror parva est, &c. Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea, pag. 528. numer. 10.

Lib.

Lib. Sapientiæ.

Cap. 6. *verſ.* 16. JUdicium duriſſimum his, quæ præſunt fiet, pag. 118. num. 4.

Lib. Eccleſiaſtici.

Cap. 2 *verſ.* 2. NE feſtines in tempore obductionis, pag. 286. numer. 1.

Verſ. 16. Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, &c. *ibid.*

Cap. 12 *v.* 13. Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, &c. p. 256. n. 3.

Cap 13. *v.* 1. Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ, &c. pag. 317. num. 1.

Cap. 23. *verſ.* 15, Eſt & alia loquela contraria morti, pag. 287. numer. 2.

Cap. 26. *v.* 5. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. p. 266. n. 3.

Cap. 27. *v.* 1. Propter inopiam multi deliquerunt, &c. pag. 109. num. 5.

Cap. 24. *Verſ.* 9. Filia patris abſcondita eſt vigilia, & ſollicitudo ejus auferit somnum, &c. pag. 309. num. 6.

Cap. 43. *v.* 3. Sol im meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris ejus quis poterit ſuſtinere? &c. p. 49.

Cap. 48. *verſ.* 1. Surrexit Elias quaſi ignis, p. 49. p. 181. num. 21. p. 299. n. 1.

Verſ. 3. Verbo Domini continuit cœlum, p. 178.

verſ. 4. Et dejecit de cœlo ignem ter, p. 50.

Verſ. 6. Qui dejeciſti reges ad perniciem, pag. 12. num. 6. p. 50. & 58.

Verſ. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum ignitorum, p. 305. n. 1.

verſ. 10. Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, p. 12. n. 6. p. 50.

Verſ. 13. Elias in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus, pag. 344. num. 4. p. 462. num. 6.

Verſ. 13. In diebus ſuis non pertimuit principem, &c. pag. 329. & p. 458.

Verſ. 14. Nec ſuperavit illum verbum aliquod, p. 13. n. 6.

Lib. Iſaiæ.

Cap. 2. *verſ.* 4. ET judicabit gentes, & arguet populos multos, p. 541. n. 2.

verſ. 4. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium, p. 541. n. 2.

Cap 6. *v.* 8. Ecce ego mitte me, p. 20. n. 1.

Cap. 8. *v.* 9 Quærite à Pythonibus, & à divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis, pag. 256. numer. 3.

Cap. 11. *v.* 9. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto, &c. p. 564.

Cap. 32. *v* 12. Super ubera plangite, ſuper regione deſiderabili, &c. p. 382.

Cap. 45. *v.* 15. Verè tu es Deus abſconditus, p. 25. n. 8.

Cap. 47. *v.* 9. Venient tibi duo hæc ſubitò, &c. & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem, p. 256. n 3.

Cap. 50. *v.* 6. faciem meam non averte ab increpantibus me, pag. 542. num. 4.

Cap. 55. *v.* 1. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, &c. p. 182.

Cap. 56. *v.* 11. Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam, &c. p. 23. num. 4.

Cap. 58. *verſ.* 7. Frange eſurienti panem tuum, &c. pag. 120. numer. 6.

Lib. Ieremiæ.

Cap. 8. *verſ.* 17. ECce ego vobis mittam ſerpentes regulos, &c. p. 256. n. 3.

Cap. 27. *vers.* 9. Vos ergò nolite audire prophetas vestros & divinos, &c. p. 256. n. 4.

Thren.

Cap. 5. *Vers.* 16. CEcidit corona capitis nostri, væ nobis, quia peccavimus, p. 58. n. 2.

Lib. Ezechielis.

Cap. 8. *Vers* 8. FIli hominis fode parietem, p. 176. n. 12.

Vers. 9. Et dixit ad me, ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic, *ibid.*

Vers. 10. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, &c. pag. 176. num. 12.

Cap. 34. *v.* 2. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, &c. p. 21. n. 1. p. 54. n. 5.

Cap. 44. *v.* 24 Cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt leges meas, pag. 139. numer. 6.

Lib. Danielis.

Cap. 3. *Vers.* 49. ANgelus Domini descendit cum Azariâ & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, pag. 306. num. 2.

Lib. Oseæ.

Cap. 4. *vers.* 12. SPiritus fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo, pag. 257. numer. 4.

Lib. Jonæ.

Cap. 1. *Vers.* 3. SUrrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, p. 451. n. 4.

Lib. Michea.

Cap. 4. *Vers.* 3. COncident gladios suos in vomeres, &c. pag. 541. num. 3.

Cap. 7. *v.* 13. Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum, p. 382.

vers. 14. Pasce populum tuum in virgâ tuâ, &c. *ibid.*

Lib. Nahum.

Cap. 3. *vers.* 4 PRopter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, &c. quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, pag. 257. numer. 4.

Lib. Abacuc.

Cap. 3. *vers.* 2. CUm iratus fueris, misericordiæ recordaberis, pag. 170. num. 3.

Lib. Malachiæ.

Cap. 4. *vers.* 5. ECce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c. Et convertet cor Patrum ad filios, p. 50. & 178. num. 17.

Lib. 1. Machab.

Cap. 2. *vers.* 23. VIdens Judæum in omnium oculis sacrificare idolis supra aram, pag. 563. numer. 3.

Lib. 2. Machab.

Cap. 1. *vers.* 29. ET ipsâ aquâ aspergi sacrificium & ligna, &c. pag. 50.

EX NOVO TESTAMENTO.

Evangelium S. Matthæi.

Cap. 4. *Verſ.* 19. VEnite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum, p. 457. num. 3.

Verſ. 20. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum, *ibid.*

Cap. 5. *v.* 3. Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, p. 101. n. 18.

Verſ. 7. Beati miſericordes, &c. p. 119 n. 6.

Verſ. 13. Vos eſtis ſal terræ, &c. p. 119. n. 5.

Verſ. 22. Qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit concilio, p. 334. num. 2.

Verſ. 39. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, p. 541. n. 4.

Cap. 8. *v.* 4. Vide nemini dixeris, ſed vade oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, &c. p. 44. n. 19.

Verſ. 29. Quid nobis & tibi Jeſu fili Dei veniſti huc ante tempus torquere nos, p. 171. n. 4.

Cap. 10. *v.* 10. Nolite poſſidere aurum, &c. non peram in via, &c. p. 192. n. 18.

Verſ. 14. Quicumque non receperit vos, neque audierit, &c. *ibid.*

Verſ. 15. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c. quàm illi civitati. *ibid.*

Cap. 11. *v.* 27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, pag. 109. numer. 4.

Cap. 16. *v.* 17. Beatus es Simon Bariona, p. 117. n. 17.

Verſ. 19. Et tibi dabo claves, &c. p. 178. & 527.

verſ. 23. Converſus dixit Petro, vade poſt me ſatana, pag. 177. numer. 17.

Cap. 12. *v.* 19. Nè colligentes fortè zizania eradicetis ſimul cum eis & triticum, p. 565. n. 2.

Cap. 17. *v.* 3. Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes, pag. 171. num. 5. pag. 300. numer. 2.

Verſ. 4. Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum, p. 171. n. 5.

Verſ. 11. Elias ventutus eſt, & reſtituet omnia, p. 51.

Cap. 18. *v.* 17. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, &c. p. 205. n. 11. p. 343. n. 4.

Verſ. 18. Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. pag. 192. numer. 4. p. 202. n. 3. p. 343. & p. 365. numer. 1.

Cap. 19. *verſ.* 1. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, &c. pag. 203. numer. 21.

verſ. 27. Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, &c. pag. 139 num. 6.

verſ. 28. Amen dico vobis, qui ſecuti eſtis me, &c. pag. 139. numer. 6.

Cap. 21. *v.* 5. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c. pag. 566. numer. 3.

Cap. 22. *v.* 12. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c. pag. 531. nunum. 16.

Cap. 23. *v.* 4. Alligant onera gravia, & importabilia: & imponunt in humeros hominum, &c. pag. 172. num. 5.

Cap. 25. *v.* 19. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus, pag. 2. & pag. 173. numer. 7.

Cap. 26. *v.* 11. Semper pauperes habebitis vobiſcum: me autem non ſemper habebitis, pagin. 106. numer. 7.

Verſ. 52. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, pag. 526. p. 542. n. 5. p. 553. n. 6. & pag. 566. num. 4.

Cap. 28. *v.* 20. Et Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sœculi, p. 528.

Evangelium S. Marci

Cap. 9. *verſ.* 5. NOn enim sciebat quid diceret, erant enim timore perterriti, p. 171. n. 5.

Cap. 15. *v.* 46. Joseph mercatus est sindonem, & deponens eum involvit sindone, p. 101. n. 17.

Evangelium S. Lucæ.

Cap. 2. *verſ.* 7. NOn erat ei locus in diversorio, p. 98. n. 13.

Verſ. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, p. 530. n. 13.

Cap. 3. *v.* 14. Interrogabant autem eum milites, quid faciemus & nos? &c. p. 529. n. 12.

Cap. 4. *v.* 24. Nemo propheta acceptus in patriâ suâ, pag. 24. numer. 5.

Cap. 7. *v.* 8. Ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, &c. 530, n. 14.

Cap. 7. *v.* 37. Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, &c. pag. 44. num. 20.

Cap. 8. *v.* 3. Maria, quæ vocatur Magdalena, de quâ septem dæmonia exierant, &c. p. 99 n 15.

Cap. 9, *v.* 53. Domine vis dicamus ut ignis descendat de cœlo, &c. pag. 566. n. 3.

verſ. 58. Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, &c. pag. 99. num. 15.

Cap. 10. *v.* 7. In eâdem domo manete, edentes & bibentes, &c. p. 103. num. 19.

verſ. 34. Infundens oleum & vinum, & imponens illum in jumentum, pag. 29. num. 54. pag. 54. & pag. 72.

Cap. 12. *v.* 30. Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, &c. pag. 23. numer. 4.

Cap. 12. *v.* 35. Sint lumbi vestri præcincti, &c. p. 532. n. 20.

Cap. 14. *v.* 13. Cùm facis convivium voca pauperes, &c. pag. 110. num. 8.

Verſ. 31. Quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, &c. p. 531. n. 17.

Verſ. 33. Sic ergò omnis, qui non renunciat omnibus, &c. p. 98, n. 12. p. 531, n. 17.

Cap. 16. *v.* 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, pag. 110. num. 6.

Cap. 22. *v.* 36. Qui habet sacculum tollat similiter & peram. Et qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium, pag. 57. & pag. 546. num. 6.

verſ. 53. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, pag. 8, numer. 7.

Verſ. 49. Videntes hi, qui circà ipsum erant, dixerunt ei, Domine si percutimus gladio, pag. 553. numer. 6.

Verſ. 63. Et viri, qui tenebant illum illudebant ei cædentes, p. 100. num. 16.

Evangelium S. Ioannis.

Cap. 2. *Verſ.* 15. CUm feciſſet quasi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo, &c. pag. 173. numer. 8.

Cap. 4. *v.* 7. Mulier da mihi bibere, p. 100, n. 15.

Cap. 5. *Verſ.* 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, pag. 172. numer. 7.

Cap. 8. *Verſ.* 3. Adducunt mulierem in adulterio deprehensam, pag. 174. n. 9.

Verſ. 4. Et dixerunt ei, Magister hæc mulier deprehensa est in adulterio, &c. *ibid.*

Verſ. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato, &c. pag. 267. numer. 4.

Cap. 11. *Verſ.* 44. Solvite & sinite eum abire, p. 193.

Verſ. 50. Vos nescitis quidquam; nec cogitatis, quia expedit, &c. pagin. 141.

Cap. 12. *Verſ.* 6. Fur erat; & loculos

loculos habebat, pag. 101. numer. 17.

Cap. 19. *v.* 3. Et dabant ei alapas, p. 542. n. 4.

Verſ. 11. Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, pag. 8. numer. 7.

Verſ. 26. Mulier ecce filius tuus, p. 104. n 22.

Verſ. 27. Ecce Mater tua, p. 104. num. 22.

Verſ. 28. Sitio, pag. 100. numer. 16.

Cap. 21. *v.* 17. Paſce oves meas, p. 553. n. 6.

Lib. Act. Apoſt.

Cap. 1. *verſ.* 21. OPortet ergò ex his, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit Dominus Jeſus, &c. Teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri ex iſtis, pag. 455. numer. 2.

Cap. 3. *verſ.* 6. Cùm vidiſſet Petrum & Joannem introire in templum rogabat, ut eleemoſynam acciperet, p. 104. n. 23.

verſ. 4. Intuens autem in eum Petrus, dixit reſpice in eos, p. 104. num. 23.

verſ. 5. At ille attendebat ſperans ſe aliquid accepturum ab eo, *ibidem.*

Verſ. 6. Petrus autem dixit, argentum & aurum non eſt mihi, &c. *ibid.*

Cap. 15. *v.* 6. Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc, &c. p. 4. n. 5.

Cap. 20. *Verſ.* 35. Beatius eſt magis dare, quam accipere, pag. 100. num. 6.

Cap. 23. *v.* 2. Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os ejus, pagin. 141.

Cap. 25. *v.* 12. Feſtus cum concilio reſpondit, Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibi, &c. p. 157. num. 1. & 2.

Epiſt. ad Roman.

Cap. 12. *Verſ.* 17. NUlli malum pro malo reddentes, pag. 543. num. 6.

verſ. 19. Mihi vindicta, & ego retribuam, pag. 541. num. 1. p. 543. num. 6.

Cap. 13. *Verſ.* 4. Dei miniſter eſt tibi in bonum, p. 9. p. 178. p. 541. num. 1.

Verſ. 6. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes, pag. 193. num. 2.

Epiſt. 1. ad Corinth.

Cap. 2. *verſ.* 4. SErmo meus, & prædicatio non in perſuabilibus, &c. p. 543. n. 7.

Cap. 4. *v.* 1. Sic vos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum ejus. p. 193. num. 4.

verſ. 11. Uſque in hanc horam, &c. Et colaphis cædimur. pag. 542. num 4.

verſ. 16. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, p. 58.

Cap. 5. *verſ* 4. Congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, pag. 2. & pag. 58.

verſ. 5. Trâdere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat, pag. 2. & pag. 181. num. 5.

verſ. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare, pag. 1, pag. 202. num. 6. & p. 567. n. 8.

verſ. 13. Auferte malum ex vobismetipſis, p. 1. p. 566. n. 2.

Cap. 6, *verſ.* 1. Audet aliquis veſtrûm habens negotium adverſus alterum, &c. p. 139. n. 6.

verſ. 5. ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, p. 5, n. 5.

Cap. 9. *v.* 4. Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi, p. 104. n. 24.

verſ. 5. Nunquid non habemus poteſtatem

potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, &c. p. 105. n. 24.

vers. 7. Quis militat suis stipendiis unquam? *ibid.*

vers. 9. Non alligabis os bovi trituranti. *ibid.*

vers. 14. Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere, *ibid.*

Vers. 17. Si enim volens hoc ago mercedem habeo, &c. p. 20.

Cap. 20. *v.* 21. Non potestis Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum p. 417. n. 2.

Cap. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt, p. 296.

Cap. 16. *v.* 1. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, pag. 105. numer. 25.

vers. 3. Quos probaveritis per epistolas, hos mittam, &c. *ibid.*

Epist. 2. ad Corinth.

Cap. 3. *vers* 6. QUi & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, p. 462. n. 6.

Cap. 4. *v.* 5. Nolite ante tempus judicare, &c. p. 566. n. 2.

Cap. 5. *v.* 3. Ingemiscimus gravati &c. p. 526. n. 2.

Cap. 6. *v.* 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus, pag. 203. numer. 6.

Cap. 10. *v.* 14. Arma militiæ nostræ non carnalia, pag. 543. numer. 7.

Cap. 8. *v.* 12. Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, &c. pag. 110. n. 7.

Cap. 10. *v.* 8. Si amplius aliquid glorificatus fuero de potestate nostrâ &c. pag. 380. n. 1.

Epist. ad Galatas.

Cap. 2. *vers.* 11. CUm venisset Cephas Antiochiam in faciem ejus restiti; quia reprehensibilis erat, pag. 7. n. 5.

Cap. 5. *v.* 3. Testificor omni homini circumcidenti se, &c. pag. 567. numer. 8.

Cap. 6. *v.* 1. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, p. 31. n. 7. pag. 177. n. 16.

Epist. ad Ephes.

Cap. 4. *vers.* 5. UNus Dominus, una fides, unum Baptisma, p. 564. n. 8.

vers. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. pag. 393. numer. 1.

vers. 12. Ad consummationem sanctorum, &c. *ibid.*

vers. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, &c. pag. 498. num. 2.

Cap. 6. *vers.* 11. Induite vos armaturam Dei, &c. pag. 531. numer. 18.

vers. 12. Quoniam non est nobis colluctatio, &c. *ibid.*

vers. 13. Propterea accipite armaturam, &c. 532. n. 19.

vers. 14. State & induti loricam fidei, p. 532. n. 20.

vers. 16. In omnibus sumentes scutum fidei, pag. 532. n. 22.

vers. 17. Et galeam salutis assumite p. 533. n. 23.

Epist. ad Philip.

Cap. 4. *vers.* 18. ET repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, &c. p. 447. n. 4.

Epist. ad Coloss.

Cap. 1. *vers.* 25. CUm factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, &c. p. 193.

Epist. 2. ad Thessalon.

Cap. 3. *vers.* 4. QUod si quis non obedit verbo nostro, &c. hunc notate, & nè commisceamini in illo, p. 566. n. 2.

Epist.

Epist. 1. ad Timoth.

Cap 3. PAulus, &c. pag. 174. nu-
v. 2. mer. 9.
vers. 2, Timotheo dilecto filio in fide, &c. *ibid.*
Cap. 3. *v.* 2. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c. p. 438. n. 5.
vers 6. Non neophytum, nè in superbiam elatus, &c. 484. n. 2.
Cap. 5. *v.* 17. Qui benè præsunt Præsbyteri duplici honore digni habeantur, p. 42 n. 16.
Cap 6. *v.* 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, &c. pag. 417, n. 1.

Epist. 2. ad Timoth.

Cap. 4. TEstificor coram Deo &
vers. 1. Jesu Christo, &c. p. 117. num. 3,
vers. 2. Prædica verbum, insta opportunè, importunè obsecra, &c. pag. 58. n. 8.

Epist. ad Titum.

Cap. 1. OPortet Episcopum sine
vers. 7. crimine esse, p. 193.
Cap. 3. *v.* 10. Hæreticum hominem devita, sciens quia subversus est, pag. 566. n. 5. p. 567. n. 6.

Epist. ad Hebr.

Cap. 4. VIvus est sermo Dei & ef-
vers. 12. ficax, p. 178.
Cap. 9. *v.* 4. In quâ urnâ aureâ habens manna, & virgam Aaron, &c. pag. 14.
Cap. 10. *v.* 28. Irritans quis faciens legem Moysi, &c. p. 175. n. 9.
Cap. 11. *v* 37. Circuierunt in melotis, &c. p. 94. n. 9.

Epist. S. Iacobi.

Cap. 1. REligio munda & imma-
vers. 27. culata, &c. visitare pupillos, &c. p. 447. n. 4.
Cap. 5. *v.* 1. Agite nunc divites, &c. p. 363.
vers. 37. Elias erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, p. 52.

1. Epist. S. Petri.

Cap. 5. PAscite qui in vobis est gre-
vers. 2. gem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè, p. 20. n. 1.

Epist. S. Iudæ.

Vers. 9. CUm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur, &c. p. 287.

Lib. Apocal.

Cap. 2. HAbeo adversus te paũca,
Vers. 20. &c. p. 468.
Cap. 11. *v.* 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt, p. 22. n. 2.
vers. 4. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, &c. p. 50.
vers. 5. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet, &c. p. 51. p. 317.
vers. 6. Hi habent potestatem claudere cœlum, etc. p. 51.
vers. 11. Et post tres dies, &c. *ibid.*

INDEX

INDEX
VERBORUM ET RERUM,
quæ in hoc Opere continentur.

P. Paginam indicat. N. Numerum marginalem denotat.

A

Abbas.

ABbates & Prælati regulares negligentes in prædicatione Evangelii in Ecclesiis Parochialibus subjectis monasteriis in nullâ Diœcesi existentibus in hoc compelli possunt ab Archiepiscopis tanquam Sedis Apostol. delegatis, pag. 518. num. 2.

Abbatissa.

Censura lata ab Abbatissâ non est propriè censura, p. 219. n. 4.

Abortus.

Abortus est reservatus Episcopo Leodiensi, p. 251. n. 5.

Absolutio.

An & quando Absolutio à censurâ dari potest à non Sacerdote, p. 209. n. 6. Absolutio à casibus juris nemini reservatis, an possit dari à Sacerdote habente potestatem absolvendi à peccato mortali, p. 252. n. 2. Absolutio à censurâ non requirit causam ob quam lata est, p. 275. n 5. Potest absolvi à censuris ignorans & non consentiens, imò etiam sciens & positivè repugnâs, p. 371 n 3. In absolutione à censurâ an nomen censuræ sit exprimendum, p. 375 n. 4. Absolutio à suspensione & aliis censuris in articulo mortis dari nequit à Clerico non Sacerdote, & carente jurisdictione ordinariâ, si Sacerdos nolit & deficiat, p. 372 n. 2. Absolutionis à censuris divisiones, p. 373. Absolutio à suspensione non eget verbis, p. 375.

Abusus.

Abusus Eucharistiæ & Reliquiarum, vel Scripturæ sacræ in arte magicâ est casus reservatus Leodii, p. 335 Quomodò est casus reserv. p. 330. Quomodò incurritur. *ibid.*

Accusans.

Accusans in causâ criminali secutâ morte est irregularis, p. 472. Qui ab eâ irregularitate excusatur, p 473.

Advocatus.

Advocatus, &c. secutâ morte fiunt irregulares, p. 475. & 482.

Amens.

Amentes sunt irregulares, 444. n. 1.

Archiepiscopus.

Archiepiscopus est excellentior Episcopo p. 505. Archiepisc. Primas, Patriarcha, Episcopus potest exigere licitè charitativum subsidium, p. 512. n. 1. Arch. potest cogere Episcopos Suffraganeos discordes ut concordent, p. 513. Potest probare in scriptis absentiam Episcopi Suffraganei, p. 513. n. 5. Potest excommunicare, interdicere, & suspendere Suffraganeum Episcopum, p. 513 n 6. Si Episcopus nequeat regere potest ab eo cogi ut creet Vicarium, p. 513. n. 10 Si Episcopus dispensationem debitam deneget, potest dare Archiep p 515. n 9. Adveniente vel præsente Archie. cessat Episcopus Suffrag. à benedictionibus privari, p. 506. n. 3. Archie. potest vocare ad Concilium Provinciale Episcopos Suffrag. p. 506 n. 4. In causâ appellationis causas subditorum Suffraganeorum cognoscit p. 515. n. 1. 2. 3 Illius potestas Episcopo defuncto, p. 508. Potest unire beneficia, p. 518. n. 1. Potest dare indulgentiâ in totâ Provinciâ, p. 511. Potest mittere quæstores per totam Provinciam, p. 515. n. 1 p 518 In expeditione eorum, quæ spectant ad jurisdictionem contentiosam non cognoscit in primâ instantiâ, sub prætextu Episcopi negligentis, p. 150 n. 22. Appellatione ad ipsum devolutâ jungere potest matrimonio, p. 511. Nequit absolvere subditos Suffraganeorum à censuris latis à Suffraganeis Episcopis. p. 235. n. 12. Archiepiscopi etymologia, p. 498. n. 1.

Assassinus.

Assassinii carent immunitate, p. 284. n 9.

Arma.

Armorum benedictiones, p. 560. n. 6. & seq.

B

Baptismus

QUi finit se baptisari ab hæretico, &c. est irregularis, p 483. Rebaptisatus est irregularis, p 433. n 2; Rebaptisans fit irregularis, p. 484. Episcopus factâ debitâ inquisitione rebaptisans non fit irregularis, p. 485. n. 6.

Bellum.

Bellum ex se innoxium est, p 530. n. 14. Differt à seditione, & rixâ, p. 519 n. 2. Fuit Judæis licitum, p. 520. n 1. In eo Judæorum castra erant munda, p. 520. Acceptio ejus varia, p. 519. n. 1. Belli liciti conditiones, p. 556. Patet fuisse licitum Christianis ex Scripturis

Scripturis, Patribus, Pontificibus, jure, ratione, Miraculis, p. 529 & seq.

Beneficia.

De Beneficiorum unione, p. 518, n. 14. In iis conferendis spectentur merita nō personæ, p. 41. n. 14 Beneficii renunciatio facta à Religioso non admittatur, nisi præhabita de futurâ professione certitudo, p. 81. n. 6.

Benignitas.

Benignitas nimia etiam Prælatorum Ecclesiasticorum culpabilis est, p. 56.

Bigamia.

Bigamiæ divisio, p 436, n. 1. Quis in eâ dispensare potest. p 438, n. 4.

Blasphemia.

Blasphemia pejor idololatriâ, p. 286 n. 1, Est multiplex, p. 288, n. 4. & 5. Blasphemi in Deum, & B. V. non gaudent immunitate Ecclesiæ. p. 289. n. 6. Est casus reservatus Episcopo p. 291. n. 8. Blasphemi puniti, p. 289. n. 7. p. 291. n. 10. & seq.

C

Canonicus.

CAnonici inservientes Sedi Apost. gaudent omnibus distributionibus, juribus, &c quibus cæteri, qui omnibus interfunt officiis, p. 163. n. 3. Item qui inserviunt Episcopo tam pro utilitate temporali, quàm spirituali ejus, p. 164. n. 5. Illorum & aliorū Ecclesiast. domus proximæ Ecclesiæ ad 30. passus gaudent immunitate, p. 275. n. 4.

Cardinalis.

Cardinalium palatia extra urbem gaudēt immunitate. *ibid.*

Capitulum.

Capitulum Sede vacante potest delegare ad ferendam censuram, p. 220.

Casus.

Casus reservati ab Episc. Leodien. p. 311. ab aliis Episcopis p. 337. n. 2. & seq.

Causa.

Causæ piæ quæ? p. 125. Causæ possessionis beneficiorum Sedi Apost. reservatorum an possint immediatè cognosci ab Auditore Camerè seu delegato Apost. p. 144. n. 9.

Censura.

Censura est gladius Ecclesiæ, p. 178. 181. n. 21. Est sagitta, p. 180. n. 19. Non est vindicta sed medicina, p. 205. n. 11. Triplex est p. 201. n. 1. 2. Ejus finis est salus animarum primariò privat bonis spiritualibus, & secundariò temporalibus, p. 190, n. 2. Quomodò tollitur, p. 374. n. 1. Est remedium ordinarium quo Prælati utuntur, p. 190. n. 1.

Cessatio.

An cessatio à divinis sit censura, p. 407. n. 2. Quotuplex sit, p. 407. n. 3. Ejus causa efficiēs p. 407, n. 4. Cessationis effectus, pag. 407. num. 7.

Charitas.

Charitatis ordo, p. 205. n. 1.

Christus.

Christus in extremo judicio clementiam manifestabit, p. 172. n. 7.

Chirurgus.

Chirurgus quando sit irregularis, p. 490. n. 2. Quando non, *ibid* n. 4.

Clausura.

Clausuram Monialium Episcopo introducenti Magistratus non ferens auxilium incurrit excommunicationem, p. 77. n. 5.

Clericus.

Clerici exempti à foro laico qui sunt, p. 15 n. 5. An & quando Clerici in bello cōtrahunt irregularitatem, p 556 n. 9 p. 557 n. 3.

Confessarius.

Confessarius non erit irregularis non absolvens eum qui nō vult damnare capite eum qui ex lege damnari debet, p. 475. n. 6.

Constantinus Imperator.

Constantinus Imperator noluit judicare causas Ecclesiasticas, p. 159. n. 4.

Contumelia.

Contumelia quid sit, p. 334. n 1, Differt à detractione, *ibid.* n. 4. Contumelia in Eucharistiam, B. Virginem est casus reservatus Episc. Leod. p. 276. n 7.

Crux.

Crux Archiepiscopi quæ, p. 504.

D

Damon.

DÆmonum invocatio Deo odiosa, pag. 254. n. 1. Dæmoniaci sunt irregulares, p. 444. n. 4.

Defloratio.

Defloratio est casus reserv. Leodii, 311. n. 8

Degradatio.

Degradatio actualis fit cum solemnitate, p. 184. n. 4. Ab Episcopo p 185 n. 5. Degradatus percutiēs an gaudeat privilegio canonis, p. 184. n. 2. Adhibens materiam & formam verè consecrat, p 185, n. 4. Degraduri potest à proprio Prælato Religiosus, qui tradendus est brachio sæculari, p. 185. n. 5 Religiosus degrad. nequit à suo superiore restitui in pristinum statum, *ibid* Crimina degradationem merentia quæ, p. 186. n. 6.

Depositio.

Depositio quid sit, & quotuplex, p. 183. n. 2.

Dispensatio.

Dispensatio in lege requirit justam causam p. 165. n. 8. Quomodo possit Archiepiscopus dispensare, p. 516.

Dubium.

Dubium juris & facti quid. p. 492.

Duellum.

Episc. potest absolvere à duello, p. 247.

E

Ecclesia.

Ecclesia non subest foro seu potestati laicæ, p.6. n.4. Consecrata gaudet immunitate, p.173, n.2. Illius fores gaudent immunitate, *ibid.* n.4. Ejus Campanile, & Palatium Episc. gaudent immunit. p.274. n.4.

Ecclesiasticus.

Ecclesiasticus Prælatus non dicat se esse indosis timidæ & pacatæ, p.57. Causæ Eccl. cognosci & judicari debent ab Episc. in primâ instantiâ infra biennium, p.142. n.2. Si per illum stet quod non terminentur intra biennium potest avocari, p.143. n.9.

Eleemosyna.

Eleemosyna primum locum possidet, 123. n.8. Ejus præmium temporale & spirituale, p.121. n.5. & 6.

Elias.

Eliæ zelus, p.50. Ejus severitas Deo grata, p.51, Ejus severitatem benignitati conjunctam Eliseus approbat, p. 52. Tantùm adultorum scelera punivit, *ibid.* Quorum supremum dominium habebat, p.141.n.1.

Eliseus.

Eliseus animo intrepidus, p. 459. Ejus severitas Deo non displicuit, p. 53.

Episcopus.

Episcopi fuerunt olim in Ecclesiâ, p.407 n.1. Non sunt subjecti foro regio, p.10. n.1. Pascat spontaneè non coactè, p. 20. n. 1. Non suum sed animarum lucrum quærat, p. 21. n.1. Severitatem cum benignitate jungat, p.29 n.1. p.166. n.1. Non habeat in correctione acceptionem personarũ. p,32. n.8. In omni loco suę Diœcesis uti potest jurisdictione sibi competente, p.58. Habens duas Diœceses nequit delinquentem in unâ ad alteram trahere, p. 57. n.3. Si sit expulsus potest in alienâ Diœcesi jurisdictionem exercere, *ibid.* Potest quoscumque Canonicos exemptos & non exemptos habentes curam animarum visitare, corrigere quoad inhabilitatem, p.65. n.5. Potest dispensare cum Religiosis tam exemptis, quàm non exemptis in irregularitate, p.66. n.1. Potest legitimè visitare Ecclesias Parochiales legitimè spectantes ad regulares, *ibid.* Potest ut Sedis Apost. delegatus examinare præposituras, beneficia, p.67. n.2, Potest visitare, examinare Ecclesiam Monachorum, in quâ est cura animarum, & personas illam exercentes, p.68. Potest compellere ad Synodum eos regulares, qui sunt deputati ad curam animarum, *ibid.* Potest compellere Prælatum regularem ut puniat Religiosum notoriè delinquentem, p.69. n.5. Potest punire Religiosum in domo ubi non est observantia regularis. p.70. Potest conjugem invalidè professum è monasterio extrahere p.71. n.6. In causis civilibus & miserabilium personarũ jus habet, *ibid.* n.7. Potest compellere ut in monasteriis fiat lectio S. Scripturę, p.72. n.8. Potest punire regulares extra monasterium existentes absque mandato in scriptis, *ibid.* n.9. Potest declarare nullam esse professionẽ ante annum 16. emissam, p 76. n.3. Debet procurare clausuram Monasteriorum, *ibid.* n.4. Potest dare licentiam quæstuandi pro pio usu alicujus loci pii, & operis honesti, modò colligentes sint pii, p.115. n.18. In reprehendendâ plebe nõ sit negligens & pusillanimis, *ibid.* n.3. Sit misericors in pauperes p.119. n.6. Potest cogere laicos ut vendant peregrinis & hospitibus merces & cibos, p. 123, n.9. Est executor indistinctè omnium piarum voluntatum seu dispositionum, tùm morientium, tùm viventium, si nullus sit nominatus executor, p.124. n.1. Ad eum devolvitur electio pauperum anno elapso, si executor negligat, p.127. n.3. Debet tamen præmittere monitionem, p.128. Potest Episc. compellere administratores Montis-Pietatis, ut reddant rationem administrationis, p 130 n 8. Quomodò potest esse judex in propriâ causâ, p. 132, n.3. In subsidio charitativo potest esse judex & testis, *ibid.* n.6. & 7. Et in causâ suæ Ecclesiæ, p.134. n.7. In certis casibus potest laico delegare causas criminales Clerici, p.136. n.4. Non est indecens quod causas excludarum judicet, 139. Si Episc. requisitus ut causam expediat moriatur, successor iterùm requiri debet, p.143. n.5. Præcipuè in causis, quæ à Sede Apost. judicandæ sunt, *ibid.* n.6. Quando allegatur aliqua exceptio contra executionem gratiæ Apostol. quæ indigeat altiori indagine, & reddat gratiam nullam, vel sub, aut obreptitiam, seu bullam falsam, tunc datur instantia prima coram Episc. nec potest ab eo auferri jurisdictio, p.148. n.16. Ejus Vicarius Generalis intelligitur nomine Ordinarii, *ibid.* n. 17. Potest plectere hæreticũ ubi reperitur, *ibid.* n. 18. Episc. manutenendus quando constat de privilegio & exemptione p. 149. n. 20. Quoad cognitionem causarum matrimonialium Episc. habent fundatam jurisdictionem p.150, n.21. A judicio illius in materiâ Ecclesiast. & fidei non licet appellare ad Principem temporalem, p.151. n.1. Potest mulctas pecuniarias imponere p,189. n.1. Quos potest excommunicare, p.209. & seq. Episc. & Ecclesiastici non obtemperantes nequeũt expelli è regno, p.209. n.7. Episc. excõmunicatus si non sit vitandus, vel si non sit legitima appellatio interposita potest excommunicare, p.212. n.9. Episc. vel alius debet ferre censurã liberè, p.213. n.10. Quomodò possit ferre excommunicationẽm in causâ alienâ, p.214. n.9. Potest alium delegare ut ferat excommunicationẽ p.220. n.8. Solus Episc. potest dare monitoria pro rebus perditis, *ibid.* n.1. Pendente lite potest concedere monitoriale,

monitóriales nisi deficiente probatione, p. 222. n. 3. Non concedit monitoriales in criminalibus, p. 223, n. 6. Potest absolvere à censuris latis à prædecessore, p. 232. n. 3. Item à Papâ ex delicto occulto, *ibid.* n. 4. Exceptis iis quæ in foro cõtentioso agitantur, 235. scilicet ubi Conc. Trid. est receptum, n. 5. Hæc facultas inest Epis. confirmatis, licet nõ consecratis, p. 233. n. 6. Potest absolvere & dispensare absentem, *ibid.* n. 7. Item subditũ punitum, p. 234. etiam eum, qui in alienâ Diœcesi peccando incurrit excommunicationem, p. 255, n. 9. Episc. vel alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem incidens in aliquam excommunicationẽ potest alteri dare facultatem absoluendi, p. 237. n. 11. Potest absolvere mutũ, positivè à censurâ vel signarũ sublatâ contumaciâ, p. 237. n. 12. Ut absolvat non requirit certam formã verborum, *ibid.* n. 13. Debet absolvere verbo vel scripto, *ibid* item potest extra confessionem p. 238. n. 14. Potest validè absolvere eum, qui necdum satisfecit Ecclesiæ, p. 298. n. 16. itẽ absolvere pueros, mulieres, servos, inopes, p. 240. n. 3. p. 456. etiam ægros, valetudinarios, & filiosfamilias, n. 5. senes, n. 7. Eos qui nequeunt accedere ad Sedem Apost. absque mortis periculo, n. 6. Eos qui ob capitales inimicitias nequeunt Romam accedere, n. 9 Eos qui habent impedimenta justa accedendi Romam, p. 241. n. 10. Percussores Clericorum, si percussio sit occulta, p. 242. Percussores parentum, p. 253. n. 3. Potest absolvere ab homicidio voluntario injusto, p. 249. n. 3 Familia ejus laica gaudet immunitate, p. 273. n. 2, etiam familiares, p. 276. n. 6. item familia tutelaris, *ibid.* Episc. non cõprehenditur suspensione generali, p. 245. n. 6. Potest tollere suspensionem à Prædecessore, vel Archidiacono latam, p. 366. Ea auferre interdictum locale, p. 413. n. 2. Ferẽs interdictum potest effectus limitare, p. 415. n. 4. Potest violare interdictum latum à se, vel à Papâ in casibus à jure permissis, *ib.* n. 5. Episc. vi potestatis spiritualis possunt movere bellum cõtra hæreticos, p. 563. n. 5. Illius est judicare an defectus corporis impediat celebrationem, p. 443 n. 9, Debet esse defensor & judex miserabilium personarũ, p. 447. n. 3. Vacãs eorum judicio est imitator Christi, p. 451. Episc. potest dispensare in irregularitate occultâ, p. 434. n. 6. p. 46 . n. 6, etiam super infamiâ, p. 473. Non est irregularis condens legem servandam sub pœnâ mortis, q. 476. n. 7. Potest dispensare vel tollere irregularitatem incursam à judice, 477. item in homicidio occulto patrato causâ defensionis. p. 478. n. 2. Vel ex repentinâ irâ vel rixâ, *ibid.* n. 5. vel in susceptione ordinũ p. 486. n. 8. Debet ordinandos examinare de patrimonio. p. 489. Potest dispensare cum Clerico occultè irregulari ob incisionem, p. 491. n. 7. Neminem judicare debet irregularem in dubio juris, p. 492. n. 2, Debet in dubio facti, *ibid.* Habẽs jurisdictionẽ temporalem potest indicere bellum. 550. n. 6.

Eucharistia.

Eucharistiæ sacramentum gaudet immunitate, ita ut illud tangentes nequeant capi, p. 276. n. 7.

Excommunicatio.

Excommunicatio cur sic vocatur, p. 201. n. 2. Excommunic. majoris effectus, p. 202. n. 7. p. 207. n. 1. & seq. Ejus materia remota est homo viator, *ibid.* Non excommunicatur qui hominem defunctũ occidit, p. 202 n. 5. Non potest excõmunicari nisi sit baptisatus, *ibid*, n. 6. Nec æqualis, p. 203. n. 7. p. 215. n. 10. Materia ejus proxima est peccatum proprium, p. 203. n. 7. peccatum debet esse externum, p. 204 n. 9. Non fertur ob præterita, p. 205. n. 11. Excõmunicans debet esse viator, p. 217. n. 2 Debet pollere usu rationis, p. 217. n. 2. & baptisatus, *ibid.* n. 3. Nõ debet esse laicus, p. 218. n. 4. nec cõjugatus, 219. n. 5.

F

Falsarii.

FAlsarii in Ecclesia non tolerandi, p. 330. n. 6,

Falsificatio,

Falsificatio monetæ ab aliquibus Episcopis reservatur, p. 170. n. 1. p. 272. n. 4.

Falsitas.

Falsitatem circa litteras superiorum qui sunt inferiores Papæ potest Episcopus reservare, p. 327.

Fides

Fictè fidem negans est irregularis, 465. n. 6. Quomodo libera esse debet, *ibid.* n. 7.

Filius.

An & qui Filii hæreticorum sunt irregulares, p. 466. n. 5.

G

Giezi.

GIezi quinque peccata cõmisit, 203. n. 8.

Grassatores.

Grassatores viarum carent immunitate, p. 281. n. 16.

H

Hæresis. Hæreticus.

HÆresis quænam advehit excommunicationẽ, p. 242. n. 1. Occulta, seu purè mentalis quæ, p. 243. n. 1. A quâ Episcopi absolvere possunt, p. 244. & 245. n. 3, 4. A quâ Sacerdos approbatus potest absolvere, p. 243. n. 3. De eâ suspecti non sunt irregulares, p. 465. Illius effectus, p. 262. Cur liceat Hæreticis inferre bellum, p. 5. p. 567. Sunt zizania p. 565. n. 2.

Homicidium.

Ob homicidium aut aliud crimen incarcerati fugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate, p. 281. Qui homicida & mutilationes in Ecclesiâ committunt nō gaudeṇt immunitate, *ibid.* n. 18.

Hospitale.

Hospitale erectum auctoritate Epis. gaudet immunitate, p. 277. n. 8.

S. Hubertus.

S. Hubertus instituit Leodii pondera & mensuras victualium, p. 269, n. 1.

I

Iezabel.

IEzabelis interpretatio, p. 299. n. 1.

Ignis.

Ignis sæpè non nocet justis, p. 306.

Immunitas.

Immunitatis violatio Episcopo reservata, p. 280. n. 13. Ejus privilegium in aliquibus casibus non suffragatur, *ibid.* n. 13.

Incestus.

Incestus enorme crimen, p. 302. n. 5. Ejus gradus exprimendus in confessione, p. 303. n. 6. Est reservatus Episcopis, *ibid.*

Infirmarius.

Infirmarius quomodò fit irregularis pag. 490. n. 3.

Interdicere, Interdictum.

Interdicere possunt Papa, Episcopus, Abbas, & alii Prælati jurisdictionem quasi Epis. habentes, p. 388 Interdicens debet in scriptis causam interdicti exprimere, *ibid.* n. 8. Finis est resipiscētia ejus cui illud infligitur, p. 389. n. 1. Interdicti à jure casus speciales, *ibid.* Nequeunt interesse divinis officiis, 395. n. 2. Interdictus personaliter tempore interdicti potest recipere Sacramentum Cōfirmationis, p. 400. n. 3. Tempore illius possunt pulsari campanæ ad Concionem, ad Eucharistiam infirmis, ad salutationem Angelicam, p 398. Baptismus etiam solemniter conferri potest, p. 399 n. 2. Illius violatio quale peccatum, p. 410. n. 3. Scienter violantes fiunt irregulares, n. 4. Interdictum personale ferens Episcopus non interdicit se ipsum, p. 387. n. 14. Non comprehenduntur pueri, carentes usu rationis, p. 386. n. 10. Dæmon nequit interdici, p. 387. n. 11. Nec dormientes, p. 386. n. 9 Episcopus potest interdicere totam suam Diœcesim, *ibid.* Nō licet Episcopo tempore interdicti dare tonsuram, aquam benedicere, dare solemnem benedictionem, p. 385. n. 6. Interdictum personale cōmunitatis ab Episc. &c. expirat dum dissolvitur communitas, p. 416. n. 6.

Irregularitas.

Irregularitas quadruplex, p. 419. n. 1. Causa subjectiva remota quæ, p. 420. n. 1. Proxima quæ, p. 422. n. 3. Potest à Papâ injungi ob culpam venialem, *ibid.* n. 4. Homo irregularis est capax alterius irregularitatis, p. 421. n. 2. Non incurritur ab ignorante tam peccatum, quàm irregularitatem, p. 422. n. 5. Causa ejus formalis caret certâ verborū formâ, p. 423. n. 5. Causa efficiens est jus Canonicum, *ibid.* n. 4. Qui defectus corporis illā inducant, p. 440. n. 1. & seq. Ex defectu ætatis durat quamdiu defectus durat, p. 433. Ex defectu quomodo illa tollitur, p. 426. n. 3. & 4 Quò extenditur, n. 6. Irregularitatis effectus qui, p. 426, n. 6. Illius etymologia, p. 416. n. Definitio, *ibid.* Differt à censurâ, p. 217. n. 1. & 2.

Iudex.

Judex, excepto Papâ, ferens sententiam mortis est irregularis, p. 436. n. 8.

Iuramentum.

Quale Juramentum licitum, p. 332. n. 1.

Iustitia.

Quando exigitur veritas, justitia, & judicium, p. 333.

L

Latro.

LAtrones publici carent immunitate, p. 281. n. 15.

Leodiensis Ecclesia.

Leodiensis Ecclesia habet pallium perpetuum, p. 503. n. 12. Leod. Ditionis fides illibata, p. 245. n. 5.

Littera Apost.

Litterarum Apostolicarum falsificatio, p. 323. n. 1. Eas falsificantes excommunicati, *ibid* Litteræ Apost. falsæ, obrepticiæ, subrepticiæ, falsificatæ, quæ? p. 324 Tales impetrantes peccant mortaliter, *ibid.* Illarum fallarius vel falsans, p. 325, n. 4. Falsificatio est casus reservatus, p 327. n, 5.

M

Magia.

MAgia cur à Deo permittitur, p. 262. num. 11.

Maleficium. Maleficiatus.

Male ficium quid, *ibid.* n. 10. Maleficiatus non est irregularis, p. 445 n. 5.

Martyres.

Martyres censentur qui in bello moriuntur, p. 548. n. 14.

Mater.

Mater interficiens filium infantem caret immunitate, p. 283.

Medicus.

Medicus quando fit irregularis, p. 482. n. 12. p. 489. n, 1.

Mendicantes.

Mendicantes possunt levare corpora de à fu ictorum

functorum, vel si renuat Parochus, p. 391. n.7. Religiosis Mendicantibus nemo potest prohibere mendicare in districtu, ubi habēt conventus, p 113. n. 14. Mendicitas commendatur, p. 100 n.13.

Monachus.

Monachus promotus ad Episcopatum potest revocare renunciationem legitimè factā p. 80. n. 6.

Monialis.

Omnes Moniales quoad numerum subjiciuntur Episcopo, p. 75. n. 1. Debent examinari an spontanèe voveant, p. 76. n. 2. Cogendæ sunt ad Clausuram etiam ubi Cōcilium Trid. non est receptum, *ibid.* n. 8.

Monitoria.

In Monitoriis faciendis non requiritur citatio partis, p. 224. n. 7. Monitoriorum Papalium executor potest absolvere à sententiâ postquam paruit is, qui earum vigore in eam incidit, p. 225, n. 8. Vi monitorii non tenetur se manifestare is, qui rem ipsam habet, *ibid.* Nec qui impotens est ad solvendū, *ibid.* Etiam habens scripturas non tenetur exhibere, vel revelare, si exhibendo vel revelando damnum patiatur, p. 226. n. 3. Nec nemo tenetur se manifestare justū compensatorem p. 227. n 4. Quando aliqui sciunt, nec probare possunt unico teste, non tenentur revelare *ibid.* n. 5. Quando præcepitur denunciare delictum, respiciens fidem, ut sunt hæresis, blasphemia, tenetur denunciare, p. 228. n 4 Non tenentur denunciare, qui de jure nequeunt compelli, *ibid.* n. 5. Potest prorogari à parte inscio Episcopo, p. 251 num. 11.

Mulier.

Mulier procurans abortum caret immunitate, 283.

Munus.

Muneribus omnia comparantur, p. 43. num. 16.

N

Novitius.

Licet pro ingressu Novitiorum nō liceat aliquid exigere nec dare quasi pretium, tamen licet pro victu, vestitu, & congruâ sustentatione, non tantùm in anno probationis, sed etiam post professionem, p. 79. n. 1. Nullam renunciationem faciant ante duos duos menses ante professionem, *ibid.* n. 2. Qui vult religionem ingredi potest validè resignare beneficium extra bimestre ante professionem; p. 81. n. 6. Qui ordinatus est ad titulum beneficii non debet admitti ejus renunciatio, nisi habeatur certitudo de futurâ professione, *ibid.* n. 7. Novitius validè professus nequit cogi ad ratificandam professionem, p. 83. n. 11.

O

Occulti Casus.

Casus Sedi Apostolicæ reservati, si sint occulti possunt absolvi ab Episcopo. p. 336. n. 1.

Omnia.

Omnia licet relinquere ob amorem Dei, p. 87. n. 2.

Ordo.

Ad Ordines promovendi quid scire debeant, p. 452, & 453. Noviter conversi non sunt promovendi ad Ordines, p. 460. n. 7. Actus Ordinis facti à suspenso sunt validi, p. 349. n. 3. Æger ob periculum mortis baptisatus non est promovendus ad ordines, p. 483. n. 3 Exercentes Ordines tempore censuræ quam irregularitatem incurrant, 487.

P

Pallium.

Pallii usus in Ecclesia antiquus, p. 500. n. 2. Archiepiscopis illius necessitas, n 3. Explicatio mystica & moralis, n 4. Pallium gemmis & unionibus ornatum habet Ecclesia Leodiensis, p. 500. n. 12. A solo Pontifice Archiepiscopis datur, n. 11. Nequit Archiepiscopus suum alteri commodare, *ibid.* n 4. Nequit uti Pallio extra suam Provinciam, p. 500 n 4 Quando & quomodo postulatur, p. 505. n. 1. & 2.

Papa.

Papa potest esse judex in causis ad Ecclesiam spectantibus, p 135. n 4 Quæ causæ apud eum juxta sanctiones legitimas agitandæ, p 147. n. 15. Non est subjectus judici laico p 5. n. 1. Est subjectus suo confessario, p. 8. n. 10. Potest dispensare in omni jure tam universali, quàm particulari, seu legibus, sivè latæ sint à Rom. Pontificibus, sivè à Conciliis, p. 163. n. 2. Potest bellum indicere, p. 550. n. 5. Papales casus reservati in bulla Cœnæ Domini p. 340.

Palatium.

Palatia Regum, Cæsarum, gaudent immunitate, p. 276, n. 7.

Parochus.

Parochorum domus quando gaudent immunitate, p. 277 n. 8.

Parens.

Parentes muneribus honorandi p. 42,

Paupertas.

Paupertas irregularitatem ad suscipiendos ordines advehit, p. 488. n. 1.

Perjurium.

Perjurium quid sit, p. 333: n: 1. Est casus reservatus Episcopo Leod. *ibid.* Quibus est pernicioſum, p. 266. n. 3. Debet exprimi in confessione, p: 333. n, 3.

Prædatores.

Prædatores agrorum carent immunitate, p. 281. n. 17.

Prælatus.

Prælatus Ecclesiasticus non dependet à Principe vel Magistratu quoad potestatem spiritualem & judiciariam, p. 159. n. 5.

Privatio.

Privatio ingressus Ecclesiæ differt ab interdicto, p. 408. n. 4.

Princeps.

Ad Principem temporalem in materiâ fidei appellare non licet, p. 152. n. 1. Principes licet non sint judices, sunt tamen tutores & defensores Ecclesiæ, p. 160. n. 7.

Professio.

An & quando post Professionis quinquennium possit reclamari, p. 183. n. 9. Ejus nullitas nequit à superiore declarari, p. 83. n. 10, Religiosus malè professus nequit cogi ad eam ratificandam, *ibid.*

Prophetia.

Prophetia non est donum habituale, p. 53. p. 458.

Publica Pœnitentia.

Publica pœnitentia inducit irregularitatem, p. 472. n. 9.

Q

Quæstor

QUæstuarii cum nolâ non approbati ab Episcopo interdicuntur, pag. 116. num. 18.

R

Raptus.

RAptus quid sit, p. 304. n. 2. Ejus pœna, *ibid.* n. 5. & 6.

Recursus.

Recursus & appellatio Clericorum, & præcipuè Religiosorum ad Principes & Magistratus laicos illicitus, p. 161. n. 8.

Rex.

Reges in veteri testamento sacerdotes deposuerunt, in novo nequeunt, p. 8. n. 8. Reges quomodò fiunt irregulares, p. 482. num. 14.

Regulares.

Regulares non revelantes rem, de quâ fit mentio, non sunt excommunicati, pag. 229. n. 8.

Religiosus.

Religiosi qui possunt esse testamentorum executores, p. 73. n. 13. Ejusmodi executores potest Episcopus cogere ut coram se reddant rationem, *ibid.* Religiosi possunt cogi ab Episcopo ad observantiam Constitutionum Synodalium, quæ concernunt actiones communes populi, nec derogant observantiæ regulari, p. 73. n. 12. Extra suos Cœventus reperti absque mandato in scriptis suorum superiorum plecti possunt, *ibid.* n. 9. Subjiciuntur Episc. Religiosi Cathed. Eccl. *ibid.* n. 14. Damnati ad perpetuos carceres possunt impunè fugere, p. 72. n. 9. Relig. ab ordine ejectus debet se præsentare Episc. p. 74. n. 15. Relig. Ordinis extincti, vel qui defecit, subditur Episcopo *ibid.* n. 17. Ordinis etiam exempti in causâ hæresis subjicitur Episcopo, p. 75. n. 17.

Restituere.

Restituere quis non tenetur, p. 230. n. 8.

S

Sacerdos.

SAcerdotes exempti sunt à tribunali laico, p. 13. n. 1. Abstineant à muneribus p. 43. n. 17.

Sacramentum.

Quibus & quæ Sacramenta possunt administrari tempore interdicti, pag. 400. & seq.

Seminarium.

Ad seminarium qui contribuere debent, p. 507. n. 3. & 4.

Sententia.

Sententia lata particularis per personam particularem tolli potest à Superiore, p. 368.

Sepultura.

Sepultura Ecclesiastica quibus prohibetur tempore interdicti, p. 405. An sepulti in loco prophano tempore interdicti, hoc sublato, debeant exhumari, & in loco sacro sepeliri, p. 406.

Servus.

Servus aut mancipium an sit irregularis, p. 445. n. 1.

Sodomia.

Sodomiæ gravitas, p. 315. n. 2. Ejus pœna, p. 318. n. 2. Est casus reservatus, p. 323. num. 19.

Sortilegium.

Sortilegium an sit Dæmonis invocatio, p. 257. n. 6.

Stuprum.

Stuprum enorme peccatum, p. 309. n. 6. Stupri pœnæ, p. 313. n. 11. 12. 13. Quanta mala mundo invehit, p. 314. n. 14.

Superstitio.

Superstitio quid sit, p. 259. n. 8.

Suspensio.

Suspensio quid sit, p. 341. Forma ipsius non est determinata, p. 342. Causæ quæ, p. 343. Soli Clerici sunt capaces, p. 344. n. 5. Sunt etiam capaces Abbatissæ, Generales, Provinciales, Priores, Laici, & alii regulares p. 347. n. 7. Supponit culpam, p. 346. n. 8. Saltem communem culpam, p. 347. Potest suspendi, *ibid.* n. 9. Illius effectus, p. 348.

Suspensiones ipso facto quæ, p. 350. Successor potest absolvere à suspensione latâ à prædecessore, p. 366. n. 6. Suspensio & alia censura non reservata per sententiam jure communi tolli potest ab eo, qui potest absolvere à culpâ mortali, *ibid.* n. 3. Differt à degradatione, p. 184 n. 3.

T

Testimonium.

TEstimonii falsi gravitas, p. 265. n. 1. & 2. Pœnæ, p. 268. Qui testatur in causâ sanguinis fit irregularis, p. 474. n. 3. Illud à multis Episcopis reservatur, p. 269.

Tribunal.

Præter Tribunal Sacramentale datur in Ecclesiâ aliud quod publica & enormia scelera punit, p. 1. Ecclesiasticum differt ab ultimo tribunali Dei, p. 2. Tribunalium humanorum necessitas, *ibid.*

Turca.

Contra Turcam bellum Christianis licitum est, p. 559.

V

Vicarius.

VIcarius Episcopi an & quando potest excommunicare, p. 220. n. 7.

Violator.

Si Violator virginis violenter aut fraudulenter eam cognoverit tenetur ad restitutionem, p. 310. n. 9.

Victoria.

Victoriæ ope divinâ reportatæ, p. 538. & seq.

Wicleffus.

Wicleffus negavit bellum esse unquam Christianis licitum, p. 520.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 2. in margine *cap.* 25. *v.* 1. lege *cap.* 1. *v.* 26. *p.* 4. Ioiadæ *lege* Ioiada *p.* 15. non tantùm devolvitur *l.* non tantùm non devolvitur *p.* 20. quæ *l.* qui *p.* 31. & 54. cap 32. *l.* 34. *p.* 29. infundes *l.* infundens, *ibid.* Apostolus Lucæ *l.* Apostolis vult, ut imitentur exemplum *p.* 41. *v.* 21 *l.* 1. *p.* 50. cap. 3. *l.* cap. 1. *p.* 60. observantia floreat *l.* non floreat *p.* 87. da habitatoribus *l.* de habitatoribus *p.* 98. omnis qui renunciat *l.* non renunciat *p.* 108. cap. 19. *l.* Matthæi c. 1. *p.* 134. criminales *l.* criminalis *p.* 170. psal. 75. *l.* 79. *p.* 177. cum autem *l.* cur autè *p.* 181. & *l.* &c. *ibid.* comedes *l.* comederis *p.* 182. vicet *l.* vicit *p.* 191. concdeente *l.* concedente *p.* 205. cap. 2. *l.* c. 21. *ibid.* procalcatum *l.* proculcatam *ibid.* Almariam *l.* afinariam p. 254 regularitatibus *l.* irregularitatibus *p.* 283. ob homicidam *l.* ob homicidium *p.* 401. licet secundùm jus *l.* sacramentum pœnitentiæ secundùm jus *ibid.* circa *l.* citra *p.* 447. repletus sum *l.* repletus *p.* 457. lib. 4 Reg. cap. 4. *l.* cap. 3. *p.* 543. 1. Corinth. cap. v. 4. *l.* cap. 2. v. 4.

Digitized by Google